1437
K. Holl

inghamo cfr. Chaufepié Dict: Hist: Crit: T. 3. Lit: J. pag: 40.

IOSEPHI BINGHAMI,
ANGLI,

ORIGINES
SIVE
ANTIQVITATES ECCLESIASTICAE.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM
VERTIT

IO. HENRICVS GRISCHOVIVS,
HALBERSTADIENSIS.

ACCEDIT PRAEFATIO
IO. FRANC. BVDDEI,
THEOL. D. ET P. P. O.



HALAE,
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI.
M DCC XXIIII.





ITa tandem multorum ſatisfieri coepit votis, qui, vt BINGHAMI *origines eccleſiaſticae* alia, quam anglicana lingua, legi poſſent, vehementer optarunt. Ex quo enim per varias eruditorum ephemerides innotuit, quanto ſtudio, quanta induſtria auctor doctiſſimus in hocce argumento verſatus ſit, quam exactam & exquiſitam eorum omnium, quae, vt ſolide illud pertractaretur, requirebantur, ſecum adtulerit notitiam; non poterant non ingenti cupiditate ad illud legendum inflammari, quotquot antiquitatibus, hiſtoriaeque eccleſiaſticae, iuſtum ſtatuere pretium didicerunt. Hi ergo iam inuenient, quo ſuam abunde expleant ſitim, dum prima operis huius pars, in latinum translata ſermonem, omnium ſe oculis offert, atque deprehendent, nihil tam praeclare de eo dictum eſſe, aut dici poſſe, vt non multis modis illud ſuperet.

Eccleſiaſticae antiquitatis qui contemnunt, aut in minimis ponunt, cognitionem, ſe ignaros eorum, quae theologiae, immo & iurisprudentiae vel maxime inſeruiunt, demonſtrant. Iucundum non tantum eſt, eorum quae hinc inde adhuc in noſtris eccleſiis conſpiciuntur, cognitam perſpectamque habere originem, ſed vtile etiam, immo neceſſarium, vt noſtrae veteriſque eccleſiae comparatione inſtituta, inde diſcamus, quousque conueniant inter ſe, aut a ſe inui-

Nec offendet, puto, quemquam, quod auctor doctissimus ſententias, auctoritatis epiſcopalis ſeu hierarchiae in Anglia defenſoribus proprias, defendat. Hiſce enim partibus cum ipſemet addictus ſit, nemo ei hoc vitio vertere poterit. Quod ſi etiam, qui cum hiſce faciunt, in veteris eccleſiae inſtitutis ad ſua placita flectendis nimii ſunt, in idem tamen haud raro incurrunt vitium, qui illis, ſaepe ſine praegnanti ratione, ſeſe opponunt. Praeterea cum vtraque pars in veteris eccleſiae diſciplina et inſtitutis cauſſae ſuae praeſidium quaerat, illud ex hiſce certaminibus extitit commodum, vt ſcriptis ſubinde egregiis noua lux antiquitatibus eccleſiaſticis adfunderetur, certe maiori ſtudio ac induſtria in iis eruendis ac inueſtigandis viri quidam eruditi verſarentur, quam forte ceteroquin factum fuiſſet. Certe inter eos, qui pro episcoporum auctoritate et veteri diſciplina retinenda militarunt, viros fuiſſe exquiſita rerum veteris eccleſiae notitia imbutos, IO. PEARSONII, HENRICI HAMMONDI, HENRICI DODWELLI, aliorumque, quorum nomina orbis eruditus veneratur, exempla teſtantur. BINGHAMO vero noſtro hoc prae reliquis proprium eſt, quod magna animi moderatione, iudicioque ſingulari, in hiſce omnibus verſetur, adeo vt, ſi in quibusdam emendatione quadam opus habet, longe plurima contra ſint, ex quibus inſignem lector capere queat vtilitatem.

Vt exemplis quibusdam, quae diximus comprobemus, quando auctor *lib. I. cap. V.* de *diſtinctione inter laicos et clericos* verba facit, antiquitatem ſimul huius diſtinctionis euincere adnititur. Eum in finem primum producit teſtimonium CLEMENTIS Alexandrini; tum vero vlterius progreditur, et, ab eccleſia iudaica originem ſuam ducere, adſerit, idque hocce CLEMENTIS Romani teſtimonio confirmat: *τῷ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί· καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται καὶ λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται. Summo ſacerdoti ſua munera tributa ſunt, ſacerdo-*

cerdotibus locus proprius adſignatus eſt, & Leuitis ſua miniſteria incumbunt. Laicus praeceptis laicis conſtringitur, *ep. I. ad Corinth. n. XL.* Quemadmodum vero in eo, quod a Iudaeis, apud quos ſacri ordinis viri ſpecialiori quodam ſenſu *ſors Dei* dicebantur, diſtinctionis huius deriuanda ſit origo, me aliosque facile ſecum conſentientes habet; ita non aeque omnes inter ſe conueniunt, quando, et qua ratione eadem ad chriſtianos ſit translata. Enimuero, ſi teſtimonio CLEMENTIS Alexandrini locus concedatur; circa finem ſaeculi ſecundi eam in vſu fuiſſe, inde colligetur, quod et TERTVLLIANI auctoritate, ſi opus eſſet, confirmari poſſet. Ex CLEMENTIS autem Romani verbis id quidem conficitur, in eccleſia iudaica hocce inter clericos et laicos diſcrimen obtinuiſſe, quod et poſitum eſt extra controuerſiam; apud chriſtianos id iam ea aetate in vſu fuiſſe, nec CLEMENS dicit, nec ideo hocce comprobari poteſt effato. Scopus enim eius, atque totus ſermonis nexus, oſtendunt, eum eccleſiae iudaicae exemplo tantum oſtendere voluiſſe, ordinem certum in eccleſia quoque chriſtiana obſeruandum eſſe. Quod ſi itaque probari nequit, tempore CLEMENTIS Romani hancce diſtinctionem, atque adpellationem in vſu fuiſſe; multo minus adſeri poterit, eam ab ipſis apoſtolis originem ducere, quod praeeunte CAESARE BARONIO, contendit PETRVS DE MARCK, in *diſſertatione de diſcrimine clericorum & laicorum*; refutante et reiiciente hanc ſententiam beato CHRISTIANO KORTHOLTO noſtro, in *diſquiſitionibus anti-Baronianis*, *diſquiſit. V. §. IV. p. 151.* Atque haec cum ita ſe habeant, valde dubito, an doctiſſimus BINGHAMVS noſter diſtinctionis huius veritatem, contra RIGALTIVM, SALMASIVM, SELDENVM, ſatis in tuto, quod pollicetur, collocauerit. Enimuero, diſcrimen aliquod inter eos, qui docentium munere, aut aliis eccleſiae miniſteriis fungebantur, et reliquos qui nullum ſibi impoſitum habebant officium, fuiſſe, ipſa ratio docet, indeque clariſſime euincitur, quod ſeruator certas in eccleſia functiones

con-

conſtituerit, docente apoſtolo *Eph. IV, 11.* Quare ſi quis *clericorum* et *laicorum* vocibus, nihil aliud, quam quod inter docentes et auditores, aut eos qui certis muneribus funguntur, vel iis non funguntur, intercedit, denotare vellet; tum quidem ipſum hocce haud dubie a diuina inſtitutione deriuandum eſſet diſcrimen, parumque referret, quando demum voces iſtae ad illud ſignificandum adhiberi coepiſſent. Cum vero, vt antea obſeruauimus, et auctor eruditiſſimus fatetur, ex eccleſia iudaica voces iſtae deriuatae ſint, et altera quidem, ſeu vox *clericus* ſingularem quamdam ἐξοχὴν, miniſtris eccleſiae in nouo teſtamento non debitam, et cum quodam illorum, qui laici dicuntur, contemptu coniunctam, indicare videatur, aliter cenſendum eſſe, res ipſa oſtendit. Non equidem puto, id ſibi voluiſſe, qui primum hiſce vocibus in eccleſia vſi ſunt; fierique potuit, vt innocenti hoc facerent conſilio, nec ſacri ordinis viris aliam, quam quae iure illis tribuitur, vindicare vellent dignitatem; occaſionem tamen hinc enatam, non diffiteor, qua ſequiori aetate nonnulli ad imperium aliquod in reliquos, ſacri ordinis viris vindicandum, abuſi ſunt. Horum enim ambitioni, cum ſub Romanorum pontificum tyrannide, nec modus, nec finis poneretur, peropportunum illis hocce accidebat diſcrimen, quo clerici, vti vocabantur, velut ſupra humanam ſortem euecti, laicos, ceu infra eandem poſitos, contemnebant, et alto deſpiciebant ſupercilio. Et hactenus quidem diſtinctionem hancce inter cauſſas, quae imperio poteſtatique papali incrementum dederunt, me non inuito referre licebit. Nec tamen hoc obſtabit, quo minus in ſano ſobrioque ſenſu in eccleſiis proteſtantium retineatur; vt ea nihil aliud, quam, quod ex ipſo docentium munere oritur, diſcrimen innuatur. Voces iſtas ſi quis ferre nolit, per me quidem non ſtabit, quo minus abrogentur, modo res ipſa, ſecundum diuinam inſtitutionem ſalua maneat. Nec enim ſuper iis magnopere cum quoquam contendendum exiſtimo.

Dum

Dum auctor noſter in eo eſt, vt diſcrimen inter clericos et laicos ediſſerat, ad celeberrimum illud Petri apoſtoli effatum deuoluitur, quo presbyteros adhortatur, ne dominentur cleris, μηδ᾽ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων· obſeruatque poſt alios, verba haecce tam bona eccleſiae, quam ipſum populum ſignificare poſſe. Recte itaque ab illis epiſcopalis auctoritatis defenſoribus diſcedit, qui τῶν κλήρων nomine ordines ſacros inferiores denotari putant, vt adeo ſuprema epiſcoporum poteſtas hic vel maxime ſtabiliatur. Quod tamen quam abſonum ſit, vel inde intelligitur, quod apoſtolus ſtatim addit: ἀλλὰ τύποι γενόμενοι τοῦ ποιμνίου, *ſed qui exempla ſitis gregi.* Per τοὺς κλήρους eosdem intelligi, quos τοῦ ποιμνίου ſeu *gregis* nomine deſignat, oppoſitionis ratio docet. At per *gregem* non clericos inferioris ordinis, ſed omnes generatim, qui eccleſiam conſtituebant, ſignificari, vel inde manifeſtum eſt, quod hisce non minus, quam illis, vitae ſanctitate ac integritate exemplum praeire epiſcopus debeat, ad quod ſeſe componant. Atque conſentit hac in re nobiſcum eruditiſſimus auctor noſter, τῶν κλήρων nomine ipſum hic venire populum, ſed addit: *Nihil tamen dicunt amplius* (qui populum intelligunt) *quam quod de populo Iſraelitico legimus, qui vocabatur Dei* κλῆρος *et* λαὸς ἔγκληρος *Dei haereditas et populus poſſeſſionis, Deut. IX, 29. IV, 20. Sicut et Iudaei et Chriſtiani erant in oppoſitione gentilium; hoc non obſtante Deus peculiarem in populo ſuo habebat* κλῆρον, *qui ipſius ſors erant et haereditas, et hoc nomine diſtincti a laicis, hoc eſt, reliqua multitudine.* At vero licet diſtinctionis huius origo a Iudaeis peti queat, non eodem tamen modo ſenſuque eam apud chriſtianos locum inuenire antea monuimus. Atque hinc reliqua, quae clarisſimus auctor dicit, facili negotio diiudicari poſſunt.

Accedimus ad id, quod caput cauſſae eſt, et de quo vel maxime inter epiſcopalis poteſtatis propugnatores, et eos qui eidem aduerſantur, diſceptari ſolet, originem epiſcoporum, et eorumdem a presbyteris diſtinctionem; de qua auctor *lib. II. cap. I.* verba facit: *Talem,* inquit, *diſtinctionem in eccleſia ſemper*

fuisse obseruatam, liquet ex plerorumque veterum scriptorum testimoniis, qui de episcopis, presbyteris, et diaconis, tamquam distinctis in ecclesia gradibus, et de duobus quidem posterioribus, vt primo subordinatis, loquuntur. Lubens fateor, statim post apostolorum tempora distinctionem hanc inter episcopos et presbyteros exortam esse, adeoque longe esse antiquissimam. Cum enim quibusdam in locis plures essent presbyteri, et vero inter hosce ordo aliquis obseruandus esset, non poterat non qui primus inter eos erat, ἐξοχὴν quamdam prae reliquis obtinere. Quae quidem ἐξοχὴ cum sola virtutis, integritatis, sanctitatisque praestantia niteretur, vt ab imperio et auctoritate potestateque magistratui propria quam longissime aberat, ita veneratio quaedam equidem, minime autem obsequium, vel etiam munerum aut praestationum diuersitas illi ex parte reliquorum presbyterorum respondebat. Praeterea cum illi, quibus ecclesiae salus curae cordique erat, perspicerent, hanc vnius presbyteri prae reliquis ἐξοχὴν ad concordiam conseruandam funestasque euitandas dissessiones valere plurimum, eam non adprobarunt solum, sed commendarunt vehementer, eosque, qui ei se opponerent, obiurgarunt. Nec erat, quod ea in re reprehendi poterat, si intra primos limites substitisset. Hos vero cum migrarent, quibus honoris commodorumque suorum potior cura erat, quam salutis ecclesiae; mirum non est, breui temporis spatio episcopalem auctoritatem tantum cepisse incrementum, vt non modo presbyteris multum se superiores esse, contenderent, sed praestationes quasdam functionesque ita sibi vindicarent, vt, presbyteris easdem obire, fas esse negarent diserte. Iam ad veterum testimonia quod attinet, eiusmodi distinctionem, quam proxima post apostolos aetate inter episcopos et presbyteros fuisse diximus, omnino confirmant, plura inde non elicias. *Testimonia Ignatii*, ita auctor eruditissimus pergit, *huc facientia tam firma sunt atque luculenta, vt nihil vnquam aduersus ea adferri potuerit, nisi quod non sint genuinae antiqui istius auctoris reliquiae;*

ad

ad quod vero a viris doctis toties responsum fuit, vt isti opinioni cum ratione nemo amplius inhaerere possit. Verissimum vtique est, IGNATII tam luculenta esse testimonia, vt iis refragari non liceat. Nec hodie quisquam harum rerum peritus temere invenietur, qui epistolas istas pro spuriis minusque genuinis habeat. Nec tamen aliud quid inde condiscas, quam tempore IGNATII iam discrimen aliquod inter episcopos et presbyteros obtinuisse, eiusmodi videlicet, quale statim post apostolorum tempora, aut forte circa extremam illorum aetatem, exortum, antea docuimus. Atque hoc modo reliqua etiam, quae auctor adfert, testimonia recte sese habent.

Cum vero vlterius adserit, ordinem episcoporum ab apostolis institutum; praeter episcopalis potestatis in Anglia propugnatores, (de Romanensibus enim vt quidquam dicam, necesse non est) paucos forte secum consentientes habebit. Non tantum enim nullum huius rei in scriptura sacra extat vestigium, sed contra, eosdem plane et episcopos et presbyteros tempore apostolorum fuisse, innuitur. Certe presbyteros etiam episcopos dictos ex *Act. XX, 17.* et *28.* condiscimus. Iidem enim presbyteri, quos Epheso ad se arcessiuit Paulus, *v. 17.* diserte episcopi vocantur, *v. 28.* Sic et cum Paulus iussisset, vt Titus oppidatim constitueret presbyteros idoneos, qui essent inculpati, tamquam dispensatores rerum diuinarum, non luxu infames, aut contumaces, *Tit. I, 5. 6.* statim rationis loco subiicit, quod tales deceat esse episcopos. Qui pro episcopatus origine diuina pugnant, simul adserere solent, vnius vrbis vnicum tantum esse posse episcopum. At Ephesi plures fuisse episcopos itidem ex *Actor. XX, 17. 28.* patet. Nec est, quod excipias, non Ephesinae solum, sed aliarum simul Asiae vrbium episcopos intelligi. Eius enim rei nullum apud Lucam deprehendimus vestigium. Accedit, quod et ex *Philipp. I, 1.* recte colligatur, Philippis quoque plures fuisse episcopos, seu, quod perinde est, plures presbyteros, qui et episcopi dicti sint, et qui omnes fuerint aequales. Cum vero etiam *Actor.*

XX, 17. 28. de epiſcopis ſeu presbyteris dicatur, quod *attendere gregi* et *paſcere eccleſiam Chriſti* debeant, vnum omnium fuiſſe officium, nec epiſcopos peculiare aliquod prae presbyteris habuiſſe, inde edocemur. Idque confirmat Petrus, quando presbyteros, inquit, *obſecro ego compresbyter* (συμπρεσβύτερος) *paſcite gregem, qui in vobis eſt, 1. ep. V, 1. 2.* Vbi cum ſe συμπρεσβύτερον adpellitet, et tamen epiſcopos adloquatur, nullum inter presbyteros et epiſcopos eum conſtituiſſe diſcrimen, manifeſtum eſt. Diſerte quoque, quod epiſcoporum munus eſt, paſcere gregem, presbyteris tribuit. Atque haec cum ex ſacris litteris conſtent; teſtimonia ſcriptorum eccleſiaſticorum, quae epiſcopatus originem ab apoſtolica deriuare inſtitutione videntur, non multum nobis faceſſent negotii: quamquam, ſi paulo adcuratius conſiderentur, nec noſtrae repugnent ſententiae. *Iidem auctores*, inquit BINGHAMVS noſter, *ceteris omnibus conſentientibus declarant, non eſſe eum* (epiſcoporum ordinem) *ab hominibus inuentum, ſed initio ab ipſis apoſtolis ex diuina ordinatione conſtitutum.* Epiſcoporum ordinem in ſe ſpectatum, non eſſe ab hominibus inuentum, ſed ab apoſtolis, quin ipſo Chriſto inſtitutum, lubentes fatemur, idque nos ipſemet condocet apoſtolus *Eph. IV, 11.* Sed quaeſtio eſt de eiusmodi ordine epiſcoporum, qui a presbyterorum ordine non tantum diſtinctus, ſed eodem etiam multum eſt ſuperior, ita vt munera quaedam illi tribuantur, quibus presbyteris fungi non licet; quem ſi ſecundi tertiiue ſaeculi patres apoſtolicae conſtitutioni tribuerent, mirum equidem id non eſſet, cum iam eo tempore epiſcopi ſe ſupra presbyteros efferre inceperint, facileque contingere potuerit, vt eam quam animo conceperant epiſcopi notionem in eccleſia apoſtolica ſe inueniſſe ſibi perſuaderent, nec tamen iſtud ex illorum quae proferuntur teſtimoniis colligas. Prouocat auctor ad illud TERTVLLIANI: *ordo epiſcoporum, ad originem recenſus, in Ioannem ſtabit auctorem, adu. Marcionem lib. IV. cap. V.* Addit: *Quocum exacte congruit, quod Clemens Alexandrinus de eo* (Ioanne) *memoriae*

moriae prodidit, nimirum quod, quum ex insula Patmo Ephesum rediisset, ad finitimas quoque prouincias se contulerit, vt episcopos constitueret, et homines sibi a diuino spiritu indicatos in clerum quemdam seu sortem domini seponeret; in libro: *quis diues saluetur? p. 185.* Verum CLEMENTEM Alexandrinum in hisce verbis nihil aliud dicere video, quam, Ioannem, cum ex Patmo insula Ephesum rediisset, in prouinciis finitimis episcopos constituisse. Num tales, qui a presbyteris fuerunt distincti, iisque multum superiores? Id vero CLEMENS non dicit, nec ex verbis eius hoc colligere possum. Alibi equidem, scilicet *paedag. lib. III. cap. XII.* presbyterorum, episcoporum, et diaconorum ita mentionem facit, ac si iam tempore Ioannis ista ordinum distinctio in vsu fuerit; quemadmodum autem ibidem presbyteros ante episcopos ponit, ita si vel maxime aliquale discrimen Ioannis tempore inter episcopos et presbyteros existere coepisse largiamur, nondum tamen inde consequi, discrimen hoc apostolica niti constitutione, ex iis quae dicemus, constabit. TERTVLLIANVS nimirum Ioanni episcopalis ordinis originem tribuere videtur. Quo iure, nescio; nec satis perspicio, quid sibi velit, cum verba eius sint obscuriora. Certe et Paulum iam antea presbyteros, quos et episcopos dictos, iam docuimus, constituisse *actor. XIV, 23.* legimus, immo Tito, vt idem in Cretae insulae vrbibus faceret, mandasse, *Tit. I, 5.* Idem si et Ioannes fecit, nihil fecit, quod non et alii fecerunt apostoli, adeoque non video, cur ordinis episcopalis auctor dici debeat. Aliter si hoc intelligat TERTVLLIANVS, et de ordine episcoporum ab ordine presbyterorum distincto loquatur, primum quidem, an eius hic vnice standum sit auctoritate, merito quis dubitauerit. Quod si tamen quis concedat, quod supra etiam significauimus, forte circa finem aeui apostolici, viuente adhuc Ioanne, discrimen aliquod inter episcopos et presbyteros, vsu et consuetudine inualuisse, istudque institutum, vtpote ad ecclesiarum commodum comparatum, calculo suo adprobasse Ioannem, por-

roque contendat, hoc ſenſu TERTVLLIANVM epiſcopatus originem ad Ioannem retuliſſe; non magnopere repugnabimus, cum rurſus inde non ſequatur, epiſcopalem ordinem, eo ſenſu intellectum, ex apoſtolica conſtitutione originem ſuam accepiſſe. Dudum enim antea eiusmodi eccleſiae regimen, in quo nulla epiſcoporum præpresbyteris fuit ἐξοχὴ, obtinuit; quodve vſu et conſuetudine introductum calculo ſuo adprobauit Ioannes, id minime ipſemet apoſtolica auctoritate inſtituiſſe dici poteſt. Cum ea, quae auctor ſubiicit, et ex adlatis iſtis teſtimoniis concludit, ex dictis diiudicari queant, de IRENAEO tantum quaedam obſeruabimus. *Irenaeus*, inquit, *in eandem ſententiam mentem ſuam declarat, apoſtolorum tempore tam epiſcopos quam presbyteros fuiſſe in eccleſia. Conuentum enim in Mileto dicit, epiſcopis conſtitiſſe et presbyteris, qui ab Epheſo et a reliquis proximis ciuitatibus Aſiae eo coiiſſent, lib. III. cap. XIV.* Verum cum IRENAEVS ibi ad ea reſpiciat, quae Lucas *Actor. XX, 17. ſeqq.* refert, diſpiciendum, vtrum, quae dicit, cum narratione ſacri ſcriptoris conſentiant, an minus? Si conſentire dicas, admittas quoque neceſſe eſt, eum vocibus *epiſcopis* et *presbyteris*, συνονυμικῶς vſum; cum Lucam eas ita vſurpaſſe longe ſit manifeſtiſſimum. Si non conſentiat, cui magis credendum, Lucae, an IRENAEO? Atque ſic quidem in eo quoque errat, quod epiſcopos et presbyteros non modo ab Epheſo, ſed a *reliquis proximis ciuitatibus* Miletum conuocatos dicit; quod apud Lucam non extat, quippe qui tantum presbyterorum, quos Epheſo Miletum arceſſiuerit Paulus, meminit. Comprobari autem hoc IRENAEI exemplo poteſt, quod antea obſeruauimus, veteris eccleſiae doctores haud raro, quam ipſimit animo conceperant epiſcoporum imaginem, horumque a presbyteris diſtinctionem, incaute admodum aeuo apoſtolico tribuiſſe, licet inde tam procul nondum remota eſſet, quam ſequenti factum eſt tempore. De IRENAEO haec equidem porro auctor doctiſſimus ſubiicit: *Fauens igitur huic hypotheſi, epiſcoporum ſucceſſionem eorumque originem vbique ab apoſtolis*

postolis deducit. Vt quando Hyginum nonum locum episcopatus per successionem ab apostolis habuisse dicit. Et alio loco, exhibens nobis accuratum catalogum duodecim episcoporum Romanorum, qui vsque ad ipsius aetatem successiue isti sedi praefuerunt, de Lino eorum omnium primo, dicit, eum ab ipsis apostolis, ecclesia primum fundata, episcopum esse ordinatum; et de eorum postremo Eleutherio, eum duodecimo loco episcopatum ab apostolis habuisse. Exhibet deinceps *§. IV. p. 60. seqq. indicem seu catalogum episcoporum primum ab apostolis ordinatorum.* Sed nec haecce nostram euertere aut labefactare possunt sententiam. Cum enim concedamus, immo lubentes profiteamur, a Paulo aliisque apostolis hinc inde presbyteros in ecclesiis a se plantatis constitutos fuisse; et vero, aut circa finem aeui apostolici, aut statim post illud, primo praecipuoque presbyterorum, vbi plures erant, nomen episcopi, quod omnibus antea commune fuit, *κατ' ἐξοχὴν* haeserit: nihil obstat, quo minus in quibusdam ecclesiis successio episcoporum ab vno quodam, ab ipsis apostolis constituto, repetatur. De ipsa primorum, qui Romae fuisse dicuntur, episcoporum successione multa adhuc disputari solent, quae huius loci non sunt.

Quae auctor noster doctissimus *libri secundi capite secundo* de *diuersis honorum titulis, quibus in primitiua ecclesia episcopi ornati fuerint,* disserit, prorsus egregia sunt, rebusque obscurioribus lucem adfundunt. Cum docuisset, veterumque testimoniis comprobasset, omnes episcopos primum vocatos *apostolos*, deinde *apostolorum successores*; recte inde concludit, probatque, vnamquamque episcopi sedem, *apostolicae sedis* nomine venisse, fallique adeo magnopere, qui hancce adpellationem soli episcopo Romano vindicare adnitantur. Offendere quemquam posset, quod olim episcopi etiam *principes populi*, itemque *principes ecclesiae*, *ἄρχοντες ἐκκλησιῶν*, adpellati sint. Nec tamen puto, eos, qui istis nominibus vsi sunt, imperium aliquod aut potestatem ciuilem iis tribuere voluisse, quippe quam ab apostolorum, et qui in eorum locum suc-


ſucceſſuri eſſent, munere longiſſime abeſſe, ipſe ſeruator voluit. Nimia epiſcoporum veneratio eiusmodi voces quibusdam extorſit, quae tamen vt ad alendam ac fouendam epiſcoporum ambitionem plurimum valebant, ita non negauerim, eas reliquis cauſſis acceſſiſſe, quae effecerunt, vt ex epiſcopis imperantes, rerumque domini, fierent. Quemlibet epiſcopum olim *papam*, ſiue *patrem* dictum, notum eſt. NICEPHORVS equidem fidenter adſerit, CYRILLVM Alexandrinum primum iſtius regionis epiſcopum fuiſſe, cui honor iſte obtigerit, vt *papa* ſalutaretur, et quidem ideo, quod CAELESTINI papae ſeu Romani pontificis in concilio Epheſino fuerit legatus. Scriptores vero arabici HOMAIDIVS et ABVBACRVS HABBASIDES, aliter ſentiunt, idque nominis patriarchae Alexandrino primum datum, et poſtea Romam delatum eſſe, contendunt; hoc ipſo ſignificantes, Romanos pontifices adpellationis huius priuilegium perperam ſibi ſolis vindicare. Sed auctor noſter luculenter demonſtrat, non vni alicui epiſcopo, aut patriarchae, hocce nomen olim fuiſſe tributum, quin potius communem omnium fuiſſe adpellationem; quippe qui *eccleſiae patres*, itemque *patres clericorum* dicti ſint; *papam* autem nihil aliud ſignificare, quam *patrem*. Immo TERTVLLIANVM in libro de *pudicitia cap. XIII.* de epiſcopo quodam, poenitentes recipiente, loquentem, eum *benedictum papam* adpellitare. Eiusdem generis eſt, quod itidem praeclare docet, non ſolis epiſcopis Romanis, ſed et aliis quandoque *patris patrum*, et *epiſcopi epiſcoporum* nomen datum. Vnde rurſus maximopere falluntur Romanenſes, quando, in eiusmodi adpellationibus ſingulare cauſſae ſuae ſe inueniſſe praeſidium, ſibi perſuadent. Immo et hoc addit auctor, atque luculenter euincit, omnes epiſcopos olim *vicarios Chriſti* nuncupatos eſſe: *Quae adpellatio*, inquit, *non minori eis iure competebat, quam illis, qui poſterioribus temporibus, eam ſibi ſolis vindicare auſi ſunt.* Quo ipſo iterum Romanenſibus argumentum

tum

tum eripitur, quo ad tuendam pontificis ſui ſupremam poteſtatem vti, illis ſolemne eſt. Vltimo denique loco obſervat, epiſcopos etiam *angelos eccleſiae* dictos, et hinc verbis apoſtolis, *1. Cor. XI, 10.* de quibus acriter viri docti inter ſe diſputant, lucem adfundit.

Atque haec eum in finem a nobis adlata ſunt, vt praeſtantiam operis huius omnes inde intelligerent; et licet eruditiſſimus auctor aliquando eccleſiae ſuae placita ſequatur, haec tamen non obſtare, quo minus plurima inde ad omnes, qui illud legerint, redundare queant commoda. Id certum, poſitumque extra controuerſiam, nullum in hoc genere extare ſcriptum, quo integra velut totius antiquitatis eccleſiaſticae imago exhibeatur, quod cum hocce comparari, multo minus eidem praeferri queat. Hinc et nullus plane dubito, quin vir ille clariſſimus, qui in latinum ſermonem ex anglicano illud tranſtulit, omnibus, qui haſce litteras recte aeſtimare didicerunt, rem fecerit longe gratiſſimam. Eoque maiori laude dignus eſt, quo exquiſitiorem adhibuit diligentiam, vt mentem ſententiamque adcurate non minus, quam perſpicue et eleganter, exprimeret. Immo ne quid deeſſet, quod librum huncce omnium vſibus aptum redderet, teſtimonia patrum ab auctore laudata ipſemet euoluit, et vt ſumma fide exhiberentur, omnem nauauit operam. Plura non addo, cum ipſa operis huius lectio, quid ex eo ſperandum aut exſpectandum ſit, quemlibet omnium optime condocere queat. Scribebam Ienae die XI. Febr. MDCCXXIV.

IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS,
Theol. D. et P. P. O.



PRAEFATIO INTERPRETIS

QVando ipſe celeberrimus harum *Originum* ſiue *Antiquitatum Eccleſiaſticarum*, quarum libri duo priores in latinum ſermonem a me translati nunc in publicum prodeunt, auctor de tota inſtituti ſui ratione lectorem, quantum ſatis eſt, monuit; Venerandus etiam Theologus Ienenſis, D. D. IO. FRANC. BVDDEVS in præfatione ſua in laudem & commendationem huius operis multa præclare & vere dixit: non eſt, quod aliqua huiuscemodi monitionum acceſſio a me exſpectetur. Pauca tamen habeo, quæ ad hanc latinam editionem praecipue attinent, non omnino prætermittenda.

Primum quidem de libri verſione beneuolo lectori adſeuerandum duxi, me in ea adornanda id egiſſe fideliter, vt verbis auctoris mei non tantum alienum ſenſum ne darem, ſed vt ea etiam perſpicue & plane redderem. Quod an vbique ſatis feliciter & ex ſententia a me præſtitum ſit, alii vtriusque linguæ callentes iudicabunt. Qui ſi cubi me aberraſſe deprehendent (neque enim, vt cum auctore loquar, mihi adeo Suffenus ſum, vt hoc a me alienum putem): veniam mihi eo confidentius promitto, quod *Belgicæ* verſionis auctor, ipſa natione & lingua *Anglus* & idoneus alioquin popu-

laris

laris ſui interpres, heic ibi erraſſe (*) mihi obſeruatus eſt. Taceo, quod ſemel atque iterum quædam omiſſa (**) eſſe, viderim. Latinitatis ſtudioſus quidem, ſed non ſuperſtitioſe tenax fui. Chriſtianis enim, quorum in ritus & conſuetudines commentatus eſt auctor noſter, nomina & res multæ peculiares atque propriæ ſunt, auctoribus, vt vocantur, claſſicis ignotæ, quæ idcirco horum vocabulis & phraſibus non ſemper perſpicue ſatis reddi poſſunt. Malui igitur non numquam minus latine quam minus ſignificanter loqui.

Deinde de teſtimoniis ab auctore allegatis non nihil dicere viſum eſt. Clariſſimus videlicet BINGHAMVS ad calcem cuiusque paginæ bene multa auctorum loca notauit, quibus relationes ſuas ſuperſtruxit. Ex his quidem nonnulla, præſertim ea, quæ ex patribus & auctoribus latinis citauit, lectoris conſpectui plene interdum, vt plurimum autem carptim deſcripta, exhibuit. Pleraque vero nominauit tantum, ab ipſo lectore euoluenda. Qua de re, vbi ad translationem iam adgreſſus eram, me quidam monuerunt, ſibi non vtile tantum ſed neceſſarium etiam videri, vt omnia teſtimonia integre exſcriberentur. Pauciſſimis enim datum eſſe, vt tot libros euoluerent, in eorumque allegatis locis probationes quærerent examinarentque, adeoque lectorem non poſſe non manere dubium, an ea, quæ auctor proponat, indicatis teſtimoniis ſatis ſint confirmata. Quæ quum ita omnino ſeſe habere perſuaſus eſſem, eorum conſilio me ob-

(*) vid. e. g. lib. II. c. XI. §. III. vbi verba: *For in Africk at the time of the Collation of Carthage &c.* ita contra ſenſum reddidit: *Want als in Africa het Bisdom van Carthago ſtond begeeven te worden.*

(**) vid. lib. II. c. III. §. V. vbi hæc: *which was always performed by a Synod of Bishops;* non vertit. Item lib. II. c. X. § II omiſſa ſunt: *For Strangers, who were unknown to the People, were not reckoned qualify'd by the Canons.* lib. II. c. XV. §. I. deſunt haec: *And from this he had the name of Interceſſor and Interventor.* Lemmata paragraphorum ſæpiſſime (culpa, reor, typothetarum) abſunt.

 ſequu-

ſequuturum recepi. Itaque ingreſſus ſum viam primo quidem intuitu facilem & planam, quam vero in progreſſu ſatis difficilem & ſalebroſam eſſe cognoui. Primum enim non multo poſt auctores quidam mihi deeſſe cœperunt. Inueni equidem in officina orphanotrophei noſtri libraria inſignem librorum etiam compactorum copiam, ab eo, qui huic officinæ diuino nutu inde a primis eius initiis præeſt, magna atque laudanda induſtria per multos annos collectam, ex qua plurimos eosque vtiliſſimos ac rariſſimos depromere mihi licuit. Non paucos tamen ad hunc laborem mihi omnino neceſſarios in ea deſiderari, animaduerti. Horum ergo nonnullos partim e publicis, quae heic aperiuntur, (inter quas ipſa dicti orphanotrophei, a memorata officina libraria ſeu bibliopolio diuerſa, referenda eſt,) partim priuatis bibliothecis, conquiſiui & accepi mutuo. Quosdam vero, cum primis *Anglicanos*, reperire nusquam potui. Deinde in euoluendis iſtis libris non exigua difficultas ſæpe mihi ſubnata fuit. Editiones, quas ad manus habui, ab iis, quibus vſus fuerat auctor, plerumque fuerunt diuerſæ, ideoque allegata loca iis, quas indicauit, paginis non inueni Præterea allegationes, (quod viri celeberrimi pace dixerim) non raro vagas atque erroneas deprehendi. *Vagas* quidem, dum librum aliquem longiorem (exempli gratia IVSTINI M. & ATHANASII *Apologias*, NAZIANZENI *Orationes*, CHRYSOSTOMI *Homilias*, HIERONYMI *Epiſtolas*, *Conciliorum Actiones* &c.) ſine vllo ſectionis & paginæ indicio citauit. *Erroneas* autem, dum eo loco, ad quem prouocauit, nihil eorum, quæ dixit, exſtare vidi. Hinc vel vnius vocabuli gratia longam ſæpenumero orationem, apologiam, epiſtolam aut aliud ſcripti genus legere atque iterum legere neceſſe habui. Quod ſi poſt aliquot horas continuas tandem inueni, quod quæſiui; editionis meæ librum, ſectionem, paginam & id genus indices alios adſcripſi, auctoris indicibus vel vna additis, vel, ſi aperte falſi

fuerunt,

fuerunt, omiſſis: ſin autem in inueſtigando operam & oleum, quod aiunt, perdidi; paucis verbis, vt plurimum vero appoſito hoc ſigno †, id ipſum indicaui (*).

In ipſis autem transſcribendis teſtimoniis ita verſatus ſum, vt, ſi illa e græcis patribus & auctoribus fuerunt petenda, ipſa illorum verba græca ponerem, latinamque eorum verſionem, in gratiam linguæ græcæ expertium, ſimul adderem: niſi hæc in ipſo auctoris ſermone iam exſtaret. Ille enim ſæpiſſime auctorum ſuorum verba, *anglice* quidem reddita, ſuis intermiſcuit, quæ ego inibi lingua latina, verſioni meæ conſentanea, exhibeo. Latinorum autem verba ibidem vel in adnotationibus latine ſiſti oportuiſſe, per ſe patet. Non ingratum autem lectori futurum puto, quod nonnumquam loca paullo longiora deſcripſi, vbi neruum probandi, cui intentus auctor fuit, ſæpe duobus tribusue verbis indicari potuiſſe, quis exiſtimauerit. Etſi enim ipſe auctor multa teſtimonia hoc modo excerpſit (quod a ſcopo ipſius haud alienum fuit, quando lectori *Anglicano* vulgari potiſſimum ſe ſcripſiſſe profitetur): mihi tamen teſtimonia in contextu & cohærentia ſermonis ob oculos ponere placuit, quod lectorem de eorum ſenſu & probandi virtute alias ex vero iudicare non poſſe credidi. Quod ſi quem locum nimis longum (**) eſſe vidi, ſatius omnino duxi in ſola allegatione acquieſcere, quam aliquot chartæ latera complendo libri molem illiusque ſimul ſumtus atque pretium adaugere.

Hæc ſunt, quæ de hac primi voluminis editione monere volui. De reliquorum voluminum verſione nihil certi

(*) Ad lib. II. c. XIII. §. I. not. (s) p. 178. hoc ſignum ex errore poſitum eſt adeoque delendum.

(**) vid. e. g. lib. I. c. V. §. IV. not. (f) p. 45. lib. II. c. XIII. §. IV. not. (w) p. 189. &c.

promitto, ne diuinæ prouidentiæ, a qua res mortalium pendent, temere anteuertere velle videar. Quod si Deus longiorem huius lucis vsuram, vires animi & corporis, necessarium etiam otium concesserit, & si has huius operis primitias publico gratas esse intellexero, fieri potest, vt consentientibus & approbantibus iis, quorum consilio hunc laborem suscepi, in incepto pergam.

Quod reliquum est, beneuolum lectorem adhuc rogo, vt si qua errata typographica obseruauerit, ea ipse emendet. In parando enim exemplari ad finem vsque occupato aliisque negotiis districto mihi non licuit ea inuestigare & colligere. Duo tamen ex improuiso mihi occurrerunt, primum quidem p. 233. lin. 10. *ipso*, quod *ipsi* & p. 343. l. 8. *viduæ* quod *viduas* exscribi debebat.

Deo autem O. M. pro auxilio mihi præstito gratias ex animo ago ipsumque oro, vt hanc qualemcumque operam meam infructuosam esse ne patiatur. Scripsi Glauchæ ad Halas Magdeburgicas Nonis Martiis A. O. R. MDCCXXIIII.

IO. HENR. GRISCHOVIVS.

SVMME

SVMME REVERENDO DOMINO
AC IN DEO PATRI,

IONATHANI,

DIOECESIS WINCHESTRIENSIS
EPISCOPO,

NEC NON

NOBILISSIMI ORDINIS PERISCELIDIS
PRAESVLI,

A DEO SALVTEM ET PROSPERI-
TATEM.

DOMINE SVMME REVERENDE,



Osteaquam hasce Collectiones in publicam dare lucem animum semel induxerim, haud opus mihi fuit diuturna deliberatione, cui eas primum offerrem. Sunt eæ ipsæ lucubrationum mearum sub Tua gubernatione atque inspectione primitiæ. Primitias autem laboris singulorum Tuorum clericorum iure quodam Tuo TE *vendicare* TIBI *posse sentio: nec perperam ita sentire mihi videor, præsertim si res, in quibus ipsorum occupata est industria, muneris, in quo constituti sunt, rationibus conueniant, & ad amplificandam in orbe terrarum rei christianæ cognitionem quodam modo spectent. Argumentum, quod in hoc libro tractandum sumsi, quum ad antiquos ritus ac consuetudines ecclesiæ primitiuæ illiusque cum primis clericorum statum enarrandum attineat, eiusmodi omnino est, vt illud in se consideratum eius dignitatis Viro, cuius* TV *es*, DOMINE, *non posse non probari persuasus sim: quippe cuius cura non tantum in priscæ doctrinæ puritate conseruanda, sed etiam in antiqua disciplina & primitiuæ pietatis praxi restituenda inflammandaque versatur: & si isthæc tractatio ipsius rei magnitudini aliquatenus respondet, eo magis* TIBI *arrideat, necesse est: siquidem poma aurea in argenteis apposita patinis tanto pulcriora apparent. Equidem facile largior,*

gior, argumentum hoc ſublimius eſſe & copioſius, delicatius atque difficilius, quam vt ab vno aliquo mortali pro eo ac decet tractari & exhauriri poſſit: tantum abeſt, vt a me id factum eſſe, profitear. Quod igitur a TE, DOMINE, *me impetrare poſſe, arbitror, hoc eſt, vt erroribus heic a me admiſſis, quos* TV, *quæ eſt mirifica ingenii Tui vis & ſagacitas, facile perſpicies, pro Tua dexteritate atque humanitate condones. Non omnino nulla, fateor, mihi ſpes eſt, fore, vt cum ipſius materiæ obſcuritas & difficultas, tum vero maxime rerum mearum anguſtia, quando a ſufficiente librorum ſupellectile minus inſtructus huic labori vacare neceſſe habui, huius libri vitiis aliquam excuſationem conciliet. Et ſi hoc beneuolentiæ genus tantummodo a* TE, DOMINE SVMME REVERENDE, *obtinuero, vt inſtitutum meum rectum bonumque eſſe iudices; (vti ego quidem bonæ intentionis iam pridem mihi conſcius ſum, quod omnes meos labores publico eccleſiæ commodo conſecrauerim;) nouus animo meo vigor accedet, vt iſtas difficultates nihil moratus ad cæteras huius operis partes, quæ reſtant, impigre atque alacriter adgrediar, in quibus elaborandis tanto ſtudioſior futurus ſum, ſi quidem abs* TE *id ratum haberi cognouero. Tanti approbatoris præſidium & inſtigatio eo etiam fortaſſis generatim valebit, vt multorum aliorum, qui ad eccleſiæ commoda promouenda me longe aptiores ſunt, ſtudia accendantur. Neque vero thronum epiſcopalem, quem in hac dioeceſi felici omine conſcendiſti, melius* TIBI *me gratulari poſſe iudico, quam vt eiusmodi*

exoptatissimos clericos TIBI *apprecer, quorum doctrina & industria, pietas & religio sapientissima Tua gubernatione excitatæ, zelique Tui ac perseuerantiæ exemplo animatæ, ipsis etiam difficillimis in carcerem missionis temporibus idoneos eos reddant, ad quasuis officii sui partes ita obeundas, vt hoc ipso dioecesis Tua gloria & ornamentum præsentis & exemplar atque incitamentum futuræ ecclesiæ euadat. Ita ex animo precor*

NOMINI TVO SVMME REVERENDO

deuinctissimus Cliens

IOSEPHVS BINGHAMVS.

PRAEFATIO AVCTORIS.



Vum hoc volumen, quod nunc in vulgus exit, aliqua duntaxat pars maioris cuiusdam operis ſit, lector, credo, volet, vt de vniuerſa negotii ratione & cauſſis, quibus ad illud ſuſcipiendum inductus ſim, ſtrictim ſibi exponam. Quod mihi eſt in animo conſilium eo tendit, vt eccleſiæ chriſtianæ antiquitates facili quadam & compendiaria ratione ita tradam, quemadmodum alii *græcas*, *romanas* & *iudaicas* antiquitates tradiderunt; non vt hiſtoricam aliquam vel chronologicam rerum omnium in eccleſia continuata ſerie geſtarum narrationem conſcribam, (cuius generis librorum non adeo magna inopia eſt,) ſed vt antiquas conſuetudines ritus & praxes eccleſiæ ſub certa & propria quædam capita redigam, vbi lector ſingulos quosque ritus & conſuetudines illico inuenire poſſit, quæ chriſtianis per quatuor vel quinque priora ſæcula, intra quæ diſquiſitiones meas in hiſce libris vbique coërceo atque contineo, fuerunt vſitatæ. Inficias ire non poſſum, æmulatione quadam (non vitioſa tamen, opinor) me commotum eſſe, quod tot viros doctos in colligendis ac publicandis antiquitatibus *græcis* & *romanis* tanta cum induſtria verſari viderem, nullo interim (quod ego ſciam) libro exſtante, qui completam antiquitatum eccleſiaſticarum collectionem ea quidem methodo, qua nunc fit, exhibeat. BARONIVS quidem & CENTVRIATORES *Magdeburgici* & alii quidam hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptores multarum rerum huius generis in hiſtoriæ ſuæ progreſſu fecerunt mentionem: at enim vero res iſtæ in tam vaſtis voluminibus hic illic ita diſperſæ iacent, vt pauci lectores ex paucis iſtis, qui ea volumina legere ſuſtinent, inueniantur, qui ſparſas eorum obſeruationes colligere, apta quadam methodo diſponere atque ita vni obtutui ſiſtere adlaborent. Sunt auctores alii multi, qui in hæc illaue antiquitatis eccleſiaſticæ capita egregie commentati ſunt, ex quibus forte GRONOVIVS aliquis aut GRAEVIVS multo meliorem antiquitatum epitomen excerpſerit, quam nunc quidem in

orbe terrarum reperitur. Quemadmodum autem nullus vmquam tale opus adgressus est, ita, etiamsi illud produceretur, non tamen a quouis vulgari lectore, cuius præcipue vsui has collectiones destinaui, emi atque legi posset. Datur tertium genus scriptorum, qui itidem vtilem operam in explanandis & illustrandis diuersis antiquitatis ecclesiasticæ partibus, occasione suarum adnotationum & obseruationum in nonnullos antiquos scriptores, præstiterunt, cuiusmodi sunt curiosæ obseruationes ALBASPINAEI, IVSTELLI, PETAVII, VALESII, COTELERII, BALVZII, SIRMONDI, GOTHOFREDI, FABROTI, BEVEREGII episcopi, & multorum aliorum, qui veterum patrum opera & conciliorum canones cum præclaris & eruditis adnotationibus ediderunt. Sed hæ iterum in tot ac tantis voluminibus iacent dissipatæ, non vllo ordine alio, quam quem auctores, in quos commentati sunt, admittere voluerunt, vt adeo pro apte dispositis antiquitatum ecclesiasticarum collectionibus ab illis ipsis, quibus eas nec emendi facultas nec legendi tempus deest, reputari atque adhiberi haud queant. Præter hosce alii adhuc scriptores sunt, qui ex instituto antiquos ecclesiæ ritus, libris huic argumento speciatim accommodatis, enarrare adgressi sunt; vti GAVANTVS, CASALIVS, DVRANTVS & multi alii ecclesiæ *Romanensi* addicti: Sed hi scriptores curioso & intelligenti lectori nequaquam faciunt satis, & id quidem ex diuersis rationibus: I. quia eorum relationes admodum imperfectæ sunt, vtpote in parte antiquitatis ecclesiasticæ liturgica potissimum subsistentes, præter quam vero multæ res aliæ explicationis indigæ occurrunt, quas ne attingunt quidem, tantum abest vt explanent. II. quia in istius partis tractatione collectionibus GRATIANI & istiusmodi recentiorum scriptorum monimentis innituntur, & testimonia ex spuriis antiquorum Paparum epistolis adferunt, quæ iam pridem explosæ sunt, nec vllum antiquitatis nomen in cuiuspiam candidi ac prudentis scriptoris iudicio sustinent. Cum primis autem eorum scripta minus idonea habentur, quod III. omne eorum consilium eo tendit, vt nouellis ecclesiæ *Romanensis* consuetudinibus colorem addant, speciemque inducant antiquitatis. Quo intuitu antiquos ritus sæpenumero non suo natiuo & proprio, sed fictitio ornatu lectoris conspectui repræsentant, vt hodierni æui ritibus similes videantur. Ipse Cardinalis BONA temperare sibi non potuit, quin in istiusmodi scriptores inueheretur. *De sacris*, inquit (*), *Ecclesiæ ri-*

(*) Bona de Reb. Liturg. lib. I, c XHX. n. I.

tibus

tibus, eorumque veneranda antiquitate illi procul dubio male merentur, qui priscos mores præsentis temporis consuetudine metientes, omnem veterem disciplinam ad huius aui praxin expendunt, ea persuasione decepti, quod nihil vmquam ab iis vsibus diuersum fuerit, quos a parentibus & praeceptoribus didicerunt. Quod si aliquando priscorum Patrum monumenta euoluunt, quæ in illis obscura sunt obscuriora reddunt, veterem ecclesiam cum præsenti comparantes: & si forte in aliquid incidunt, quod ab hodiernis ritibus discrepet, subsistunt & nutant, vel inconsulto respuentes vel falsa interpretatione in alienum sensum detorquentes, quidquid a suis præiudicatis opinionibus abhorret. Ex quo fit, vt in maximos errores, inque rituum ecclesiasticorum confusissimam perturbationem labantur, quia nimirum illorum caussas & fundamenta, ac ipsasmet definitiones ignorant, quas bene percipere nemo potest, nisi ideam & imaginem antiquæ disciplinæ in mente habeat. Multa quidem vocabula nobis & priscis patribus communia retinemus, sed sensu ab eo, quem tunc habebant, non minus alieno, quam nostra tempora a primis post Christum sæculis remota sunt, vt palam fiet, cum de oblatione, de communione, deque aliis partibus diuini sacrificii differemus. Ingenua hæc confessio est, & iusta animaduersio in studium sectæ, quod scriptores eiusdem cum ipso ecclesiæ produnt; non minus autem idonea ratio, mea quidem sententia, est, cur a nullo huius ecclesiæ scriptore exactam institutionem de antiquitatibus exspectare possimus. Etsi enim alii minus quam alii erroribus indulgent, & non numquam occasione ita ferente paullo apertius & liberius, quam quidem reliqui ipsorum fratres, loqui audent: attamen ipse BONA, posteaquam alios ita castigauit, in eumdem plane errorem præceps ruit, & suæ ipsius reprehensioni fit obnoxius. Et HABERTVS, vir alioquin doctissimus & admodum ingenuus, qui de rebus *Græcorum* liturgicis, vt BONA de *Latinorum*, scripsit, sæpe ex præiudicata opinione communibus scriptorum partis suæ erroribus abripitur, qui omnem mouent lapidem, vt næuos ecclesiæ, cuius in communione viuunt, astute celent atque dissimulent. Vt adeo, si accuratam antiquitatum ecclesiasticarum enarrationem habere cupiamus, ab ecclesiæ Protestantis quodam auctore eam exspectemus, necesse sit, qui maiori cum libertate minoreque præiudicatarum opinionum periculo de primitivæ ecclesiæ ritibus ac consuetudinibus scribere potest. At enim vero pauci admodum inter hos reperiuntur, qui in hoc studio paullo longius progressi fuerint; plerique ex nostratibus tantum ex anti-

tiquitatibus ecclesiasticis collegisse & explicuisse satis habent, quantum ad detegendos errores & ostendendam nouitatem Papatus necessarium esse ducunt, ad minutiorem & specialiorem rerum considerationem, quæ in controuersiis, quas cum *Romanensibus* habent, nullam eis vtilitatem præstant, haud descendentes. HOSPINIANVS quidem ineunte Reformatione diuersa satis ampla volumina de *origine templorum*, *diebus festis*, *monachatu* vna cum *historia sacramentaria* conscripsit: verum vt illa valde paucas res in se continent, ita recentiorum relationum plena sunt; vnde lectori nonnumquam fastidium creant, neque tamen integram consuetudinum primitiuæ ecclesiæ narrationem tradunt. SPALATENSIS in libris suis *de republica ecclesiastica* paullo vlterius excurrit; sed generatim sibi terminum in controuersiis papisticis statuit, & pleraque ex GRATIANO & iure canonico adfert; qui quidem ipsi idonea argumenta *κατ' ἄνθρωπον* suppeditant aduersus istos, quibuscum ei res est, sed in aliis casibus genuinæ historiæ nomine venire isti libri non possunt. SVICERI *Thesaurus Ecclesiasticus* res multo plures sigillatim expositas complectitur, & reuera optimus eruditionis thesaurus est, qui in hoc genere vmquam in lucem prodiit: sed tamen collectiones eius præcipue ex *græcis* patribus depromtæ; & ad modum duntaxat vocabularii seu lexici cuiusdam, in quo verba & res præcise ordine alphabetico explanantur, congestæ sunt. Maxime methodica huiusmodi rerum expositio, quam quidem ego vidi, eruditi nostri GVILIELMI CAVEI est, in excellentissimo eius libro de *Primitiuo Christianismo*; in quo succincte quidem at perspicue multos antiquos ritus & consuetudines tradit, quæ alibi ordinarie non occurrunt. Quum autem potissimum ipsi propositum fuerit, vitam & mores priscorum christianorum commendare, & nostri æui homines ad eorum imitationem incendere, haud necesse habuit, multas res alias sigillatim persequi, quæ licet in se vtiles essent, non tamen spectari poterant, tanquam ad eius institutum facientes, & ob hanc caussam, credo, de industria eas prætermisit. Exstant alii quidam libri, quos ego quidem non vidi, ex inscriptionibus autem conficio, quod huius forte generis sint; nimirum BEBELII *Antiquitates Ecclesiasticæ*, MARTINÆI *de Ritibus Ecclesiæ*, HENDECII *de Antiquitatibus Ecclesiasticis*, QVENSTEDTI *Antiquitates Biblicæ & Ecclesiasticæ*: sed qualescumque hi fuerint, propositum meum non præripient, quod eo maxime spectat, vt lectori *Anglicano* integram antiquitatum ecclesiasticarum collectionem lingua

gua vernacula profpiciam; cuius hoc volumen fpecimen aliquod exhibet. Quod fi hoc ipfum publico prodeffe & beneuole acceptari intellexero, reliquas operis partes (prout tempus & res meæ id permiferint) fecundum fciagraphiam, quam heic fubiungo, vel cum aliqua variatione, fequuturas effe, recipio. Proxime de inferioribus clericorum ordinibus agam, quemadmodum heic de fuperioribus differui: deinde de electione & ordinatione clericorum & diuerfis eorum proprietatibus, qui ordinari debebant: de priuilegiis, immunitatibus & reditibus clericorum & diuerfis legibus & regulis ad eorum functionem fpeciatim attinentibus. His fubiungam narrationes de antiquis Afcetis, Monachis, Virginibus ac Viduis ad minifterium ecclefiæ quodammodo fpectantibus. Poftea fequetur relatio de antiquis ecclefiis earumque diuerfis partibus, vtenfilibus, confecrationibus, immunitatibus vna cum notitia de antiqua diuifione ecclefiæ in prouincias, dioecefes, parochias, deque iftius diuifionis origine. Tum loquar de cultu ecclefiaftico, facturus initium de catechumenorum inftitutione, diuerfasque eorum ftationes ante baptifmum defcripturus, & deinceps de baptifmo ipfo, eique adnexa confirmatione dicturus. Hinc progrediar ad alios folemnes cultus diuini actus, nimirum ad pfalmodiam, fcripturæ facræ lectionem, & diuini verbi prædicationem, quæ præcipua antiqui cultus ecclefiaftici pars erat: Porro agam de eorum precationibus & diuerfis ritibus ac confuetudinibus inibi obferuatis; vbi fimul de vfu liturgiarum & orationis dominicæ non nihil monendum erit; & de precibus Catechumenorum, Energumenorum ac Pœnitentium; quæ vniuerfa cultus ecclefiaftici pars *Miffa Catechumenorum* dicebatur; deinceps de *Miffa Fidelium* feu facræ communionis ritibus; vbi de ratione ipforum oblationum & celebratione eucharistiæ, quæ femper erat ordinarii cultus ecclefiaftici claufula. Pofthac particulatim differam de eorum ieiuniis, diebus feftis, ritibus nuptialibus & funeralibus, nec non de antiquæ difciplinæ ecclefiafticæ exercitio; de modo habendi concilia & fynodos prouinciales, patriarchales & œcumenicas; de poteftate principum chriftianorum in conciliis & extra illa: de ratione & vfu *Litterarum Formatarum* & diuerfis earum generibus: de diuerfa temporis computandi ratione: cui addam relationem de ipforum fcholis, bibliothecis, & methodo educandi & inftruendi homines in vfum S. Minifterii; dicam etiam non nihil de diuerfis bibliorum translationibus inter eos vfitatis,

tis, & variis aliis miſcellaneis ritibus ac rebus, quæ ſub memoratorum capitum aliquod redigi commode non poſſunt; exempli gratia, de ratione iurisiurandi, abſtinentia a ſanguine, frequenti ſigni crucis vſu, variis publicæ liberalitatis ac munificentiæ in pauperes generibus, de honoribus, quibus martyres ſuos proſequebantur, vna cum commemoratione adflictorum, & variorum crudelitatis inſtrumentorum, quæ gentiles ad eos defatigandum & excruciandum adhibuere. In quibus aliisque rebus ſimilibus tractandis, vt ſe ſe mihi obtulerint, eadem vtar methodo, qua in hoc volumine vſus ſum; illuſtrando antiquos ritus ex genuinis antiquitatis monumentis, & ſubiungendo opiniones optimorum quorumque ex recentioribus auctoribus, quos ad difficillimorum momentorum explicationem percurrendi copia mihi dabitur. Hoc ipſum, fateor, non raro mihi faceſſet negotium ob variorum librorum inopiam, quos nec videndi occaſio nec emendi facultas mihi ſuppetit: ſed hoc forte alios, qui ad fontes quaſi eruditionis ſedentes omnis generis libros in promtu habent, incitabit, vt laboribus meis ſuccurrant, & id quod molior, ad maiorem perfectionem prouehant; ſiquidem hoc eiusmodi argumentum eſt, quod numquam exhauriri poteſt, ſed vſque additiones & emendationes admittit. Præcipuum adiumentum, quo adhuc gauiſus ſum, ſummæ cuiusdam liberalitati debetur, *qui mortuus adhuc loquitur*; MORLEVM intelligo, celeberrimum illum epiſcopum, cuius memoria in doctorum & bonorum virorum animis ſemper virebit, qui præter multa alia caritatis ac munificentiæ, tanto Viro dignæ, documenta (exempli cauſſa augmentum paruorum quorumdam beneficiorum, ac commodi domicilii & alimenti pro pauperum clericorum viduis in hac diœceſi procurationem, &c.) ad promouendam inter clericos parochiales eruditionem inſignem librorum apparatum eccleſiæ *Wincheſtrienſi* teſtamento legauit. Neque hoc in minima felicitatis meæ parte pono, quod ex academia (vbi optima eruditionis ſubſidia ad manus ſunt) paullo citius me remotum diuina prouidentia generoſi cuiusdam Patroni beneficio, præter vllam meam ambitionem, in tali ſtatione collocauit, quæ mihi opportunam tam egregia, etſi non ita inſtructa, vt ego quidem vellem, bibliotheca vtendi occaſionem atque libertatem ſuppeditat. Sed vero huius rei mentio vt debitæ tanti antiſtitis recordationis gratia heic a me iniicitur, ita forte generoſos homines alios, quibus eadem facultas data eſt, inſtigabit, vt recenti-

orum

orum librorum post eius fata editorum supplementa addant, atque ita ipsius beneficium augeant perficiantque. Quæ res cum mihi ipsi tum aliis in simili vitæ ratione constitutis nouo subsidio auxilioque futura, nosque ad promouendam vtilitatem publicam magis idoneos redditura esset. Interim lector commode iis vti poterit, quæ non sine multo labore & industria a me collecta atque in ordinem redacta sunt. De sua ipsius etiam lectione atque obseruatione iis addere potest, quemadmodum ego ad diuersos auctores, quos perlustrandi & adhibendi nactus sum occasionem, adnotationes feci. A quorum non nullis iisque eruditionis fama conspicuis circa delicatas quasdam & peculiares materias interdum dissentiendi aliquam mihi necessitatem imponi credidi: Numquam vero dissensum meum testatus sum, nisi rationes meas indicando, ipsosque ita reuerenter ac honorifice tractando, quemadmodum magnæ doctrinæ & dignitatis suæ intuitu tractari eos oportuit. Si qua in re ego ipse erraui, (quemadmodum ita mihi Suffenus non sum, vt errasse a me alienum putem) intelligens quisque lector ipse hoc diiudicabit, atque pro sua ingenuitate & candore corriget. Hoc tantum dico, me in deuitandis erroribus tam caute & studiose esse versatum, quam in eiusmodi difficili & curioso argumento fieri potuit; neque adeo multos errores heic repertum iri, sed doctis pariter & indoctis hunc librum vtilem futurum esse confido; ita quidem vt alios instituat, qui isthæc in ipsis fontibus legere nequeunt, aliis, qui quidem multa norunt, non autem semper ita in promtu omnia habent, in memoriam reuocet. Quod si vero iis, qui in hac eruditionis parte iam magnos progressus fecerunt, vtilitatem nullam attulerit, certe studiosæ iuuentuti & incipientibus prodesse, eosque tum ad antiquæ eruditionis studium excitare, tum ad illud recte capessendum præparare poterit. Accedit, quod mecum reputaui, non omnino deesse, qui quodam instinctu ad harum rerum studium ferantur, quibus vero tot antiquos patres & concilia comparandi facultas & legendi tempus deficiat. Et hisce opus tali modo adornatum, quod eorum manibus offertur, insignem vsum præstiterit, vt de primitivæ ecclesiæ statu & praxi inde erudiantur, cum meliorem occasionem hoc ipsum perdiscendi non habeant. Si hoc vel vllo alio respectu has Collectiones (quæ honori antiquæ & commodo præsentis ecclesiæ destinatæ sunt) ad præfixum mihi scopum vtiles esse cognouero, operam meam & tempus non male me locasse, existimabo.

ΣΥΝΟΨΙΣ.

LIBER PRIMUS

De Christianis generatim, de diuersis eorum nominibus, distinctionibus, & gradibus Catechumenorum Laicorum & Clericorum.

CAPVT PRIMVM

De diuersis Christianorum nominibus & appellationibus honorificis, quas sibi ipsi tribuerunt, & quibus sese ab aliis distinxerunt.

CAPVT SECVNDVM

De contumeliosis nominibus, quibus Iudæi, Infideles & Hæretici Christianos appellarunt.

§. III.

CAPVT TERTIVM

De diuersis hominum in Ecclesia Ordinibus.

CAPVT QVARTVM

Specialior disquisitio de πιστοῖς, seu Fidelibus; nec non de titulis honorificis & priuilegiis ipsorum præ Catechumenis.

CAPVT QVINTVM

De distinctione inter Laicos & Clericos; & de huius distinctionis vetustate.

LIBER SECVNDVS

De diuersis Clericorum ordinibus in primitiua Ecclesia.

CAPVT PRIMVM

De origine Episcoporum: Et quod ordo fuerint a Presbyteris distinctus in Ecclesia primitiua.

§. I.

CAPVT SECVNDVM

De diuersis honorum titulis, quibus in primitiua Ecclesia Episcopi ornabantur.

CAPVT TERTIVM

De officiis Episcopi, tamquam distinctis a Presbyteris.

CAPVT QVARTVM

De potestate Episcoporum in Laicos, Monachos, subordinatos magistratus & omnes diœceseos suæ homines: & de ipsorum officio in dispensandis Ecclesiæ reditibus.

CAPVT QVINTVM

De officio Episcoporum intuitu totius Ecclesiæ Catholicæ.

CAPVT SEXTVM

De Episcoporum omni subiectione soluta ratione, vulgo *independentia*, speciatim tempore Cypriani & in Ecclesiis Africanis.

CAPVT SEPTIMVM

De Episcoporum potestate in audiendis & decidendis caussis sæcularibus.

CAPVT OCTAVVM

De Episcoporum priuilegio deprecandi pro reis.

§. II.

CAPVT NONVM

De præcipuis quibusdam honoris ac obseruantiæ, qua Episcopi ab omnibus omnino colebantur, significationibus.

CAPVT DECIMVM

De ætate & quibusdam præcipuis qualitatibus ac proprietatibus, quæ in iis requirebantur, qui ad Episcopatum prouehendi erant.

CAPVT

CAPVT VNDECIMVM

De præcipuis quibusdam legibus ac ritibus circa Episcoporum ordinationem obseruatis.

CAPVT DVODECIMVM

De lege, quæ Episcopos in paruis oppidis ordinari vetat.

CAPVT DECIMVM TERTIVM

De lege, quæ duos Episcopos in vna ciuitate ordinari vetat.

CAPVT DECIMVM QVARTVM

De Chorepiscopis, περιοδευταῖς & Episcopis suffraganeis: & quomodo hi inter se differant.

CAPVT

CAPVT DECIMVM QVINTVM
De Intercessoribus & Interuentoribus in Ecclesiis Africanis.

CAPVT DECIMVM SEXTVM
De Primatibus seu Metropolitanis.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM
De Patriarchis.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM

De Αυτοκεφάλοις.

CAPVT DECIMVM NONVM

De Presbyteris.

CAPVT VICESIMVM
De Diaconis.

CAPVT

CAPVT VICESIMVM PRIMVM
De Archidiaconis.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM
De Diaconissis.

ORI-



ORIGINVM ECCLESIASTICARVM

LIBER PRIMVS

DE CHRISTIANIS GENERATIM, DE DIVERSIS EORVM NOMINIBVS, DISTINCTIONIBVS, ET GRADIBVS CATECHVMENORVM, LAICORVM ET CLERICORVM.

CAPVT PRIMVM

DE DIVERSIS CHRISTIANORVM NOMINIBVS ET APPELLATIONIBVS HONORIFICIS, QVAS SIBI IPSI TRIBVERVNT, ET QVIBVS SESE AB ALIIS DISTINXERVNT.

§. I.

Christiani primum vocati Iessæi *&* Therapeutæ, πιστοὶ ἐκλεκτοὶ &c.



Hristianismus quum in mundo primum plantari cœpisset, illi, qui eum amplectebantur, antequam nomen & appellationem Christianorum sortirentur, plerumque *Discipulorum*, *Fidelium*, *Electorum*, *Sanctorum*, & *Fratrum*, appellatione sibi inuicem innotescebant.

EPIPHANIVS [a] auctor eſt, vocatos fuiſſe Ἰεσσαίες, *Ieſſæos*, vel a *Ieſſe*, parente Dauidis, vel, quod veriſimilius videtur, a IESV CHRISTI Domini noſtri appellatione. Subiungit, PHILONEM in libro περὶ Ἰεσσαίων hac vtentem appellatione de iis ipſis loqui, eoſque putat non eſſe alios alios quam Chriſtianos, qui in *Aegypto*, *S. Marco Alexandriæ* diuinum verbum prædicante, hoc nomine ſint inſigniti. Hic PHILONIS liber nunc quidem ſub alia inſcriptione, nimirum περὶ βίου θεωρητικοῦ, ſeu de *vita contemplatiua* exſtat, atque ita citatur ab EVSEBIO, [b] qui e-

[a] Epiphan. Hæreſ. XXXIX. n. IV. Ἐπειδὴ εἰς τὸν τόπον ἐληλύθαμεν, εἰπεῖν δι᾽ ἣν αἰτίαν Ἰεσσαῖοι ἐκαλοῦντο, πρὶν τοῦ καλεῖσθαι Χριστιανοὶ οἱ εἰς Χριστὸν πεπιστευκότες, τούτου ἕνεκεν ἔφαμεν, ὅτι ὁ Ἰεσσαὶ πατὴρ γίνεται τοῦ Δαβίδ. Καὶ ἤτοι ἐκ τοῦ Ἰεσσαί, ἤτοι ἐκ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐπεκλήθησαν Ἰεσσαῖοι, διὰ τὸ ἐξ Ἰησοῦ ὁρμᾶσθαι, καλοῦνται ὄντες αὐτοῦ, ἢ διὰ τὸ τῆς ἐτυμολογίας τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου. Quoniam ad eum locum delapſi ſumus, vt reddenda cauſa nobis eſſet, cur ii, qui Chriſto nomen dederunt, prius quam Chriſtianorum nomen eſſent adepti, *Ieſſæi* vocarentur, idcirco monuimus, *Ieſſeum* Dauidis patrem fuiſſe. Aut ab illo igitur Ieſſæ, aut a Ieſu Chriſti Domini noſtri appellatione Ieſſæorum nomen obtinuerunt: quod ab Ieſu diſciplina profecti, eiuſdemque diſcipuli forent: aut illud denique ex notatione ipſa nominis, quo Dominus vocatus eſt, originem accepit.

[b] Euſeb. H. E. Lib. II. c. XVII. Πρῶτον γέ τοι τὸ μηδὲν πέρα τῆς ἀληθείας οἴκοθέν τε καὶ ἐξ ἑαυτοῦ προσθήσειν, οἷς ἱστορήσειν ἔμελλεν ἐπαγγειλάμενος (ὁ Φίλων), ἐν ᾧ ἐπέγραψε λόγῳ περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν, θεραπευτὰς αὐτοὺς καὶ τὰς σὺν αὐτοῖς γυναῖκας θεραπευτρίδας ἀποκαλεῖσθαί φησι, τὰς αἰτίας ἐπειπὼν τῆς τοιᾶσδε προσρήσεως· ἤτοι παρὰ τὸ τὰς ψυχὰς τῶν προσιόντων αὐτοῖς, τῶν ἀπὸ κακίας παθῶν, ἰατρῶν δίκην ἀπαλλάττοντας ἀκεῖσθαι καὶ θεραπεύειν, ἢ τῆς περὶ τὸ θεῖον καθαρᾶς καὶ εἰλικρινοῦς θεραπείας τε καὶ θρησκείας ἕνεκα. Εἴτ᾽ οὖν ἐξ ἑαυτοῦ ταύτην αὐτοῖς ἐπιτεθεῖσθαι τὴν προσηγορίαν, οἰκείως ἐπιγράψαντα τῷ τρόπῳ τῶν ἀνδρῶν τοὔνομα, εἴτε δ᾽ ὄντως τοῦτ᾽ αὐτοὺς ἐκάλουν κατ᾽ ἀρχὰς οἱ πρῶτοι, μηδαμῶς τῆς Χριστιανῶν πω προσρήσεως ἀνὰ πάντα τόπον ἐπιπεφημισμένης, οὔ τί πω διατείνεσθαι ἀναγκαῖον. Primum in eo libro, quem *de Vita contemplatiua* ſeu de ſupplicibus inſcripſit, poſtquam nihil a veritate alienum narrationi, quam inſtituiſſet, de ſuo ſe adtexturum eſſe profeſſus eſt, viros quidem ipſos *Therapeutas*, feminas vero ſimul cum ipſis verſantes *Therapeutrias* ait appellari. Cauſſamque iſtius appellationis ſubiungit, ſeu quod tanquam medici quidam animos eorum, qui ad ipſos acceſſerant, vitioſis adfectibus liberatos curarent, ſeu quod ipſi diuinum numen caſte ac ſincere colerent. Porro vtrum *Philo* ipſe hanc illis appellationem indiderit, commentus vocabulum, quod eorum hominum moribus inſtitutiſque congrueret, an reuera ab initio ita vocati ſint, cum Chriſtianorum nomen nondum vbique diffuſum ac peruulgatum eſſet, nihil opus eſt, pertinaciter contendere.

um

num existimat esse descriptionem Christianorum in *Aegypto*, quos *Therapeutas* nominat; quod vocabulum vel veri Dei cultores, vel spirituales medicos significet, qui hominum mentes ab omnibus vitiosis & corruptis adfectibus liberare conati sint. Vtrum vero hoc nomen a PHILONE excogitatum sit, tamquam vitæ eorum rationi exprimendæ idoneum accommodum, an tum temporis commune fidelium in *Aegypto* nomen fuerit, antequam nomen *Christianorum* in toto terrarum orbe vulgaretur, id quidem EVSEBIVS definire non audet; concludit tamen, fuisse nomen, datum Christianis; & HIERONYMVS [c] hoc adeo confidenter statuit, vt hanc ipsam ob caussam PHILONEM in scriptorum ecclesiasticorum catalogum retulerit, cumque librum de ecclesia *S. Marci*, quæ fuerit *Alexandriæ*, scripsisse, memoriæ prodiderit.

Sunt equidem inter recentioris æui eruditos criticos, qui rem omnem [d] in dubium vocant, quorum autem ad argumenta ab aliis [e] æque doctis viris responsum est; quare in hanc disputationem vlterius haud descendo, sed lectorem curiosum eo remitto, vbi desiderio ipsius fieri satis poterit. Illud hoc loco adhuc tantummodo monendum esse duco, hæc nomina *Therapeutæ* & *Iessæi* temporibus subsequutis rarissime adhibita esse; reliqua autem, Ἅγιοι, Πιστοὶ, Ἐκλεκτοὶ, *Sancti*, *Fideles*, *Electi* sæpius apud scriptores ecclesiasticos occurrere; nec certum Christianorum numerum, (quomodo nunc vocabula *Sancti* & *Electi*, ad designandos videlicet solos prædestinatos, sæpius vsurpantur;) sed omnes in vniuersum Christianos, per aquam baptismi in communionem Ecclesiæ susceptos, designare. Ita enim THEODORETVS [f] & alii vocem Ἅγιοι

[c] Hieron. de Scriptor. Eccles. c. XI. *Philo Iudæus*, natione *Alexandrinus*, de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter scriptores ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens ecclesia, in nostrorum laude versatus est, cætera.

[d] Scaliger & Valesius in Euseb. Lib. II. c. XVII. Scaliger in Lib. VI. de Emendat. tempor. *Essenos* fuisse contendit: & Eusebium grauiter reprehendit, qui Christianos illos fuisse adfirmauerit. Dallæus de Ieiun. & Quadrages. Lib. II. c. IV.

[e] Beuereg. Cod. Can Vind. lib. III. c. V. n. 4. p. 322. fin. sqq.

[f] Theodoret. Tom. III p. 323. edit. Paris. Comm. in Phil. I, 1. Ἁγίους τοὺς τοῦ βαπτίσματος ἀξιωθέντας ὠνόμασεν. *Sanctos* eos vocat, qui baptismo dignati fuerant.

de iis, qui baptismi honore ac priuilegiis ornati fuerant, interpretantur.

§. II.

De nomine technico ἰχθὺς *&* Pisciculi.

Et quum vita christiana ortum suum ex aqua baptismi haberet, atque a foederis in eo icti obseruatione dependeret, nomen artificiale *Pisciculorum* facile admittebant Christiani, hoc ipso significaturi, (vt TERTVLLIANVS [g] loquitur) se regenitos, siue christianæ religioni per aquam insertos esse, neque saluos fieri posse, nisi in eo perstarent. Et hoc ipsum nomen eligebant tanto libentius, quod litteræ initiales græcorum Seruatoris nostri nominum, Ἰησοῦς, Χριστὸς, Θεοῦ Υἱὸς, Σωτὴρ, artificialiter compositæ, ἰχθὺς, quod piscem significat, efficiunt: ad quod & TERTVLLIANVS ac [h] OPTATVS alludunt.

§. III.

Christiani cur vocati Gnostici.

Christiani interdum etiam ipsi se nuncuparunt γνωστικοὺς, *Gnosticos*, h. e. homines scientia & cognitione præditos, quod christiana religio verissimam sapientiam & rerum diuinarum ac cælestium cognitionem complecteretur. Hoc nomen peruersum quoddam hæreticorum genus per æmulationem & abusum sibi arrogauit, qui nomine *Gnosticorum* noti erant & ab aliis, ob magnam cognitionis & scientiæ falso sic dictæ iactantiam distinguebantur. Hoc tamen non prohibuit, quo minus Christiani id nominis sibi nonnunquam darent, quippe qui eo vtendi ius & potestatem vni omnium maxime habebant. Quamobrem CLEMENS ALEXANDRINVS [i] in scriptis suis o-

[g] Tertull. de Bapt. c. 1. Nos *Pisciculi* secundum ἰχθὺν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salui sumus.

(h) Optat. contr. Parmen. Lib III. p. 62 Hic est *Piscis*, qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur; vt quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur. Cuius *Piscis* nomen, secundum appellationem græcam, in vno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet, ἰχθὺς, quod est latine Iesus Christus Dei Filius Saluator.

[i] Clemens Alex. Strom. I, p 294 (345 Edit Oxon. cIↃ IↃCCXV.) Ἀρκεῖ τῷ γνωστικῷ, κἂν εἷς μόνος ἀκροατὴς εὑρεθῇ. Sufficit Gnostico, si ei vel vnus inuentus sit auditor. Strom. II, p 383 (457.) Εἰ ὁ Κύριος ἀλήθεια καὶ σοφία καὶ δύναμις Θεοῦ, ὥσπερ οὖν ἐστι, δειχθείη ὅτι τῷ ὄντι γνωστικὸς, ὁ τοῦτον ἐγνωκὼς, καὶ

mnibus,

mnibus chriſtianum philoſophum appellat *γνωστικόν*. ATHANASIVS [k] *Aſcetas* in *Aegypto*, vitam agentes contemplatiuam, eodem nomine *γνωστικοὺς*, *Gnoſticos* vocat: & SOCRATES EVAGRIVM PONTICVM librum dicit in vſum horum *Aſcetarum* edidiſſe, quem inſcripſerit *Gnoſticum*, h. e. inſtitutionem de vita contemplatiua; cuius quædam fragmenta apud SOCRATEM [l] & alios quosdam, a COTELERIO in monumentis de eccleſia græca editos, habentur. In horum fragmentorum aliquo monachi cuiusdam fit mentio, qui nominatur Μοναχὸς τῆς Παρεμβολῆς τῶν Γνωστικῶν ὁ δοκιμώτατος, quod primi SOCRATIS interpretes non recte intelligentes reddiderunt: *Magnæ auctoritatis monachus de ſecta Gnoſticorum;* quaſi de hæreſi *Gnoſticorum* fuiſſet; quum tamen id nihil aliud ſignificet, quam monachum vitæ contemplatiuæ, qui vicum non procul ab *Alexandria*, cui nomen *Parembole*, habitabat; de numero exſiſtens horum Aſcetarum, quibus EVAGRIVS & reliqui omnes nomen *Gnoſticorum* tribuunt. Vide ſis VALESII notas in SOCRATEM.

§. IV.

Nonnunquam appellati Theophori *&* Chriſtophori.

Aliud nomen in veterum ſcriptis frequenter obuium eſt, Θεοφόροι, quod ſignificat *templa Dei*, & eiusdem cum IGNATIO ætatis eſt, qui ſibi hunc titulum plerumque ipſe dedit: quem-

τὸν πατέρα τὸν αὐτοῦ δι᾽ αὐτοῦ. Si Dominus eſt veritas & ſapientia ac virtus Dei, ſicut eſt, patet, quod reuera is eſt *Gnoſticus*, qui eum cognouit, & per ipſum eius Patrem. Strom. VI, p. 665 (791.) Εὔχεται ὁ γνωστικὸς καὶ κατὰ τὴν ἔννοιαν πᾶσαν τὴν ὥραν διὰ ἀγάπης οἰκειούμενος τῷ Θεῷ. Orat *Gnoſticus* etiam cogitatione omni hora, per caritatem Deo coniunctus & familiaris effectus. Strom. VII. p. 748. (881) Δι᾽ αὐτὸ τὸ εἶναι γνωστικόν, αὐτὸς ἐργάζεται τὴν εὐποιΐαν, ὄργανον γενόμενος τῆς τοῦ Θεοῦ ἀγαθότητος. Ex hoc ipſo, quod ſit *Gnoſticus*, exercet ipſe beneficentiam, vt qui factus ſit inſtrumentum Dei bonitatis.

[k] Athan. apud Socrat. Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. c. XXIII. Τῶν Αἰγυπτίων ὁ ἅγιος φωστὴρ Ἀθανάσιος, τὴν τράπεζαν, φησί, Μωυσῆς εἰς τὸ βόρειον μέρος στῆσαι προστάσσεται. Γινωσκέτωσαν οἱ γνωστικοί, τίς ὁ πνέων ἐστὶ κατ᾽ αὐτῶν, καὶ πάντα πειρασμὸν γενναίως ὑπομενέτωσαν. Lumen re illud Aegyptiorum, ſanctus Athanaſius: præceptum, inquit, eſt Moyſi, vt ad ſeptemtrionem menſam ſtatueret. Intelligant igitur *Gnoſtici*, quisnam ſit is, qui contra illos ſpirat, omnemque tentationem generoſo animo ſuſtineant.

[l] Socrat. ibid. Τούτῳ (Εὐαγρίῳ) βιβλία ἄγαν σπουδαῖα συγγέγραπται· ὧν τὸ μέν, μοναχὸς ἢ περὶ πρακτικῆς ἐπιγέγραπται· τὸ δέ, γνωστικὸς ἢ πρὸς τὸν καταξιωθέντα γνώσεως.

admodum non tantum ex epiſtolarum eius inſcriptionibus, quæ omnes incipiunt: *Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος*; verum etiam ex veteris martyrii eius monumentis apparet, vbi [m] nominis huius ratio in colloquio ipſius cum *Traiano* explicatur: qui audiens, cum ſe adpellare *Theophorum*, quid hoc nominis ſignificaret? interrogauit. Cui IGNATIVS, id eum denotare, reſpondebat, qui Chriſtum in corde ſuo portet. Ad quod TRAIANVS: An tu, inquit, eum, qui crucifixus eſt, in corde tuo geſtas? IGNATIVS, Ita eſt, reſpondit; ſcriptum enim eſt, *habitabo in eis & inambulabo*. ANASTASIVS *Bibliothecarius* aliam quidem adfert cauſſam, quamobrem IGNATIVS nominatus ſit *Theodorus*; quod nimirum fuerit puerulus iſte, quem Seruator noſter adſumſit, eique medios inter diſcipulos collocato manus impoſuit. Verum hoc, vt PEARSONIVS [n] epiſcopus aliique obſeruarunt, merum poſterioris æui *Græcorum ευρημα* eſt, a quibus ANASTASIVS ſine ampliore diſquiſitione id adſumſit. Multo autem magis ridicula & abſurda ratio eſt, quam VINCENTIVS [o] BELLOVACENSIS & alii quidam de hac appellatione reddunt, IGNATIVM videlicet ideo ſic vocatum eſſe, quia nomen IESVS CHRISTVS aureis litteris cordi eius inſcriptum deprehenſum ſit. Vtrumque commentum ſatis ſuperque confutatum eſt ex martyrii eius monumentis, quæ multo meliorem huius appellationis rationem ſuppeditant, vnde perſpicue intelligi poteſt, non peculiarem IGNATII fuiſſe titulum, ſed omnibus reliquis Chriſtianis communem; quemadmodum PEARSONIVS epiſcopus ex diuerſis locis CLEMENTIS ALEXANDRINI, GREGORII NAZIANZENI, PALLADII, EVLOGII, THEODORETI, CYRILLI ALEXANDRINI, PHOTII, MAXIMI aliorumque abunde demonſtrat. Speciatim CLEMENS [p] eamdem, quam

[m] Acta Ignat. ap. Grabium Spicil. Tom. II. p. 10. *Τραϊανὸς εἶπεν· καὶ τίς ἐστιν Θεοφόρος; Ἰγνάτιος ἀπεκρίνατο· ὁ Χριστὸν ἔχων ἐν στέρνοις· - - - σὺ οὖν ἐν ἑαυτῷ φέρεις τὸν σταυρωθέντα; Ἰγνάτιος εἶπεν· ναί· γέγραπται γάρ· ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω.*

[n] Pearſon. Vind. Ignat. Par. II. c. XII. p. 397. Cauci Vita Ignatii, Grab. Spicil. Tom. II. p. 2.

[o] Vincent. Specul. Lib. X. c. VII. Huius cor quum minutatim diuiſum eſſet, nomen Domini Ieſu Chriſti litteris aureis inſcriptum (vt legitur) in ſingulis partibus inuentum eſt. Dixerat enim ſe habere Chriſtum in corde.

[p] Clem. Alex. Strom. Lib. VII. p. 748. (882.) *Θεῖος ἄρα ὁ γνωστικὸς, καὶ ἤδη ἅ-*

ipſe

ipſe IGNATIVS, huius nominis dat rationem; quod nimirum Chriſtianus appelletur Θεοφορῶν & Θεοφορούμενος, quia vt Apoſtolus loquitur, *templum Dei* eſt. Quo ſenſu etiam nomen *Christophori* nonnunquam adhibitum deprehenditur, vti in epiſtolis PHILEAE, epiſcopi apud *Thmuitas*, cuius meminit EVSEBIVS; in quibus ille, de martyribus ſui temporis loquens, eos nominat χριστοφόρους μάρτυρας, [q] quod templa Chriſti eſſent, & a ſancto eius Spiritu agerentur.

§. V.

Interdum, quamquam rarius, Chriſti.

AMBROSIVS alicubi eos, ſano tamen & commodo ſenſu, *Christos* nuncupat, alludens ad vocis *Christi* in ſacra ſcriptura ſignificationem; vbi interdum eum denotat, qui oleo vnctus eſt, ſiue ſpirituali vnctione mandatum a Deo accepit. Quo ſenſu Chriſtianus quisque Vnctus Domini eſt. Atque hinc dicit, [r] *non eſſe mirandum, charactere Domini inſcribi ſeruulos, & nomine imperatoris ſignari milites; quandoquidem ipſe Dominus dixerit: Nolite tangere Vnctos* ſeu *Christos* meos, vti nunc in vulgata verſione latina legitur. (Pſ. CV, 15.) Ita etiam HIERONYMVS [s] in hunc locum obſeruat, omnes eos *Chriſtos* dictos eſſe, qui Spiritu ſancto vncti ſint; vt patriarchæ ante legem, qui non aliam habuerint vnctionem. At enim vero non legimus, Chriſtianos hoc nomen ſibi crebrius tribuiſſe, ſeu potius illud Domino ſuo, tanquam ei peculiare & proprium, reſeruaſſe.

§. VI.

Chriſtiani omnia nomina ſecularia & humanas appellationes vehementer auerſati.

γιος Θεοφορῶν καὶ θεοφορούμενος. Dicimus ergo eſt Gnoſticus & iam ſanctus, qui *Deum fert & ab eo* [illegible].

[q] Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. VIII. c. X. Διὸ καὶ ζηλώσαντες τὰ μείζονα χαρίσματα οἱ χριστοφόροι μάρτυρες, [illegible] οὐχ ἅπαξ, ἀλλ᾽ [illegible] ὑπέμειναν. Proinde [illegible] conſectantes *martyres, qui Chriſtum geſtant*, omnes ærumnas, omnia tormentorum genera, quæ excogitari poterant, non ſemel, ſed iterum ac ſæpius nonnulli ſuſtinuerunt.

[r] Ambroſius de Obitu Valentin. Tom. III. p. 12.

[s] Hieron. Comm. in Pſalm. CIV. Ecce ante legem patriarchæ non vncti regali vnguento *Chriſti* dicuntur. *Chriſti* autem ſunt, qui Spiritu ſancto vnguntur.

Notatu

Notatu tamen dignum eſt, in omnibus nominibus, quæ elegerunt, fuiſſe peculiarem quandam relationem ad Chriſtum & Deum, a quo, non autem ab vllo homine mortali, quantacunque etiam auctoritate emineret, voluerunt appellari. Ab nominibus ſectariis & humanis appellationibus magnopere ſe abhorrere profeſſi ſunt. *Non ab hominibus appellamur*, inquit CHRYSOSTOMVS; [t] *Non eſt nobis anteſignanus aliquis, vti quidem aliis* MARCION, *aliis vero* MANICHAEVS, *aliis* ARIVS, *aliis alius ſectæ dux exſtitit. Minime*, inquit EPIPHANIVS: [u] *Nec ſecta eſt vlla, nec eccleſia Apoſtolorum inſignita nomine. Nec vmquam Petræos vllos, aut Paulianos, aut Bartholomæos, aut Thaddæos audiuimus: ſed vna iam tum initio fuit Apoſtolorum omnium prædicatio: quæ non ipſosmet illos, ſed Dominum Ieſum Chriſtum tantummodo celebraret. Ob id Eccleſiæ nomen vnum omnes impoſuerunt: non ſuum vtique, ſed Chriſti Ieſu, ac Antiochiæ primum appellari Chriſtiani cœperunt.* Alius quidam Pater, [w] *Petrum*, inquit, *honore proſequor; nec tamen* Petrianus *vocor: & Paulum: nec tamen* Paulianus *nominatus ſum. Non fero me ab hominibus nomen ducere, qui a Deo ſum creatus.* Obſeruant illi, hoc ſchiſmaticorum & hæreticorum tantummodo characterem proprium eſſe, vt nomina ſectaria ſumant, & ab ipſorum ducibus ſeſe nominent. Magnum & venerabile Chriſtianorum nomen ab eis ſilentio inuoluebatur, dum humanis appellationibus inter ſe ipſos impie ſcindebantur: qua de re GREGORIVS NYSSENVS [x] & NAZIANZENVS conque-

[t] Chryſoſtom. Hom. XXIII in Act. Μὴ ἀπ' ἀνθρώπων καλώμεθα, μὴ γὰρ προηγούμενος ἡμῶν τίς ἐστιν, ὥσπερ τῷ μὲν Μαρκίων, τῷ δὲ Μανιχαῖος, τῷ δὲ Ἄρειος, τῷ δὲ ἄλλος τις αἱρέσεως ἀρχηγός

[u] Epiph. Hær. XLII. Marcion. p 366. edit. Colon Οὐκ ἔστι αἵρεσις, οὐδὲ ἐκκλησία εἰς ὄνομα Ἀποστόλων ἀνηγορευμένη οὐδέποτε γὰρ ἠκούσαμεν ἢ Πετρῖνους, ἢ Παυλίους, ἢ Βαρθολομαίους, ἢ Θαδδαίους, ἀλλὰ ἀπαρχῆς ἓν κήρυγμα πάντων Ἀποστόλων, οὐκ αὐτοὺς κηρύσσον, ἀλλὰ Χριστὸν Ἰησοῦν Κύριον· διὸ καὶ ὄνομα τῆς ἐκκλησίας οἱ πάντες ἔθεντο ἓν οὐχ ἑαυτῶν, ἀλλὰ τοῦ Κυρίου αὐτῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀπὸ Ἀντιοχείας ἀρξαμένων Χριστιανῶν καλεῖσθαι.

[w] Gregor. Nazianzen. Orat. XXXI. p. 506. Πέτρον τιμῶ, ἀλλ' οὐκ ἀκούω Πετριανός· καὶ Παῦλον, Παυλιανὸς δὲ οὐκ ἤκουσα. οὐ δέχομαι παρὰ ἀνθρώπων ὀνομάζεσθαι παρὰ Θεοῦ γεγονώς. Vid. etiam Athan. Orat II. c. Arian. Gregor. Nyſſen. de Perfect. Chriſt. Tom. III. p. 276.

[x] Nyſſen. contr. Appollin. Tom. III. p. 261. Edit Pariſ. 1638. Σιγᾶται τὸ μέγα καὶ σεβάσμιον ὄνομα τῶν Χριστιανῶν, πρὸς δὲ τὰς ἀνθρωπίνας προσηγορίας ἡ ἐκκλησία κα-

runtur.

runtur. Ita BASILIO obſeruatur, [y] *Marcionitas* & *Valentinianos* nomen *Chriſtianorum* repudiare, vt *Marcionis* ac *Valentini*, ducum ſuorum nomine ſe appellent. OPTATVS [z] & AVGVSTINVS [a] idem *Donatiſtis* exprobrant. OPTATVS dicit, *Donatum* omnes peregrinantes ſolitum fuiſſe interrogare: *Quid apud vos agitur de parte mea?* & epiſcopos, qui ab eius ſteterint ſententia, manu ſua ita conſueuiſſe ſubſcribere: *Ab epiſcopis partis Donati.* Idem etiam EPIPHANIVS de *Audianis*, [b] *Colluthianis* & *Arianis* memoriæ prodidit. Speciatim de *Miletio*

καταμερίζεται. Magnum & venerabile Chriſtianorum nomen ſilentio inuoluitur, atque in *humanas appellationes* Eccleſia diuiditur.

[y] Baſil. Comm. in Pſalm. XLVIII. p. 245. (Edit. Pariſ.) Κἂν ἴδῃς δέ τινα τῶν ἐπὶ ψευδονύμῳ γνώσει μεγαλοφρονούντων καὶ πρεσβευόντων ἑαυτοὺς, πονηρῶν τινῶν δογμάτων συγκαταθέσει, καὶ ἀντὶ τοῦ ὀνόματος τῶν χριστιανῶν, ἀφ' ἑνός τινος τῶν αἱρεσιαρχησάντων ἑαυτοὺς ὀνομάζοντας, Μαρκίωνος, ἢ Οὐαλεντίνου, ἢ τῶν ἐπὶ τῶν γαιῶν, φθαρτοῖς ἀνθρώποις καὶ τὸ ὅλον γηΐνοις ἑαυτοὺς προσνείμαντας. Quod ſi nonnullos videris ob falſi nominis ſcientiam ſibi maximopere placere, ſeque conſenſu nefario dedere improbatis dogmatibus, & *pro Chriſtianorum nomine*, *ab vno aliquo eorum, qui hæreſiarchæ fuerunt, ſibi nomenclaturam adſciſcere*, puta a Marcione aut Valentino, vt ab vno aliquo eorum, qui hac tempeſtate ex ignotis prius emerſerunt tandem: velim noueris hos nomina ſua vocaſſe in terris, vt qui ſeſe addixerint hominibus peſtilenti corruptelæ expoſitis, nihilque reſipientibus, quam terrena hæc.

(z) Optat. Lib. III. p. 68. Ad ſingulos quosdam venientes hæc erant verba: *Quid apud vos agitur de parte mea?* Quaſi iam vere populum cum Deo diuiſerat, vt intrepide ſuam diceret partem. Nam a temporibus eius, & vſque in hodiernum, ſi quando de rebus eccleſiaſticis in iudiciis publicis aliqua celebrata eſt actio, interrogati ſinguli, ſic apud acta locuti ſunt, vt dicerent, ſe *de parte* eſſe *Donati*: de Chriſto tacuerunt.

[a] Aug Epiſt. LXVIII. ad Ianuarium.

[b] Epiph. Hær. LXX. Audian. n XV. p. 827. (edit Colon) Τοῦτό ἐστι τὸ φοβερὸν τὸ παραλλάξαι ὄνομα χριστιανῶν τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, τῆς μὴ ἐχούσης ἐπίθετον ὄνομα, ἀλλὰ μόνον ὄνομα Χριστοῦ, καὶ Χριστιανῶν εἰς ὄνομα Αὐδία καλεῖσθαι, συντίθεσθαί τε καὶ ἀπαιτεῖσθαι σύνθημα ἀνθρωπίνης φύσεως. Eſt hoc vero horrendum Chriſtianorum commutare nomen, qui in ſancta eccleſia cenſentur, quæ ſola Chriſti & Chriſtianorum appellatione contenta adſciticium omne nomen reſpuit *Pro illo*, inquam, *nomine Audianos appellari*, coitiones inter ſe facere, ac teſſeram veri hominis nomine inſcriptam erigere.

Id. Hæreſ. LXIX. Arian. n. II p. 728. Ὡς ἐξηγεῖτο ἕκαστος ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ, ἄλλος ἄλλο τι, καὶ ἄλλος ἄλλο, ἐκ τῆς προσκλήσεως καὶ ἐπαίνου δὲ τοῦ παρ' αὐτῶν, οἱ μὲν Κολλουθιανοὺς ἑαυτοὺς ὠνόμασαν, ἄλλοι δὲ Ἀρειανούς. Cum in ſua quisque eccleſia aliis aliud interpretando proponeret, prout in vnumquemque fauore ac laudatione propenſiores erant, alii Colluthianos, Arianos alii ſeſe nominabant.

eiusque sectatoribus loquens [c] narrat, quod formato schismate vetustum nomen ecclesiæ catholicæ repudiantes, vt ab aliis distinguerentur, sese nominauerint *ecclesiam martyrum*; hoc quidem malo consilio, vt omnes, qui suæ non essent sectæ, criminarentur: eodem modo, quo *Ariani* se ipsi *Lucianistas* [d] & *Conlucianistas* appellitarunt, doctrinam *Luciani* martyris sequi præ se ferentes.

Verumtamen ecclesia Christi nomen *Christiani* constanter seruabat. Hoc nomen erat, quo de gloriabantur, vtpote quo ipsorum vnitas & relatio ad Christum omnium optime exprimebatur. EVSEBIVS [e] historiam memorabilem narrat ex epistola quadam ecclesiæ *Lugdunensis* & *Viennensis* in Gallia de *Sancto* quodam, ecclesiæ *Viennensis* diacono, qui in persecutione sub *Antonino* martyrii palmam accepit, quod tormentis subiectus & a magistratibus rogatus de nomine, ciuitate, conditione, seruusne esset, an liber, ad omnes quæstiones responderit: *Christianus sum. Hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse subinde profitebatur; neque aliam vocem ab eo gentiles, quicquid moliebantur, extorquere valuerunt.* CHRYSOSTOMVS [f] *Lucianum* martyrem eodem modo coram persecutori-

[c] Epiph. Hær. LXVIII. Melet. n. III Ἐπίγραφον δὲ ἕκαστος ἐν τῇ ἰδίᾳ Ἐκκλησίᾳ, οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ Πέτρου διαδεξάμενοι ἔχοντες τὰς οὔσας ἀρχαίας Ἐκκλησίας, ὅτι Ἐκκλησία καθολική. Οἱ δὲ ἀπὸ Μελιτίου Ἐκκλησία Μαρτύρων. Suam quisque ecclesiam diuersis nominibus inscribebat. Nam Petri (Archiepiscopi Alexandrini) successores, penes quos veteres erant ecclesiæ, Catholicæ ecclesiæ titulum vsurpabant: Meletiani ecclesiam martyrum.

[d] Theodoret. Hist. Eccles. Lib. I. c. IV. ex Epistola Arii ad Eusebium: Ἐῤῥῶσθαί σε ἐν Κυρίῳ εὔχομαι, μεμνημένον τῶν θλίψεων ἡμῶν Συλλουκιανιστὰ ἀληθῶς Εὐσέβιε. Bene valere te cupio in Domino, memorem ærumnarum nostrarum, *Collucianista* vere tui nominis Eusebi. Conf. Epiph. Hæres. LXIX, Arian. n. VII. vbi eadem verba habentur.

[e] Euseb. Lib V. c. I p. 128. Πρὸς πάντα τὰ ἐπερωτώμενα ἀπεκρίνατο τῇ ῥωμαϊκῇ φωνῇ, Χριστιανός εἰμι. Τοῦτο καὶ ἀντὶ ὀνόματος, καὶ ἀντὶ πόλεως, καὶ ἀντὶ γένους, καὶ ἀντὶ παντὸς ἐπαλλήλως ὡμολόγει· ἄλλην δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν αὐτοῦ τὰ ἔθνη.

[f] Chrysostom Hom. XLVI. in Lucian. Tom. I p. 602. (Tom. I. p 532. edit. Francof. Tom. V. p. 532. edit. Eton.) Ὁ δὲ πρὸς ἑκάστην τούτων ἀπεκρίνατο, ὅτι Χριστιανός εἰμι μόνον, καὶ λέγοντος τοῦ δημίου, ποίας εἶ πατρίδος; Χριστιανός εἰμι φησί· τί ἔχεις ἐπιτήδευμα; Χριστιανός εἰμι· τίνας προγόνους; ὁ δὲ πρὸς πάντα ἔλεγεν, ὅτι χριστιανός εἰμι. Ille ad vnamquamque interrogationem tantum respondebat: *Christianus sum*; ac dicente tortore: Quanam ex patria ortus es? *Christianus sum*; ait: Quam artem profiteris? *Christianus sum.* Quibus parentibus natus es? Ille vero ad omnia dicebat: *Christianus sum.*

bus

bus ſuis ſe geſſiſſe narrat; & ſunt alia eiusdem generis exempla, ex quibus iudicari in procliui eſt, quam venerabile iis nomen Chriſtiani fuerit.

§. VII.

De nomine Catholici, *& eius antiquitate.*

Moleſtia, quam eis faceſſebant hæretici, cauſſa erat, quamobrem ſuperioribus aliud adhuc nomen adderent, nimirum *Catholici;* quod ipſis cognominis inſtar ſeu notæ characteriſticæ erat, qua ab omnibus hæreticis internoſcebantur ac diſtinguebantur, qui, quamuis ſectæ ſuæ nomen gererent, communi tamen Chriſtianorum nomine ſeſe interdum occultabant. Hoc intelligimus ex epiſtola PACIANI ad SEMPRONIANVM, hæreticum *Nouatianum*, qui rogatus cauſſam, cur Chriſtiani ipſi ſe nominarent *Catholicos*, reſpondit, fieri hoc ideo, vt ab hæreticis, nomen Chriſtianorum itidem vſurpantibus, ſeſe diſtinguerent. *Chriſtianus mihi nomen eſt*, inquiebat [g], *Catholicus cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit.* Hæretici religionem plerumque huic aut illi regioni vel peculiari hominum ſectæ alligabant, adeoque *Catholicos* ſe nominare nullo iure poterant; Eccleſia autem Chriſti dum appellabatur *catholica*, huius appellationis cauſſam ſatis idoneam habebat, quod (obſeruante OPTATO [h]) vniuerſalis erat & per totum terrarum orbem diffuſa. Et hoc ſenſu nomen hoc eiusdem, cuius ipſa eccleſia, antiquitatis eſt. Occurrit enim apud EVSEBIVM, [i] CLEMENTEM [k] ALEXANDRINVM & IGNATIVM, [l] qui hiſtoriam martyrii *Polycarpi* tradunt. Et tanto in pretio ipſis hoc nomen erat, vt neminem Chriſtianum reputarent, niſi de eccleſia Catholica ſe

[g] Pacian. Epiſt. I. ad Sempronianum.

[h] Optat. Lib. II. p. 46. Cum inde dicta ſit *catholica*, quod ſit rationalis & vbique diffuſa.

[i] Euſeb. Lib. IV. c. XV. *Πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη κ. τ. λ.* . Omnibus vbicunque terrarum ſanctæ & & *catholicæ* eccleſiæ populis miſericordia, pax &c.

[k] Clem. Alex. Strom. lib. VII. p. 765. (899. edit. Oxon.) *Κατά τε οὖν ὑπόστασιν, κατά τε ἐπίνοιαν, κατά τε ἀρχὴν, κατά τε ἐξοχὴν, μόνην εἶναι φαμὲν τὴν ἀρχαίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν, κ. τ. λ.* Et eſſentia ergo & opinione & principio, & excellentia ſolam eſſe dicimus antiquam & *catholicam* eccleſiam, &c.

[l] Ignat. Ep. ad Smyrn n. VIII. *Ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.* Vbi fuerit Chriſtus Ieſus, ibi *catholica* eſt eccleſia.

esse promeretur. Quemadmodum ex actis [m] martyrii *Pionii* videre est, qui a *Polemone* iudice rogatus, cuius esset ecclesiæ, respondit: *Catholicæ: Nulla enim est alia apud Christum.*

§. VIII.

Quo sensu omnes Christiani dicti sint Ecclesiastici.

Porro heic notandum est, omnes in vniuersum Christianos non numquam nomine *Ecclesiasticorum* appellatos esse. Quamquam enim hoc peculiare Clericorum, vtpote in ecclesia christiana a Laicis distinctorum, nomen erat, tamen, vbi de Christianis in genere sermo erat, in oppositione *Iudæorum*, *Infidelium* & *Hæreticorum* omnes vocabantur *Ecclesiastici*, seu homines de ecclesia: quippe qui nec de *Iudæorum* synagoga, nec de *Gentilium* templis, nec de *Hæreticorum* conuenticulis essent, sed ecclesiæ Christi membra exsisterent. Quo sensu verba ἄνδρες ἐκκλησιαστικοὶ ab EVSEBIO [n] & CYRILLO [o] HIEROSOLYMITANO sæpius vsurpata inuenias. Et VALESIVS [p] eadem apud ORIGENEM, EPIPHANIVM, HIERONYMVM aliosque obseruauit.

§. IX.

Christiana religio dicta Δόγμα *& Christiani* οἱ τοῦ Δόγματος.

Nonnumquam etiam vocabulum Δόγμα absolute positum religionem christianam denotare reperitur; quemadmodum *Paulus* ipse epistola ad Ephesios II, 15. eo, docentibus quidem

[m] Acta Pionii apud Baron an. CCLIV. n. IX

(n) Euseb Lib. IV c VII. Πλείστων οὖν ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τῆς ἀληθείας ὑπεραγωνιζομένων κ. τ. λ. Cum eodem tempore plurimi *ecclesiastici viri* patrocinium veritatis susciperent, &c.

Id. Lib V. c. XXVII. Πλεῖστα μὲν οὖν παρὰ πολλοῖς εἰσέτι νῦν τῶν τότε σώζεται παλαιῶν καὶ ἐκκλησιαστικῶν ἀνδρῶν ἐναρέτου σπουδῆς ὑπομνήματα. Porro veterum *ecclesiasticorum virorum*, qui tunc temporis vixerunt, plurima adhuc seruantur apud multos laudabilis diligentiæ monumenta.

(o) Cyrill. Hierosol Catech. XV. n. IV. (p. 208. edit. Oxon. CIↃ IↃCCIII.) Ἀλλὰ ζητοῦμεν τῆς παρουσίας ἡμέτερον σημεῖον, ἐκκλησιαστικὸν ζητοῦμεν οἱ ἐκκλησιαστικοί. Sed quærimus aduentus tui signum nostrum ecclesiasticum nos *ecclesiastici*.

[p] Vales. Not. in Euseb. lib. II. c XXV. p. 37. edit. Colon. Tribus modis dicitur *ecclesiasticus* Interdum enim accipitur pro Christiano, & opponitur gentili. - - Interdum vero designat catholicum, & opponitur hæretico - - Denique interdum denotat eum, qui in clero est constitutus; & opponitur sæculari seu laico.

CHRY-

CHRYSOSTOMO [q] & THEODORETO, [r] in eumdem ſenſum vſus eſt. Et ESTIVS [s] hanc communem huius loci expoſitionem apud omnes antiquos interpretes cum *græcos* tum *latinos* eſſe adfirmat. Hinc etiam Chriſtiani interdum *οἱ τοῦ Δόγματος*, *Dogmatici*, ſeu doctrinæ chriſtianæ homines nominati ſunt. Quemadmodum etiam in reſcripto *Aureliani* imperatoris contra *Paulum Samoſatenſem*, cuius apud EVSEBIVM [t] fit mentio, *Italici* epiſcopi & *Romani* Ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος, Epiſcopi *dogmatici*, ſiue epiſcopi doctrinæ, h. e. chriſtianæ doctrinæ, appellantur.

§. X.

Chriſtiani ab gentilibus etiam vocati Iudæi.

Gentiles etiam *Iudæorum* & *Chriſtianorum* nomen inter ſe ſe confundere ſoliti ſunt: vnde in eorum ſcriptis nomen *Iudeorum* Chriſtianis ſæpius ex errore datum legitur. Ita DIO in vita *Domitiani* [u] loquens de *Acilio Glabrione*, conſularis digni-

(q) Chryſoſtom. in Epheſ. c. II, 15. Hom V. p. 900 (edit. Francof.) Ἢ τὴν πίστιν οὖν φησι, δόγμα αὐτὴν καλῶν, ἢ κ τ λ. Aut fidem dicit, ipſam vocans *decretum* (*dogma*) aut &c

(r) Theodor. Comm. in Epheſ. II, 15. Tom. III. p. 301. (edit. Par) Δόγματα δὲ τὴν εὐαγγελικὴν διδασκαλίαν ἐκάλεσεν. *Decreta* (*dogmata*) appellauit doctrinam Euangelicam.

[s] Eſt. Comm. in Eph. II, 4. *Edicta*, ſeu *decreta*, ſeu *dogmata* hoc loco tam græci quam latini commentatores magno conſenſu interpretantur præcepta noui teſtamenti, quæ ſunt de fide, caritate & moribus, quæ nimirum Chriſtus in Euangelio tradidit.

(t) Euſeb. Lib. VII. c. XXX. Βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρηλιανὸς αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε· Τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. Interpellatus imperator Aurelianus rectiſſime hoc negotium diiudicauit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Chriſtianæ *religionis* (*dogmatis*) antiſtites & Romanus Epiſcopus ſcriberent.

(u) Dio in Domit. Κἀν τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς καὶ τὸν Φάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα καὶ αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα, κατέσφαξεν ὁ Δομιτιανός. Ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ᾽ ἧς καὶ ἄλλοι εἰς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. - - Τὸν δὲ δὴ Γλαβρίωνα τὸν μετὰ τοῦ Τραιανοῦ ἄρξαντα, κατηγορηθέντα τά τε ἄλλα, καὶ οἷα οἱ πολλοί, καὶ ὅτι καὶ θηρίοις ἐμάχετο, ἀπέκτεινεν. Eodem anno *Domitianus* cum aliis multos, tum vero *Fabium Clementem* conſulem (etſi patruelis eius erat, ac *Flauiam Domitillam*, & ipſam *Domitiani* conſanguineam vxorem habebat) morte adfecit, illato ambobus crimine impietatis. Cuius rei

tatis viro, eum atheiſmi dicit incuſatum & ad ſupplicium raptum ideo, quod ad *Iudæorum* religionem tranſierit: quod BARONIO [w] aliisque obſeruantibus, de religione chriſtiana, cuius cauſſa mortem ſubiit, intelligi debet. Et cum SVETONIVS [x] *Claudium Iudæos* inpulſore *Chreſto* adſidue tumultuantes *Roma* expuliſſe ſcribit, omnes omnino eruditi [y] nomine *Iudæorum* Chriſtianos etiam intelligi, ſtatuunt. Similiter, cum SPARTIANVS [z] *Caracallæ* colluſorem religionis *iudaicæ* fuiſſe dicit, ſine vllo dubio chriſtianam intelligit: propterea quod, commemorante TERTVLLIANO, [a] ipſe *Caracalla* a chriſtiano homine educatus fuit.

§. XI.

Chriſtus ab Ethnicis plerumque vocatus Chreſtus, *& Chriſtiani* Chreſtiani.

Gentiles alium errorem in pronuntiatione nominis Seruatoris noſtri admittebant, quem vniuerſi *Chreſtum* loco *Chriſtum*, illiusque diſciplinam ſectantes *Chreſtianos*, loco *Chriſtianos*, appellitabant. Id quod obſeruatum fuit a IVSTINO MARTYRE, [b] TERTVLLIANO, [c] LACTANTIO [d] & quibusdam aliis; qui iſtum eis errorem commonſtrarunt, etiamſi hac de re cum illis litigare haud ſuſtinerent, quod vtrumque

cauſſa multi, qui in mores *Iudæorum* tranſierant, damnati ſunt. - - *Glabrionem* quoque, qui cum *Traiano* magiſtratum geſſerat, accuſatum præter cætera ſuperioris criminis, & quod cum beſtiis pugnauiſſet, interfici iuſſit.

(w) Baron. ann. XCIV. n. 1. Quod ſpectat ad *Glabrionem*; ſcribit DIO cum nonnullis aliis, illato crimine ἀθεότητος, quod ad *Iudæorum* mores tranſiiſſet (ſic enim, vt ſæpius dictum eſt, quod ex *Iudæis* deſcenderent Chriſtiani, Ethnici appellabant) &c.

(x) Sueton. Claud. c. XXVI.

(y) Hotting Hiſtor. Eccleſ. Tom. I. p. 37. Basnagii Exerc. in Baron. p. 139. Selden. de Synedr. lib. I. c. VIII. vbi citantur *Lipſius*, *Petauius* & plures alii.

(z) Spartian in Caracall. I. Cum colluſorem ſuum puerum ob *iudaicam religionem* grauius verberatum audiſſet &c.

(a) Tertull. ad Scap. c. IV. Lacte Chriſtiano educatus.

(b) Iuſtin. Martyr Apol II. p 54. (edit. Pariſ. MDCXXXVI.) Ὅσον γε ἐκ τοῦ κατηγορουμένου ἡμῶν ὀνόματος, χρηστότατοι ὑπάρχομεν. Et quantum ad nomen ipſum pertinet, quod criminis loco nobis obiicitur, optimi (*Chreſtotati*) certe ſumus.

(c) Tertullian. Apol. c. III.

(d) Lactant. lib. IV. c. VII. Exponenda huius nominis (Chriſti) ratio eſt propter ignorantium errorem; qui eum immutata littera *Chreſtum* ſolent dicere.

nomen

nomen bonæ esset significationis: Christus enim idem est ac *Hebræum* Messias, & hominem vel in sacerdotem, vel in regem vnctum significat; & *Chrestus*, quod idem est ac *græcum* χρηστὸς, suauitatem & benignitatem denotat. Hinc TERTVLLIANVS, [*e*] rem nulla venia dignam esse, adfirmat, quod solius nominis caussa Christianos vexent, quandoquidem vtrumque nomen innoxium esset & præclarissimæ significationis.

Id circo non in totum repudiarunt hoc nomen Christiani, etiamsi illud sibi ipsi non imposuissent. Quemadmodum nec *Iudæos* se appellari recusarunt, eo quidem sensu, quo Scriptura hac voce vtitur, vt nimirum Dei populum ab *synagoga Satanæ* distinguat: Apoc. II, 9. quamquam ad euitandam *Ebionitarum* & *Nazarenorum* astutiam, qui legem Mosis cum doctrina euangelii commixtum ibant, hoc nomen declinare, & nomen Christianorum retinere studuerunt.

LIBRI PRIMI
CAPVT SECVNDVM
DE CONTVMELIOSIS NOMINIBVS, QVIBVS IVDAEI, INFIDELES ET HAERETICI CHRISTIANOS APPELLARVNT.

§. I.
Christiani a Iudæis & Gentilibus Nazareni *vocati.*

PRæter ea nomina, de quibus iam diximus, fuerunt non nulla alia, Christianis ab aduersariis eorum maledice & contumeliose data, quorum heic facere mentionem non abs re fuerit. Primum eorum erat *Nazareni*, nomen probrosum a *Iudæis* illis impositum, a quibus vocabantur *secta Nazarenorum*, Act. XXIV, 5. Fuerunt quidem certi hæretici, ipsi se appellantes Ναζαραίους, *Iudæis*, teste EPIPHANIO, [*f*] maximopere inuisi,

(*e*) Tertull. l. c. Christianus, quantum interpretatio est, de Vnctione deducitur. Sed & cum perperam *Chrestianus* pronuntiatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suauitate vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.

(*f*) Epiph. Hær. XXIX. n IX. Οὐ μόνον γὰρ οἱ τῶν Ἰουδαίων παῖδας πρὸς τούτους κέκτηνται μῖσος, ἀλλὰ ἀνιστάμενοι ἕωθεν καὶ μέσης ἡμέρας, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν, τρὶς

quod

quod eſſent genus quoddam *Iudæorum* apoſtatarum, qui circumciſionem & ritus Moſaicos obſeruabant, chriſtianam ſimul religionem profitentes. Et hinc, inquit ille, eſt, quod ter per ſingulos dies, mane, circa meridiem & ad veſperam ad preces in ſynagoga congregati eos anathemate perculſos diris deuouerint, hac amariſſima exſecrationis vtentes formula: *ὅτι ἐπικαταράσαι ὁ Θεὸς τὰς Ναζωραίους, Nazaræos Deus exſecretur!* At vero ex ſententia HIERONYMI (*g*) hoc ad omnes ſpectauit Chriſtianos, quibus ita ſub *Nazarenorum* nomine imprecati ſunt. Atque hoc quidem maxime videtur probabile, quandoquidem HIERONYMO (*h*) & ipſo EPIPHANIO (*i*) tradentibus, *Iudæi* Chriſtianos vniuerſos appellarunt *Nazarenos*. Gentiles quoque hunc conuitiandi morem a Iudæis adſumſerunt, quemadmodum illud de *Datiano* prætore apud PRVDENTIVM (*k*) conſtat, vbi Chriſtianos adlocutus nominat *Nazarenos*. Sunt, qui exiſtimant, (*l*) Chriſtianos primum quidem libenter ſibi hoc nomen tribuiſſe, in conuitiis id minime ponentes, eo vsque dum ſecta *Nazarenorum* erupiſſet, atque tunc huius hæreſeos dete-

τῆς ἡμέρας ὅτι εὐχὰς ἐπιτελοῦσι ἐν ταῖς αὐτῶν συναγωγαῖς, ἐπαρῶνται αὐτοῖς, καὶ ἀναθεματίζουσι φάσκοντες, ὅτι ἐπικαταράσαι ὁ Θεὸς τοὺς Ναζωραίους.

(*g*) Hieron. Comment. in Eſa XLIX Tom. V p. 178 (p 151. edit. Francof) Ipſe (Chriſtus) bonus paſtor poſuit animam pro ouibus ſuis; & contemſit eam: qui abominationi eſt genti *Iudæorum*: *cui* ter per ſingulos dies nomine Nazarenorum *maledicunt* in ſynagogis ſuis.

(*h*) Id de Loc. Hebr. Tom III. p. 188. b Nos apud veteres quaſi opprobrio *Nazaræi* dicebamur, quos nunc Chriſtianos vocant.

(*i*) Epiph. l. c. n. I. Πάντες δὲ Χριστιανοὶ Ναζωραῖοι τότε ἐκαλοῦντο. Chriſtiani tunc omnes *Nazaræi* vocabantur.

(*k*) Prudent. περὶ στεφανῶν Carm. V de S. Vincentio, v. 25. 26 p. 139. Edit. Cellar.

Vos *Nazareni* adſiſtite,
Rudemque ritum ſpernite.

Id. Hymn. X. de Roman Martyre v. 41. ſeq. Edit Cell. p. 184.

Præfectus iſtis imminens negotiis
Aſclepiades, ire mandat milites
Eccleſiaſten vſque de ſacrariis
Raptare plebem, mancipandam vinculis,
Ni diſciplinam *Nazarenam* reſpuat.

(*l*) Iun. Parall. lib. I. c. VIII. Quod impium dogma quum Antiochiæ primum inualuerit, fortaſſe occaſionem Antiochenæ eccleſiæ dedit, vt viri boni ſe non amplius *Nazaræos* aut *Nazarenos*, ſed Chriſtianos potius appellarent. Act. XI, 26. Vid. etiam Goodw. Moſes & Aaron lib. I. c. VIII.

ſtandæ

ſtandæ cauſſa eo abſtinuiſſe, & ſe ipſos vocaſſe *Chriſtianos*, Act. XI, 26. An vero hoc exactis regulis chronologicis conuenienter ſtatuatur, id quidem aliis peritioribus diiudicandum relinquo.

§. II.
Et Galilæi.

Aliud nomen contumelioſum erat *Galilæi*, *Iuliano*, de *Chriſto* vel Chriſtianis loquenti familiare. Ita in colloquio cum *Mari*, epiſcopo ſene & cæco, cuius meminit SOZOMENVS, (*m*) ei illudens dixiſſe fertur: *Numquam profecto* Galilæus *Deus tuus te ſanabit.* Et iterum in epiſtola (*n*) ad *Arſatium*, ponticem maximum *Galatiæ*: *Turpe fuerit*, *ex Iudæis quidem neminem mendicare: impios vero* Galilæos *præter ſuos pauperes*, *etiam noſtros alere.* Idem illud obſeruari poteſt apud SOCRATEM, (*o*) THEODORETVM, (*p*) CHRYSOSTOMVM (*q*) & GREGORIVM NAZIANZENVM, (*r*) qui addit, non modo eum ipſum Chriſtianos *Galilæos* appellaſſe, ſed legem tuliſſe etiam, vt ne quis alio eos nomine appellaret; quod hoc modo nomen Chriſtianorum abolitum iri exiſtimauerit.

(*m*) Sozom. Lib. V. c. IV. *Οὐ δὲ ὁ γαλιλαῖός σου Θεὸς θεραπεύσει σε.*

(*n*) Apud Sozom. Lib. V. c. XVI. *Αἰσχρὸν γὰρ εἰ τῶν μὲν Ἰουδαίων οὐδεὶς μεταιτεῖ, τρέφουσι δὲ οἱ δυσσεβεῖς γαλιλαῖοι πρὸς τοῖς ἑαυτῶν, καὶ τοὺς ἡμετέρους.*

(*o*) Socrat. lib. III. c. XII. *Γαλιλαῖον εἰώθει ὁ Ἰουλιανὸς καλεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ τοὺς Χριστιανοὺς γαλιλαίους.* *Iulianus* Chriſtum *Galilæum*, & Chriſtianos *Galilæos* appellare conſueuerat.

(*p*) Theodor. lib. III. c. IV. *Ἀπηγόρευσε τῶν γαλιλαίων τοὺς παῖδας, οὕτω γὰρ Σωτῆρος ἡμῶν θιασώτας ὠνόμαζε, ποιητικῶν καὶ ῥητορικῶν καὶ φιλοσόφων μεταλαγχάνειν λόγων.* Vetuit, (Iulianus) ne *Galilæi* (ſic enim Seruatoris noſtri ſectatores appellabant) poeticis, rhetoricis vel philoſophicis ſtudiis operam darent.
Id. ibid. c. XXI. *Νενίκηκας Γαλιλαῖε*, Viciſti, *Galilæe*.

(*q*) Chryſoſt. Hom. LXIII. Tom. V. p. 439. Edit. Eton. (Tom I. Francof. p. 640) *Καὶ οὐδὲ ἐνταῦθα τῆς μανίας ἵστατο, ἀλλ' ἐκ μέσης ἀναρπάσασθαι τῆς οἰκουμένης τὸ τῶν Γαλιλαίων ἔθνος ἐπηγγέλλετο, καὶ γὰρ οὕτως ἡμᾶς εἰώθει καλεῖν.* Neque vero huc vſque tantum progreſſus eſt eius furor, ſed ex orbe terrarum exterminaturum ſe *Galilæorum* nationem pollicebatur: ſic enim nos appellare ſolitus erat.

(*r*) Gregor. Nazianz. Orat. III. p. 81. (Edit. Pariſ.) - - *Καινοτομεῖ περὶ τὴν προσηγορίαν, Γαλιλαίους ἀντὶ χριστιανῶν ὀνομάσας τε καὶ καλεῖσθαι νομοθετήσας.* Nouandum nobis cognomentum cenſuit (Iulianus) *Galilæos* pro Chriſtianis nominans, atque vt ita vocaremur, publica lege decernens.

§. III.
Item Athei.

Appellabant etiam eos *Atheos*, eorumque religionem *Atheiſmum* vel Impietatem, quod Gentilium deorum cultum deriderent & contemnerent. DIO (s) narrat *Acilium Glabrionem* ad necem datum eſſe *Atheiſmi* cauſſa, intelligens religionem chriſtianam. Et apologetæ Chriſtianorum ATHENAGORAS, (t) IVSTINVS MARTYR, (u) ARNOBIVS (w) & alii inter crimina hoc referunt, quæ gentiles ipſis plerumque adſignarunt. EVSEBIVS (x) hoc nomen tam peruulgatum fuiſſe dicit, vt magiſtratus perſecutores Chriſtianum quempiam ad religionis ſuæ deſertionem adacturi cum iuſſerint illam abiurare his inter alia verbis: Αἶρε τοὺς ἀθέους, *Tolle Atheos*, nimirum Chriſtianos.

§. IV.
Nec non Græci *&* Impoſtores.

Hiſce addiderunt nomen *Græci* & *Impoſtores*. Id quod ab HIERONYMO (y) adnotatum eſt, *Vbicumque*, inquiente, *viderint Chriſtianum, ſtatim illud de triuio* ὁ γραικὸς ἐπιθέτης, En *Græcum Impoſtorem*! Hic erat character, quo Seruatorem noſtrum ſignabant, ὁ πλάνος, *Impoſtor ille.* Et IVSTINVS (z) MARTYR

(s) Dio in Domit. vid. ſupra Cap. I §. X. not. (u) p. 13.

(t) Athenag. Legat. pro Chriſt. p. 4. Τρία ἐπιφημίζουσιν ἡμῖν ἐγκλήματα, ἀθεότητα, θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις. Trium flagitiorum infamis rumor de nobis ſpargitur: *impietas, quæ Deos tollat*, epula *Thyeſtea*, concubitus inceſti.

(u) Iuſtin. Mart. Apol. I. p. 47. Ὅς γε περὶ ἡμῶν ἃ μὴ ἐπίσταται, δημοσίᾳ καταμαρτυρεῖ, ὡς ἀθέων καὶ ἀσεβῶν Χριστιανῶν, qui publice de rebus, quas ignorat, videlicet quod Chriſtiani *Athei*, proriusque *ſine Deo* & *impii* ſint, teſtatur.

[w] Arnob. Lib. I. ineunt. Exterminati ſunt Dii longe. - - Efficitur profecto rationum conſequentium copulatu, vt non *impii* nos magis, ſed illi ipſi reperiantur criminis iſtius rei, qui ſe numinum profitentur eſſe cultores, atque inueteratis religionibus deditos.

(x) Euſeb. lib. IV. c. XV. Vbi Proconſul Polycarpum monens, vt Chriſtum abneget, inter alia dicit: Μετανόησον· εἶπον, αἶρε τοὺς ἀθέους. Reſipiſce: dic, tolle *impios.*

(y) Hieron. Ep. X. ad Furiam.

(z) Iuſtin Dial. c. Tryph. p. 335. Οὐ μόνον, οὐ μετενοήσατε, μαθόντες αὐτὸν ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, ἀλλ᾽ ἄνδρας χειροτονήσαντες ἐκλεκτοὺς εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐπέμψατε, κηρύσσοντας ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινος Γαλιλαίου πλάνου κ. τ. λ. Cognito, illum ex mortuis reſurrexiſſe, tantum abeſt, vt poenitentiam egeritis, vt etiam eximiis delectis viris in omnem terrarum

adfir-

adfirmat, eos illud ita ad posteros propagare conatos esse, missis ex vrbe *Hierosolymorum* ad omnes vniuersi orbis synagogas nuntiis ac emissariis, qui eos sibi a certa quadam impia & nefaria secta, nuperrime a *Iesu* quodam *Galilaeo Impostore* excitata, cauere docerent. Inde LVCIANVS (*a*) occasionem arripuit nominandi ipsum lingua sacrilega *ἀνεσκολοπισμένον σοφιστὴν*, crucifixum *Sophistam*. CELSVS (*b*) etiam plerumque ipsum, ipsiusque discipulos *γόητας*, *Praestigiatores* vocat. Sic ASCLEPIADES iudex Ethnicus apud PRVDENTIVM (*c*) *Sophistas* eos appellat; & VLPIANVS (*d*) lege quadam *Impostorum* nomine eos proscribit.

Ratio, cur nomini *Graecorum* addiderint nomen *Impostorum*, fuit, (vt eruditi cuiusdam viri (*e*) coniectura est) quod multi

orbem eos miseritis, qui renuntiarent, haeresin & sectam quamdam impiam & iniquam excitatam esse a Iesu quodam Galilaeo *plano & seductore* &c.

(*a*) Luc. Paregr. Tom. IV. Opp. p. 277. edit. Basil. 8. Ἐπειδὰν ἅπαξ παραβάντες (οἱ Χριστιανοὶ) Θεοὺς μὲν τοὺς ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν αὐτῶν προσκυνῶσι, καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνου νόμους βιῶσι. Postea quam semel a nobis desciuerunt, Graecorum deos constanter bnegant, solum autem crucifixum illum *impostorem* adorantes, secundum illius leges viuendi rationem instituunt.

(*b*) Cels. ap. Orig. lib. I, p 20. Λεγέτω ὁ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι τὰ Χριστιανῶν καὶ Ἰουδαίων. Πῶς δὲ καὶ γοητεία παρὰ τοῖς παραδεξαμένοις τὸν Μωϋσέως νόμον ἐστὶν κ. τ λ. Dicat iste, qui nouit Christianorum & Iudaeorum omnia, quomodo *maleficae artes* (*imposturae*) locum habent apud Mosis discipulos? &c.

Ibid. p. 55. Εἶτά φησι λοιδορούμενος τῷ Ἰησοῦ, ὅτι ταῦτα θεομισοῦς ἦν τινος καὶ μοχθηροῦ γόητος. Deinde conuitium Iesu faciens dicit, res eius fuisse scelesti Deoque inuisi *praestigiatoris*.

(*c*) Prud. περὶ στεφάνων Carm. X. de Romano Mart. v. 404. p. 202. edic. Cellar.

Quis hos *Sophistas* error inuexit nouus,
Qui non colendos deos disputent?

(*d*) Digest. lib. L. Tit. XIII. c. 1. Si incantauit, si imprecatus est, si (vt vulgari verbo *Impostorum* vtar) exorcizauit.

(*e*) Korthold. de Moribus Christian. c. III. p. 22. 23. vbi citat locum ex epist. XIX. Hieron. ad Marcellam: *Si tunica non canduerit, statim illud e triuio: Impostor & graecus est.* Item ex Epist X. ad Furiam supra in textu (*y*) allegata. & addit: Quae loca vt recte intelligantur, sciendum Romanorum habitum proprie fuisse Togam sicut Graecorum Pallium. - - Hinc Romani dicti sunt *gens togata* - - Contra graeci *Palliati* - - Quia proinde graecorum pallio etiam vestiebatur Christiani (quamquam non omnes sed soli ascetae) hinc communi scommate audiebant *Graeci*, & ab iniectione pallii, quod tunicae superimponebant, etiam ἐπιθῆται, hoc est (vt ita dixerim) *imponentes*. Id simpliciter accipiebat indoctum vulgus ob pallii superimpositionem: caeterum litterati figuratum morsum intelligebant in vocabulo ἐπιθέτους, quo fieret ad *im-*

philoſophorum chriſtianorum veſte vſi ſunt *græca*, ſiue philoſophica, quæ erat *περιβολαιον* ſeu *pallium*. Vnde *Græci* dicti ſunt *palliati*, quemadmodum *Romani togati* ſeu *gens togata*, a proprio eorum veſtitu, quæ erat *toga*. *Romani* igitur quodammodo offenſi, quod Chriſtianos viderent repudiata toga *Romana græcum* geſtare pallium, nomine iſthoc ſcurrili *Græcorum*, & *Impoſtorum Græcorum* illudendi eos ac deridendi arripuerunt „occaſionem. Liber TERTVLLIANI *de Pallio* ea fini ſcriptus eſt, vt „virulentam ſtolidæ huius obiectionis malitiam commonſtret.

§. V.

Magi.

At enim vero Gentiles malitia ſua adhuc longius progrediebantur; & cum Seruator noſter eiusque ſectatores multa factitarent miracula, quæ ipſi maleficis artibus & magicæ diſciplinæ efficacitati adſcribebant, ideo generatim eos tamquam *Magos* infamabant, multitudinis furori hoc nomine eos exponentes. CELSVS (*f*) & alii Seruatorem noſtrum *in Aegypto* maleficis artibus operam dediſſe dictitabant: Et AVGVSTINVS (*g*) ait, Ethnicis generatim perſuaſum fuiſſe, ipſum nonnullos libros de Magia ſcripſiſſe, quos *Petro* & *Paulo* in diſcipulorum ſuorum vſum tradiderit. Hinc SVETONIVS (*h*) verbis partis ſuæ

poſtoris nomen apud Latinos faceta alluſio, hoc eſt, deceptoris & hominis ſanctitatem mentientis.

Baron. an. LVI. n. XI. Quod ait (Vlpianus) verbum exorcizare eſſe *impoſtorum*, haud dubium eſt ſugillare voluiſſe Chriſtianos.

(*f*) Origen. contra Celſ. lib. I. p. 30 Φησὶν, αὐτὸν σκότιον τραφέντα, μισθαρνήσαντα, εἰς Αἴγυπτον, δυνάμεών τινων πειραθέντα, ἐκεῖθεν ἐπανελθεῖν, Θεὸν δι᾽ ἐκείνας τὰς δυνάμεις ἑαυτὸν ἀναγορεύοντα. Ait, (Celſus) eum (Ieſum) clam educatum & in Aegypto mercede famulatum, peritum *mirificarum eius gentis artium*, inde reuerſum, quibus fretus pro Deo ſe haberi paſſus ſit.

Arnob. lib. I. p. 15. edit. Hamburg. cIↄ Iↄc X. *Magus* fuit, clandeſtinis artibus omnia illa perfecit, Aegyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina & *remotas* furatus eſt *diſciplinas*.

(*g*) Auguſt. de Conſenſu Euang. lib. I. cap. IX. Ita vero iſti deſipiunt, vt in illis libris, quos eum ſcripſiſſe exiſtimant, dicant contineri eas *artes*, quibus eum putant illa feciſſe miracula &c. cap. X. Quid? quod etiam diuino iudicio ſic errant quidam eorum, qui talia Chriſtum ſcripſiſſe vel credunt, vel credi volunt, vt eosdem libros ad Petrum & Paulum dicant tamquam epiſtolari titulo prænotatos.

(*h*) Sueton. Neron. c. XVI. Adflicti ſuppliciis Chriſtiani, genus hominum ſuperſtitionis nouæ ac *maleficæ*.

vtens

vtens Christianos vocat *genus hominum superstitionis maleficæ.* Quemadmodum *Asclepiades* iudex apud PRVDENTIVM *(i) Romanum* martyrem *summum Magum* appellat. Et AMBROSIVS martyrium *Agnes (k)* describens memorat, populum exclamasse, *Tolle magam! Tolle maleficam!* Nihil enim vulgatius fuit, quam omnes christianos, in primis eos, qui miracula patrarent, *(l)* venificos vocare & magos.

§. VI.

Noua superstitio.

Noua superstitio aliud nomen contumeliosum erat christianæ inustum religioni. SVETONIVS *(m)* hoc ei adsignat, & PLINIVS AC TACITVS *(n)* probrosam addunt prauæ & stolidæ superstitionis appellationem. Quo nomine etiam *Nero*, posteaquam Christianos dira persecutione vexasset, tropæis *Romæ* erectis de ea triumphauit, prouinciam a latronibus & iis, qui nouam generi humano superstitionem *(o)* obtruderent, se purgasse iactitans. Per quos sine dubio christianos intelligit, quorum religio in aliis eiusmodi inscriptionibus Superstitio dicitur. Id quod videre est in inscriptione *Diocletiani*, quam BARONIVS ad annum CCCIV. ex occo exhibet: *Superstitione Christianorum vbique deleta* &c.

Non multum ab isthoc nomine differt, quo PORPHYRIVS *(p)* & alii eam conuitiantur, vocando eam religionem barbaram, nouam & peregrinam. In Actis famosorum martyrum *Lugdunensium*, qui supplicio adfecti sunt sub *Antonino Pio*, gentiles hoc nomine eis cum irrisione insultabant. Martyribus e-

(i) Prudent. *περὶ στεφανῶν* Hymn. X. de S. Romano v. 868. p. 221. edit. Cellar. Quo vsque tandem summus hic nobis *Magus* illudet.

(k) Ambros. Serm. XC in S. Agnen: Tolle *Magam!* Tolle *Maleficam!*

(l) Vid Korthold. de moribus Christian. c. IV. tot.

(m) Sueton. Nero c. XVI. vid. not. *(b)*

(n) Plin. lib. X. Epist. XCVII. Nihil aliud inueni, quam *superstitionem* prauam & immodicam. Tacit. Annal. XV. c. XLIV. Exitiabilis *superstitio.*

(o) Inscript. Antiq. ad Calcem Sueton. Oxon. NERONI. CLAVD. CAIS. AVG. PONT. MAX. OB. PROVINC. LATRONIB. ET. HIS. QVI. NOVAM. GENERI HVM. SVPERSTITION. INCVLCAB PVRGAT.

(p) Apud Euseb. Hist Eccles. Lib. VI. c. XIX. *Ὠριγένης δὲ ἕλλην ἐν ἕλλησι παιδευθεὶς λόγοις πρὸς τὸ βάρβαρον ἐξώκειλε τόλμημα.* Origenes cum gentilis esset & gentilium innutritus disciplinis, ad *barbaram* declinauit *audaciam.*

nim igne in cineres redactis, eorumque reliquiis in *Rhodanum* fluuium proiectis, hoc ideo dicebant se facere, vt de spe resurrectionis eos deiicerent, cuius virtute humano generi nouam hanc & peregrinam religionem obtrudere (q) adlaborarent. *Videamus nunc*, inquiebant, *an sint resurrecturi, & vtrum adesse ipsis Deus suus, ac de manibus nostris eripere valeat.*

§. VII.

Christiani cur vocati Sibyllistæ.

CELSVS eos *Sibyllistas* (r) nominat, propterea, quod Christiani in suis cum gentilibus disputationibus non numquam ad SIBYLLARVM, propriarum eorum vatum auctoritatem prouocarent; quarum scripta tanto cum emolumento pro caussa Christianorum & in gentilium detrimentum vrgere sciebant, vt teste IVSTINO (s) MARTYRE, præfecti *Romani* sub mortis pœna non tantum illarum, sed *Hystaspis* etiam & prophetarum voluminum lectionem interdixerint.

§. VIII.

Biathanati.

Probrose quoque eos βιαθανάτους, i. e. *sui ipsorum intermtores* appellabant, ideo quod promte se ipsos supplicio sisterent, & alacriter violentam mortem, qua gentiles ipsos adficerent, subirent. Quam acciter mortem ambierint, non ex ipsis tantum Christianorum scriptis, (t) sed ex gentilium (u) etiam huc spectantibus testimoniis perspicimus. LVCIANVS (w)

(q) Act. Mart. Lugd. apud Euseb. lib. V. c. I. exeunte: ξένην τινὰ καὶ καινὴν ἡμῖν εἰσάγουσι θρησκείαν, *nouam* quamdam & *peregrinam* nobis inuehunt *religionem*.

(r) Origen. contra Cels. lib. V. p. 272 Εἶτα δέ τινας εἶναι καὶ Σιβυλλιστὰς τάχα παρακούσας τινῶν ἐγκαλούντων τοῖς οἰομένοις προφῆτιν γεγονέναι τὴν Σίβυλλαν, καὶ Σιβυλλιστὰς τοὺς τοιούτους καλεσάντων. Facit etiam mentionem nescio quorum *Sibyllistarum*; fortasse quod audierat a quibusdam improbari eos, qui Sibyllam prophetidem existimant, notarique *Sibyllistarum* nomine.

(s) Iustin. Apol. II. p. 82. Κατ' ἐνέργειαν τῶν φαύλων δαιμόνων θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπου, ἢ Σιβύλλης ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων. Opera & instinctu malorum dæmonum mortis supplicium aduersus librorum Hystaspis aut *Sibyllæ* aut *Prophetarum* lectores constitutum est.

(t) Vid. hos apud Pears. Vind. Ignat. Part II. c. IX. p. 384.

(u) Arrius Antonin. apud Tertull. ad Scap. c IV. Tiberian. in Io. Malela Chronic.

(w) Lucian. de Mort. Peregr. Tom. IV. p. 277. (edit. Basil. 8.) Πεπείκασι αὐτοὺς οἱ κακοδαίμονες τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔσεσθαι καὶ βιώσεσθαι τὸν ἀεὶ χρόνον, παρ' ὃ καὶ

scribit

ſcribit, multos mortem non tantum ſpreuiſſe, ſed ſponte ſua ad eam ſubeundam ſeſe obtuliſſe, quod ſibi perſuaſerint, fore, vt immortales euadant & æternam vitam conſequantur. Hoc quidem ſtoliditatem interpretatur, eamque ob cauſſam eos vocat Κακοδαίμονας, *miſeros* & *ærumnoſos*, vitam ſuam profundentes. Quo ſenſu etiam PORPHYRIVS (*x*) chriſtianam religionem Βάρβαρον τόλμημα, *barbaram audaciam* nuncupat. Quemadmodum ARRIVS ANTONINVS (*y*) eos, qui illam profitebantur, δειλὰς, *ſtupidos* nominat, quod mori adeo cuperent; Et pagano apud MINVCIVM (*z*) *homines deploratæ inlicitæ ac deſperatæ factionis* audiunt. Id quod cum appellatione *Biothanati* ſiue *Biæothanati*, ex ſententia BARONII [*a*] congruit. Quamquam vocabulum illud non eos tantum ſignificat, qui ipſi ſe interfecerunt, verum (vt doctus quidam criticus [*b*] notat) homines *quaſi viuos mortuos, qui per mortem ad immortalitatem ſe peruenturos credunt.* Quo ſenſu ethnici fortaſſis ſimiliter adhibuerunt, vt chriſtianam doctrinam de reſurrectione deriderent; quippe qua omnem eorum animi fiduciam & inuictam fortitudinem fundatam eſſe facile intelligebant. Ita enim idem ethnicus apud MINVCIVM FELICEM ſimul magnanimitatem & fidem eorum illudere conabatur. *Proh! mira ſtultitia & incredibilis audacia*, inquiebat, *ſpernunt tormenta præſentia, dum incerta metuunt & futura: & dum mori poſt mortem timent, interim mori non timent: ita illis pauor & fallax ſpes ſolatio rediuiuo blanditur.* Hæc itaque inter alias cauſſa fuit, quamobrem eos vocarint Βιοθανάτȣς, quæ vox in quibusdam veterum martyrum actis expreſſe occurrit. Ex Martyrologico BEDAE obſeruat

καταφρονȣ͂σι τȣ͂ θανάτȣ καὶ ἑκόντες αὐτȣ̀ς ἐπιδιδόασι οἱ πολλοί. Haud dubitanter ſibi perſuaſerunt infelices illi, ſe omnino immortalitate fruituros, perpetuoque victuros eſſe. Quamobrem & mortem magno contemnunt animo, ac non pauci ſua ſponte ſemet occidendos offerunt.

(*x*) Porphyr. ap Euſeb H. E lib. VI. c. XIX. Vid. not. (*p*)

(*y*) Tertull. ibid.

(*z*) Minuc. Octav. c. VIII. p. 26. (Edit. Cellar. Hal.) Quid homines, homines, inquam, *deploratæ*, inlicitæ ac *deſperatæ factionis* graſſari in Deos, non ingemiſcendum eſt?

[*a*] Baron. an. CXXXVIII. num. V. Vox græca in latinitatem tranſiit, a βιαίῳ θανάτῳ, i. e. violenta morte.

[*b*] Suicer. Theſaur. Eccleſ. Tom. I. p. 690.

BARO-

BARONIVS, [c] quod, vbi ſeptem *Symphoroſæ* filii, *Hadriano* imperante, ſupplicio adfecti fuerunt, ipſorum corpora in vnam foueam iunctim proiecta ſint, cuius loci nomen pontifices templorum inde vocauerint, *ad ſeptem Biothanatos.*

§. IX.

Parabolarii *&* Deſperati.

Eamdem ob cauſſam *Parabolarii* & *Deſperati* appellati ſunt. *Parobolarii* ſiue *Parabolani* apud *Romanos* fuerunt proiectæ audaciæ homines, qui ſtipendii cauſſa in amphitheatro cum beſtiis certarunt, vnde etiam *Beſtiarii* & *Confectores* dicti. Iam vero quum eadem ratione pro vita ſua pugnare cogerentur Chriſtiani, & id quidem facere, quam religioni ſuæ renuntiare mallent, nomen *Parabolorum* & *Parabolanorum* ſortiebantur: quo etiamſi ipſos tamquam conuitio illuderent, Chriſtiani tamen id non detrectabant, quod eſſet ex conuenientiſſimis characteribus, quibus eos gentiles vmquam ſignarunt. Ideo etiam ſibi non numquam hoc nomen ipſi dabant, alludentes ad *Romanos* iſtos *Parabolos.* Vti in actis *Abdonis* (*) & *Sennes* tempore *Valeriani* martyrum, qui in amphitheatro poſiti, vt ab beſtiis deglutirentur, *vt audaciſſimi parobolani* inuaſiſſe dicuntur, quod vitam ſuam pro religione profunderent. Alterum autem nomen *deſperatorum* tamquam calumniam reiiciebant, in adverſarios ſuos illud retorquentes, quippe quibus maiori iure illud conueniret. *Qui*, inquit LACTANTIVS [d], *magni æſtimauerint fidem, cultoresque ſe Dei non abnegauerint, in eos totius carnificinæ ſuæ viribus, veluti ſanguinem ſitiant, incumbunt, & DESPERATOS vocant, quia corpori ſuo minime parcunt, quaſi quidquam deſperatius eſſe poſſit, quam torquere ac dilaniare eum, quem ſcias eſſe innocentem.*

§. X.

Sarmentitii *&* Semaxii.

Alius cuiusdam nominis, quod occaſione cruciatuum, quos pertulere, adepti ſint, meminit TERTVLLIANVS. Martyres videlicet, quos viuos cremabant, ad ſtipitem ſeu palum ſex circiter pedes

[c] Baron. an. CXXXVIII. n. V.

[*] Acta Abdon. & Sennes apud Suicerum.

[d] Lact. Inſtit. Lib. V. c. IX.

ter pedes longum reuinciebantur, quem *Romani* vocabant *Semaxin*; deinde tenuium lignorum fasciculis, quos *sarmenta* nuncupabant, circumdabantur vel operiebantur. Ab hoc supplicii genere Pagani, omnia ad derisionem conuertentes, Christianos quosuis *Sarmentitios* & *Semaxios* [*e*] ignominiose appellitabant.

§. XI.

Lucifuga Natio.

Paganus ille apud MINVCIVM [*f*] eos amat appellare *latebrosam & lucifugam nationem*, h. e. homines, in angulis & tenebris garrulos. Ratio huius scurrilis denominationis vnica erat, quod ad deuitandum persecutorum suorum furorem conventus suos religiosos noctu agere necesse habebant. Id quod ipse CELSVS, [*g*] ad imponenda iis dura & odiosa nomina satis alioqui propensus, fatetur.

§. XII.

Plautina prosapia & Pistores.

Idem ille Gentilis apud MINVCIVM adhuc aliud ignominiosum nomen eis adsignat, cuius sensum non adeo facile est hariolari. Vocat eos [*h*] *Homines Plautinæ prosapiæ*. RIGALTIVS [*i*] illud derisionem paupertatis & simplicitatis Christianorum interpretatur, quos Gentiles communiter vt pauperum & rudium opificum, pistorum, sartorum & similium gregem repræsentabant; homines eiusdem, cuius PLAVTVS, conditionis, qui, „ vt HIERONYMO [*k*] obseruatur, adeo pauper fuit, vt tempore „ quodam famis ad molas manuarias pistori se locare coactus sit, vbi nactus subinde laboris sui interuallum tres scripserit fabulas.

[*e*] Tertull. Apol cap. L. Licet nunc *Sarmentitios* & *Semaxios* appelletis, quia ad stipitem dimidii axis reuincti, sarmentorum ambitu exurimur.

[*f*] Minuc. Octav. c. VIII. p. 26. *Latebrosa & lucifuga natio* in publicum muta, in angulis garrula.

[*g*] Origen. contra Cels. Lib I. p. 5 Μετὰ ταῦτα περὶ τοῦ κρύφα Χριστιανοὺς τὰ ἀρέσκοντα ἑαυτοῖς ποιεῖν καὶ διδάσκειν εἰπὼν, καὶ ὅτι οὐ μάτην τοῦτο ποιοῦσι, ἅτε διωθούμενοι τὴν ἐπηρτημένην αὐτοῖς δίκην τοῦ θανάτου κ τ λ Posthæc cum dixisset Christianos clam, quidquid ipsis libet, vel facere vel docere, idque non sine caussa, nimirum *vt capitalem sibi intentatam pœnam depellerent* &c.

[*h*] Minuc. Fel. Octau. c. XIV. p. 42. edit. Cellar. Hall.

[*i*] Rigalt. in h. loc.

[*k*] Hieron. Chronic. an. I. Olymp. p. 145.

Tale genus hominum, dicit CAECILIVS, esse Christianos; ideoque cum OCTAVIO colloquens inter alia sic fatur: *Quid ad hæc audet Octauius homo Plautinæ prosapiæ, vt pistorum præcipuus, ita postremus philosophorum?* Eadem illa criminatio apud CELSVM frequens est. *Videre licet*, inquit, [l] *lanifices, sutores, fullones in suis ædibus, & illitteratissimum quemque & rusticissimum coram senioribus & prudentioribus patribusfamilias nihil audere prologui: vbi vero seorsum nacti fuerint pueros eorum, & mulierculas imperitas, mira quædam disserere.* Et alio loco ait: [m] *Præcepta sunt eorum: Nemo accedat eruditus, nemo sapiens, nemo prudens, (hæc enim mala apud nos existimantur) sed si quis est indoctus, insipiens, infans, fidenter veniat. Hos enim Deo suo dignos verbis istis confessi aperte declarant, solos stolidos & ignobiles & sensu carentes, mancipia, mulierculas, puerulos inducere se velle ac posse.*

§. XIII.

Quibus nominibus ignominiosis hæretici Christianos Orthodoxos onerauerint.

Non Gentiles modo, sed vt plurimum etiam peruersæ quædam inter ipsos Christianos sectæ ignominiosa eis dedere nomina. *Nouatiani* sectatores vocarunt eos *Cornelianos*, [o] quod sacrum eucharistiæ sacramentum a *Cornelio* Episcopo *Romano* libentius, quam a *Nouatiano*, illius aduersario, sumerent. Nominarunt etiam ipsos *Apostatas*, *Capitolinos*, *Synedrianos*, eo

[l] Orig. contra Celf. Lib. III. p. 144 Ὁρῶμεν δὲ κατὰ τὰς ἰδίας οἰκίας ἐριουργὺς καὶ σκυτοτόμους καὶ κναφεῖς καὶ τὺς ἀπαιδεύτυς τε καὶ ἀγροικοτάτυς, ἐναντίον μὲν τῶν πρεσβυτέρων καὶ φρονιμωτέρων δεσποτῶν ὐδὲν φθέγγεσθαι τολμῶντας. Ἐπειδὰν δὲ τῶν παίδων ἰδίᾳ λάβωνται καὶ γυναίων τινῶν σὺν αὐτοῖς ἀνοήτων θαυμάσια διεξιόντας.

[m] ibid. p. 137. Τοιαῦτα ὑπ' αὐτῶν προστάσσεσθαι· μηδεὶς προσίτω πεπαιδευμένος, μηδεὶς σοφὸς, μηδεὶς φρόνιμος (κακὰ γὰρ ταῦτα νομίζεται παρ' ἡμῖν· ἀλλ' εἴ τις ἀμαθὴς, εἴ τις ἀνόητος, εἴ τις νήπιος, θαῤῥῶν ἱκέτω. Τύτυς γὰρ ἀξίυς τῦ σφετέρυ Θεῦ αὐτόθεν ὁμολογῦντες, δῆλοί εἰσιν, ὅτι μόνυς τὺς ἠλιθίυς καὶ ἀγενεῖς καὶ ἀναισθήτυς καὶ ἀνδράποδα, καὶ γύναια καὶ παιδάρια, πείθειν ἐθέλυσί τε καὶ δύνανται

[o] Eulog. ap. Photium Cod. CCLXXX. pag. 1622. (Edit. Rothomag.) Καθαρὺς μὲν τὺς, ὅσοι αὐτῷ ἐπλήρυν τὸ κατὰ τῆς ἐκκλησίας ὀνομάσας σύνταγμα. Κορνηλιανὺς δὲ τὺς τὴν αὐτῦ βδελυξαμένυς φιλαρχίαν, καὶ κατὰ τῶν μετανοούντων ἀπόνοιαν. Puros nominauit eos (*Nouatus*,) qui secum agmen contra Ecclesiam facerent: *Cornelianos* vero, qui eius ambitionem & dementiam contra pœnitentes detestarentur.

quod [p] lapſos & eos, qui in *Capitolium Romanum* ſacrificatum iuerant, ſi ſincere reſipiſcerent, in communionem ſuam recipiendos eſſe in ſynodis ſuis chriſtiana ducti caritate decreuerant. *Neſtoriani* [q] Orthodoxos *Cyrillianos*, *Ariani* [r] autem *Euſtathianos* & *Paulinianos* ab *Euſtathio* & *Paulino* Epiſcopis *Antiochenis* nominabant; item *Homouſianos*, quod vocabulum ὁμοούσιος adhibebant, quo Filius Dei eiusdem cum Patre eſſentiæ eſſe declarabatur. *Operis Imperfecti in S. Matthæum* Auctor ſub nomine CHRYSOSTOMI [s] expreſſis verbis eos vocat *hæreſin Homouſianorum.* Et SERAPION *in Conflictu* cum ARNOBIO [t] ſimiliter eos appellat *Homouſianates*, quod in exemplari typis excuſo corrupte legitur *Homuntionates*, quod nomen *Neſtorianis* datum fuit.

§. XIV.

Chriſtiani vocati Pſychici *a* Montaniſtis.

Cataphrygiani ſiue *Montaniſtæ* orthodoxos vocarunt ψυχικούς, *Carnales*; propterea quod prophetias & ſic creditas inſpirationes *Montani* reiicerent, & rigidam eius legem de ieiuniis admittere recuſarent, nec a ſecundis nuptiis ſe abſtinere, nec ieiunium quadrageſimale quotannis obſeruare vellent &c. Ita TERTVLLIANVS eos frequenter ſalutat in libris, [u] quos ſcripſit poſtea, quam in errorem *Montani* prolapſus fuerat. Sectatores ſuos *ſpirituales*, orthodoxos autem *carnales* nuncupat. Non-

[p] Pacian. Ep. II. ad Sympronian.

[q] Epiſt. Legat. Schiſmat. ad ſuos in Epheſo in Act. Concil. Epheſ. Con. Tom. III. p. 746.

[r] Sozom. Lib. VI. c. XXI. Πλειόνων μὴν ὄντων τῶν τὰ Ἀρείου φρονούντων, καὶ τὰς ἐκκλησίας ἐχόντων· οὐκ ὀλίγων δὲ ὄντων καὶ τῶν ἀπὸ τῆς καθόλου ἐκκλησίας, οὓς Εὐσταθιανοὺς καὶ Παυλινοὺς ὠνόμαζον. Quum *Ariani* numero quidem plures eſſent, & eccleſias obtinerent: Catholici tamen haud quaquam pauci eſſent, quos *Euſtathianos* & *Paulinianos* vocabant.

[s] Opus imperf. Hom. XLVIII. apud Chryſoſtom. Tom. II. in Nov. Teſt. p. 131. *Hæreſis Homouſianorum* non ſolum Chriſti Eccleſiæ aduerſatur, ſed omnibus hæreſibus non ſimiliter ſapientibus.

(t) Conflictus Arnob. & Serap. ad calcem Irenæi p. 519. *Serapion* dixit: Antequam ad hoc veniamus, quod vos *Homuntionates* arguamur &c.

(u) Tertull. adu. Prax. c. I. Nos quidem agnitio Paracleti disiunxit a *Pſychicis*. Id. de Monogam. c. I. Hæretici nuptias auferunt, *Pſychici* ingerunt. Vid. etiam c. XI. & XVI.

nullos [w] libros suos dedita opera inscripsit *Aduersus Psychicos.* CLEMENS ALEXANDRINVS [x] idem conuicium ab aliis etiam hæreticis, præter *Montanistas*, vsurpatum fuisse obseruat. Et ex IRENAEO, hanc vetustam *Valentinianorum* calumniam fuisse intelligimus, qui sese *Spirituales* & *Perfectos*, orthodoxos vero *Sæculares* & *Carnales* [y] appellitabant, quibus abstinentia & bonis operibus opus esset, quæ *Perfectis* non essent necessaria.

§. XV.

Allegoristæ *a* Chiliastis.

Chiliastæ Allegoristas eos nominabant, quia vaticinium de regno millenario Sanctorum cum Christo Apoc. XX, 4. mystico & allegorico sensu interpretabantur. Vnde EVSEBIVS (z) de *Nepote* Episcopo *Aegyptiaco*, qui librum pro defendendo isto regno millenario edidit, perhibet, inscripsisse eum librum Ἔλεγχον Ἀλληγοριστῶν, *Confutationem Allegoristarum.*

§. XVI.

Chronitæ *ab* Aëtianis; Simplices *a* Manichæis; Anthropolatræ *ab* Appollinaristis.

Aëtius Arii sectator contumelioso nomine eos Χρονίτας appel-

(w) De Ieiuniis aduersus *Psychicos.* De pudicitia &c.

(x) Clem. Alex. Strom. Lib. IV. p. 511 (604. Edit. Oxon.) Μὴ τοίνυν ψυχικοὺς ἐν ὀνείδους μέρει λεγόντων ὑμᾶς οἱ προειρημένοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Φρύγες. Ne ergo probri loco nos *animales* (psychicos) dicant, aut prius memorati homines, aut etiam Phryges.

(y) Iren. Lib. I. c. XI. p. 29 (Edit. Oxon.) Ἐπαιδεύθησαν τὰ ψυχικὰ οἱ ψυχικοὶ ἄνθρωποι, οἱ δι' ἔργων καὶ πίστεως ψιλῆς βεβαιούμενοι, καὶ μὴ τὴν τελείαν γνῶσιν ἔχοντες· εἶναι δὲ τούτους ἀπὸ τῆς Ἐκκλησίας ἡμᾶς λέγουσι· διὸ καὶ ἡμῖν μὲν ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ἀγαθὴν πρᾶξιν ἀποφαίνονται· ἄλλως γὰρ ἀδύνατον σωθῆναι· αὐτοὺς δὲ μὴ διὰ πράξεως, ἀλλὰ διὰ τὸ φύσει πνευματικοὺς εἶναι, πάντῃ τε καὶ πάντως σωθήσεσθαι δογματίζουσιν. Erudiuntur psychica (i. e. animalia) *Psychici* (i. e. animales) homines, qui per operationem & fidem nudam firmantur, & non perfectam agnitionem habent. Esse autem hos nos, qui sumus ab Ecclesia, dicunt. Quapropter & nobis quidem necessariam esse bonam conuersationem respondent: aliter enim impossibile esse saluari; semetipsos autem non per operationem, sed eo quod sint naturaliter *spirituales*, omnimodo saluari dicunt.

(z) Euseb. Lib. VII. c. XXIV. Ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν λόγον τινὰ περὶ τούτου συντάξας ἐπέγραψε. Librum, quem de hac quæstione composuerat, confutationem *Allegoristarum* inscripsit.

appellat; quo ipſo ſignificare velle videtur, eorum religionem temporariam eſſe & breui finem habituram; quum tamen hic character ipſis *Arianis* potiore iure poſſet applicari, quorum quippe opinio nuperrime in mundo exorta fuerat; quemadmodum Auctor dialogi *de Trinitate*, nomine ATHANASII, qui *Aëtium* (*a*) confutat, merito eis hoc demonſtrat.

Manichæi vt ſibi ipſis glorioſa nomina *Electorum*, *Macariorum*, *Catharistarum* dederunt, quorum meminit AVGVSTINVS; (*b*) ita Catholicos contemtim vocarunt *Simplices*; qua voce ipſe *Manichæus* in diſputatione (*c*) contra *Archelaum* epiſcopum *Meſopotamiæ* vtitur, Chriſtianos doctores appellans *Simpliciorum magiſtros*, ideo, quod execrabilem eorum doctrinam de duplici principio, bono & malo, approbare recuſarent.

Apollinariſtæ non minori Catholicos iniuria adfecerunt, odioſo eos nomine appellando *Anthropolatras*; quod Chriſtum verum hominem eſſe, & animam rationalem ac corpus eiusdem nobiscum naturæ habere propugnabant; id quod *Apollinarius* negabat. GREGORIVS NAZIANZENVS (*d*) huius conuitii facit mentionem, & acriter ad illud reſpondet, demonſtrando *Apollinariſtis*, multo eos magis nomen *Sarcolatrarum* mereri: namſi Chriſtus animam humanam non habeat, eos ſolam eius carnem adorare exiſtimandos eſſe.

(*a*) Athan Dial II. de Trinit Tom. II p. 495. (193 edit. Pariſ.) *Τίνας δὲ λέγεις Χρονίτας; τὲς ἀπὸ τῶν ἁγίων ἀποςόλων μέχρι καὶ σήμερον αἰνȣ̃ντας πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα; ἢ τὲς ἀπὸ σȣ̃ τὲς χθὲς καὶ σήμερον φανέντας κ. τ. λ.* Quosnam vocas *Chronitas*? Eos, qui iam inde a ſanctis Apoſtolis vſque ad hodiernum diem collaudant & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum? An tuos, qui ab vno & altero die apparuerunt? &c.

(*b*) Aug. de Hæreſ. c. XLVI. His duabus profeſſionibus, hoc eſt *electorum* & auditorum, eccleſiam ſuam conſtare voluerunt. - - quorum nunc nomine Viator, eos qui iſta faciunt, *Catharistas*, id eſt mundatores, vel purgatores vocari dicens, cum alius eiusdem Manichææ ſectæ partes in *Macarios* & ſpecialiter *Manichæos* diſtribui perhibent, cætera.

(*c*) Archel. Diſp. adu. Manichæos ad calcem Sozomen. Edit. Val p. 197. b. Vt ne indiſcretos animos geras, ſicut *ſimpliciorum* magiſtri docent, &c.

(*d*) Gregor. Naz Orat LI. Tom. I p. 742. (edit. Par.) *Σὺ μὲν διὰ τȣ̃το ἀτιμάζεις, ὦ βέλτιςε, τὸν ἐμὸν νȣ̃ν, ὡς σαρκολάτρης, εἴπερ ἀνθρωπολάτρης ἐγὼ, κ. τ. λ.* Tu quidem, optime vir, tamquam *Sarcolatra*, (ſiquidem ego *Anthropolatra* ſum) &c.

§. XVII.

Philosarcæ *&* Pilosiotæ &c. *ab* Origenistis.

Origenistæ, qui negata resurrectionis veritate homines in futuro sæculo aëreum tantum & spirituale corpus habituros esse adserebant, Catholicis illudebant, quod contrariam tuerentur sententiam, docentes, corpora nostra ea ipsa corpora & eiusdem naturæ, vt nunc quidem sunt, fore, iisdem carnibus & ossibus, omnibusque membris eiusdem formæ & structuræ ornatum & secundum solas qualitates, non substantiam, mutatum iri. Idcirco contumeliose eos appellabant *Simplices* & *Philosarcas*, (*e*) *Carneos*, *Animales*, *Iumenta*, *Luteos*, *Pilosiotas*; (*f*) quod editio ERASMI corrupte *Pelusiotas* habet; quod nomen a vocabulo *Pili* formatum videtur; quia Catholici corpus integrum cum omnibus partibus suis, & ipsis adeo pilis, ad decorandum illud & exornandum resurrecturum esse, statuebant.

(*Obseruatio recentior Auctoris de vocabulo Pilosiotæ, quam libro iam excuso ab* HIERONYMO *suppeditatam conspectui materiarum adiecit, & nos hoc loco inserendam duximus.*)

Nomen *Pilosiotæ*, quo tamquam conuitio Catholicos ab *Origenistis* appellatos fuisse dixi, potius *Pelusiotæ* legi debebat, a πηλὸς, *Lutum*; quo sensu homines *terrestres*, *sensuales*, *carnaliter animatos* significat; quæ ipsa nomina erant, quibus *Origenistæ* Orthodoxos criminabantur, quod de corporibus spiritualibus & cælestibus non eadem cum ipsis sentirent. HIERONYMVS (*) expressis verbis ita hoc interpretatur loco quodam, qui nuperrime mihi occurrit, vbi græca voce πηλουσιώτας vtitur, quæ sententiam eius aliis in locis nobis explicat, & rem extra omnem ponit controuersiam; ita quidem, vt, etiamsi BARONIVS e quibusdam exemplaribus legat *Pilosiotæ*, vera tamen lectio sit *Pelusiotæ*, quemadmodum locus modo adductus euincit.

(*e*) Hieron. Epist. LXI. ad Pammach. Tom. II. p. 171. Nos simplices & *Philosarcas* dicere, quod eadem Ossa & Sanguis & Caro, id est, Vultus & Membra totiusque compago corporis resurgat in nouissima die.

(*) Hieron. Comment. in Ier. XXIX. p. 407. (Tom. V. Edit. Franc. p. 280.) Quæ quum audiunt discipuli eius (*Origenis*) & Grunnianæ Familiæ stercora, putant se diuina audire mysteria: Nosque, quod ista contemnimus, quasi pro brutis habent animantibus, & vocant Πηλουσιώτας, eo quod in luto istius corporis constituti non possimus sentire cælestia.

§.XVIII.

§. XVIII.

Synagoga Antichristi *&* Satanæ *a* Luciferianis.

Verum enim vero præ aliis omnibus *Luciferiani* Ecclesiæ durissimum nomen tribuerunt, vocando eam *Lupanar & Synagogam Antichristi* ac *Satanæ*; eo quod Episcopos, qui ad subscribendum fraudulentæ confessioni *Ariminensi* ab *Arianis* inducti fuerant, honores & officia retinere paterentur. *Luciferianus* ille apud HIERONYMVM hoc modo in Ecclesiam inuehitur, & HIERONYMVS eum non nisi ex totius sectæ sensu loqui adfirmat, quod hic communis reliquorum omnium stilus (*g*) esset & modus loquendi.

Habes nonnulla ignominiosa nomina, quibus hæretici vna cum *Iudæis* & infidelibus ecclesiam christianam proscindere conati sunt; quorum ego non fecissem mentionem, nisi antiquitati aliquid lucis subministratura esse, adeoque in huiusmodi tractatione penitus præteriri haud oportere, credidissem.

LIBRI PRIMI
CAPVT TERTIVM
DE DIVERSIS HOMINVM IN ECCLESIA ORDINIBVS.

§. I.

Tres hominum Ordines in ecclesia Christiana, Ἡγȣ́μενοι, Πιςοὶ & Καʇηχȣ́μενοι

DE diuersis Christianorum appellationibus hactenus loquuti ad differendum de personis & diuersis hominum Ordinibus in Ecclesia iam progredimur. Quidam in tres, in quatuor alii, alii in quinque ordines eos dispescunt; quod tamen fere eodem recidit, si sibi inuicem comparentur. EVSEBIVS tres duntaxat ordines numerat, nimirum Ἡγȣμένȣς, Πιςȣ̀ς, & Κατηχȣμένȣς, *Præfectos*, *Fideles* & *Catechumenos*. *Tres*, (*h*) inquit, *per singulas*

(*g*) Hieron. Dial. adu. Lucifer. Tom. I. p. 135. Adserebat, vniuersum mundum esse Diaboli: Et, vt iam familiare est eis dicere, factum de Ecclesia Lupanar. - - Quod *Antichristi* magis *Synagoga*, quam Ecclesia Christi debeat nuncupar.

(*h*) Euseb. Demonstr. Euangel. Lib. VII. c. II. p. 323. Τρία καθ' ἑκάςην ἐκκλησίαν τάγματα, ἓν μὲν τὸ τῶν ἡγȣμένων, δύο δὲ τὰ τῶν ὑποβεβηκότων, τȣ̃ τῆς Ἐκκλησίας

gulas Ecclesias ordines. vnus eorum, qui præsunt, duo eorum qui subiecti sunt; quum ecclesiæ Christi populus in duos ordines sit diuisus, in eorum, qui credunt, & eorum, qui nondum ad lauacri regenerationem adsumti sunt. HIERONYMVS (*i*) quinque ponit ordines; tum autem Clerum in tres distribuit ordines, vt numerum conficiat; & ita eos recenset: Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles & Catechumenos. Qua in recensione ORIGENEM sequitur, qui (*k*) quinque gradus sibi subordinatos in Ecclesia statuit, quando ait: *Pro modo graduum vnusquisque torquebitur. Maiorem poenam habet, qui Ecclesiæ præsidet & delinquit. Annon magis misericordiam promeretur ad comparationem Fidelis Catechumenus? Non magis venia dignus est Laicus, si ad Diaconum conferatur? Et rursus comparatione Presbyteri Diaconus veniam plus meretur.*

§. II.

Fideles heic stricte sumti pro baptizatis Laicis.

In hac recensione omni quatuor in primis notari merentur. I) quod nomen Πιστοὶ seu *Fideles* heic sensu strictiore accipiatur pro vno tantum ordine Christianorum, nimirum pro Fdelibus seu Laicis baptizatis, in contradistinctione Clericorum & Catechumenorum, qui duos alios hominum ordines in Ecclesia constituunt. Et hoc sensu vocabulum vtrumque Πιστοὶ & *Fideles* in antiquis Liturgiis (*l*) & Canonibus plerumque sumitur,

τῦ Χριςῦ εἰς δύο τάγματα ἐμερισμένυ, εἴς τε τὸ μὲν πιςῶν καὶ τῶν μὲν μηδέπω τῆς διὰ λύτρυ παλιγγενεσίας ἠξιωμένων.

(*i*) Hieron in Ies. XIX. p 64. (Tom. V. p. 56 Edit. Fr) Quinque Ecclesiæ ordines, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos.

(*k*) Origen. Hom. V. in Ezech.

(*l*) Concil. Nic. Can XI. Tom II. Conc. p. 33. *Ὅσοι γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσυσιν οἱ πιςοὶ καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσῦνται.* Quicumque veraciter pœnitudinem gerant, tribus annis *fideles* inter audientes habeantur, & septem annis omni se contritione deiiciant.

Concil. Illiberritan. Can XII. Tom. I. Conc. p. 972. Mater, vel parens, vel quælibet *fidelis*, si lenocinium exercuerit &c. Can. XLVI. Si quis *fidelis* apostata, per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit. Can L. Si vero quis clericus vel *fidelis* cum Iudæis cibum sumserit

Constitut. Apost. Lib VIII. c. XXXIV. *Πιςὸς μετὰ κατηχυμένυ μήτε κατ' οἶκον προσευχέσθω* *Fidelis* ne in domo quidem precetur cum catechumeno.

Cyrill. Hierosol. Præf. Catech. n. II. (p. 2 ed. Oxon.) *Ἄφες, ἴδωμεν τί ποιῦσιν οἱ πιςοί* Sine, videamus, quid agant *Fideles.*

mitur, ad eos, qui baptizati erant & ad participandum ſancta myſteria admittebantur, a Catechumenis diſtinguendum. Vnde nata eſt vetus iſta cultus eccleſiaſtici diſtinctio in *Miſſam Catechumenorum* & *Miſſam* (m) *Fidelium*, qua de re plura ſuo loco dicentur.

§. III.

Catechumeni, vt imperfecta membra Eccleſiæ, admiſſi.

II) Hinc obſeruari licet, Catechumenos etſi imperfecti tantum chriſtiani reputarentur, aliquo tamen modo in gremium Eccleſiæ fuiſſe admiſſos. Siquidem EVSEBIVS, ORIGENES & HIERONYMVS eos inter tres Eccleſiæ Ordines referunt. Et Synodus *Illiberritana* (n) & *Conſtantinopolitana* (o) Chriſtianos eos expreſſe vocat. Quamquam, vt AVGVSTINVS (p) loquitur, nondum filii erant, ſed ſerui: ad domum quidem Dei pertinebant, ſed ad vniuerſa eius priuilegia non admittebantur; cum latiore tantum, non ſtrictiore, ſenſu eſſent Chriſtiani.

§. IV.

Hæretici Chriſtianis non adnumerati.

Verumtamen hoc amplius quid eſt, quam vt de hæreticis proprie ſic vocatis dici poſſit. Nam III) obſeruandum eſt, quod ſecundum diſtinctionem ante memoratam in Chriſtianorum numero haud habeantur. Neque enim pro Catechumenis, neque pro Fidelibus, ſed pro meris *Iudæis* vel paganis reputabantur; quum veram fidem nec haberent, nec de ea ac-

[m] Conc. Carthagin. IV. Can. LXXXIIII. Tom. II. Conc. p. 1206 Vt Epiſcopus nullum prohibeat ingredi eccleſiam, & audire verbum Dei, ſiue gentilem, ſiue hæreticum, ſiue Iudæum, vſque ad *Miſſam Catechumenorum*.
Concil. Valent. Hiſpan. Tom. IIII. Conc. p. 1617. Cap. I. Quatenus ſalutaria præcepta D. N. I. C. vel ſermonem ſacerdotis non ſolum *fideles* ſed etiam Catechumeni ac poenitentes & omnes qui ex diuerſo ſunt, audire licitum habeant.

[n] Conc. Illiberrit. Can XXXIX. Gentiles ſi in infirmitate deſiderauerint ſibi manus imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte, hoc eſt a vita, placuit eis manus imponi & fieri *Chriſtianos*.

[o] Concil. Conſtant. I. Can. VII. Tom. II. Conc. p 951 Κατὰ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς Χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους· εἶτα τὴν τρίτην ἐξορκίζομεν αὐτοὺς, κ τ λ. Primo quidem die ipſos *Chriſtianos* facimus; ſecundo Catechumenos; deinde tertio exorcizamus eos &c.

[p] Auguſt. Tract. XI. in Ioh. Tom. IX. p. 41. Quod ſignum crucis in fronte habent Catechumeni, iam de domo magna ſunt, ſed fiant ex ſeruis Filii. Non enim nihil ſunt, quia ad magnam domum pertinent.

quirenda solliciti essent. TERTVLLIANVS (*q*) generatim de iis pronuntiat: *Si haeretici sunt, christiani esse non possunt.* Et HIERONYMVS (*r*) cum *Luciferiano* quodam disputans idem illud expressis verbis testatur, *Haeretici*, inquiens, *christiani non sunt.* Et post paullo: *Igitur praefixum inter nos habemus, de haeretico sic loquendum, sicut de gentili.* LACTANTIVS (*s*) in primis *Montanistas*, *Nouatianos*, *Valentinianos*, *Marcionitas*, *Anthropianos* & *Arianos* designat, dicitque, non esse eos Christianos, *qui nomine Christi repudiato aliis denominationibus vtantur.* ATHANASIVS (*t*) & HILARIVS (*u*) idem de *Arianis* dicunt, non esse eos Christianos. Quam ob caussam CONSTANTINVS (*w*) lege quadam eos non Christianos, sed *Porphyrianos* appellari iussit; a *Porphirio*, infami illo gentili, cuius exemplum in maledicendo & conuitiando Christo & religione christiana tam egregie sequebantur. CONSTANTINVM imitatus THEODOSIVS (*x*) Iunior, aliam eiusdem argumenti legem contra *Nestorium* eiusque sectatores tulit; vt ne Christianorum appellatione abuterentur, sed *Simoniani* a *Simone Mago* haeresiarcha illo vocarentur. Cui addi poterit Concilii vniuersalis *Sardicensis* decretum in epistola (*y*) Synodali

---

[*q*] Tertull. de Praescript. c. XXXVII.

[*r*] Hieron. Dial. c. Lucifer. Tom II p. 135.

[*s*] Lactant Instit. Lib. IV c XXX.

[*t*] Athan. Orat. II. adu. Arianos. Tom. I. Part. I. p. 415. Edit. Paris. Ἀρειανοὶ ὄντες οὐκ εἰσὶ Χριστιανοί

[*u*] Hilar. ad Const. Lib. I. p. 98 *Christianus* sum, non *Arianus.*

[*w*] Constant. Iun. Ep. ad Episc. ap. Socrat. Lib I. c IX Ἔδοξεν Ἄρειόν τε καὶ τοὺς Ἀρείου ὁμογνώμονας Πορφυριανοὺς μὲν καλεῖσθαι; ἵν' ὧν τοὺς τρόπους μεμίμηνται, τούτων ἔχωσι καὶ τὴν προσηγορίαν. Placuit, *Arium* sectatoresque eius *Porphyrianos* vocari, vt cuius imitati sunt mores, eius etiam vocabulo appellentur.

(*x*) Cod. Theod Lib. XVI. Tit. V de Haeret. c. LXVI. (Tom. VI. p. 190. edit Lugd.) Damnato portentosae superstitionis auctore *Nestorio*, nota congrui nominis eius inuratur gregalibus, ne Christianorum appellatione abutantur: Sed quemadmodum *Ariani* Lege diuinae memoriae *Constantini* ob similitudinem impietatis *Porphyriani* a *Porphyrio* nuncupantur; sic vtique participes nefariae sectae *Nestorii Simoniani* vocentur. Vid. illud ipsum etiam in Actis Concil. gen. Ephes. Part. III. c. XLV. Tom. III Conc. p. 1209.

(*y*) Concil Sardic. Ep Synod. apud Theod. Lib. II. c. VI. p. 594 edit. Paris. CIƆIƆCXLII. Τοὺς δὲ εἰς τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν ἐπελθόντας δίκην λύκων, Γρηγόριον τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Βασίλειον τὸν ἐν Ἀγκύρᾳ, καὶ Κυντιανὸν τὸν ἐν Γάζῃ τούτους μηδὲ ἐπισκόπους ὀνομάζειν μηδὲ Χριστιανοὺς κ. τ. λ. Illos qui luporum instar harum ecclesias inuaserunt; *Gregorium Alexandriae*; *Basilium Ancyrae*, & *Quintianum Gazae* nec *Episcopos nominet* quisquam nec *Christianos.*

contra

contra *Arianos*, qua ab omnibus Catholicis expetunt, vt episcopis *Arianis*, non Episcoporum tantum, sed Christianorum etiam nomen dare detrectent. Vnde luculenter apparet, veteres manifestum fecisse discrimen inter eos, qui a fide Christiana desciuerant, & eos, qui nondum solemnem fidei suæ confessionem in baptismo ediderant. Catechumenis nomen Christianorum concedebant, quod cæli essent candidati; hæreticos autem hoc nomine indignos iudicabant, quod communem Christianorum fidem corrumperent, Dominumque abnegarent, cuius a nomine appellati fuerant.

§. V.

Poenitentes & Energumeni in eadem cum Catechumenis classe locati.

Denique IV.) obseruari licebit, non fuisse Christianos, nisi qui in vnum vel alterum ex tribus ante dictis Ordinibus referri potuerint. Quod enim ad Poenitentes, & *Energumenos*, quemadmodum obsessi a malo Spiritu vocabantur, attinet, illos Catechumenis adnumerare licuerit; quippe qui communiter eodem modo ab Ecclesia tractabantur, & in eadem cum ipsis classe locabantur; Monachi vero & alii Ascetæ ad communem Fidelium coetum referri possunt, quamuis plebi in Ecclesia quodam modo præstarent. Verum hos omnes, prout in eo ordine & numero occurrunt, exacte enarrare animus non est; sed de singulis suo loco speciatim agam; heic tantummodo de Fidelibus generatim, quoad a Catechumenis & Clericis in Ecclesia fuerunt distincti, de reliquis autem, occasione ita ferente, in subsequentibus loquuturus.

LIBRI PRIMI CAPVT QVARTVM.

SPECIALIOR DISQVISITIO DE πιςοῖς SEV FIDELIBVS; NEC NON DE TITVLIS HONORIFICIS ET PRIVILEGIIS IPSORVM PRAE CATECHVMENIS.

§. I.

Fideles alias vocati Φωτιζόμενοι, illuminati.

Πιστοὶ seu *Fideles*, vtpote baptizati & hoc ipso integri ac perfecti Christiani facti, hoc nomine diuersis honorum titulis & priuilegiis præ Catechumenis gaudebant. Hinc vocabantur Φωτιζόμενοι, *Illuminati*. Ita concilium *Laodicenum* (z) recens baptizatos πρόσφατον φωτισθέντας, *nuper illuminatos* nuncupat. Et IBID [*a*] apud PHOTIVM dicuntur οἱ Φωτιζόμενοι. Sic ipse PAVLVS ex plerorumque [*b*] interpretum sententia in epistola ad *Hebræos* bis hac voce Φωτισθέντες pro baptizatis vtitur. Rationem huius appellationis adfert IVSTINVS MARTYR, [*c*] dicens, eos ita vocatos esse, quod eorum mentes cognitione per baptismum illuminentur. Omnia enim religionis mysteria, Catechumenis occlusa, baptizatis retegebantur: Non nunquam baptismum extraordinaria etiam Spiritus Sancti comitabatur illuminatio, quemadmodum de iis, quos *Paulus Ephesi* baptizari iussit, constat. Act. XIX, 6. *Loquebantur linguis* & *prophetabant*.

§. II.

Et οἱ μεμυημένοι, Initiati.

Hinc etiam dicebantur οἱ μεμυημένοι, latine *Initiati*, hoc est, qui ad sacri cultus officia & ad cognitionem sacrorum mysteriorum religionis christianæ admittebantur. Inde orta est ista loquendi formula, quam CHRYSOSTOMVS & alii veteres scriptores

(z) Concil Laodic. Can. III. Tom. I. Conc. p. 1495. 1496. Περὶ τοῦ μὴ δεῖν πρόσφατον φωτισθέντας προσάγεσθαι ἐν τάγματι ἱερατικῷ. Non oportere eos, qui sunt *recens illuminati*, in ordinem sacerdotalem promoueri.

(*a*) Phot. Cod. CCXXII. p. 595. Οἱ φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροφοροῦσιν. *Illuminati* Catechumeni septem diebus candidati incedunt. Conf. ibid. pag 598. circa med.

(*b*) Grotius ad Hebr. VI, 4. Verum quidem est, baptismum apud veteres nomen habuisse φωτισμοῦ, *illuminationis*. cætera.
Estius ad h. l. *Illuminatos* sine dubio vocant baptizatos; - - - Vocabatur baptismus antiquis Ecclesiæ temporibus sacramentum *illuminationis*, seu, vt Græci loquuntur, *illuminationum*, φωτισμάτων, &c.

(*c*) Iustin. Mart. Apol. II. p. 94. Καλεῖται τοῦτο τὸ λουτρὸν φωτισμὸς, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων. Vocatur lauacrum hoc *illuminatio*; quod eorum, qui hoc discunt, mentes *illuminentur*.

ptores [d] adeo frequenter vſurpant, quando de quibusdam doctrinis ſeu myſteriis, quæ Catechumeni non intelligebant, loquentes dicebant, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι, *Initiati intelligunt, quæ diximus.* AMBROSIVS librum de his *Initiatis* [e] ſcripſit. ISIDORVS [f] PELVSIOTA & HESYCHIVS [g] μυστὰς eos nuncupant, & alii μυσταγωγήτας: vnde Catechumeni e contrario ἄμυστοι, ἀμύητοι, ἀμυσταγώγητοι, *Non-initiati, Non-baptizati* dicti ſunt.

§. III.

Et τέλειοι, *Perfecti.*

Fideles etiam appellati ſunt τέλειοι & τελειούμενοι, *Perfecti*, quod eſſent Chriſtiani conſummati, habentes ius ſacram participandi eucharistiam; τὸ τέλειον, vti in vetuſtorum conciliorum canonibus [h] crebro vocatur; vbi ἐπὶ τὸ τέλειον ἐλθεῖν & τοῦ τελείου μετέχειν ſemper ſignificat, ſacra euchariſtia vti, ſancto illo myſterio, quod nos cum Chriſto vnit, & abſolutiſſimam nobis perfectionem, cuius in hoc mundo participes fieri poſſumus, impertit.

§. IV.

Cari DEI, Filii DEI, ἅγιοι, &c.

TERTVLLIANVS his nominibus nomen *Carorum DEI* ſubiungit; quia preces eorum & deprecationes, quas ad Deum facerent, validæ eſſent ad veniam peccatorum pro aliis obtinendam. Idcirco Pœnitentes in monitis ſuis, quibus eos inſtruit, *CARIS DEI adgeniculari, & omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere* iubet. TERTVLL. *de Pœnit.* Cap. IX. p. 127.

(d) Caſaubon. Exercit. XVI. in Baron. p. 399. hanc phraſin vel quinquagies in *Chryſoſtomo* & *Auguſtino* occurrere obſeruat.

[e] Ambroſ. De his, qui *initiantur* myſteriis.

[f] Iſidor. Lib. IV. Ep. CLXII. Ἴσασιν οἱ μύσται τὸ λεγόμενον. Norunt, quod dicitur illi, qui ſacris *initiati* ſunt.

[g] Heſych. voce Μύσται.

[h] Conc. Ancyran. Can. IV Tom. I. Conc. p. 1457. Ἔδοξεν ἐνιαυτὸν ἀκροᾶσθαι, ὑποπεσεῖν δὲ τρία ἔτη, εὐχῆς δὲ μόνης κοινωνῆσαι ἔτη δύο καὶ τότε ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον. Viſum eſt anno audire, tribus autem annis ſubſterni ac ſupplices eſſe, ſoli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad *id, quod eſt perfectum, accedere.*

Ibid. Can. V. Ἵνα τὸ τέλειον τῇ τετραετείᾳ (τριετίᾳ) λάβωσι, vt id, quod *perfectum* eſt, triennio accipiant. Conf. ibid. Can. VI.

Hæc vniuerſa nomina (& plura alia, quando videlicet vocabantur *Sancti*, *Filii Dei*, &c. quæ heic nihil attinet enarrare, quum ſint lectori cuiuis ſatis obuia) honoris & reuerentiæ erant tituli, quibus ſoli *πιστοὶ* ſeu *Fideles* ornabantur.

§. V.

Priuilegia Fidelium: I. *Participare ſacram euchariſtiam.*

Et hinc eſt, quod *Fideles* præ Catechumenis peculiaribus, quæ nominibus iſtis conueniebant, priuilegiis gauderent. *Prima* enim prærogatiua ipſis ſolis propria erat ad menſam DOMINI accedere, & inuicem corporis ac ſanguinis Chriſti ſymbola coram altari participare. Nemo huc veniebat, niſi prius per baptiſmum initiatus. Hinc moris erat, vt antequam ſacra euchariſtia celebraretur, Diaconus alta voce exclamaret: *Ἅγια ἁγίοις, Sancta ſanctis! ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, Recedite Catechumeni!* [*i*] quemadmodum Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum* & CHRYSOSTOMVS aliique id exprimunt.

§. VI.

II. Omnibus eccleſiæ precibus intereſſe.

Alia eorum prærogatiua præ Catechumenis erat, vt remanerent & cum Miniſtro omnibus Eccleſiæ precibus ſeſe adiungerent, id quod Catechumenis facere haud licebat. Antiquis enim temporibus preces in Eccleſia ante S. Euchariſtiæ celebrationem non fiebant, niſi eæ, quæ ſpeciatim vel ad varias Pœnitentium claſſes, vel ad *Energumenos*, h. e. a malo ſpiritu obſeſſos, vel ad ipſos Catechumenos erant accommodatæ. Finitis hiſce precibus Catechumeni & reliqui omnes diſcedere iubebantur, & tum demum ſacræ cœnæ coram altari diſtributio incipiebat; ad quam præter ſumentes illud euchariſticum epulum nemo, tamquam ſpectator, admittebatur.

(*i*) Conſtit. Apoſt. Lib. VIII. c. VIII *λεγέτω ὁ διάκονος· προέλθετε οἱ φωτιζόμενοι.* Cap. XII. *Μήτις κατηχουμένων· μήτις ἀκροωμένων· μήτις τῶν ἀπίστων.* Chryſoſtom Hom. in Parabol. de Filio prodig. Tom. VI. p. 314. (edit Francofurt.) *Ἔασόν με στῆναι μετὰ τῶν κατηχουμένων, τῶν θυρῶν τῆς ἐκκλησίας ἔνδον· ἵνα θεωρῶν τὰ ἐν αὐτῇ τελούμενα μυστήρια, ποθήσω κατὰ μικρὸν ταῦτα πάλιν ἀναλαβεῖν.* Sine me cum Catechumenis intra eccleſiæ fores conſiſtere, vt contemplans, quæ in ea perficiuntur myſteria, eorum ſenſim rurſus particeps fieri concupiſcam. Ibid. *Μή τις κατηχουμένων, μή τις τῶν μὴ ἐσθιόντων, κ. τ. λ.* Ne quis Catechumenus, ne quis eorum, qui non veſcuntur, &c.

Precibus enim interesse & ad sanctissimæ Eucharistiæ communionem admitti, vnorum eorumdemque hominum priuilegia erant; & qui idoneus haud erat, vt precibus Ecclesiæ sese iungeret, is nec dignus existimabatur, qui ad sacram synaxin admitteretur.

§. VII.

III. *Recitatio Orationis dominicæ alia Fidelium prærogatiua : vnde ea vocata est* εὐχὴ πιστῶν, *Oratio Fidelium.*

Cum primis autem vsus Orationis dominicæ propria solorum πιστῶν seu Fidelium prærogatiua erat. Neque enim tum res erat illicita, nec imbecillitatis argumentum, vel inopiæ Spiritus, si quis ea vteretur; sed maxime consummatorum & perfectorum Christianorum honos & priuilegium. Catechumenis non licebat dicere : *Pater noster*, vsque dum per aquam regenerationis filii Dei facti essent. Hoc verbis expressis testantur CHRYSOSTOMVS [k], AVGVSTINVS [l], THEODORETVS [m] & alii. Et hanc ob caussam CHRYSOSTOMO [n] ea oratio dicitur εὐχὴ πιστῶν; & AVGVSTINO [o] *Oratio fidelium*; quia ipsis instar priuilegii & iuris primogenituræ erat propria : *Ista Oratio dominica*, inquit [p] *magis fidelibus datur.* Et : [*] *Eorum* (Fidelium) *est dicere*

(k) Chrysostom. Hom. II. in 2 Cor. p. 740. (Tom. V. p. 516 edit. Francof) Οὐδέπω εὐχὴν ἔχουσι τὴν νενομισμένην καὶ εἰσενεχθεῖσαν ὑπὸ Χριστοῦ, οὐδέπω παῤῥησίαν κέκτηνται, ἀλλ' ἑτέρων δέονται τῶν μυσταγωγηθέντων. Nondum lege sancitam atque a Christo inuectam precationem habent, nondum liberius *orandi potestatem nacti* sunt, sed aliorum, qui mysteriis initiati sunt, ope indigent.

(l) Augustin. Hom. XXIX de verbo Apost. Interrogo te, *oratio ista* ex Deo est, *Fidelium* est, an Catechumenorum? Certe vtique regeneratorum est, id est baptizatorum, cætera.

(m) Theodoret. Epit. Div. Dogm. c. XXVIII. Tom. IV. p. 316. (citante Suicero p. 1284.) Ταύτην τὴν προσευχὴν οὐ τοὺς ἀμυήτους, ἀλλὰ τοὺς μυσταγωγουμένους διδάσκομεν. Οὐδεὶς γὰρ τῶν ἀμυήτων λέγειν τολμᾷ πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, κ. τ. λ. Hanc nos orationem non-initiatos non docemus, sed initiatos : nullus enim eorum, qui initiati non sunt, dicere audet : *Pater noster, qui es in cælis*, &c.

(n) Chrysost. Hom. X. in Coloss p. 1385. (Tom. VI. p. 234. edit. Francof.) Εἶτα ἐπιθεὶς τὴν εὐχὴν τῶν πιστῶν ἐνταῦθα ἐπαύσατο, ὡς κορωνίδα τινὰ καὶ σύνδεσμον ὑπὲρ πάντων τὴν εὐχὴν ποιησάμενος. Deinde adiecta *Fidelium Oratione*, veluti quadam coronide & pro omnibus colligatione, facta prece heic cessat.

(o) Aug. Enchirid c. LXXI. De quotidianis breuibus leuibusque peccatis - - - quotidiana *Oratio Fidelium* satisfacit.

(p) Aug. Comment. in Psalm. CXLII.

(*) Id. Enchir. ad Laurent. c. LXXI.

Pater

Pater noster, qui es in cælis; *qui iam Patre tali regenerati sunt, ex aqua & Spiritu Sancto.*

§. VIII.

IV. Ad audiendos sermones de profundissimis christianæ religionis mysteriis admittebantur.

Denique omnes omnino sermones in Ecclesia fieri solitos, eos ipsos etiam, in quibus abstrusissima capita & profundissima mysteria christianæ religionis tractabantur, audire poterant; a quibus audiendis Catechumeni studiose arcebantur. Lectioni scripturæ sacræ & communi ac populari eius explicationi adesse quidem Catechumenis permittebatur, sed id nihilo erat amplius, quam quod ex quorumdam Conciliorum [*q*] decretis *Iudæis* pariter licebat & *gentilibus*. In istis enim sermonibus numquam perspicue de mysteriis suis agebant, sed adeo tecte, vt Catechumeni capere haud possent. Dimissis autem Catechumenis apertius de mysteriis suis dicebant coram Fidelibus, quibus solis eiusmodi sermones audire competebat. Hoc ex AMBROSIO [*r*] constat, qui, *De moralibus*, inquit, *quotidianum sermonem habuimus, quum vel patriarcharum gesta, vel Prouerbiorum legerentur præcepta: vt his informati atque instituti adsuesceretis maiorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac diuinis obedire mandatis, quo renouati per baptismum eius vitæ vsum teneretis, quæ ablutos deceret. Nunc de mysteriis dicere admonet, atque ipsam sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur.* AVGVSTINVS idem illud dicit in Sermone quodam [*s*] ad Neophytos: *Dimissis iam Catechumenis, vos tantum ad audiendum retinuimus: quia præter illa, quæ omnes Christianos convenit in commune seruare, specialiter de cælestibus mysteriis loquuturi sumus, quæ audire non possunt, nisi qui ea donante iam Domino perceperunt. Tanto ergo maiore reuerentia debetis audire, quæ dicimus, quanto maiora ista sunt, quæ solis baptizatis & fidelibus auditoribus committuntur; quam illa, quæ*

(*q*) Concil. Carthag. IV. Can. LXXXIV. Tom. II. Conc. p. 1206. Vt Episcopus *nullum prohibeat ingredi ecclesiam* & audire verbum Dei, siue gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam Catechumenorum.

(*r*) Ambros. de his, qui mysteriis initiantur, Cap. I.

(*s*) August. Serm. I. ad Neophytos in Append. Tom. X. p. 845.

etiam

etiam Catechumeni audire consueuerunt. Theodoretvs (*t*) huius discriminis etiam meminit, quod in sermonibus suis pro auditorum diuersitate fecerunt; *Obscure*, inquiens, *propter non initiatos disserimus de diuinis mysteriis: his vero semotis, initiatos aperte docemus.* Ex quibus omnibus dispalescit, solos *fideles* tamquam idoneos sermonum de sublimibus doctrinis ac mysteriis religionis auditores fuisse selectos. Et in his similibusque priuilegiis eorum præ Catechumenis versabantur prærogatiuæ.

LIBRI PRIMI
CAPVT QVINTVM
DE DISTINCTIONE INTER LAICOS ET CLERICOS; ET DE HVIVS DISTINCTIONIS VETVSTATE.

§. I.

Fideles *alias vocati* Laici, ad *distinguendum eos a Clericis.*

HActenus *fideles*, qui magnum illud Ecclesiæ corpus constituunt, in oppositione Catechumenorum considerauimus; iam vero alia ratione eos spectabimus, quatenus nimirum a Clericis fuerunt distincti. Quo respectu aliis nominibus, *Laici*, *Βιωτικοὶ*, *Sæculares*, & ἰδιῶται, *homines priuati* appellabantur. Vsitatissimum ex istis nominibus erat *Laici*; quod vbique in origenis, cypriani & tertvlliani, aliorumque, qui sæculo tertio vixerunt, scriptis occurrit. Id quod adeo manifestum est & euidens, vt rigaltivs, [*u*] salmasivs & seldenvs, maximi huius distinctionis inimici, hoc ipsum in controuersiam aut disceptationem vocare non sustineant; sed tantum dicant, fuisse ab initio eiusmodi distinctionem in Ecclesia inauditam, & nouam plane esse atque ab ambitione Clericorum sæculi tertii, in quo cyprianvs & tertvllianvs vixere, profectam.

§. II.

Vetustas huius distinctionis aduersus Rigaltium, Salmasium *&* Seldenum *demonstrata.*

(*t*) Theodor. Quæst. XV. in Num. Ἀσήμως διὰ τοὺς ἀμυήτους περὶ τῶν θείων διαλεγόμεθα μυστηρίων· τούτων δὲ χωριζομένων, σαφῶς τοὺς μεμυημένους διδάσκομεν.

(*u*) Rigalt. Not. in Cypr. Ep. III.

Hæc incusatio potissimum ad CYPRIANVM & alios eius æui sanctos martyres spectat; qui tantum ab ambitione, cuius insimulantur, abfuerunt, quantum quidem accusationis istius auctores a veritate. Neque enim profecto hæc distinctio ab ipsis excogitata, sed ab Ecclesia *iudaica* deriuata & ab ipsis Apostolis in christianam adsumta est. CLEMENS ALEXANDRINVS [w] loquens de Ioanne Apostolo, dicit, *eum, quum post tyranni* (Domitiani) *obitum e Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatum visisse, partim quidem vt episcopos constitueret, partim vt integras ecclesias disponeret ac formaret, partim etiam vt vnumquemque eorum, quos Spiritus designaret, in clerum cooptaret.* Vnde patet, nomen κλῆρος, *Clerus* peculiarem semper fuisse titulum eorum, qui ad ministerium & cultum Dei fuerunt separati. Hanc distinctionem ab ecclesia iudaica originem suam ducere manifestum est ex iis, quæ de œconomia iudaica tradit CLEMENS ROMANVS: [x] *Summo sacerdoti*, inquiens, *sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius adsignatus est, & Leuitis sua ministeria incumbunt. Laicus præceptis laicis constringitur.*

…præf: Buddei p: 6.

Quod exemplum satis euidenter demonstrat, a iactis primis ecclesiæ christianæ fundamentis distinctionem inter nomina *Clericorum* & *Laicorum* semper fuisse obseruatam.

§. III.

Ad obiectionem e 1. Petr. V, 3. respondetur.

Sed vero hæc contra alicuius momenti obiectio e verbis S. Petri Apostoli formata adfertur; vbi Presbyteros precatur, vt ne dominentur cleris, μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων; quæ verba, (obseruantibus quibusdam doctis [y] criticis) tam bona ecclesiæ, quam ipsum populum significare possunt.

(w) Clem. Alex. Quis Diues saluetur? apud Combefis. Auct. Nouiss. p. 185. (p. 959. edit. Oxon.) Ἐπειδὴ τοῦ τυράννου τελευτήσαντος, ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, ἀπῄει παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλῆρον, ἕνα γέ τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων. Conf. Euseb. Lib III. c. XXIII.

(x) Clem. Rom. Ep. I. ad Corinth. n. XL. Τῷ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί· καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ λευΐταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται.

(y) Dodvvel, Dissert. I. in Cyprian.

Sed

Sed fac, populum intelligi; nihil tamen dicunt amplius, quam quod de populo Israelitico legimus, qui vocabatur Dei κλῆρος & λαὸς ἔγκληρος, *Dei hæreditas & populus possessionis.* Deut. IX, 29. cap. IV, 20. Sicut & *Iudæi* & Christiani erant in oppositione Gentilium: hoc non obstante Deus peculiarem in populo suo habebat κλῆρον, qui ipsius sors erant & hæreditas, & hoc nomine distincti a *Laicis*, h. e. reliqua multitudine. Quemadmodum supra de appellatione πιστῶν seu *Fidelium* monuimus, omnes & singuli intra Ecclesiæ pomœria constituti vocabantur *Fideles* in oppositione Infidelium & Paganorum; quando vero ordinem hominum in Ecclesia alium ab alio volebant distinguere, nomen *Fidelium* iis dabatur, qui baptismi honore dignati fuerant, reliqui appellabantur *Catechumeni*: Ita quoque heic; vniuersus populus christianus est Dei κλῆρος, sors eius, hæreditas seu clerus eius: quum autem ipsius ministri a reliquo populo ecclesiæ distinguerentur, proprio nomine *Clerici*, reliqui vero *Laici* dicebantur.

§. IV.

Distinctio inter officia Laicorum & Clericorum semper obseruata.

Hæc obseruatio ad alius cuiusdam generis homines recte instituendos multum proderit, qui non nomina tantum *Laicorum* & *Clericorum*, sed officia etiam inter se confundunt, nec aliquam inter illa distinctionem primitus fuisse dictitant. Noui equidem, sacerdotis nomen in vniuersum toti populo christiano interdum tributum esse: 1 Petr. II, 9. Apoc. II, 6. sed non minus populo Iudaico id datum legimus Exod XIX, 6. *Vos eritis mihi* ממלכת כהנים *regnum sacerdotum* (LXX. βασίλειον ἱεράτευμα) *& sancta natio.* At vero nemo ignorat, Sacerdotum & *Leuitarum* inter *Iudæos* officia valde distincta fuisse ab officiis populi, & id quidem non ex iniusta quadam vsurpatione, sed ex ipsius Dei mandato. Atque ita inter Christianos etiam a primis Ecclesiæ initiis sese res habuit. Si cubi congruus aliquis conuersorum numerus deprehendebatur, ex quibus ecclesia commode formari poterat; statim Episcopus vel Presbyter

cum Diacono constituebatur, quemadmodum EPIPHANIVS [z] ex antiquis Ecclesiæ monumentis tradit. Idem illud in modo adducto loco CLEMENTIS ALEXANDRINI licebit animaduertere, vbi dicit, Ioannem Euangelistam Episcopos constituisse, & alios in Clerum cooptasse in ecclesiis, quos disposuerit ac formauerit, Sancto Spiritu designante. Vnde IGNATIVS in omnibus epistolis suis tam studiose populum hortatur, vt ne sine Episcopis, [a] Presbyteris & Diaconis quidquam agant. TERTVLLIANVS dicit, moris fuisse inter hæreticos, *Clericorum* & *Laicorum* functiones inter se confundere: *Alius*, inquit, [b] *hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam & Laicis sacerdotalia munera iniungunt.* Hunc autem morem ecclesia catholica non habebat. Nam teste HIERONYMO, [c] ecclesiam non agnoscebant, cui non essent sacerdotes. Qui simul erant Laici & Episcopi, nullam habebant in-

(z) Epiph. Hær, LXXV. Aerian. n. V. *Πλήθους μὴ ὄντος οὐχ᾽ εὑρέθησαν ἐν αὐτοῖς πρεσβύτεροι καταςαθῆναι, καὶ ἠρκέσθησαν ἐπὶ τῷ κατὰ τόπον μόνῳ Ἐπισκόπῳ. ἄνευ δὲ Διακόνου Ἐπίσκοπον ἀδύνατον εἶναι. Καὶ ἐπεμελήσατο ὁ ἅγιος Ἀπόςολος Διακόνους εἶναι τῷ Ἐπισκόπῳ διὰ τὴν ὑπηρεσίαν, οὕτω τῆς Ἐκκλησίας λαβούσης τὰ πληρώματα τῆς οἰκονομίας. κ. τ. λ.* Cum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri crearentur: vnde solo Episcopo contenti fuerunt. Sine Diacono vero Episcopus esse non potest. Quare in id Apostolus incubuit, vt ministrandi gratia Episcopo Diaconi suppeterent. Itaque cum nondum Ecclesia suis omnibus functionibus expleri posset, per illud tempus istiusmodi singulorum locorum status extitit.

(a) Ignatius Epist. ad Magnes. n. VI. *Παραινῶ ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένου τοῦ Ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποςόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιςευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριςοῦ.* Hortor, vt hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere: *Episcopo* præsidente Dei loco, & *Presbyteris* loco Senatus Apostolici, & *Diaconis*, mihi suauissimis, quibus commissum est ministerium Iesu Christi. Ibid n. VII *ὥσπερ ὁ Κύριος ἄνευ τοῦ Πατρὸς οὐδὲν ἐποίησε ἡνωμένος ὤν, οὔτε δι᾽ ἑαυτοῦ, οὔτε διὰ τῶν Ἀποςόλων, οὕτως μηδὲ ὑμᾶς ἄνευ τοῦ Ἐπισκόπου καὶ τῶν Πρεσβυτέρων, μηδὲν πράσσετε.* Quemadmodum Dominus sine Patre nihil fecit, ipsi vnitus, neque per se ipsum, neque per Apostolos; ita neque & vos sine *Episcopo* & *Presbyteris* quidquam agite. Conf. Ep. ad Trall. n. II. Ep. ad Philad. n. VII.

(b) Tertull. de Præscript. c. XLI. (p. 217. edit. Par.)

(c) Hieronym. Tom. II. p. 145. Ecclesia non est, quæ non habet Sacerdotes. Ibid. Omissis paucis homunculis, qui ipsi sibi & *Laici* sunt & *Episcopi*.

ter

ter eos exiſtimationem. Et hinc facile eſt ad iudicandum, quam ingenue cum HIERONYMO & TERTVLLIANO agant illi, qui ex ipſis, omnes & ſingulos Chriſtianos eodem iure & pari ratione ſacerdotes eſſe, nituntur demonſtrare. HIERONYMVS quidem ſacerdotium Laici eſſe dicit; [d] ſed tum ipſe ſe interpretatur, nihil aliud ſe intelligere, quam baptiſma, quo reges & ſacerdotes Deo facti ſumus. Et TERTVLLIANVS [e] Laicis non aliud concedit ſacerdotium, niſi quod in caſu abſolutæ neceſſitatis, vbi ex ordine eccleſiaſtico nemo præſto eſt, baptiſmum adminiſtrare poſſint; id quod regulis fundamentalibus & praxi primitiuæ eccleſiæ conueniebat; ſed *functiones Laicorum & Clericorum* minime confundit, niſi quis caſus ordinarios & extraordinarios vnum idemque eſſe falſo opinetur. SOCRATES [f] & RVFFINVS veteres illi hiſtorici narrant, *Frumentium* & *Aediſium*, duos adoleſcentulos, captiuos in *Indiam* abductos, ſine externa vocatione & mandato verbum evangelii prædicaſſe, populum ad Chriſti fidem perduxiſſe, & diuerſas inter eos eccleſias conſtituiſſe. Et idem SOCRATES [g] ac THEODORETVS tradunt, *Iberos* primum mulieris cuiusdam captiuæ miniſterio fidem Chriſti amplexos eſſe, quæ deinde eius nationis regem ac reginam eo adduxerit, vt ipſi populo ſuo euangelium prædicarent. Si quis igitur hinc concludere voluerit, in primitiua eccleſia nihil diſcriminis fuiſſe inter Laicos & Clericos, ſiue Laicos, etſi non vocatos, verbum diuinum publice prædicare & mulieres miniſtros euangelii ordinare poſſe, eum certe in iſta argumentatione magnopere falli dixerim. Auctor quidam Commentariorum in Epiſtolas *Pauli*, qui ſub nomine [h] AMBROSII innotuit, dicere videtur, omnes Chriſti diſcipulos inter initia fuiſſe Cleri-

(d) Hieron. ibid. p. 136. *Sacerdotium Laici*, i. e. Baptiſma. Scriptum eſt enim: Regnum & Sacerdotes nos fecit &c.

(e) Tertull. Exhort. ad Caſtit. c. VII. Nonne & *Laici Sacerdotes* ſumus? Scriptum eſt: Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. - Vbi Eccleſiaſtici Ordinis eſt Conſenſus, & offert & tinguit Sacerdos, qui eſt ibi, ſolus. Sed vbi tres, Eccleſia eſt; licet Laici.

(f) Ruffin Lib. I. c IX. Socrat. Lib. I. c. XIX.

(g) Socrat. Lib. I. c. XX.

(h) Ambroſ. ſiue Hilar. Diacon. Com. in Eph. IV. p. 948. Vt creſceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt & euangelizare & baptizare & Scripturas in Eccleſia explanare. At vbi autem omnia loca &c.

ços, & vniuersale habuisse euangelium prædicandi & baptizandi mandatum: enimuero hoc ad mundi conuersionem ad Christum spectabat, & antequam sufficiens hominum multitudo conueniret, vel ecclesiæ fundarentur, in quibus ista distinctio locum habere poterat. *At vbi* (verba sunt nominati Auctoris) *omnia loca circumplexa est ecclesia, conuenticula constituta sunt, & rectores & cætera officia in ecclesiis sunt ordinata, vt nullus de Clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum.* Vt adeo, quantum in contrarium constat, concludere possimus, *Laicorum & Clericorum nomina ac officia* a primis inde ecclesiæ christianæ initiis a se inuicem fuisse distincta.

§. V.

Laici etiam vocati βιωτικοὶ, Sæculares.

Laici quoque distinguebantur nomine βιωτικῶν, *Sæcularium*: a βίος, quod vitam sæcularem significat. Et hoc quidem titulo non a Clericis tantum, sed ab Ascetis etiam & illis discernebantur, qui vitam agebant solitariam, mundo dixerant vale, & se ipsi curis ac occupationibus mundanis expedierant. Ita CHRYSOSTOMVS [*i*] vniuersos homines ad lectionem Scripturæ sacræ exhortans, *Ne mihi quisquam*, inquit, *proferat putida illa & absurda verba, planeque damnanda; Ego mundanus homo sum, non est meum legere Scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam eiusmodi continenter agunt.* Et alio loco [*ii*] commentans in verba Pauli Rom. XIII, 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subiecta esto*, dicit: *Ista imperantur omnibus, & sacerdotibus & monachis; non solum sæcularibus:* Ita etiam apud Auctorem, [*k*] qui sub nomine IVSTINI MARTYRIS notus est, & alios vocantur.

(*i*) Chrysost. Hom. III. in Lazar. Tom. V. p. 56. (edit. Francof.) Μή μοι λεγέτω τις τὰ ψυχρὰ ῥήματα ἐκεῖνα, καὶ πολλῆς καταγνώσεως ἄξια, ὅτι ἀνήρ εἰμι βιωτικός· οὐκ ἔστιν ἐμὸν γραφὰς ἀναγινώσκειν, ἀλλ' ἐκείνων τῶν ἀποταξαμένων, τῶν τὰς κορυφὰς τῶν ὀρέων κατειληφότων, τῶν τοῦτον τὸν βίον ἐχόντων διηνεκῶς.

(*ii*) Chrysost. Hom. XXIII. in Rom an. (p 316. edit. Francof.) Ταῦτα διατάττεται ἱερεῦσι, καὶ μοναχοῖς, οὐχὶ τοῖς βιωτικοῖς μόνον.

(*k*) Iustin. Mart. Resp. ad Quæst. XIX. Τῷ βιωτικῷ ἀνθρώπῳ &c.

§. VI.

§. VI.

Et ἰδιῶται, idiotæ *seu* homines priuati.

A quibusdam Auctoribus nominantur ἰδιῶται, *homines priuati*, quod vitam priuatam agerent, nec publico officio in Ecclesia fungerentur. Hoc sensu aliud rursus nomen erat, ideo ipsis datum, vt Clericis, publicum in Ecclesia munus administrantibus, opponerentur. CHRYSOSTOMVS [*l*] & THEODORETVS [*m*] hoc sensu vocem illam ἰδιώτης ab ipso Paulo, aiunt, vsurpari 1 Cor. XIV, 16. quam nos interpretari solemus *Indoctus.* Illi autem nihil amplius significare dicunt, quam Laicum, seu priuatæ conditionis hominem, qui non sit publicus Ecclesiæ minister, doctus fuerit vel indoctus. Ita quoque ORIGENES vocabulum ἰδιώτης accipit non pro homine indocto, sed Laico, qui non minus quam reliqui Christiani in nomine Christi diabolum eiiciendi potestatem [*n*] habeat. Et SYNESIVS ἰδιώτας & ἱερεῖς sibi inuicem opponit, & per hos quidem eos [*o*] vult intelligi, qui in sacro Ecclesiæ ministerio erant constituti; per illos autem, qui tali officio non fungebantur, sed Deo, tamquam Laici, vitam agentes priuatam, seruiebant. Quare de quibusdam Clericis, remotionem ab officio promeritis, loquens, [*p*] *publice*, inquit, *cum iis agendum erit* ὡς ἄντικρυς ἰδιώταις, *tanquam cum priuatis*, hoc est, non amplius vt Clericis, sed Laicis. Vnde colligere potuerimus, fuisse hanc

(*l*) Chrysostom. Hom. XXXV. in 1 Cor. XIV. (Tom. V. p. 389. edit. Francof.) Ἰδιώτην δὲ τὸν λαϊκὸν λέγει, *Idiotam* autem dicit Laicum.

(*m*) Theod. in 1 Cor. XIV, 16. Ἰδιώτην καλεῖ τὸν ἐν τῷ λαϊκῷ τάγματι τεταγμένον. *Idiotam* appellat eum, qui in Laicorum ordine constitutus est.

(*n*) Origen. c. Celsum Lib. VII p. 334 Οὓς (δαίμονας) οὐκ ὀλίγοι Χριστιανῶν ἀπελαύνουσι τῶν πασχόντων σὺν οὐδενὶ περιέργῳ καὶ μαγικῷ ἢ φαρμακευτικῷ πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ εὐχῇ καὶ ὁρκώσεσιν ἁπλουστέραις· καὶ ὅσα ἂν δύναιτο προσάγειν ἁπλούστερος ἄνθρωπος; ὡς ἐπίπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι κ. τ. λ. Quos (dæmones) non pauci Christiani eiiciunt ex obsessis corporibus, idque sine omni curiositate magorum & veneficorum, sed solis precibus adiurationibusque simplicibus, quæ sunt artes simplicium? Nam plerumque *plebeii homines* hæc faciunt. cæt.

(*o*) Synes. Ep. LIV. ad Theoph. p. 144. (p. 190 Edit. Paris. anno 1633.) Συχνοὶ παρ' ἡμῖν καὶ ἰδιῶται καὶ ἱερεῖς πλαττόμενοί τινας ὀνείρους. Plerique apud nos tam *priuati* quam *sacerdotes* somnia quædam comminiscentes.

(*p*) Synes. Ep. LXVII. p. 259. (p. 216.) Δημοσίᾳ μὲν οὕτω προσοιστέον αὐτοῖς ὡς ἄντικρυς ἰδιώταις.

iis omnibus, qui publico officio ſeu miniſterio in Eccleſia non fungebantur, communem appellationem.

§. VII.

Quinam propriè vocati ſint Clerici.

Ab altera parte, quicumque aliquod publicum munus in Eccleſia gerebant, communi nomine appellabantur *Clerici*, quod nomen primis temporibus tribus tantum ſuperioribus ordinibus Epiſcoporum, Sacerdotum & Diaconorum dabatur, eo quod tum alii ordines in Eccleſia haud exſiſterent. Sæculo autem tertio multi inferiores ordines inſtituebantur, vt ſubſeruirent Diaconorum officiis, veluti Hypodiaconi, Acolythi, Lectores, &c. Et hi etiam commune nomen *Clericorum* habebant, vtpote quibus cum rebus ſæcularibus nihil commercii, ſed Eccleſiæ ſeruitiis in totum vacandum erat. CYPRIANVS vbique eos nuncupat *Clericos*; [*q*] vti de *Optato* Hypodiacono, & *Saturo* Lectore loquens ambo *Clericos* appellat. Eorum ordinationes vocat [*r*] *Ordinationes Clericales*. Hinc etiam litteræ, quas eorum manu ſcriptas ad extraneos mittebat, *litteræ* [*s*] *Clericæ* dicuntur. LVCIANVS Martyr, CYPRIANI σύγχρονος, eadem ratione de *Exorciſtis* [*t*] & *Lectoribus* loquitur. Ipſum concilium *Nicænum* [*u*] nomen Clericorum aliis præter Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos impertit. Et Concilium *Carthagi-*

(*q*) Cypr. Ep. XXIV. al. XXIX. ed. Oxon. & Pariſ. (lib. III. ep. XXII. ed Baſil.) Quoniam oportuit me per *Clericos* ſcribere &c. feciſſe me ſciatis Lectorem *Saturum* & Hypodiaconum *Optatum* Confeſſorem.

(*r*) Cypr. Ep. XXXIII. al. XXXVIII. ed. Oxon. (lib. I. ep. IX. edit. Baſil.) Qui in eccleſia Domini ad *ordinationem Clericalem* promouentur. &c.

(*s*) Cyprian. Ep. XXIII. (lib III. ep. XXI. Edit. Baſil. 8.) Perquam graue eſt, ſi *epiſtolæ clericæ* veritas mendacio aliquo & fraude corrupta eſt. Vid. Fell. Not. in hanc epiſt.

(*t*) Lucian. Epiſt. XVII. al. XXIII. apud Cypr. Præſente de *Clero*, & *Exorciſta* & Lectore, Lucianus ſcripſit.

(*u*) Concil. Nicæn. Can. III. (Tom. III. Conc. p. 29.) Ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μήτε Ἐπισκόπῳ, μήτε Πρεσβυτέρῳ, μήτε Διακόνῳ, μήθ' ὅλως τῷ ἐν τῷ Κλήρῳ τινὶ ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα κ. τ. λ. Omnibus modis interdixit ſancta Synodus, neque Epiſcopo, neque Presbytero, neque Diacono, nec vlli *Clericorum* omnino licere habere ſecum mulierem extraneam, niſi forte mater &c.

thaginensi tertium Canone (*w*) dedita opera facto hunc titulum ipsis confirmauit.

§. VIII.

Nomen Clericorum *non numquam inferioribus tributum Ordinibus.*

Quid? Idem illud Concilium (*x*) nomen *Clericorum* inferioribus potius ordinibus videtur adſignare, ad diſtinguendum eos hoc ipſo a ſuperioribus, nominans primo loco Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, & deinceps *Clericos*; hoc eſt, inferiores ordines. Hoc etiam AMBROSIVS (*y*) facit, & adhuc ſignificantius ſub huius nomine HILARIVS (*z*), qui de Clericis loquitur, tamquam diſtinctis a Diaconis. Ita etiam EPIPHANIVS, [*a*] loquens de iis, qui in *Aegypto* ſub perſecutione *Diocletianea* a ſanctæ & catholicæ eccleſiæ religione diſciuerant, dicit: *Eorum alii milites erant, alii ex variis CLERICORVM ordinibus, Presbyteris, Diaconis, ac reliquis aliis.* Vbi de *Clericis* vt diſtinctis a Presbyteris ac Diaconis ſermo fit. Ita quoque in Concilio *Laodiceno* [*b*] & multis locis aliis.

§. IX.

Ratio nominis Clericorum.

Quod autem ad rationem nominis *Clericorum* attinet, recte quidem obſeruat HIERONYMVS, [*c*] quod a græco vocabulo κλῆρος, quod ſortem ſignificat, deſcendat; atque hinc dicit: *Miniſtri Dei propterea vocantur CLERICI, vel quia de ſorte ſunt*

(*w*) Conc. Carth. III. Can. XXI. Tom. II. Concil. p. 1170. *Clericorum* nomen etiam Lectores & Pſalmiſtæ & Oſtiarii retineant.

(*x*) Conc. Carth. III. c. XV. ibid. p. 1169. Placuit, vt Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi, vel *Clerici*, non ſint Conductores &c.

(*y*) Ambroſ. de Dignit. Sacerd. c. III. Aliud eſt, quod ab Epiſcopo requirit Deus, aliud, quod a Presbytero, & aliud, quod a Diacono, & aliud, quod a *Clerico*, & aliud, quod a Laico.

(*z*) Pſeud. Ambroſ. in Eph. IV. Nunc neque Diaconi in populo prædicant, neque *Clerici* vel Laici baptizant.

(*a*) Epiphan. Hær. LXVIII. Melet. n. II. Οἱ μὲν ἀπὸ στρατιωτῶν ὄντες, οἱ δὲ ἀπὸ κληρικῶν ὑπάρχοντες διαφόρου κλήρου, πρεσβυτερίου τε καὶ Διακονίας, καὶ ἄλλων.

(*b*) Conc. Laod. Can. XX. Tom. I. Conc p. 1500. Ὁμοίως δὲ ἔχειν τιμὴν καὶ τοὺς διακόνους ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν καὶ πάντων τῶν κληρικῶν. Similiter autem etiam haberi honorem Diaconis a miniſtris & omnibus *Clericis* oportet.

(*c*) Hieron. Ep. II. ad Nepot.

Domini, vel quia ipse Dominus Sors, id est, Pars CLERICORVM est. Alii [d] putant respici heic ad morem antiquum, *Iudeis* pariter & *Gentilibus* vsitatum, quo homines ad officia sacra per sortem eligebantur; quæ ratio haud improbabilis videtur: quamquam ista consuetudo inter Christianos in vniuersum haud inualuit, vti postea ostendetur.

§. X.

Omnes Clerici vocati Canonici.

Alia adhuc *Clericorum* appellatio suppetit, vbique apud Patres obuia, quando eos vocant *Canonicos*: quod vocabulum deriuatur a Græco κανὼν, quod inter alia codicillum seu catalogum cuiusque Ecclesiæ significat, in quo omnium Ecclesiasticorum nomina scripta erant, & e quo intelligi poterat, ad quam quisque Ecclesiam spectaret. Hoc sensu vocabulum κανὼν sæpe adhibitum legitur in Concilio [e] *Nicæno*. Concilium *Antiochenum* [f] vocat ἅγιον κανόνα, *sanctam matriculam*; Canones Apostolici κατάλογον ἱερατικὸν, [g] h. e. *Catalogum Clericorum.* Quod idem est cum eo, quod SIDONIVS APOLLINA-

(d) Dodwel Differt I. in Cypr. § XV.

(e) Concil. Nicæn Can XVI. Tom II Conc. p 36 Ὅσοι ῥιψοκινδύνως μήτε τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες μήτε τὸν Ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες ἀναχωροῦσι τῆς ἐκκλησίας κ. τ λ Quicumque temere, neque timorem Dei ante oculos habentes, neque *Ecclesiasticum Canonem* scientes, recesserunt ab ecclesia, cætera.

Ibid. Can. XVII. - - καθαιρεθήσεται τοῦ κλήρου, καὶ ἀλλότριος τοῦ κανόνος ἔσται. - - de Clero deiicietur, & alienus ab *ecclesiastico canone* erit.

Ibid. Can XIX. Ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ τῶν διακόνων, καὶ ὅλως περὶ τῶν ἐν τῷ αὐτῷ κανόνι ἐξεταζομένων ὁ αὐτὸς τύπος φυλαχθήσεται. Similiter autem & de Diaconis & aliis omnibus ecclesiasticis (qui in eodem *Canone* sunt) eadem forma seruabitur.

(f) Concil. Antiochen. Can I Tom II Conc p. 56 Τοὺς καθαιρεθέντας ἀποστερεῖσθαι καὶ τῆς ἔξωθεν τιμῆς, ἧς ὁ ἅγιος κανὼν καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ ἱερατεῖον μετείληφεν Depositos etiam externo honore priuari, cuius *sanctus Canon* & Dei sacerdotium fuit particeps

(g) Can. Apost. c. XLV. Tom I. Conc. p. 28. εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν κ. τ. λ. Si quis Presbyter, vel Diaconus vel omnino ex *Clericorum catalogo* &c

Can L. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ κ. τ. λ. Si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex *sacerdotali catalogo* &c.

RIS [*h*] *Album* vocat; & Concilium *Agathensi* [*i*] *Matriculam;* & AVGVSTINVS (*k*) *Tabulam Clericorum.* Cum igitur nomina omnium Clericorum huic catalogo ſeu canoni inſererentur, hinc appellabantur *Canonici.* Vti apud CYRILLVM (*l*) HIEROSOLYMITANVM *κανονικῶν παρȣσία* ſignificat *Clericorum præſentiam.* Et per *κανονικȣ̀ς ψαλτὰς* in Concilio *Laodiceno* (*m*) ii denotantur de Clericis, qui ad pſallendum in eccleſia erant ordinati. Ita generatim in Concilio *Nicæno* (*n*) & *Antiocheno* per *τȣ̀ς ἐν κανόνι* denotantur *Clerici* Eccleſiæ. Et eamdem ob cauſſam reliqui omnes, quorum nomina catalogo Eccleſiaſtico inſerebantur, vt ab Eccleſia vitæ ſuſtentationem reciperent, veluti Monachi, Virgines ac Viduæ &c. eodem nomine *Canonicæ* vocabantur. De quibus BASILIVS, (*o*) ex ſententia THEODORI BALSAMONIS & ZONARAE, ſub hoc nomine loquitur.

(*h*) Sidon. Lib. VI. Ep. VIII. Nomen Lectorum *Albus* nuper excepit.

(*i*) Concil. Agath. Can. II Tom. IV. Conc. p. 1383. Reſcripti in *matricula* gradum ſuum dignitatemque ſuſcipiant.

(*k*) Aug. Hom. L. De diuerſis Tom. X. p. 525. Delebo eum de *tabula Clericorum.*

(*l*) Cyrill. Præfat Catech. n. III. Θεωρεῖς μοι τάξιν καὶ ἐπιστήμην; γραφῶν ἀνάγνωσιν; κανονικῶν παρȣσίαν; κ. τ. λ. Vides ordinem & diſciplinam, ſcripturarum lectionem, *Clericorum præſentiam?* &c.

(*m*) Concil. Laodic Can. XV. Tom. I. p 1500. Περὶ τῶν μὴ δεῖν πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν, τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων, ἑτέρȣς τινὰς ψάλλειν ἐν ἐκκλησίᾳ. Non oportere præter *Canonicos Cantores*, qui ſuggeſtum adſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Eccleſia. &c.

(*n*) Concil Antioch. Can. II. Tom II. Conc. p. 561. Εἴ τις τῶν Ἐπισκόπων, Πρεσβυτέρων ἢ Διακόνων, ἤ τις τȣ̃ κανόνος κ. τ. λ. Si quis ex Epiſcopis, vel Presbyteris, vel Diaconis, vel quiuis *ex Canone* &c.

Can. VI. Ὁ αὐτὸς ὅρος ἐπὶ λαϊκῶν, καὶ πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων, καὶ πάντων τῶν ἐν κανόνι Idem decretum aduerſus laicos, & presbyteros, & diaconos, & eos, qui ſunt *in cleri catalogo*, obſeruetur.

Conc. Nic. Can. XVI. Tom. II. p. 36. Ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος, qui in *catalogo eccleſiaſtico* eſt. Can. XVII. Ἐπειδὴ πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν αἰσχροκερδείαν διώκοντες κ. τ. λ. Quoniam plerique *eccleſiaſtici* (qui *in Canone* ſunt) auaritiam & turpem quæſtum ſectantes &c.

(*o*) Baſil. Epiſt. I. Canonic. Can. 6 (Tom. III. p 23 edit Pariſ) Τῶν κανονικῶν τὰς πορνείας εἰς γάμον μὴ καταλογίζεσθαι, ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ διασπᾶν αὐτῶν τὴν συνάφειαν. *Canonicorum* fornicatio pro matrimonio non reputetur, ſed eorum coniunctio omnino diuellatur.

§. XI.

Et τάξις τῦ βήματος, ordo Sanctuarii.

Multa alia Clericorum nomina, cuiuis lectori obuia, silentio prætereo; quando videlicet dicuntur *Ecclesiastici* & ἱερατικοὶ, siue τάξις ἱερατικὴ, *sacer Ordo* &c. Vnius tantum appellationis adhuc mentionem faciam, quæ rarius & vix vspiam nisi apud GREGORIVM NAZIANZENVM (*p*) occurrit, qui Clericos, & speciatim superiorem eorum ordinem τάξιν τῦ βήματος *ordinem sanctuarii*, nuncupat. Quod nomen datum iis fuit ab eorum priuilegio intrandi eam ædis sacræ partem, vbi altare constitutum erat, quæ (quemadmodum videbimus, vbi de ædibus ecclesiasticis edisseremus,) vocabatur Βῆμα seu ἱερατεῖον, *Sanctuarium*. Vnde in eodem Auctore (*q*) τῷ βήματι προσάγειν significat, aliquem ministerio initiare seu Clericum facere: Et οἱ περὶ τὸ βῆμα, οἱ τῦ βήματος, & οἱ ἐκ τῦ βήματος idem est ac qui sunt ex sacro ordine, (*r*) seu e Clericis.

(*p*) Gregor. Nazianz Orat. XX. in laud. Basil. Tom I. p. 336. (edit. Paris.) Τὰς ἱερὰς πρότερον ὑπαναγινώσκων τῷ λαῷ βίβλυς, ὁ τύτων ἐξηγητὴς, καὶ ταύτην ὐκ ἀπαξιώσας τὴν τάξιν τῦ βήματος, κ. τ. λ. Cum prius sacros libros populo lectitasset, qui eos postea enarrauit, nec hunc *sacerdotii gradum* indignum se duxisset. &c.

(*q*) Id. Orat XIX. de Fun. Patr. p 299. sub fin. Τίς δὲ μετὰ Θεῦ μᾶλλον, ἢ τῷ βήματι προσήγαγεν, ἢ τὰς κατ᾽ αὐτῦ ὕβρεις ἐζηλοτύπησεν κ. τ. λ. Quis autem vnquam magis cum Deo, vel homines *Sacrario obtulit*, vel ob iniurias ipsi factas zelo exarsit? &c.

(*r*) Id. Orat. XIX. p. 310. 311. Τὺς ἱερέας, τύς τε ἄλλυς, καὶ ὅσοι τῦ βήματος διεμαρτύρετο. Sacerdotes, cum alios, tum eos, *qui altaris sunt*, obtestabatur. Orat. XX. p. 351. Περιτρέπει γὰρ, καὶ εἰ μή τις τῶν ἐκ τῦ βήματος ὑποσχὼν τὴν χεῖρα τὴν περιτροπὴν ἔστησε, κἂν τεθνηκέναι πτῶμα δακρύων ἄξιον, εἶεν. Ita enim titubare cœpit, vt nisi quisquam ex *sacrarii ministris* vacillantem supposita manu retinuisset, misere vtique & luctuose prolapsurus fuisset.

LIBER

LIBER SECVNDVS
DE DIVERSIS CLERICORVM ORDINIBVS IN PRIMITIVA ECCLESIA.

CAPVT PRIMVM
DE ORIGINE EPISCOPORVM: ET QVOD ORDO FVERINT A PRESBYTERIS DISTINCTVS IN ECCLESIA PRIMITIVA.

§. I.
Quid veteres per distinctos Episcoporum & Presbyterorum Ordines intelligant.



Actenus Clericos generatim consideravimus tamquam distinctos a Laicis; videbimus nunc, quibus nominibus & officiis ab se inuicem distincti fuerint. Et heic quidem antiquissima illa distinctio sese nobis offert, qua superior Clerus in tres diuersos ordines, *Episcoporum* videlicet, *Presbyterorum* ac *Diaconorum* dispescebatur. Non alios initio ordines præter tres hosce fuisse, suo loco patebit, vbi de prima origine & initio inferiorum ordinum dicturi sumus; Diaconos etiam sacrum & constantem ordinem fuisse, itidem demonstrabitur, vbi speciatim de iis agetur: Restat igitur heic, vt tantummodo in distinctionem inter Episcoporum & Presbyterorum Ordines inquiramus. Et hoc ipsum, quatenus ad res facti & praxin Ecclesiæ attinet, (de quibus exponere instituimus) commode & quantum satis est, explanari poterit, vbi hæc tria tantum momenta considerauerimus. I. Quod antiqui scriptores ecclesiastici de his, tamquam distinctis, Ordinibus semper loquantur. II. Quod Episcoporum originem a diuina auctoritate & Apostolica constitutione deriuent. III. Quod speciatim eorum Episcoporum, qui Apostolorum manibus in fundatis recens ecclesiis primum constituti ac consecrati fuerunt, catalogum nobis subministrent.

Antequam vero ad horum omnium probationem progrediamur, præmonendum erit, vt omnis euitetur ambiguitas, vocabulum *Ordinis* eo sensu a nobis accipi, quo veteres illud adhi-

adhibent, non autem ita, quemadmodum multi Scholastici, qui ex rationibus, quas sibi ipsi eminxerunt, distinguunt inter ordinem & iurisdictionem, atque Episcoporum & Presbyterorum vnum eumdemque ordinem faciunt, sola potestate ac iurisdictione eos inter se differre statuentes. Hæc distinctio veteribus ignota fuit; quibus vocabula ista; *Ordo*, *Gradus*, *Officium*, *Potestas* & *iurisdictio*, vbi de prærogatiua Episcoporum præ Presbyteris loquuntur, vnum idemque significant, nimirum potestatem supremorum Ecclesiæ moderatorum, in eorum Ordinatione ipsis collatam in Presbyteros, quorum erat, nihil nisi in subordinatione erga istos facere. HIERONYMVS, cui certe dandum est, quod ex Veterum sensu loquatur, nullum inter hæc verba, *Ordo*, *Gradus*, *Officium*, discrimen adhibet, sed iis promiscue vtitur ad significandam potestatem & iurisdictionem Episcoporum præ Presbyteris & vniuersa Ecclesia, in qua proprie loquendo vera Ordinis eorum essentia consistit. Vnde non numquam de iis, vt diuersis Ordinibus, loquitur; quemadmodum in libro contra *Iouinianum*, (*s*) vbi dicit: *In veteri Testamento & in nouo alium Ordinem PONTIFEX tenet, alium SACERDOTES, alium LEVITAE.* Ita in Epistolis ad *Rusticum* (*t*) & *Fabiolam*, (*u*) vbi *Ordinem* & *Gradum* coniungit. In aliis locis solo vocabulo *Gradus* utitur. Vti in epistola ad *Eustochium* (*w*) Presbyteros sacerdotes *inferioris gradus* appellat; & in epistola ad *Heliodorum* (*x*) *tertii gradus* meminit; & in Commentario in *Micham* (*y*) Episcopos sacerdotes, & Diaconos vocat *gradus* in Ecclesia. Alias vocabulo *Officiorum*

(*s*) Hieron. contr. Iouin. Lib. II. p. 89.

(*t*) Id. Epist. ad Rustic. Tom. I p. 46. Singuli ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis *Ordo* Ecclesiasticus suis rectoribus nititur.

(*u*) Id. ad Fabiol. de XLII. Mansion. Israel. Tom. III. p. 44. Ipsos secundi *Ordinis* intelligimus Præceptores, Luca Euangelista testante, duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris *gradus*.

(*w*) Epist. XXVII. ad Eustoch. Aderant Hierosolymorum & aliarum vrbium Episcopi, & Sacerdotum *inferioris gradus* & Leuitarum innumerabilis multitudo.

(*x*) Epist. I ad Heliodor. Non minorem in *tertio gradu* adhibuit diligentiam &c.

(*y*) Comment. in Mich. VII p. 162. Non dico, quod istiusmodi *gradibus* in Ecclesia non debeatis esse subiecti.

mentem

mentem ſuam exprimit; vt quum dicit: (z) *Epiſcopus, Presbyter, & Diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed OFFICIORVM. Si Diaconus ſanctior Epiſcopo ſuo fuerit, non ex eo, quod inferior gradu eſt, apud Chriſtum deterior eſt.* Vt adeo vnum idemque ſit ſecundum HIERONYMVM, ſiue *ordinem*, ſiue *officium*, ſive *poteſtatem* & *iurisdictionem* Epiſcopi dixerimus. Nam iſthæc omnia rem eamdem deſignant, nimirum, Epiſcoporum auctoritatem in Presbyteros & vniuerſam Eccleſiam. Et in hac ſignificatione vocabulum *Ordinis* in hoc opuſculo adhibemus, veterum opinionem de diuerſa Epiſcoporum & Presbyterorum poteſtate in Eccleſia declaraturi.

§. II.

Epiſcoporum ordo Presbyterorum ordine ſemper ſuperior habitus eſt.

Iam vero talem diſtinctionem in Eccleſia ſemper fuiſſe obſeruatam, liquet I. ex plerorumque veterum ſcriptorum teſtimoniis, qui de Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, tamquam diſtinctis in Ecleſia gradibus, & de duobus quidem poſterioribus vt primo ſubordinatis, loquuntur. Teſtimonia IGNATII, (a)

(z) Contr. Iouin Lib I. p. 41.

(a) Ignat. Epiſt ad Epheſ. n. II. Ἵνα ὑποτασσόμενοι τῷ Ἐπισκόπῳ, καὶ τῷ Πρεσβυτερίῳ κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι. Vt ſubiecti *Epiſcopo* & *Presbyterio* per omnia ſanctificati ſitis Ibid num III. Οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμῃ εἰσίν. *Epiſcopi* per terræ terminos definiti ex Ieſu Chriſti ſunt ſententia. Ibid. num IV. Ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ, ὥσπερ καὶ ποιεῖτε. Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τοῦ Θεοῦ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. Vnde decet nos *in Epiſcopi ſententia concurrere*, quod & facitis Nam memorabile veſtrum Presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum eſt Epiſcopo, vt chordæ citharæ.

Id Epiſt. ad Philad. num. IV. Εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις. Vnus Epiſcopus cum Presbyterio & Diaconis. Ibid. num. VII. Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις. *Epiſcopo* attendite & *Presbyterio* & *Diaconis* Ibid num X. Θέλουσιν δὲ ὑμῖν οὐκ ἔστιν ἀδύνατον ὑπὲρ ὀνόματος Θεοῦ, ὡς καὶ αἱ ἔγγιστα ἐκκλησίαι ἔπεμψαν ἐπισκόπους, αἱ δὲ πρεσβυτέρους, καὶ διακόνους. Volentibus vobis non eſt impoſſibile pro nomine Dei, vt & quædam proximæ Eccleſiæ miſerunt *Epiſcopos*, nonnullæ vero *Presbyteros & Diaconos*.

Id. in Epiſt ad Smyrn n. VIII. Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς Πατρί· καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε ὡς Θεοῦ ἐντολήν. Omnes *Epiſcopum* ſequimini, vt Ieſus Chriſtus Patrem; & *Presbyte-*

huc

huc facientia, tam firma sunt atque luculenta, vt nihil vmquam aduersus ea adferri potuerit, nisi quod non sint genuinæ antiqui istius auctoris reliquiæ; ad quod vero a viris (*b*) doctis toties responsum fuit, vt isti opinioni cum ratione nemo amplius inhærere possit. Numerosiora sunt loca, quam vt heic inseri possint: quocirca specimen aliquod in vno testimonio duntaxat dabo, ex quo de reliquis omnibus iudicare lector poterit. In Epistola ad *Magnesianos* (*c*) exhortatur eos, *vt in concordia omnia agant, Episcopo præsidente Dei loco, & Presbyteris loco senatus Apostolici, & Diaconis, quibus commissum est ministerium Iesu Christi.*

Auctor, qui Acta Martyrii IGNATII (*d*) scripsit, & cuius opus secundum vetustum exemplar græcum non ita pridem recusum est, eadem prorsus ratione de his tribus Ordinibus loquitur, cum dicit, quod cum IGNATIVS in itinere esset versus *Romam*, omnes Asiæ vrbes & Ecclesiæ per Episcopos, Presbyteros & Diaconos suos ipsum salutarint. Non longe post hunc scriptorem vixit *Pius*, Episcopus *Romanus*, cuius testimonium hoc

rium vt Apostolos; *Diaconos* autem reuereamini vt Dei mandatum. Ibid, num. XII. Ἀσπάζομαι τὸν ἀξιόθεον ἐπίσκοπον καὶ θεοπρεπέστατον πρεσβυτέριον, τὰς συνδούλους μου διακόνους. Saluto Deo dignum *Episcopum* & Deo decorum *Presbyterium*, & conseruos meos *Diaconos*.

Id in Epist ad Trall. n. VII. Ὁ χωρὶς ἐπισκόπου καὶ πρεσβυτερίου καὶ διακόνου πράσσων τι, οὗτος οὐ καθαρός ἐστιν ἐν τῇ συνειδήσει. Qui sine *Episcopo* & *Presbyterio* & *Diacono* quidpiam agit, is non est mundus in conscientia. Ibid. n XII. Πρέπει ὑμῖν τοῖς καθ' ἕνα, ἐξαιρέτως καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀναψύχειν τὸν ἐπίσκοπον. *Decet* singulos vestrum, & præcipue *Presbyteros*, *refocillare Episcopum*. Ibid. n. XIII. Ἔρρωσθε ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς τῇ ἐντολῇ, ὁμοίως καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ. Valete in Iesu Christo, *subiecti Episcopo*, vt (Dei) mandato: & similiter *Presbyterio*.

Id. in Epist. ad Polyc. n. VI Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα καὶ ὁ Θεὸς ὑμῖν. Ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις, διακόνοις. Episcopo attendite, vt & Deus vobis. Deuouear ego pro iis, qui *subiecti* sunt *Episcopo*, *Presbyteris*, *Diaconis*.

(*b*) Pearson. Vind. Ignat. Viser. de Epistol. Ignat. Voss. Epist. ad Riue. Coteler. Præfat. & Not. in Ignat. Bull. Defens. Fid. Nic. Sect. III. n. 6. p. 290. &c.

(*c*) Ignat. Epist. ad Magnes. n. VI. Vid. Text Græc. supra p 44. [a]

(*d*) Martyr. Ignat. ap. Grabium Spicil. Sæc. II. Tom. I. p. 12. Ἐδεξιοῦντο τὸν ἅγιον (Ἰγνάτιον) διὰ τῶν ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων αἱ τῆς Ἀσίας πόλεις καὶ ἐκκλησίαι.

loco

loco adlego, quod BLONDELLVS (*e*) id genuinum eſſe fatetur. Hic Auctor *Iuſtum Viennenſem* in epiſtola ad eum ſcripta Epiſcopum (*f*) vocat, & de Presbyteris ac Diaconis, qui ei ſubſint, loquitur. In ſequentis ſæculi initio teſtimonia habemus CLEMENTIS ALEXANDRINI, ORIGENIS AC TERTVLLIANI, qui in hoc conſentiunt omnes, Ordinem Epiſcoporum & Presbyterorum ſuis temporibus fuiſſe ab ſe inuicem diſtinctum. *Hic quoque in Eccleſia*, inquit CLEMENS, (*g*) *progreſſiones, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ſunt, vt arbitror, imitationes gloriæ Angelicæ*, cætera. ORIGENES huius diſtinctionis plus decies (*h*) in operibus ſuis meminit, quod, qui volet, apud PEARSONIVM Epiſcopum fuſe legere poterit. Duo tantum loca adferam, vnum quidem ex homiliis eius in *Lucam*, quas ſcripſit, quum eſſet adhuc Laicus, vbi (*i*) dicit: *Ab eccleſiaſticis DIGNITATIBVS non ſolum fornicatio, ſed & nuptiæ repellunt. Neque enim Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Vidua poſſunt eſſe digami.* Heic diuerſarum dignitatum facit mentionem. In altero loco (*k*) de diuerſis gradibus dicit, cum ait; *Pro modo GRADVVM vnusquisque torquebitur. Maiorem pœnam habet, qui Eccleſiæ præſidet & delin-*

(*e*) Blondell. Apol. p. 18.

(*f*) Pius Ep. II ad Iuſt. Vien. Tu vero apud Senatoriam Viennam - Colobio Epiſcoporum veſtitus &c. *Presbyteri & Diaconi te obſeruent.*

(*g*) Clem. Alex. Strom. Lib. VI. p 667. (793. edit. Oxon.) Καὶ αἱ ἐνταῦθα κατὰ τὴν Ἐκκλησίαν προκοπαὶ, ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, μιμήματα, οἶμαι, Ἀγγελικῆς δόξης Idem Pædagog Lib III. c. XII. p 264. (p. 309.)

(*h*) Origen. Hom. II. in Numer. pag. 203. edit. Baſil. 1557. Ecce qualis *Epiſcopus* aut qualis *Presbyter*, vel qualis *Diaconus*.
Idem Homil. VI. in Ieſa. ibid. p. 635. Nemo, quibuscunque venientibus adſumens linteum *Diaconus*, vel *Presbyter* ſiue *Epiſcopus* lauat pedes.
Idem Homil. V. in Ezech Pro modo graduum &c. vid. (k) in textu.
Idem Comment. in Matth. XIX p. 363 edit. Colon. - - μήποτε ἐπεὶ σύμβολόν ἐστι καὶ ὁ ἐπίσκοπος, καὶ ὁ πρεσβύτερος, καὶ ὁ διάκονος ἀληθινῶν κατὰ τὰ ὀνόματα ταῦτα πραγμάτων. - - annon quandoquidem *Epiſcopus*, *Presbyter* & *Diaconus* rerum verarum ſymbola ſunt, quæ his nominibus continentur.
Id. in Matth. XXI, 12. p. 442. Νομίζω ἁρμόζειν τὸν περὶ τῶν πωλούντων τὰς περιστερὰς λόγον τοῖς παραδιδοῦσι τὰς ἐκκλησίας αἰσχροκερδέσι, καὶ τυραννικοῖς, καὶ ἀνεπιστήμοσι, καὶ ἀνευλαβέσιν ἐπισκόποις, ἢ πρεσβυτέροις, ἢ διακόνοις. Ego, quod de columbarum venditoribus ſcriptum eſt, his conuenire exiſtimo, qui Eccleſias auaris, tyrannicis, indoctis & irreligioſis *Epiſcopis*, *Presbyteris* vel *Diaconis* tradunt.

(*i*) Origen. Hom. XVII. in Luc. p. 262. edit. Baſil.

(*k*) Origen Hom. V. in Ezechielem.

quit. Annon magis misericordiam promeretur ad comparationem Fidelis, Catechumenus? Non magis venia dignus est Laicus, si ad Diaconum conferatur? Et rursus comparatione Presbyteri Diaconus veniam plus meretur. Vt adeo Episcopus, ex ipsius sententia, Presbyteris atque Diaconis dignitate antecellat. TERTVLLIANVS crebro (*l*) eiusdem distinctionis mentionem iniicit, in primis vero in libro de *baptismo*, vbi ita scribit: (*m*) *Dandi quidem* (baptismum) *ius habet summus sacerdos, qui est Episcopus: Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo saluo salua pax est.*

Ex iis, quæ hactenus ex historia & praxi Ecclesiæ trium priorum sæculorum allegauimus, satis superque liquet, exstitisse tum summorum sacerdotum seu Episcoporum ordinem, eumque Presbyterorum & Diaconorum ordine in Ecclesia habitum fuisse superiorem.

§. III.

Ordo Episcoporum ab Apostolis institutus.

Si in hac disquisitione paullo vlterius progressi examinauerimus, vnde originem suam hic Ordo habeat, vtrum ab ecclesiastica, an vero Apostolica institutione; (quæ alia rursus quæstio est ad rem facti attinens) quodam modo etiam de eius iure decernere potuerimus: Iidem Auctores cæteris omnibus consentientibus declarant, non esse eum ab hominibus inuentum, sed initio ab ipsis Apostolis ex diuina ordinatione constitutum. *Ordo Episcoporum*, inquit TERTVLLIANVS, (*n*) *ad originem recensus, in Ioannem stabit auctorem.* Quocum exacte congruit, quod CLEMENS ALEXANDRINVS (*o*) de eo memoriæ prodidit, nimirum quod, *quum ex insula Patmo Ephesum rediisset, ad finitimas quoque prouincias se contulerit, vt Episcopos constitueret, & homines sibi a diuino Spiritu indicatos in Clerum quemdam seu*

(*l*) Tertull. de Monogam. c. XI. de Fuga c. XI. de Præscript. c. XLI.

(*m*) Tertull. de Bapt. c. XVII.

(*n*) Tertull. adu. Marcion. Lib. IV. c. V.

(*o*) Clem. Alex. Quis diues saluetur? ap. Combefis. Auctar. Nouissim. p. 185. (p. 595. edit. Oxon.) Ἐπειδὴ τοῦ τυράννου τελευτήσαντος, ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, ἀπήει παρακαλούμενος καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλῆρον, ἵνα τέ τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων.

sortem

ſortem Domini ſeponeret. Hi erant iſti Epiſcopi *Aſiatici*, de quibus loquitur HIERONYMVS, (*p*) eorumque rogatu *Ioannem* euangelium ſuum contra *Ebionis* & *Cerinthi* hæreſes ſcripſiſſe, dicit. Vnde conſequitur, ordinem Epiſcoporum ſecundum hanc narrationem inſtitutum eſſe ante quam de libris Sacræ Scripturæ Canonicis decretum fuerit. Quocirca CLEMENS ALEXANDRINVS (*q*) porro obſeruat, *plurima præcepta, quæ ad electas perſonas pertineant, in ſacris libris ſcripta eſſe; hæc quidem Presbyteris, alia vero Epiſcopis, alia Diaconis, alia autem Viduis.* IRENAEVS in eamdem ſententiam mentem ſuam declarat, Apoſtolorum tempore tam Epiſcopos quam Presbyteros fuiſſe in Eccleſia. Conuentum enim in *Mileto*, dicit, (*r*) Epiſcopis conſtitiſſe & Presbyteris, qui ab *Epheſo* & a reliquis proximis ciuitatibus *Aſiæ* eo coiiſſent. Fauens igitur huic hypotheſi, Epiſcoporum ſucceſſionem, eorumque originem vbique ab Apoſtolis deducit. Vt quando HYGINVM (*s*) *nonum locum epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis* (*t*) *habuiſſe* dicit. Et alio loco (*u*) exhibens nobis accuratum catalogum duodecim Epiſcoporum *Romanorum*, qui vſque ad ipſius ætatem ſucceſſiue iſti ſedi præfuerunt, de *Lino*, eorum omnium primo, dicit, eum ab ipſis Apoſtolis, Eccleſia primum fundata, Epiſcopum eſſe ordinatum; & de eorum poſtremo, *Eleutherio*, eum duodecimo loco epiſcopatum ab Apoſtolis habuiſſe. TERTVLLIANVS (*w*) huic argumento for-

(*p*) Hieron. Catalog. Scriptor. Eccleſ. in Ioanne. Nouiſſimus omnium *ſcripſit euangelium*, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis.

(*q*) Clem. Alex. Pædag. Lib. III. c. XII. p. 264. (309. Edit. Oxon.) Μυρίαι δὲ ὅσαι ὑποθῆκαι εἰς πρόσωπα ἐκλεκτὰ διατείνουσαι, ἐγγεγράφαται ταῖς βίβλοις ταῖς ἁγίαις· αἱ μὲν πρεσβυτέροις· αἱ δὲ ἐπισκόποις, αἱ δὲ διακόνοις· ἄλλαι χήραις.

(*r*) Iren. Lib. III, c. XIV. In Mileto conuocatis *Epiſcopis* & *Presbyteris*, qui erant ab Epheſo & a reliquis proximis ciuitatibus.

(*s*) Iren. Lib. I. c. XXIIX. - ἐπὶ Ὑγίνου, ἔνατον κλῆρον τῆς ἐπισκοπικῆς διαδοχῆς ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ἔχοντος.

[*t*] Euſeb. Lib. IV. c. XI. vbi eadem hæc Irenæi verba leguntur.

[*u*] Iren. Lib III. c. III. Fundantes & inſtruentes beati *Apoſtoli* Eccleſiam, *Lino Epiſcopatum* adminiſtrandæ Eccleſiæ *tradiderunt*. Citatur etiam ab Euſebio Lib. V. c. VI.

[*w*] Tertull. de Præſcript. c. XXXII. Vid. etiam c. XXXVI. ibid. Polycrat. Epiſt. ap. Euſeb. c. XXIV. Cyprian. Ep. LII. al. LV. ad Antonian. p. 104. Cum Fabiani Locus, id eſt, Locus Petri, & gradus ſacerdotalis vacaret. Id. Ep. XXVII. al. XXXIII. ed. Oxon.

titer inſiſtit, & ad hoc omnes cuiuscumque generis hæreticos prouocat, *Edant*, inquiens, *origines eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: Sicut Smyrnæorum eccleſia Polycarpum ab Ioanne conlocatum refert: Sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde vtique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in epiſcopatum conſtitutos, APOSTOLICI SEMINIS TRADVCES habent.* Ex quibus colligere in procliui eſt, Apoſtolos fundantes eccleſias Epiſcopos in iis ſimul conſtituiſſe, & hoc demonſtrari potuiſſe e cuiusque eccleſiæ tabulario & codicillis, quorum plerique, TERTVLLIANO vniuerſos hæreticos ſic prouocante & has archetypas tabulas in rem eccleſiæ Catholicæ adlegante, ſuperſtites probabiliter fuerunt.

§. IV.

Index ſeu Catalogus Epiſcoporum, primum ab Apoſtolis ordinatorum.

Vtile foret & iucundum, Epiſcoporum ab Apoſtolis initio conſtitutorum accuratum & archetypum ſiſtere indicem: Sed vero propter tantam temporis longinquitatem fieri non poteſt, vt curioſo lectori hac re commodemus, quantumcumque etiam operæ eo impendere voluerimus. Reperiuntur tamen heic illic apud veteres ſcriptores ſparſa aliqua fragmenta, quæ præſenti inſtituto noſtro, eo ſpectanti, vt demonſtremus, Apoſtolos in omnibus eccleſiis, in prima earum plantatione, Epiſcopos conſtituiſſe, ſatis poterunt facere.

Initium ab Eccleſia *Romana* faciendum erit, de qua IRENAEVM & TERTVLLIAN. iam audiuimus adfirmare, Apoſtolos ibidem ordinaſſe Epiſcopum: quod etiam non tantum a CHRYSOSTOMO (x), EVSEBIO (y),

(x) Chryſoſtom. Hom. X. in 2 Tim. IV. (Tom. VI. p. 614. edit. Franc.) Τοῦτον τὸν Λῖνον ἱστοροῦσί τινες δεύτερον μετὰ τὸν Πέτρον ἐπίσκοπον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας γεγενῆσθαι. Hunc *Linum* aiunt quidam *ſecundum* poſt Petrum Romanæ Eccleſiæ epiſcopum fuiſſe.

(y) Euſeb. Lib. III c. IV. Λῖνος οὗ μέμνηται συνόντος ἐπὶ Ῥώμης αὐτῷ κατὰ τὴν δευτέραν πρὸς Τιμόθεον ἐπιστολὴν, πρῶτον μετὰ Πέτρον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν ἤδη πρότερον κληρωθεὶς δεδήλωται. *Linus*, quem in ſecunda ad Timothe-

RVFFINO (z), HIERONYMO (a), OPTATO (b), EPIPHANIO (c), sed AVGVSTINO etiam adseritur, qui (d) dicit: *Si ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est; quanto certius & vere salubriter ab ipso Petro numeramur? - - - Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus* &c.

Aliqua quidem cum differentia successionem enarrant Auctores; Quidam enim *Linum* primo loco recensent, deinde *Anacletum*, postea *Clementem*. Alii a *Clemente* incipiunt, eumque proximum a *Petro* locant: Sed hæc a viris doctis (e) facile inter se conciliantur; qui *Linum* & *Anacletum* viuo *Petro* iam diem obiisse, & *Clementem* a *Petro* etiam eorum successorem ordinatum esse, ostenderunt. Vt ita duos vel tres, secundum hanc computationem, habeamus, qui continuata serie Episcopi, manuum impositione Apostolica ordinati, *Romæ* fuerunt.

Proxime iam sequatur Ecclesia *Hierosolymitana*; cuius primum Episcopum *Iacobum*, Domini fratrem, fuisse, omnes Scriptores antiqui vnanimiter tradunt. Et HIERONYMVS, (f) eum post passionem Domini statim ab Apostolis ordinatum fuisse, dicit. EPIPHANIVS (g) idcirco primum Episcopum eum vocat, quando ait: *Primus ille Episcopalem cathedram cepit, cum ei ante ceteros omnes suum in terris thronum Dominus tradidisset.*

---

um epistola Romæ secum versari testatur, *primus post Petrum*, vt supra iam diximus, Ecclesiæ Romanæ Episcopatum adeptus est.

(z) Ruffin. ap. Hieron. Apol. II. p. 219. (Tom. II. p. 148. b. fin. edit. Francof.) *Clemens*, Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ *post Apostolos Episcopus* & martyr fuit &c.

(a) Hieron. Catal. Script. in Clement. *Clemens* - quartus *post Petrum* Romanus Episcopus fuit - - tametsi plerique Latinorum secundum *post Petrum* Apostolum putent fuisse *Clementem*.

(b) Optat. Lib. II. p. 48. (p. 36. edit. Par. 1679.) Sedit prior Petrus, cui successit Linus &c.

(c) Epiphan. Hæres. XXVII. n. VI. p. 107. ed. Colon.

(d) Aug. Epist. CLXV.

(e) Cotel Not. in Const. Apost. Lib. VII. c. XLVI. Pearson. de Success. Rom. Pontif. Dissert. II. c. II. Caue Hist. Lit. Vol. I. in Clem.

(f) Hieron. Catal. Script. c. III. Post passionem Domini, statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus.
Id. Comment. in Gal. I. p. 165. Hic Iacobus primus *Hierosolymorum Episcopus* fuit.

(g) Epiph. Hæres. LXXVIII. Antidicomar. n. VII. Πρῶτον οὗτος εἴληφε τὴν καθέδραν τῆς Ἐπισκοπῆς, ᾧ πεπίστευκε Κύριος τὸν θρόνον αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς πρώτῳ.

CHRYSOSTOMVS (*h*) eum ab ipſo Chriſto Epiſcopum conſtitutum dicit. Auctor (*i*) *Conſtitutionum Apoſtolicarum* & a Chriſto & ab Apoſtolis putat id factum eſſe. EVSEBIVS (*k*) vbique de eo, tamquam primo Epiſcopo *Hieroſolymitano*, ab Apoſtolis ordinato, loquitur. Ita quoque HEGESIPPVS, (*l*) CLEMENS (*m*) ALEXANDRINVS & DIONYSIVS (*n*) Epiſcopus *Corinthi*, omnes ab EVSE-

(*h*) Chryſoſtom. Hom. XXXVIII. in 1 Cor. XV. Αὐτὸς γὰρ αὐτὸν λέγεται χειροτονηκέναι καὶ Ἐπίσκοπον ἐν Ἱεροσολύμοις πεποιηκέναι πρῶτον.

(*i*) Conſtit. Apoſt. Lib VIII. c XXXV. Κἀγὼ Ἰάκωβος ἀδελφὸς μὲν κατὰ σάρκα τοῦ Χριστοῦ, δοῦλος δὲ ὡς Θεοῦ μονογενοῦς, ἐπίσκοπος δὲ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ κυρίου καὶ τῶν ἀποστόλων Ἱεροσολύμων χειροτονηθεὶς τάδε φημί. Et *ego Iacobus* frater quidem Chriſti ſecundum carnem, ſeruus vero eius, vt Dei vnigeniti, *epiſcopus* vero Hieroſolymitanus *ab ipſo Chriſto & ab Apoſtolis ordinatus* hæc dico &c.

(*k*) Euſeb Lib. II. c. XXIII. ineunt. Ἰουδαῖοι γεμὴν τοῦ Παύλου καίσαρα ἐπικαλεσαμένου, ἐπί τε τὴν ῥωμαίων πόλιν ὑπὸ Φήστου παραπεμφθέντος, τῆς ἐλπίδος καθ' ἣν ἐξείργυον αὐτῷ τὴν ἐπιβουλὴν ἀποπεσόντες, ἐπὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ κυρίου τρέπονται ἀδελφὸν, ᾧ πρὸς τῶν ἀποστόλων ὁ τῆς ἐπισκοπῆς τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐγκεχείριστο θρόνος. Cum Paulus ad Cæſarem prouocaſſet, Romamque a Feſto miſſus eſſet, Iudæi qui inſidias ipſi ſtruxerant, ſpe ſua fruſtrati, in *Iacobum* fratrem Domini, *cui epiſcopalis Hieroſolymorum ſedes ab Apoſtolis tradita fuerat*, rabiem conuertunt.

Id. Lib. III. c. V. - - ἐπὶ πᾶσί τε Ἰακώβου τοῦ τὸν αὐτόθι τῆς ἐπισκοπῆς θρόνον, πρώτου μετὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀνάληψιν κεκληρωμένου, τὸν προδηλωθέντα τρόπον μεταλλάξαντος κ.τ.λ. Cum Iudæi poſtremo etiam in *Iacobum* illum, qui *primus* poſt adſcenſionem Domini *epiſcopalem eccleſiæ illius ſedem* obtinuit &c. Ib. cap. VII. Ἰάκωβός τε αὐτὸς ὁ τῇδε πρῶτος ἐπίσκοπος, *Iacobus* ipſe *primus loci illius* (Hieroſolymorum) *epiſcopus*.

Id. Lib. VII. c XIX. Τὸν γὰρ Ἰακώβου θρόνον τοῦ πρώτου τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν πρὸς αὐτοῦ σωτῆρος καὶ τῶν ἀποστόλων ὑποδεξαμένου κ. τ. λ. Sane & *Iacobi* illius cathedram, *qui primus Hieroſolymorum epiſcopus ab ipſo Seruatore & Apoſtolis eſt conſtitutus* &c.

(*l*) Hegeſip. ap. Euſeb. lib. II. c. XXIII Διαδέχεται δὲ τὴν ἐκκλησίαν μετὰ τῶν ἀποστόλων, ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος. Eccleſiæ adminiſtrationem vna cum Apoſtolis ſuſcepit *Iacobus* frater Domini.

(*m*) Clem. Hypotyp. Lib. VI. ap. Euſeb. lib. II. c. I. Κλήμης ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν ὑποτυπώσεων γράφων, Πέτρον φησὶ καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ σωτῆρος, ὡς ἂν καὶ ὑπὸ τοῦ κυρίου προτετιμημένους μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης· ἀλλὰ Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον τῶν Ἱεροσολύμων ἑλέσθαι. Clemens in ſexto inſtitutionum libro ait, poſt Seruatoris adſcenſum Petrum, Iacobum, & Ioannem, quamuis Dominus ipſos cæteris prætuliſſet, non idcirco de primo honoris gradu inter ſe contendiſſe, ſed *Iacobum* cognomine Iuſtum, *Hieroſolymorum Epiſcopum elegiſſe*.

(*n*) Dionyſ. Ep. ad Athen. ap. Euſeb. lib. IV. c. XXIII. †

BIO allegati. Quibus addi poterit AVGVSTINVS, (*o*) qui *Ioannem* Episcopum *Hierosolymitanum Iacobi* successorem nuncupat, vtpote qui sedeat in cathedra, in qua iste olim tamquam primus Episcopus sederit. Et id quidem notatu dignum est, quod CLEMENS, vnus e vetustissimis Scriptoribus, dicit, hunc honorem singularem *Iacobo* exhibitum fuisse eo, quod Christi frater fuerit. Quamuis enim Seruator noster Petrum, Iacobum & Ioannem cæteris præferre solitus sit; numquam tamen post Domini adscensum idcirco de primo honoris gradu inter se contenderunt, sed *Iacobum* cognomine *Iustum Hierosolymorum* Episcopum elegerunt: vbi tamquam sanctus vixit & vt martyr obiit.

EVSEBIVS (*p*) ex antiqua aliqua traditione refert, post eius (*Iacobi*) martyrium Apostolos cæterosque Domini discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in vnum conuenisse & vna cum iis, qui Dominum secundum carnem propinquitate generis contingebant (quorum plerique adhuc in viuis supererant) in commune consuluisse, quis in *Iacobi* locum succedere mereretur. Omnes itaque vno consensu *Simeonem*, filium *Cleopæ*, Seruatoris patruelem, Episcopali sede dignum iudicasse. Idem EVSEBIVS in aliis locis (*q*) adserit, & Auctor

(*o*) Aug. contr. Crescon. lib. II. c. XXXVII. Hierosolymitanam Ecclesiam primus Apostolus Iacobus Episcopatu suo rexit.
Id. contr. Liter. Petil. Lib. II. c. LI. Cathedra Ecclesiæ Hierosolymitanæ, *in qua Iacobus* sedit, & in qua hodie Ioannes sedet.
Cyrill. Hierosolym. Catech. IV. n. XVII. Περὶ τούτων οὐκ ἐμοὶ μόνον, ἀλλ' ἤδη καὶ τοῖς Ἀποστόλοις, καὶ Ἰακώβῳ τῷ ταύτης ἐκκλησίας ἐπισκόπῳ σπουδὴ γέγονε. De his non mihi solum, sed etiam Apostolis & *Iacobo huius Ecclesiæ olim Episcopo*, cura fuit. Catech. XIV. n. XI. ἔπειτα ὤφθη Ἰακώβῳ, τῷ ἑαυτοῦ μὲν ἀδελφῷ ἐπισκόπῳ δὲ πρώτῳ τῆς παροικίας ταύτης. Postea visus & a *Iacobo* fratre suo, *primo huius parochiæ Episcopo.*

(*p*) Euseb. Lib III. c XI. Μετὰ τὴν Ἰακώβου μαρτυρίαν -- λόγον κατέχει τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν τοῦ κυρίου μαθητῶν τοὺς εἰσέτι ἐν τῷ βίῳ λειπομένους, ἐπὶ ταυτὸ πανταχόθεν συνελθεῖν ἅμα τοῖς πρὸς γένους κατὰ σάρκα τοῦ κυρίου· πλείους γὰρ καὶ τούτων περιῆσαν εἰσέτι τότε τῷ βίῳ· βουλήν τε ὁμοῦ τοὺς πάντας περὶ τοῦ τίνα χρὴ τῆς Ἰακώβου διαδοχῆς ἐπικρῖναι ἄξιον ποιήσασθαι· καὶ δὴ ἀπὸ μιᾶς γνώμης τοὺς πάντας Συμεῶνα τὸν τοῦ Κλωπᾶ, οὗ καὶ ἡ τοῦ εὐαγγελίου μνημονεύει γραφή, τοῦ τῆς αὐτόθι παροικίας θρόνου ἄξιον εἶναι δοκιμάσαι.

(*q*) Id. Chronic. p. 205. Ἰουδαῖοι τὸν ἀδελφὸν κυρίου Ἰάκωβον κτείνουσι· Συμεὼν ὁ τοῦ Κλεόπα τὸν θρόνον Ἱεροσολύμων διαδέχεται.

(*r*) Con-

(r) *Constitutionum Apostolicarum* sub nomine CLEMENTIS ROMANI.

Ab *Hierosolymitana* ad *Antiochenam* progredimur Ecclesiam, in qua *Euodium* primum, & post hunc *Ignatium* Episcopos Apostolorum manibus ordinatos deprehendimus. BARONIVS (s) & alii quidam autumant, ambo eodem tempore ibi Episcopos fuisse, alterum quidem *Iudæorum*, alterum vero *Gentilium*: Enim vero EVSEBIVS (t) expressis verbis dicit, *Euodium* primum ibi constitutum fuisse Episcopum, defuncto autem *Euodio Ignatium*. Et omnes Scriptores vetusti in hoc concordant, vtrumque ante *Petri* Apostoli obitum fuisse consecratum. De *Euodio* dubitari illud non potest, si quidem constet, *Ignatium* in eius locum ab Apostolis fuisse surrogatum. Hoc vero ab THEODORETO (u) perspicue adseritur, eum Ἀρχιερωσύνης χάριν, *Pontificatus gratiam* de magni *Petri* dextera suscepisse. Similiter CHRYSOSTOMVS in eius Encomio (w), se eum non ideo tan-

(r) Constit. Apost. Lib. VII. c. XLVI. Περὶ τῶν ὑφ' ἡμῶν χειροτονηθέντων ἐπισκόπων ἐν τῇ ζωῇ τῇ ἡμετέρᾳ, γνωρίζομεν ὑμῖν, ὅτι εἰσὶν οὗτοι· Ἱεροσολύμων μὲν Ἰάκωβος ὁ τοῦ κυρίου ἀδελφὸς, τοῦ τελευτήσαντος δεύτερος Συμεὼν ὁ τοῦ Κλεόπα. De Episcopis vero, qui a nobis in vita nostra ordinati sunt, indicamus vobis, quod hi sunt: Hierosolymorum quidem Iacobus frater Domini, *quo mortuo secundus fuit Simeon Cleopæ filius.*

(s) Baron. an. XLV. n. XIV. Cum dissensio illa inter Fideles, qui ex circumcisione & eos qui ex gentibus ad fidem venerant, esset concitata: quo circa quam diu illa perdurauit, illud remedium fuisse adhibitum, vt vterque sederet, alterque eorum præesset iis, qui ex circumcisione, alter vero iis, qui ex Gentibus ad Ecclesiam venissent.

A. LXXI. n. XI. Hoc eodem anno, Olympiade ducentesima duodecima, anno primo (vt numerat Eusebius) *Euodio Episcopo Antiocheno subrogatur, qui aliquando collega sedisset, Ignatius.*

(t) Euseb. lib. III. c. XXII. Ἀλλὰ καὶ τῶν ἐπὶ Ἀντιοχείας Εὐοδίου πρώτου καταστάντος, δεύτερος ἐν τοῖς δηλουμένοις Ἰγνάτιος ἐγνωρίζετο. Apud Antiochiam defuncto *Euodio*, qui *primus eius loci* constitutus fuerat *Episcopus*, secundus tum maxime florebat Ignatius.

(u) Theodoret. Dialog. I. Tom. IV. p. 33. edit. Paris. 1642. Ἀκήκοας δὲ πάντως Ἰγνάτιον ἐκεῖνον, ὃν διὰ τῆς τοῦ μεγάλου Πέτρου δεξιᾶς τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν χάριν ἐδέξατο καὶ τὴν ἐκκλησίαν Ἀντιόχεων ἰθύνας τὸν τοῦ μαρτυρίου στέφανον ἀνεδήσατο. Audiuisti prorsus *Ignatium* illum, qui de Petri dextera *Pontificatus gratiam* suscepit, & post administratam Ecclesiam Antiochenam martyrii coronam adeptus est.

(w) Chrysost. Hom. XLII. in Ignat. Tom. I. p. 501. Ed. Front. Duc. Francof. CIↃ IↃCIIC. pag. 501. οὕτω δὲ καὶ Πέτρου μέλλοντος ἐντεῦθεν ἀποδημεῖν, ἕτερον ἀν-

tum

tum admirari dicit, quod tanto gradu dignus habitus; ſed quod etiam impoſitis ſanctis Apoſtoli manibus ad hoc munus ordinatus fuerit. ATHANASIVS (*x*) idem reuera dicit, primum eum poſt Apoſtolos Epiſcopum nuncupans; & ORIGENES, (*y*) qui eum ſecundum a *Petro Apoſtolo* vocat; & HIERONYMVS, (*z*) qui tertium fuiſſe dicit. Etſi enim diuerſimode eum collocant, idem tamen ſentiunt, *Ignatium* videlicet, viuis adhuc Apoſtolis, in *Euodii* locum ſubſtitutum eſſe, adeoque ipſum ab Apoſtolis ſecundum vel tertium in ordine fuiſſe, prout *Petrus* Apoſtolus atque *Euodius* iſti numero includantur vel excludantur.

Relicta *Antiochia Smyrnam* contendimus; vbi *Polycarpum* inuenimus, itidem Epiſcopum Apoſtolicum, ab Apoſtolis ordinatum. HIERONYMVS ordinationem [*a*] eius *Ioanni* Apoſtolo tribuit, cuius erat diſcipulus. IRENAEVS dicit, quod ipſum nouerit; adeoque in iis, quæ de ipſo narrat, non poteſt hallucinari, nimirum ab Apoſtolis [*b*] eum fuiſſe Epiſcopum ordinatum. TERTVLLIANVS [*c*] & EVSEBIVS [*d*] idem illud teſtantur; quorum

τὸν ἰσότιμον Πέτρου διδάσκαλον ἡ τοῦ πνεύματος ἀντεισήγαγε χάρις, ὥστε μὴ τὴν ἤδη γινομένην οἰκοδομὴν τῇ τοῦ διαδεξαμένου εὐτελείᾳ σαθροτέραν γενέσθαι πέντε μὲν οὖν στεφάνους ἀπηριθμησάμεθα ἀπὸ τοῦ μεγέθους τῆς ἀρχῆς, ἀπὸ τῆς ἀξίας τῶν κεχειροτονηκότων; ἀπὸ τῆς τοῦ καιροῦ δυσκολίας, ἀπὸ τοῦ μέτρου τῆς πόλεως, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς τοῦ παραδόντος αὐτῷ τὴν ἐπισκοπήν. Cum Petrus Antiochia eſſet diſceſſurus, *alterum Petro parem* præceptorem gratia Spiritus *ſubſtituit*, ne iam inchoata ædificatio ſucceſſoris contemtu debilior fieret. Quinque coronas igitur enumerauimus; ex epiſcopatus amplitudine, ex electorum dignitate, & difficultate temporum, ex *ſolio cui Petrus inſederat*, ex *virtute illius, qui tradidit ei præfecturam.*

(*x*) Athan. de Synodo Arim. Tom. I. p. 922. (p. 761. edit. Par. CIϽ IϽC IIC.) *Ἰγνάτιος οὖν ὁ μετὰ τοὺς ἀποστόλους ἐν Ἀντιοχείᾳ κατασταθεὶς ἐπίσκοπος καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ γενόμενος κ τ λ* *Ignatius* certe, *qui* poſt Apoſtolos *Antiochiæ Epiſcopus* conſtitutus eſt, ipſeque martyr Chriſti fuit &c.

(*y*) Orig Hom. VI. in Luc. *Ignatium dico Epiſcopum Antiochiæ poſt Petrum ſecundum.*

(*z*) Hieron. Catal. Script. in Ignat. *Tertius poſt Petrum Apoſtolum Epiſcopus.*

[*a*] Hieron. Catal. Script. c. XVII. *Polycarpus* Ioannis Apoſtoli diſcipulus, ab eo *Smyrnæ Epiſcopus ordinatus.*

[*b*] Iren. lib III c. III. Ab Apoſtolis in Aſia, in ea quæ eſt *Smyrnæ* eccleſia, conſtitutus *Epiſcopus*, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate.

[*c*] Tertullian de Præſcript. c. XXXII. Sicut *Smyrnæorum* eccleſia *Polycarpum* ab *Ioanne conlocatum* refert.

[*d*] Euſeb. lib III. c. XXXVI. *Διέπρεπε γε μὴν κατὰ τούτους ἐπὶ τῆς Ἀσίας τῶν Ἀποστόλων ὁμιλητὴς Πολύκαρπος, τῆς κατὰ Σμύρναν ἐκκλησίας πρὸς τῶν αὐτοπτῶν καὶ*

alter quidem eum a *Ioanne*, alter autem ab iis, qui Dominum viderint, ordinatum esse dicit.

Papias, IRENAEO & HIERONYMO testantibus, alius quidam erat *Ioannis* discipulus [e], IGNATIO AC POLYCARPO coæuus, & circa idem tempus, hoc est, sæculo secundo ineunte, Episcopus *Hierapolitanus*. Vt adeo valde probabile sit, fuisse eum ex istis Episcopis, quos *Ioannes* in *Asia* ordinauit, etiamsi luculenta testimonia, quibus id demonstremus, haud suppetant.

Enimuero ab omnibus antiquis Scriptoribus adfirmatur, *Timotheum* ab *Paulo* Episcopum *Ephesi* esse constitutum. EVSEBIVS [f], CHRYSOSTOMVS [g], EPIPHANIVS [h], HIERONYMVS [i], HILARIVS Diaconus [k] & Auctor Actorum Passionis *Timo-*

ὑπηρετῶν τῦ κυρίυ τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος. Iisdem temporibus florebat in Asia *Polycarpus* Apostolorum discipulus, *qui a familiaribus ac ministris Domini Smyrnensis ecclesiæ Episcopatum acceperat.*

Id lib. IV. c. XIV Πολύκαρπος - - ὑπὸ ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ασίαν ἐν τῇ Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος. *Polycarpus - - in Asia Smyrnensi ecclesiæ ab ipsis Apostolis ordinatus est Episcopus.*

[e] Iren. lib. V. c. XXXIII. Papias *Ioannis Auditor* Polycarpi contubernalis.
Hieron. Epist XXIX. ad Theodor. Refert Irenæus vir Apostolicorum temporum, & *Papiæ auditoris Euangelistæ Ioannis* discipulus &c.
Id. de Script. Papias *Ioannis auditor.*

[f] Euseb lib III c IV. Ο Λυκᾶς ἐν ταῖς πράξεσι τὺς γνωρίμυς αὐτῦ (Παύλυ) καταλέγων, ἐξ ὀνόματος αὐτῶν μνημονεύει. Τιμόθεός γε μὴν τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας ἱσορεῖται πρῶτος τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχέναι, ὡς καὶ Τίτος τῶν ἐπὶ Κρήτης ἐκκλησιῶν. Lucas in Actibus discipulos Pauli enumerans singulos nominatim appellat. Ex his *Timotheus* quidem *Ephesinæ ecclesiæ Episcopatum primus accepisse dicitur*, quemadmodum etiam *Titus* insulæ *Cretæ* ecclesiarum *episcopus* fuisse memoratur.

[g] Chrysost Hom. I. in Philip. p. 8. Διὰ τῦτο γράφων καὶ Τιμοθέῳ ἔλεγε, τὴν διακονίαν συ πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι. ὅτι γὰρ ἐπίσκοπος ἦν, φησὶ πρὸς αὐτὸν, χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει κ. τ. λ. Idcirco ad Timotheum scribens inquit: *ministerium tuum imple*, cum tamen *ille episcopus* esset. Quod constat ex verbis illis ad eumdem scriptis: Manus cito nemini imposueris.

[h] Epiph. Hæref. LXXV. Aër. n V. p 909. edit Col. ὡς λέγει τῷ Τιμοθέῳ Επισκόπῳ ὄντι, κ. τ. λ. Apostolus ad *Timotheum episcopum* scribens dicit &c.

[i] Hieron. Catal. Script. in Timotheo. *Timotheus Ephesiorum Episcopus, ordinatus a beato Paulo* ex gentibus erat, non ex circumcisione.

[k] Pseudo-Ambros. Præfat. in Timoth. Hunc iam *creatum Episcopum* instruit &c. Item Com. in 1 Tim III. Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, *Episcopus erat.* Vnde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat aut licebat, vt inferior ordinaret maiorem. Nemo enim tribuit, quod non accepit.

thei

thei apud PHOTIVM [*l*] magno conſenſu id teſtantur. THEODORETVS [*m*] plus dicit, nimirum ipſum ſub nomine Apoſtoli fuiſſe Epiſcopum.

Plerique ex iisdem Auctoribus de *Tito* [*n*] non minus euidenter demonſtrari poſſe exiſtimant, ab ipſo *Paulo* Epiſcopum in *Creta* Inſula conſtitutum eum eſſe. Et CHRYSOSTOMVS quidem, [*o*] nec non EVSEBIVS, tum ipſi, tum *Timotheo* poteſtatem Metropolitani videntur adſignare; qua de re poſthac plura dicentur.

Alii tradunt, *Dionyſium Areopagitam* primum *Athenienſium* Epiſcopum conſtitutum eſſe. EVSEBIVS [*p*] DIONYSII Epiſcopi

---

[*l*] Phot. Cod. CCLIV. ὅτι πρῶτον Τιμόθεον ἡ παροῦσα συγγραφή φησιν Ἐφέσου ἐπισκοπῆσαι. Refert hiſtoria *Timotheum primum Epheſi Epiſcopum* fuiſſe.

[*m*] Theodoret. Com. in 1 Tim. III. Τὴν τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τοῖς πάλαι καλουμένοις Ἀποστόλοις ἐπέθεσαν – οὕτω Κρητῶν ὁ Τίτος καὶ Ἀσιανῶν ὁ Τιμόθεος ἀπόστολοι *Epiſcopatus* appellationem impoſuerunt iis, qui olim appellabantur Apoſtoli. -- Ita Cretenſium Titus & *Aſianorum Timotheus* Apoſtoli.

[*n*] Euſeb. loc. cit. ad [*f*].
Chryſoſtom loc. cit. Καὶ πάλιν πρὸς Τίτον γράφων φησὶ, Τούτου χάριν -- ἃ περὶ τοῦ ἐπισκόπου φησίν. Rurſus ad Titum ſcribens: Huius rei gratia -- quæ quidem de Epiſcopo dicit.
Hieron. de Scriptor. in Tito. *Titus Epiſcopus Cretæ.*
Pſeudo-Ambroſ. Præf. in Tit. *Titum Apoſtolus conſecrauit Epiſcopum.*
Theodoret. l. c. ad [*m*]

[*o*] Chryſoſtom. Hom. I. in Tit ſub init. (Tom. VI. Edit Franc. p. 620.) Τῶν Παύλου συνόντων δόκιμος οὗτος ἦν. εἰ μὴ γὰρ ἦν δόκιμος, οὐκ ἂν αὐτῷ τὴν νῆσον ὁλόκληρον ἐπέτρεψεν, οὐκ ἂν τὰ ἐλλειφθέντα ἀναπληρῶσαι προσέταξεν (ἵνα γάρ, φησι, τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ) οὐκ ἂν τοσούτων ἐπισκόπων κρίσιν ἐπέτρεψεν, εἰ μὴ σφόδρα ἐθάῤῥει τἀνδρί. Vnus ex Pauli ſociis hic fuit vir probatus: neque enim profecto illi integram inſulam permiſiſſet, neque ea quæ deerant præcepiſſet inplenda: *ait enim vt quæ deſint corrigas: & tam multorum Epiſcoporum iudicium commiſiſſet*, niſi multum illi confideret.
Id. Hom. XV in 1 Tim. ibid. p. 509. Δῆλον δέ ἐστιν ἐντεῦθεν, ὅτι ἐκκλησίαν λοιπὸν ἦν ἐμπεπιστευμένος ὁ Τιμόθεος ἢ καὶ ἔθνος ὁλόκληρον τὸ τῆς Ἀσίας· διὸ καὶ πρεσβυτέρων αὐτῷ διαλέγεται. κ. τ. λ. Verum quia *Timotheo credita eccleſia* fuerat, imo *gens* fere *tota Aſiatica*, id circo illum & de ſenioribus admonet

[*p*] Euſeb. lib. III. c. IV. ἐπὶ τούτοις καὶ τὸν ἀρεωπαγίτην ἐκεῖνον, Διονύσιος ὄνομα αὐτῷ, -- τῆς ἐν Ἀθήναις ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον, ἀρχαίων τις ἕτερος Διονύσιος τῆς Κορινθίων παροικίας ποιμὴν ἱστορεῖ γεγονέναι. Denique *Areopagitam* illum nomine *Dionyſium* - - *Athenienſis Eccleſiæ primum Epiſcopum* fuiſſe tradit alter quidam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, antiquiſſimus ſcriptor. conf. lib. IV. c. XXIII.

Corinthiorum admodum vetusti, qui sæculo secundo vixit, scriptoris epistolæ cuiusdam, plus vice simplici meminit, in qua illud expressis verbis adsertum legatur. Vt adeo vel ab ipso *Paulo*, quemadmodum SVIDAS aliique [q] existimant, vel ab alio quodam Apostolo eum ordinatum fuisse necesse sit. In hoc conueniunt omnes, hunc *Dionysium* paullo ante *Ioannis* obitum mortuum esse, eique in Episcopatu successisse *Publium*, huic autem *Quadratum*, quem HIERONYMVS [r] Apostolorum discipulum nuncupat; quo ipso, vti maxime probabile est, nihil aliud indicatur, quam eum a *Ioanne* Apostolo fuisse institutum. Quod si igitur ipse *Quadratus Ioannis* fuit discipulus, (sicut esse potuit, quandoquidem HADRIANI Imperatoris tempore, cui apologiam suam obtulit, fuit Episcopus,) tres vna serie Episcopi *Athenis* esse potuerunt ab Apostolis quidem omnes instituti; quorum duo ipsorum manuum impositione, aut certe ipsis consentientibus atque approbantibus, fuerint consecrati.

Finio hunc primorum Episcoporum catalogum iis, quæ THEODORETVS [s] de *Epaphrodito* dicit; nimirum, quod, sicut *Timotheus* & *Titus Ephesi* ac *Cretæ* sub Apostolorum appellatione fuerunt, *Epaphroditus* sub eodem titulo *Philippis* fuerit Episcopus; quod tum commune nomen erat eorum omnium, qui proprie erant Episcopi: quo de nihil amplius hoc loco moneo, quod capite sequenti speciatim de eo dicturus sum.

---

[q] Suidas in voce Dionys. (p. 596. edit. Cantabrig. MDCCV.) Διονύσιος ὁ Ἀρεοπαγίτης ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος, καὶ τῆς ἑλληνικῆς παιδείας εἰς ἄκρον ἐληλακώς, ἀκουστὴς Παύλου πρὸς τὴν τοῦ Χριστιανισμοῦ θρησκείαν, καὶ ὑπ' αὐτοῦ καταστὰς εἰς αὐτὰς Ἀθήνας ἐπίσκοπος. *Dionysius Areopagita* Episcopus Athenarum, vir celeberrimus, & doctrinæ Græcorum longe peritissimus, cum *Paulo* audito ad religionem Christianam conuersus esset, *ab eo Athenarum Episcopus constitutus est.*

[r] Hieron de Scriptor. c. XIX. *Quadratus Apostolorum discipulus*, Publio Athenarum Episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum eius substituitur.

[s] Theodoret. Com. in I Tim. III, I. Φιλιππησίων Ἀπόστολος ὁ Ἐπαφρόδιτος ἦν, *Philippensium Apostolus erat Epaphroditus.*

LIBRI SECVNDI
CAPVT SECVNDVM

DE DIVERSIS HONORVM TITVLIS, QVIBVS IN PRIMITIVA ECCELSIA EPISCOPI ORNABANTVR.

§. I.

Omnes Episcopi primum vocati Apostoli.

VT ea, quæ præcedenti capite diximus, adhuc magis confirmemus, non abs re fuerit, diuersos honorum titulos, Episcopis in primitiua Ecclesia datos, breuiter heic recensere. Horum antiquissimus est titulus *Apostolorum*, qui sensu quidem latiore ac secundario prima Episcoporum appellatio, antequam eorum ordini nomen Episcoporum tributum sit, fuisse multis videtur. Existimant enim, Episcoporum & Presbyterorum nomina communia primi ac secundi ordinis Clericorum nomina fuisse; quo durante tempore proprium Episcoporum nomen, quo ab Presbyteris distinguerentur, Apostolorum fuisse appellationem. THEODORETVS [*t*] enim perspicue dicit, eosdem olim sine vllo discrimine vocatos esse Episcopos & Presbyteros, dum isti, qui nunc vocentur Episcopi, Apostoli nuncupati fuerint. At post paullo nomen Apostolorum iis solis tributum esse, qui vere fuerunt Apostoli; nomen autem Episcoporum datum esse iis, qui antea Apostolorum nomen gesserint. *Ita*, inquit, *Philippensium Apostolus erat Epaphroditus. Ita Cretensium Titus & Asianorum Timotheus Apostoli.* Et hoc ipsum passim in scriptis suis repetit [*u*].

[*t*] Theod. Com. in 1 Tim. III, 1. *Τὺς αὐτὺς ἐκάλυν τοτὲ πρεσβυτέρυς καὶ ἐπισκόπυς τὺς δὲ νῦν καλυμένυς ἐπισκόπυς, Ἀποσόλυς ὠνόμαζον.* Eosdem olim vocabant Presbyteros & Episcopos: eos autem qui nunc vocantur Episcopi, Apostolos nominabant.

[*u*] Theod. Com. in Phil. I, 1. *Τὺς αὐτὺς καὶ πρεσβυτέρυς καὶ ἐπισκόπυς ὠνόμασεν.* ibid. c. II, 25. *Ἀπόσολον δὲ αὐτὸν κέκληκεν αὐτῶν ὡς τὴν ἐπιμέλειαν αὐτῶν ἐμπεπισευμένον· ὡς εἶναι δῆλον ὅτι ὑπὸ τῦτον ἐτέλυν οἱ ἐν τῷ προοιμίῳ κληθέντες ἐπίσκοποι, τῦ πρεσβυτέρυ δηλονότι τὴν τάξιν πληρῦντες.* Cum autem *ipsorum Apostolum* vocauit, vt cui esset illorum cura concredita. Vt clarum sit sub eo fuisse eos, *qui* in principio *dicti* sunt *Episcopi, Presbyterorum* scilicet *in ordine constituti*.

Auctor, qui sub nomine AMBROSII [w] scripsit, itidem omnes Episcopos primum Apostolos appellatos esse, adserit. Ideoque dicit: [x] *Paulus Apostolum se non ab hominibus electum & missum ad praedicandum testatur, sicut erant quidam, qui electi ab Apostolis mittebantur ad Ecclesias roborandas.* AMALARIVS [y] alium ex eodem Auctore locum adlegat, vbi mentem suam adhuc significantius declarat: *Qui nunc*, inquit, *Episcopi nominantur, illi tunc Apostoli dicebantur. Beatis vero Apostolis decedentibus, illi, qui post illos ordinati sunt, vt praeessent Ecclesiis, illis primis exaequari non poterant, neque miraculorum testimonium par illis habere, sed & in multis aliis inferiores illis esse videbantur: graue existimauerunt Apostolorum sibi vendicare nuncupationem: diuiserunt ergo nomina ipsa & ab eisdem presbyteris presbyterii nomen reliquerunt. Alii vero Episcopi sunt nuncupati hi qui & ordinationis praediti potestate, ita vt plenissime iidem praepositos se Ecclesiarum esse cognoscerent.*

Haec sunt, quae Auctores isti de significatione nominum Episcoporum & Presbyterorum, quam saeculo primo habuerunt, indicant: Non inde concludunt, (quemadmodum nonnulli, qui eorum testimoniis abutuntur, adhuc fecerunt) Episcopos inter & Presbyteros nullum omnino discrimen intercedere; sed eorum sententia est, Episcopos tum quidem nomine secundariorum Apostolorum, tamquam magis proprio, eorumque praerogatiuam luculentius exprimente, ab aliis fuisse distinctos.

§. II.

Postea Apostolorum Successores.

Postea satis honoris sibi ducebant Episcopi, *Successores Apostolorum* nominari: Sicut CYPRIANVS [z] & FIRMILIANVS [a] &

[w] Ambros. Com. in Eph. IV. *Apostoli* Episcopi sunt.

[x] Id. Com. in Gal I, 1.

[y] Amalar. de Offic. Eccles. lib. II. c. XIII. (in Biblioth. magna Patr. Tom. VI. p. 939 edit. Par. 1589)

[z] Cyprian. Ep. LXIX. al LXVI ad Florent. Qui *Apostolis* vicaria ordinatione *succedunt*. Id. Ep. XLII. al. XLV ad Cornel. Laborare debemus, vt vnitatem a Domino & per *Apostolos nobis successoribus* traditam, obtinere curemus.

(a) Firmil. Ep. LV. ap. Cyprian p. 225. (p 148. Edit Paris. MDCLVI) Hostes vnius Catholicae ecclesiae, in qua nos sumus, *qui Apostolis successimus.*

Episco-

Episcopi in Concilio *Carthaginensi* [b] se & alios vocant. Et HIERONYMVS [c] eodem modo de iis loquitur, *vbicunque*, inquiens, *fuerit Episcopus siue Romæ siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Rhegii, siue Alexandriæ, siue Tanis eiusdem meriti eiusdem est sacerdotii - - Omnes Apostolorum successores sunt.* Quo etiam sensu & ipse AVGVSTINVS [d] verba Psaltæ: Ps. XLV, 16. *Loco parentum tuorum erunt filii tui: præpones eos principibus in tota terra*, interpretatur, dicens, Episcopos esse filios Apostolorum, Principes ac Patres Ecclesiæ.

§. III.

Vnde quælibet Episcopi sedes sedes Apostolica *dicta.*

Hinc etiam antiquitus vnaquæque Episcopi sedes *sedis Apostolicæ* appellatione dignata fuit; quæ isthoc tempore non peculiariter Episcopo *Romano* competebat, sed omnibus omnino Episcopis dabatur, vtpote quæ eorum originem & successionem ab Apostolis deriuabat atque recensebat. AVGVSTINVS [e] *Christiana*, inquit, *societas per sedes Apostolorum & successiones Episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur.* Planum est, id non de solo *Romano* Episcopo, sed in vniuersum de omnibus aliis Episcopis pronuntiari. SIDONIVS APOLLINARIS [f] iisdem verbis vtitur, loquens de priuato quodam *Galliæ* Episcopo, qui quadraginta quinque annos in sede Apostolica transegerat. Et PAVLINVS [g] ALIPIO officium gratulaturus vsitatam gratulandi formulam adhibet, quando dicit, *cum Principibus populi sui sede Apostolica merito collocauit DOMINVS.*

(b) Conc. Carth. ap. Cypr. in Suffragio Clari a Mascula. Manifesta est sententia D. N. I. C. apostolos suos mittentis & ipsis solis potestatem, a patre sibi datam permittentis, *quibus nos successimus* &c.

(c) Firmil. Ep LXXV. apud Cyprian. p. 225.
Id. in Psalm. XLV, 14. Fuerunt, o Ecclesia, *Apostoli* patres tui: quia ipsi te genuerunt. Nunc autem quia illi recesserunt a mundo, *habes pro his Episcopos* filios, qui a te creati sunt.

(d) Aug Com. in Psal XLV, 16. *Pro Apostolis* nati sunt filii tibi, *constituti sunt Episcopi* - - Ipsa ecclesia Patres illos appellat.

(e) Aug Ep XLII. ad Fratres Madaurenses.

(f) Sidon. Lib VI. Ep. I. ad Lup. Tricassin. *In Apostolica sede nouem iam decursa quinquennia.*

(g) Paulin Ep XLV. ad Alipium.
Tertull. de Præscript. c. XXXVI. Ipsæ adhuc *Cathedræ Apostolorum* suis locis *præsidentur* - - Habes Corinthum - - Habes Philippos &c.

§. IV.

Episcopi vocati Principes populi.

Vbi notandum etiam est, *Paulinum* vsitata his vetustis temporibus loquendi formula vti, quando Episcopos *Principes* vocat *populi*. Hic enim itidem honoris titulus erat ipsis datus; quomodo ex OPTATO [h] & quibusdam locis apud HIERONYMVM (i) videre est; qui, vt ab sæcularibus Principibus eos distinguat, plerumque eos *Principes Ecclesiæ* [k] appellitat; applicans ad eos illud vaticinium Iesaiæ LX, 17. quod secundum eius translationem sonat: *Dabo principes tuos in pace & Episcopos tuos in iustitia*: ad quæ verba hanc [l] habet notam: *In quo Scripturæ sanctæ admiranda maiestas, quod principes futuros Ecclesiæ Episcopos nominauit.* A græcis scriptoribus vocantur similiter *ἄρχοντες ἐκκλησιῶν, rectores & principes ecclesiæ*; e. g. ab EVSEBIO, [m]

(h) Optat. lib. I. p. 39. (pag. 15. edit. Paris. M DC LXXIX.) Ipsi apices & *principes* omnium *Episcopi*.

(i) Hieronym. Com. in Iesa. c. III. v. 14. (Tom. V. Edit. Francof p. 18. b.) Inter senes & *principes* hoc fuisse reor in veteri populo, quod nunc est inter Presbyteros & Episcopos. Ibid. Sed ad *nostros principes* referri potest, &c.

(k) Hieron. Comment. in Ps. XLV. *Principes Ecclesiæ* id est Episcopi.
Id. Com. Ies. V, 11. (Tom. V. edit. Francof. p. 23. a.) Abutamur hoc testimonio aduersum *principes Ecclesiæ*.

(l) Hieron. Com. in Iesa. LX, 17. (Tom. V. edit. Francof p. 193. b.)

(m) Euseb. lib. VI. c. XXVIII. Ὃς δὴ κατὰ κότον τὸν πρὸς Ἀλεξάνδρου οἶκον ἐκ πλειόνων πιστῶν συνεστῶτα, διωγμὸν ἐγείρας, τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας μόνους, ὡς αἰτίους τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας ἀναιρεῖσθαι προστάττει. Qui (Maximinus) graui odio succensus aduersus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitata solos *Ecclesiarum antistites (principes)* vtpote euangelicæ prædicationis auctores, interfici iussit.
Id. lib. VIII. c. I. Ἀρχόντων δὲ ἄρχουσι προσρηγνύντων, καὶ λαῶν ἐπὶ λαοὺς καταστασιαζόντων. Cum antistites aduersus antistites (*principes* aduersus *principes*); populi in populos collisi iurgia ac tumultus agitarent. Ibid. c. III. Τότε δὴ οὖν τότε πλεῖστοι μὲν ὅσοι μὲν ἐκκλησιῶν ἄρχοντες δειναῖς αἰκίαις προθύμως ἐναθλήσαντες, μεγάλων ἀγώνων ἱστορίας ἐπεδείξαντο. Tum vero quam plurimi *ecclesiarum rectores (principes)* grauissima supplicia alacri animo perpessi, illustrium certaminum spectacula exhibuerunt. Id. de Martyr. Palæstin. c. I. Μετὰ τοῦτον ἐπὶ τῆς αὐτῆς πόλεως πλεῖστοι ὅσοι τῶν ἐπιχωρίων ἐκκλησιῶν ἄρχοντες κ. τ. λ. Post hunc in eadem vrbe quam plurimi *ecclesiarum* illius prouinciæ *antistites (principes)* &c.

ORIGE-

ORIGENE, [n] CHRYSOSTOMO [o] & multis aliis.

§. V.

Præpoſiti, Antiſtites, προεστῶτες, πρόεδροι, ἔφοροι.

Eodem ſenſu CYPRIANVS [p] & TERTVLLIANVS [q] vt pluri-

(n) Origen. Hom. XI. in Ierem. (p. 114. edit. Colon. MDCLXXXV.) Ὁ δὲ τὴν πάντων ἡμῶν ἐγκεχειρισμένος ἀρχὴν αὐτὴν τὴν ἐκκλησιαστικὴν, ἐπὶ πλεῖον ἀπαιτεῖται. Qui totius *eccleſiæ principatum* obtinet, pro omni eccleſia reddet rationem. Id. contr. Celſum lib. III. p. 129. οὕτω καὶ ἐχοντα ἐκκλησίας ἑκάστης πόλεως ἄρχοντι τῶν ἐν τῇ πόλει συγκριτέον· ἵνα κατανοήσῃς, ὅτι καὶ ἐπὶ τῶν σφόδρα ἀποτυγχανομένων βουλευτῶν καὶ ἀρχόντων ἐκκλησίας Θεοῦ καὶ ῥαθυμότερον παρὰ τοὺς εὐτονωτέρως βιοῦντας, οὐδὲν ἧττόν ἐστιν εὑρεῖν ὡς ἐπίπαν ὑπεροχὴν, τὴν ἐν τῇ ἐπὶ τὰς ἀρετὰς προκοπῇ, παρὰ τὰ ἤθη τῶν ἐν ταῖς πόλεσι βουλευόντων καὶ ἀρχόντων. Eodem modo *magiſtratus Eccleſiaſtici* (ſeu *principes Eccleſiarum*) cum vrbanis magiſtratibus conferendi: vt intelligas *magiſtratus Eccleſiæ*, etiam qui inter collegas paullo frigidius verſantur in officio, tamen in morum & virtutum ratione vulgaribus ſenatoribus atque magiſtratibus præcellere.

(o) Chryſoſtom. de Sacerdot. lib. III. c. XIV. (Tom. IV. edit. Francof. p. 40. Tom. VI. Edit. Eton. p. 22.) Πέφυκε γὰρ ὡς τὰ πολλὰ, τὸ τῶν ἀρχομένων πλῆθος, ὥσπερ εἰς ἀρχέτυπόν τινα εἰκόνα τοὺς τῶν ἀρχόντων τρόπους ὁρᾶν, καὶ πρὸς ἐκείνους ἐξομοιοῦν ἑαυτούς. Sic natura comparatum eſſe videmus, vt *ſubditorum* multitudo magna quidem ex parte *principum* ſuorum mores tamquam imaginem ſpectent, ſeque ad illos formare ſtudeant. Conf. Suiceri theſ. p. 540. qui addit: *loquitur autem, vt ex tota ſerie manifeſtum eſt, de PASTORIBVS & eorum auditoribus.*

Ibid. c. XV. (Tom. IV. edit Francof. p. 41. Eton. Tom. VI. p. 23) Ἴθι δὴ, καὶ διάκυψον εἰς τὰς δημοτελεῖς ἑορτὰς, ἐν αἷς μάλιστα τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀρχῶν τὰς αἱρέσεις ποιεῖσθαι νόμος. Ito hinc iam & publica feſta ſpectato: ea dico, in quibus *dignitatum* (ſeu *principatuum*) *eccleſiaſticarum* electiones de more fiunt.

Id. Hom. III. ad Popul Antioch. Tom. I. p. 48. (p. 37. edit. Francof.) - - Ἰακὼβ θρεμμάτων προεστὼς - - Πολλῷ μᾶλλον ἡμᾶς τοὺς οὐκ ἀλόγοις ἐφεστῶτας ἀλλὰ πνευματικοῖς προβάτοις. - - Iacob pecudibus *præpoſitus* - - multo magis nos non irrationabilibus ſed ſpiritualibus ouibus *præpoſitos* &c.

(p) Cyprian. Ep. III. Edit. Oxon. & Pariſ. Quod & vobis eſſet circa *Præpoſiti* memoriam glorioſum. Ep. IX. Neque nunc ſibi *præpoſitum* Epiſcopum cogitantes. Ep. XIII. Vt *Præpoſiti* cum clero conuenientes &c. Ep. XXVII. & omnis actus Eccleſiæ per eosdem *Præpoſitos* gubernetur. Ep. LXXXI. Cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum vnusquisque *Præpoſitus* &c.

[q] Tertull. Apol. c. XXXIX. *Præſident* probati quique ſeniores honorem iſtum non pretio ſed teſtimonio adepti. Id. ad Vxor. c. VII. Præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit *præſidere* 1 Tim. III 3. Id. de Coron. Milit. c. III. Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam *præſidentium* ſumimus.

mum eos *Præpositos* seu *Præsides Ecclesiæ* nominant; quos EVSEBIVS [r] & IVSTINVS MARTYR [s] προεστῶτας, *Antistites* & non numquam προέδρους *Præsides* [t], alii vero ἐφόρους [u] *Inspectores* dicunt, quibus non cura tantum & præsidium, sed inspectio etiam Ecclesiæ concredita sit.

(r) Euseb. lib. VI. c. III. Ἐπειδὴ δὲ ἑώρα φοιτητὰς ἤδη πλείους προσιόντας, αὐτῷ μόνῳ τῆς τοῦ κατηχεῖν διατριβῆς ὑπὸ Δημητρίου τοῦ τῆς ἐκκλησίας προεστῶτος ἐπιτετραμμένης κ. τ. λ. Quum plures cotidie discipulos accedentes videret, propterea quod Catechumenorum institutio ipsi soli mandata fuerat a Demetrio *Præposito* &c. Ibid c. VIII. Γνοὺς δ' οὖν ὕστερον ὁ Δημήτριος, ἅτε τῆς αὐτόθι παροικίας προεστὼς, εὖ μάλα μὲν αὐτὸν ἀποθαυμάζει τοῦ τολμήσαντος. Itaque Demetrius quum rem illam vtpote ecclesiæ eius *Præpositus* postea comperisset, iuuenis audaciam vehementer admiratus est. Ibid. c. X. δόξαν τοῖς τῶν ὁμόρων ἐκκλησιῶν προεστῶσιν, visum est finitimarum ecclesiarum *Præpositis*.
Id. lib. VII. c. XIII. Ἀνίησιν αὐτίκα διὰ προγραμμάτων τὸν καθ' ἡμῶν διωγμὸν, ἐπ' ἐλευθερίας τοῖς τοῦ λόγου προεστῶσι τὰ ἐξ ἔθους ἐπιτελεῖν διὰ ἀντιγραφῆς προστάξας κ. τ. λ. Mitis edictis persecutionem aduersus nostros commotam sedauit: vtque religionis nostræ *Antistites* secure munus suum obirent, rescripto præcepit.
Id. lib. VIII. c. VI. Τοὺς πανταχόσε τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας εἱρκταῖς καὶ δεσμοῖς ἐνείρειν πρόσταγμα ἐφοίτα βασιλικόν. Promulgatum est Imperatoris edictum, vt omnes vbique ecclesiarum *Antistites* (seu *Præpositi*) vincti in carcerem traderentur.

(s) Iustin. Mart. Apol. II. p. 97. (Edit. Parif. CIↃ IↃC XXXVI.) Ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, deinde, ei *qui* fratribus *præest*, offertur panis & poculum aquæ & vini.
Gregor. Nyssen. Tom III p. 306 (edit MDCXXXVIII.) Χρὴ δὲ τοὺς προεστῶτας τοῦ πνευματικοῦ τούτου χοροῦ κ. τ. λ. Oportet eos, qui huic spirituali choro *præficiuntur* &c. - - οὕτως οὖν χρὴ τοὺς προεστῶτας ἐπιμελεῖσθαι τῶν ἀδελφῶν. Sic igitur *Præpositos* oportet fratrum curam habere.

(t) Euseb. lib VIII. c. II. Μετ' οὐ πολὺ ἑτέρων ἐπιφοιτησάντων γραμμάτων προσετέτακτο τοὺς μὲν ἐκκλησιῶν προέδρους πάντας τοὺς κατὰ πάντα τόπον πρῶτα μὲν δεσμοῖς παραδίδοσθαι· εἶθ' ὕστερον πάσῃ μηχανῇ θύειν ἐξαναγκάζεσθαι. Non multo post aliæ rursus litteræ superuenerunt, quibus mandabatur, vt omnes vbicumque *ecclesiarum antistites* primum quidem coniicerentur in vincula; deinde vero Diis sacrificare omnibus modis cogerentur.
Id. de Martyr. Palæst. c. II. Ταῦτα μὲν ἔτει πρώτῳ τοῦτον ἀπετελεῖτο τὸν τρόπον κατὰ μόνων τῶν τῆς ἐκκλησίας προέδρων ἐπηρτημένου τοῦ διωγμοῦ. Hæc primæ persecutionis anno in hunc modum gesta sunt, cum aduersus solos *ecclesiarum præsides* persecutionum immanitas desæuiret.

(u) Philostorg. Hist. lib III. n. IV. Τὴν δὲ πρεσβείαν ὑπελθόντα καὶ ἐφόρου λαβεῖν παρὰ τῶν ὁμοδόξων ἀξίωμα. At enim legatione suscepta *Ephori* quoque *dignitatem* ab homodoxis accepisse. Ibid. n. XV. - - Καὶ Παυλίνου μὲν ἀκροάσασθαι πρότερον, ὃς ἐκ τῆς ἐφορείας Τύρου εἰς τὴν τῆς Ἀντιοχείας κατέστη - - Pau-

§. VI.

§. VI.

Principes Sacerdotum, Pontifices Maximi, Summi Sacerdotes &c.

Et cum non populo tantum, sed Clericis etiam præessent, idcirco *Summi Sacerdotes, Pontifices Maximi & Principes Sacerdotum* honoris caussa nominabantur. Auctor sub nomine AMBROSII [w] verbis expressis *Principes Sacerdotum* eos nuncupat. Atque ita nomen *summi Sacerdotis* ab HIERONYMO crebro adhibitum videas. Exempli caussa cum de se ipse loquens ait; *Omnium pene iudicio dignus summo Sacerdotio decernebar*, quod de Episcopatu se intelligere ipse explicat [x]. Et alio loco [y]: *Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet* Idem nomen omnibus Episcopis ab Auctore [z] *Quæstionum in Vetus & Nouum Testamentum* sub nomine AVGVSTINI tribuitur. SIDONIVS [a] eos *summos Pontifices* vocat; vbi de solis Galliæ Episcopis loquitur. Vnde TERTVLLIANVS [b] Episcopo *Romano Pontificis maximi* titulum adsignans non maiore eum honore adficit, quam qui eo tempore cuiuis in orbe terrarum Episcopo tribui solebat. Sunt etiam, qui ipsum non speciatim Episcopum *Romanum* intelligere, sed reliquos omnes sub hac appellatione comprehendere, arbitrantur. Vti certe Concilium *Agathense* facit, quum [c] vnumquemque Metropolitanum iubet suffraganeos suos ad *Ordinationem summi Pontificis* conuocare; id quod non de

---

linum quidem primum audiuisse, qui ex *Ephoria Tyri ad Antiochenam* translatus fuerat.

(w) Ambros. Com. in Eph. IV. In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc est *princeps sacerdotum.*

(x) Hieron. Ep. IC. ad Asellam.

[y] Id. Dial c. Lucif. p. 139.

[z] Aug. Quæst. Vet. & N. Test. c. CI. Quid est Episcopus, nisi primus Presbyter, id est, *summus sacerdos.*

[a] Sidon. lib. IV. c. XI. Nam de *Pontificis* tenore *summi*, ille insignia sumsit, hic laborem. Lib. VII ep. V. Bituricas de ceto ciuium petitus adueni. Caussa fuit euocationis titubans ecclesiæ status: quæ nuper *summo* viduata *Pontifice*, vtriusque professionis ordinibus ambiendi sacerdotii quoddam classicum cecinit.

[b] Tertull. de Pudicit. c. 1. *Pontifex* scilicet *Maximus*, quod est, Episcopus Episcoporum edicit: Ego & moechiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.

[c] Conc. Agath. Can. XXXV. (Tom. IV. Concil. p. 1389.) Si metropolitanus Episcopus ad comprouinciales epistolas direxerit, in quibus eos aut *ad ordinationem summi Pontificis*, aut ad synodum inuitet &c.

Romani Pontificis, ſed de *Gallicorum* Epiſcoporum, qui Metropolitani prouinciæ ſiue iurisdictioni ſubſunt, ordinatione intelligendum eſt. Tunc enim, vt vidimus, omnes Epiſcopi *Summi Pontifices* dicebantur.

§. VII.

Quilibet Epiſcopus olim Papa, *Pater ſalutatus.*

Eadem ratio nominis *Papa* eſt, etiamſi *Romani* Epiſcopi illud ſibi ſolis tamquam prærogatiuam & priuilegium arrogent. Nonnulli quidem hiſtorici (*d*) non dubitant confidenter adſerere, CYRILLVM ALEXANDRINVM primum iſtius regionis Epiſcopum fuiſſe, cui iſte honor contigerit, vt *Papa* ſalutaretur, & id quidem ideo, quod *Cæleſtini* Papæ Legatus in Concilio *Epheſino* fuerit. Scriptores *Arabici*, HOMAIDIVS & ABVBACRVS HABBASIDES, ab ECHELLENSI & PEARSONIO (*e*) Epiſcopo citati, aliam prorſus hiſtoriam recitant; id nominis videlicet Patriarchæ *Alexandrino* primum datum, & poſtea *Romam* delatum eſſe: quod illi eo videntur dicere, vt *Romanenſibus* huius appellationis priuilegium, quod ſibi ſolis vindicare ſatagunt, adimant. Sed vt ex vero dicamus, quod res eſt, non erat hoc huius illiusue Patriarchæ priuilegium peculiare, ſed communis omnium Epiſcoporum titulus, quippe qui vocabantur (*f*) *Eccleſiæ Patres* & *Patres* (*g*) *Clericorum*; *Papa* autem nihil amplius ſignificat. Hinc TERTVLLIANVS in libro de *Pudicitia* c. XIII. de certo quodam chriſtiano Epiſcopo, Pœnitentes recipiente loquens, *Benedictum Papam* eum nuncupat. Si vero cum aliis ſupponamus, eum de Epiſcopo *Romano* ſpeciatim loqui, nihil eximii in hoc ipſo eſt: Nam DIONYSIVS (*h*), Presbyter *Alexandriæ*, eodem tempo-

[*d*] Nicephorus propterea citatur & caſtigatur a Sauarone. Vid. Sauar. Not. in Sidon. lib. VI. Ep I.

[*e*] Pearſon Vindic. Ignat. part. I. c. XI. p. 330. (p. 179. edit. Cantabrig. A. 1672.)

(*f*) Aug. Com. in Pſal. XLV. Ipſa Eccleſia *Patres* illos appellat. Chryſoſtom. Hom. III. ad Popul. Antioch.

[*g*] Hieron. Ep. LXII. ad Theoph. Epiſcopi contenti ſint honore ſuo. *Patres* ſe ſciant eſſe non Dominos.

Idi Ep. III. (Tom. I. p. 15. b. edit. Fr.) Quanto magis tu & auunculus & *Epiſcopus*, hoc eſt, & in carne & *in Spiritu Pater*. Comment. in Pſalm. XLV. &c.

(*h*) Dionyſ. Ep. ad Philem. ap. Euſeb. lib. VII. c. VII. *Τοῦτον ἐγὼ κανόνα καὶ τὸν τύπον παρὰ τοῦ μακαρίου πάπα ἡμῶν Ἡρακλᾶ παρέλαβον.* Hanc ego regulam & formam a *beatiſſimo Papa noſtro Heracla* accepi.

re de *Heracla* Episcopo suo loquens, itidem eum vocat *Beatissimum Papam Heraclam:* Et ipse ARIVS (*i*) in epistola quadam sua eamdem appellationem de *Alexandro* Episcopo suo adhibet. HIERONYMVS (*k*) eodem nomine *Athanasium*, *Epiphanium* & *Paulinum* appellat. Et frequentes mittens epistolas *Augustino*, semper eas (*l*) inscribit: *Beatissimo Papæ Augustino.* Ita epistolæ ad *Cyprianum* datæ plerumque eadem ratione inscriptæ sunt (*m*) *Cypriano Papæ.* Quid? quod ab ipso Clero *Romano* (*n*) *benedictus Papa* & *beatissimus* atque *gloriosissimus Papa* CYPRIANVS salutetur. Facile esset, plura alia testimonia subiungere ex EPIPHANIO, epistolis CONSTANTINI, *Codice Theodosiano*, & speciatim ex SIDONIO APOLLINARI, (*o*) qui vbique quemuis Episcopum *Galliæ Dominum Papam* appellat. At vero rem tam manifestam pluribus persequi nihil attinet, præsertim vbi eruditus quidam *Romanensis* (*p*) e posterioris æui scriptoribus PHOTIO & GREGORIO TVRONENSI probare studuit, *Papam* commune omnium episcoporum nomen per aliquot retro sæcula fuisse: qui etiam ex BALSAMONE obseruat, quod hoc nomen nonnumquam inferioris quoque ordinis Clericis datum sit, vtpote qui *Papæ Pisinni*, ipsorumque vertices in orbem detonsi παπολῆτραι, h. e. *detonsæ Patrum coronæ*, dicti sint. Quorum intuitu BALSAMON (*q*) Presbyteros & *Chor-*

(*i*) Arius Ep. ad Euseb. Nicom. ap. Theod. lib. I. c. V. & apud Epiph. Hæres. LXIX. Arian. n. VI. Ἄρειος ὁ διωκόμενος ὑπὸ Ἀλεξάνδρου Πάπα ἀδίκως διὰ τὴν πάντα νικῶσαν ἀλήθειαν, Arius, quem *Alexander Papa* iniuste ob victricem omnium veritatem iniuste insequitur.

(*k*) Hieron. Ep. LXI. ad Pammach. (Tom. II. Edit. Francof. p. 112.) Habes *Papam Epiphanium.* Ibid. Excepto *Papa Athanasio* & *Paulino.*

(*l*) Idem Ep. XVII Domino vere sancto & *beatissimo Papæ Augustino*, Hieronymus in Christo salutem. Ita etiam in Epist. XVIII. XXV. XXX.

(*m*) Cypr. Ep. XXX. *Cypriano Papæ*, Presbyteri & Diacones Romæ consistentes salutem. Ep. XXXI. *Cypriano Papæ* Presbyteri & Diaconi Romæ consistentes, salutem. Ep. XXXVI. *Cypriano Papæ* Moyses, & Maximus Presbyteri &c.

(*n*) Ep. VIII Cleri Rom. & Cler. Carth. ibid. Didicimus secessisse *Benedictum Papam Cyprianum.* Ep. XXX. Cler. Rom. ad Cypr. *Beatissime ac gloriosissime Papa.*

(*o*) Sidon. lib. VI. Ep. I. Domino *Papæ Lupo.* Lib. VI. Ep. II. *Papæ Pragmatio.* Lib. VI. Ep. III. Domino *Papæ Leontio* &c.

(*p*) Sauaro Com. in Sidon. lib. VI. epist. I. p. 379.

(*q*) Balsam. Com. in Can. LIX. θεμάτιον ἐγκρατῆ τὸν πρεσβύτερον ἤτοι [illegible]

episco-

epiſcopos Protopapas & *Protopapades* ſeu Principes Patrum nuncupat; vtens ſui ipſius æui ſtilo, vbi inter *Chorepiſcopos* & Presbyteros nulla prorſus erat differentia.

§. VIII.

Pater Patrum & Epiſcopus Epiſcoporum.

Verum tamen honorificentiore adhuc titulo, quam *Papæ* appellatione, ornabantur Epiſcopi: Plerumque enim *Patres Patrum* & *Epiſcopi Epiſcoporum* ſalutabantur. Primus, cui illud nomen tributum, fuit *Iacobus* Epiſcopus *Hieroſolymitanus*; qui *Pſeudo-Clementum Romanum* (*r*) epiſtolam iuſſit exarare (quaſi ad ſe datam) hac quidem inſcriptione: CLEMENS IACOBO *Domino, Epiſcopo-Epiſcoporum* &c. Ad quam epiſtolam SIDONIVS APOLLINARIS (*s*) manifeſto alludit, cum ad *Lupum*, famigeratiſſimum *Galliæ* Epiſcopum ſcribens, dicit: *Tu, Pater Patrum & Epiſcopus Epiſcoporum & alter ſæculi tui Iacobus.* Ex his intelligimus, quæ ſit TERTVLLIANI (*t*) ſententia, cum de Epiſcopis Catholicis adulteros, cum reſipuiſſent, in Eccleſiæ communionem recipientibus ironice loquens, *Audio etiam*, inquit, *edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & Mechiæ & Fornicationis delicta pœnitentia defunctis dimitto.* Nonnulli (*u*) hoc pro peculiari & proprio Epiſcopi *Romani* charactere accipiunt: neque ego inficias ibo, TERTVLLIANVM eum potiſſimum ſpectaſſe: at nihil hæc appellatio ſingulare habet, quod non æque aliis ac ei competat, vt ex iis, quæ iam e SIDONIO adtulimus, apparet. Cui addi licebit

ἐκκλησιαστικῶν τυχὸν χωρεπίσκοπον προβληθέντα, καὶ πρωτοπάπαν κ. τ. λ. Finge Presbyterum poſſidere bona eccleſiaſtica, vt qui ſit forte promotus chorepiſcopus, vel *Protopapa* &c.

(*r*) Pſeudo-Clem. Ep. I. ad Iacobum.

(*s*) Sidon. lib. VI Ep. I.

(*t*) Tertull. de Pudicit. c. I.

(*u*) Baron. an. CXLII. n. IV. In ipſam *Eccleſiam Romanam* inſaniens eam dente canino *dilacerat Tertullianus*, recitans & impugnans *Victoris Romani Pontificis* edicti verba, ait: *Audio etiam* edictum propoſitum &c. Id. an. CCXVI. n. IV. - aduerſus *Romanum Pontificem*, quaſi pudicitiæ refragatorem & adverſarium, eo quod moechis & fornicariis poenitentibus veniam ſpopondiſſet, ſtilum procaciter acuens, ait: *Audio etiam* &c. Georg. Ambianas Obſerv. in Tertull. Tom. III. p. 633.

teſti-

testimonium ATHANASII, (w) qui *Hosium Patrem Episcoporum* vocat. Et GREGORIVS NAZIANZENVS (x) suo ipsius Patri idem nomen tribuit; nec non HIERONYMVS (y), EPIPHANIO, *omnium Episcoporum Patrem* eum appellans. COTELERIVS (z) obseruat, quod GREGORIVS NAZIANZENVS a Concilio *Niceno* secundo πατὴρ πατέρων nuncupatus sit; & alii, (a) THEODOSIVM Imperatorem CHRYSOSTOMO defuncto idem nomen honorificum dedisse, perhibent. Quod ad horum nominum rationem attinet, probabile est, non nullis Episcopis ea singularium meritorum intuitu, aliis vero propter sedis eorum eminentiam, fuisse adsignata; vti Episcopo *Alexandriæ*, qui BALSAMONI (b) aliquot sæcula post *Pater Patrum* dicitur. Erat autem caussa quædam adhuc generalior, cur omnes Episcopi ita nuncuparentur, vt ex EPIPHANIO (c) colligere possumus; qui dicit: *Episcoporum ordo ad gignendos Patres* (Ecclesiæ) *præcipue pertinet. Huius enim est Patrum in Ecclesia propagatio*; hoc est, Episcopi Episcopos ordinant; cum e contrario Presbyteri filios tantum per baptizandi potestatem, qua pollebant, possint producere. Idcirco, etiamsi non numquam Presbyteros *Patres* dictos esse legamus, non inueniemus tamen, quempiam istius ordinis *Patrem Patrum* appellari. Neque vero heic prætereundum erit, quædam horum nominum a

(w) Athan Epist. ad solitar. Vit. agentes Tom. I. p 837 (p 373. a edit. Paris. 1698.) Ὅτε Λιβέριος ἐπίσκοπος Ῥώμης ἐξωρίσθη καὶ ὁ πατὴρ τῶν ἐπισκόπων ὁ μέγας Ὅσιος vbi Liberius Romanus episcopus aut *Pater Episcoporum* magnus *Hosius* in exilium eiectus est.

(x) Naz. Orat. XIX. de funere Patr. p. 314. Πάντας ἀρχιερέας ὢν ἐκλήθης πατήρ.

(y) Hieron. Ep. LXI. (Tom. II. edit. Francof. p. 114. a) Licet ipse nominis tui extenues dignitatem, cum *Patrem* pene omnium *Episcoporum* & antiquæ reliquias sanctitatis & opere & sermone despicias.

(z) Coteler. Not. in Ep. Clem. p. 605. Auctori Quæstionum ad orthodoxos apud Iustinum cap. CXIX. Paulus πατέρων πατὴρ, vt *Gregorius Nyssenus* Concilio *Niceno* II. Actione VI. & Clemens noster Anastasio Sinaitæ Quæst. CVI. p. 526. - - dicitur.

(a) Niceph. lib. XIV. c. XLIII. Ἀλλὰ σύ γε πάτερ πατέρων ἀληθῶς τιμιώτατε κ. τ. λ. At tu *Pater Patrum* vere reuerendissime &c.

(b) Balsam Resp. ad Interrogat. Marci ap. Leunclav. Ius Gr. Rom. Tom. I. lib. V. p. 362 Κύριος Μάρκος πατέρων πατὴρ ὑπάρχων κ. τ. λ. Dominus Marcus *Pater* existens *Patrum*.

(c) Epiph. Hær. LXXV. Aërian. n. IV. ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις· πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ.

Patri-

Patribus *Africanis* cum approbatione numquam esse adoptata; eo quod Episcopi *Romani* illis abuti inciperent, vt potestatem suam in vicinos suos vsurpatam stabilirent. Propterea in duobus Conciliis *Carthaginensibus*, quorum alterum (*d*) sub *Cypriano*, alterum (*e*) *Augustini* ætate celebratum est, istæ appellationes, *Episcopus Episcoporum*, *Princeps Sacerdotum* & *Summus Sacerdos* improbatæ fuerunt atque prohibitæ, ita quidem, vt ne primæ sedis Episcopo istorum vsus permissus sit. Sed hac de re pluribus, vbi de Metropolitanis dicendum erit.

§. IX.

Episcopi interdum vocati Patriarchæ.

GREGORIVS NAZIANZENVS rhetorico vtens scribendi genere Episcopis vbique nomen *Patriarchæ* tribuit; quo ipso Patriarchas proprie sic dictos non intelligit, quemadmodum vocabulum illud postea in Ecclesia, ad denotandum nimirum amplissimæ sedis Episcopos, qui primarios Episcopos ac Metropolitanos sub se habeant, accipi consueuit; sed quoscumque Episcopos, quæ suæ ipsorum familiæ, hoc est, Ecclesiæ sibi commissæ, capita erant. Ita patrem suum *Patriarcham* appellat (*f*), quamquam *Nazianzi*, quod oppidulum est *Cappadociæ* sub *Cæsarea* metropoli situm, Episcopus fuerat. Et in Oratione sua (*g*), quam in Concilio *Constantinopolitano* recitauit, omnibus reliquis Episcopis, de *Arianorum* conquerens crudelitate, idem nomen adsignat. *Annon*, inquit, *publicas senum Episcoporum aut, vt aptiore verbo vtar, Patriarcharum cædes (passi sumus?)* Alio loco (*h*) de fraudibus & peruersis viis, quibus æui sui Episcopi in fun-

(*d*) Conc. Carth. ap. Cyprian. p. 229. Neque enim quisquam nostrum *Episcopum Episcoporum* se constituit, aut Tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit.

(*e*) Conc. Carth. III. c. XXVI. (Tom. II. Conc. p. 1171.) Vt primæ sedis Episcopus non appelletur *Princeps sacerdotum* aut *summus sacerdos*, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.

(*f*) Nazian. Orat. XIX. p. 312. ἐχρῶντο πατριάρχῃ καὶ νομοθέτῃ καὶ δικαστῇ, eo *Patriarcha*, legislatore, & iudice vtebantur.
Id. Orat. XLI. p. 675. ὁ σεμνὸς Ἀβραὰμ οὗτος ὁ πατριάρχης, ἡ τιμία κεφαλή, Venerandus hic Abraham *patriarcha ille*, illud carum & augustum caput.

(*g*) Id. Orat. XXII. p. 525. οὐ πρεσβυτέρων ἐπισκόπων οἰκειότερον δὲ πατριαρχῶν, εἰπεῖν σφαγὰς δημοσίας (πεπόνθαμεν.)

(*h*) Id. Cygn. Carm. de Episcopis Tom. II. p. 308. b.

ctiones

ctiones suas se insinuauerant, questus, ita tandem eis valedicit: *Valete: Insolentes estote: Patriarchatus per sortes inter vos distribuite. Magnus hic mundus vobis cedat. De locis aliis in alia migrate: Hos deiicite, illos attollite.* Ex quibus manifestum est, non de Patriarchis proprie sic dictis eum loqui, sed de quibusdam tantum ambitiosis Episcopis, qui summa imis miscentes, munera ecclesiastica pro lubitu his illis conferebant. GREGORIVS NYSSENVS eamdem appellationem de Episcopis adhibet in Oratione sua funebri in *Meletium*, quam in Concilio *Constantinopolitano* habuit, vbi omnes Episcopos in isthoc Concilio congregatos *Patriarchas* nominat. *Videte*, inquit (*i*), *hosce Patriarchas: omnes isti filii nostri Iacobi sunt:* intelligens *Meletium*, quem sæculi sui *Iacobum* vocat & reliquos Patriarchas, alluditque ad duodecim Patriarchas, qui *Iacobi* erant filii. Ita Episcopi communiter appellabantur, ad illud vsque tempus, vbi nomen Patriarchæ eminentiorum Episcoporum, vt *Romani*, *Constantinopolitani* &c. proprium esse cœpit. MARCA (*k*) etiam, *Athalarium* & reliquos *Gothorum* reges in *Italia* omnes suæ ditionis Episcopos eodem nomine Patriarchas appellasse, auctor est.

§. X.

Et Vicarii Christi.

Silentio prætereundum heic haud fuerit, omnes etiam Episcopos antiquis temporibus *Vicarios Christi* appellatos esse, quæ appellatio non minori eis iure competebat, quam illis, qui posterioribus temporibus eam sibi solis vindicare ausi sunt. Auctor Quæstionum (*l*) sub nomine AVGVSTINI vnumquemque Episcopum *Dei Vicarium* esse, aperte profitetur. CYPRIANVS in diuersis Epistolis (*m*) idem dicit, nimirum quemlibet Episcopum esse *Vice Christi.* Et hæc eius sententia est in illo ad *Cornelium* epistolæ

(*i*) Gregor. Nyssen. Orat. de Fun. Melet Tom III. p 589 Edit. Paril. Ὁρᾶτε τὰς πατριάρχας τούτους· πάντες οὗτοι τέκνα τοῦ ἡμετέρου εἰσὶν Ἰακώβ.

(*k*) Marca Dissert de Primatib. n. XX. p. 112. (p. 21 edit. Francof. MDCCVIII.) Dictus vero est *Patriarcha* (Episcopus Aquileiensis) eo quod *reges Gothorum Italiæ regni episcopos Patriarcharum* nomine ornarent, quemadmodum testatur epistola Athalarici regis ad Ioannem Papam apud Cassiodorum lib. IX Epistolar.

(*l*) Aug Quæst. Vet. & Nov. Test. c. CXXVII. Antistitem Dei puriorem cæteris esse oportet - Est enim *Vicarius eius.*

(*m*) Cypr. Ep. LXIII. ad Cæcil. Ille sacerdos *vice Christi* vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur.

loco, vbi (*n*) dicit; *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos & ad tempus Iudex Vice Christi cogitatur.* Hoc de omnibus vniuersi orbis Episcopis intelligi debet, vt RIGALTIVS (*o*) libenter fatetur; vt adeo CYPRIANI verbis nimium quantum abutantur, eiusque sententiam inuertant, qui de solis Episcopis *Romanis* eam exponunt. BASILIVS (*p*) hunc titulum ad omnes Episcopos extendit, quod & Auctor sub nomine AMBROSII (*q*) facit, sub quo HILARIVS, ecclesiæ *Romanæ* quidam Diaconus, creditur delitescere; qua in re grauiter certe & sine vlla venia errasset, nisi tunc temporis, hoc nomen aliis æque ac Episcopo *Romano* dare, vbique moris fuisset.

§. XI.

Et Angeli Ecclesiæ.

Vnius autem adhuc nominis mentionem faciam, quo Episcopi *Angeli Ecclesiæ dicti* fuerunt; quam appellationem ab *Paulo* 1 Cor. XI, 10. vsurpatam esse nonnulli Auctores (*r*) existimant, vbi dicit: *debet mulier potestatem habere in capite propter Angelos*; hoc est *Episcopos*, ait HILARIVS diaconus loco iam memorato. Sic idem Auctor illa verba *Ioannis* Apoc. I, 20. intelligit: *Septem illæ stellæ angeli (s) sunt septem ecclesiarum.* Quæ & AVGVSTINI (*t*) est interpretatio & EPIPHANII (*u*), qui dicit, per

(*n*) Cyprian. Ep. LV. al. LIX. ad Cornel.

(*o*) Rigalt. in loc. Ecce autem *Episcopos* suo iam Cypriani *vicarios Christi.*

(*p*) Basil. Constit. Mon. c. XXII. Tom. II p. 792. Ὁ καθηγούμενος οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ ὁ τοῦ σωτῆρος ὑπέχων πρόσωπον. Nihil aliud antistes, quam is qui personam Christi sustinet.

(*q*) Ambros. Com. 1 Cor. XI, 10. Episcopus *personam* habet *Christi* -- *Vicarius Domini* est &c. Auctor Constitut. Episcopum vocat, ἐπίγειον Θεὸν, quando lib. II. c. XXVI. dicit: οὗτος ὑμῶν ἐπίγειος Θεὸς μετὰ Θεὸν, ὃς ὀφείλει τῆς παρ' ὑμῶν τιμῆς ἀπολαύειν. Hic vobis post Deum *terrenus Deus*, cui honorem debetis præstare.

(*r*) Ambrosiaster ibid. *Angelos Episcopos* dicit, sicut docetur in Apocalypsi Ioannis.

(*s*) Pseudo Ambros. in 1 Cor. XI, 10 *Angelos Episcopos* dicit, sicut docetur in Apocalypsi Ioannis.

(*t*) Aug. Ep. CLXII. Diuina voce laudatur sub *Angeli* nomine præpositus Ecclesiæ.

(*u*) Epiphan. Hær. XXV. Nicolait. n. III. ὃς γράφων μιᾷ τῶν ἐκκλησιῶν ἐκ προσώπου Κυρίου, τουτέστι τῷ ἐπισκόπῳ τῷ ἐκεῖσε κατασταθέντι, σὺν τῇ δυνάμει τοῦ ἁγίου ἀγγέλου τοῦ ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, φησὶ κ. τ. λ. Qui (Ioannes) ad vnam Ecclesiarum ex Christi Domini persona scribens, siue ad *Episcopum*, qui ei præpositus fuerat, cum *Angeli sancti* virtute, qui in altari erat, ita loquitur: &c.

Ange-

Angelos heic non debere intelligi Angelos cælestes (vti ORIGENIS est opinio, qui vnicuique ecclesiæ Angelum custodem (w) assignat) sed harum septem ecclesiarum Episcopos seu moderatores. Hinc sequentibus sæculis Episcopi vocabantur *Angeli Ecclesiæ:* Quemadmodum SOCRATES (x) *Serapionem*, qui apud *Thmuitas* erat Episcopus, *Thmuitarum Ecclesiæ Angelum* appellat. Et Auctor *breuium notarum* (y) in *Timotheum*, sub nomine HIERONYMI delitescens, quemuis Episcopum *Dei omnipotentis Angelum* esse dicit. HAMMONDVS (z) e quodam MSCto *Saxonico* Episcopos lingua nostra Anglicana antiquitus *Gods Bydels*, hoc est, Dei Nuntios, seu Ministros, appellatos esse, obseruauit, quemadmodum illud ex HENRICI SPELMANNI Glossario in voce *Bedellus* interpretatur.

Et huc vsque de antiquis honorum titulis, qui omnibus Episcopis in ecclesia primitiua indiscriminatim fuerunt assignati.

LIBRI SECVNDI CAPVT TERTIVM

DE OFFICIIS EPISCOPI, TAMQVAM DISTINCTIS A PRESBYTERIS.

§. I.

Triplex differentia inter Episcopos & Presbyteros, quod ad officii ac functionis eorum administrationem attinet.

NVnc ad *officium Episcopale* & *functionem* ipsam considerandam venimus. Qua in re vt antiquitatis monumentis conuenienter nos geramus, triplex discrimen Episcopos inter & Presby-

(w) Orig. Hom. XX. in Num. Tom. I. p. 251. Opus est *angelis*, qui *præsint operibus sanctis*, qui æternæ lucis intellectum & occultorum Dei agnitionem ac rerum diuinarum scientiam docent. Vid. Andr. Cæsar. Ἄγγελοι φύλακες Comment. in Apoc. I, 20.

(x) Socrat. lib. IV. c. XXIII. Ὁ τῆς Θμουιτῶν ἐκκλησίας ἄγγελος Σαραπίων.

(y) Hieron. 1. Tim. III quanto magis sacerdos legem exquiret, *quia Angelus Dei omnipotentis* est.

(z) Hamm. Adnot in Apocalyps. I, 20. *Angeli* hic sunt sine dubio *Rectores septem illarum Ecclesiarum.*

Andr. Cæsar. in Apoc. I. 20. ἑπτὰ ἐκκλησίαις ἰσάριθμοι ἔφοροι Ἄγγελοι. Septem ecclesiis totidem erant *Ephori Angeli.*

teros, quod ad officiorum ecclesiasticorum administrationem attinet, obseruandum nobis erit. Nam I. in communibus officiis, quæ Presbyteris more consueto concedebantur, exempli caussa, *verbi diuini prædicatio, baptismi administratio, S. eucharistiæ distributio* &c. hæc obuia erat differentia Episcopum inter & Presbyterum, vt alter quidem absoluta & omni subiectione immuni potestate ageret; alter vero ab Episcopo suo dependeret, eique subiectus esset; cuius ex mandato & directione, quatenus Deo non erat contraria, viuere, nec quidquam ipso non consentiente, nedum interdicente, agere debebat: vt ita, etiamsi inter res ipsas, quæ peragebantur, nullum discrimen esset, tamen quod ad potestatem, qua quisque ageret, vera differentia intercederet. Hanc obseruationem non vbique fieri inuenias, licet cum in potestatis Episcopi & Presbyteri iustis limitibus constituendis, tum Ecclesiæ primitiuæ praxi explicanda insignem vsum habeat. II. Quædam functiones Presbyteris numquam credebantur, nec si vel maxime ab iis peractæ essent, approbabantur; vt Ordinatio Episcoporum, Presbyterorum &c. III. Episcopi potestatem sibi semper reseruabant, Presbyteros suos ad rationem reddendam vocandi, eosque ob malam officii administrationem reprehendendi; quod Presbyteris in Episcopum suum non licebat, quippe cui, tamquam præposito, semper subiecti erant & subordinati. Hæc paullo explicatius proposita eo valebunt, vt de Episcopi officio, tamquam distincto ab officio Presbyteri in Ecclesia primitiua, recte nobis constet.

§. II.

1. *In communibus functionibus, quæ ab vtrisque peragi poterant, Episcopus quidem potestate agebat libera & absoluta, Presbyteri autem tamquam dependentes ab Episcopo, eique subordinati.*

Primum igitur notandum est, in ordinariis & communibus functionibus, quæ ab vtrisque peragi poterant, Episcopos & Presbyteros diuersa cum potestate esse versatos. *Episcopus* Ecclesiæ erat minister liber prorsus, nec a quopiam dependens, omniaque pro absoluta sua, qua pollebat, auctoritate faciebat; *Presbyteri* vero ipsius tantum erant administri, easque

pote-

poterant obire functiones, quas Episcopus ipsis crediderat aut administrare præceperat, quas tamquam ab ipsius mandato dependentes, eique vt Præposito subiecti peragebant; nec quidquam contra eius voluntatem siue ex suo ipsorum arbitrio facere poterant. Hoc manifestum est ex multis IGNATII, CYPRIANI & antiquorum Conciliorum Canonum locis, qui omnes in hoc consentiunt, nihil debere fieri sine Episcopo; hoc est, ipso inscio, nec consentiente aut approbante. Ita IGNATIVS (*a*) in epistola ad *Smyrnæos* scribit: *Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent.* Quod tum hic, tum alibi (*b*) de eorum mandato & permissione se intelligere prodit. Concilium *Laodicenum* (*c*) eadem ratione id exprimit: *Presbyteros nihil agere sine mente Episcopi oportet.* Concilia *Arelatense* (*d*) & *Toletanum* (*e*) dicunt, *sine conscientia Episcopi.* Et Canones Apostolici (*f*) horum omnium rationem dant, dicentes: *Nam Domini populus ipsi commissus est & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.*

§. III.

Quod speciatim in baptizandi & sacram cœnam distribuendi officio ostenditur.

Hanc regulam speciatim ad baptizandi & cœnam dominicam distribuendi officium applicant. Presbyter communiter vtrumque Sacramentum administrare poterat, sed non contra voluntatem Episcopi, aut in oppositione & contradictione erga ipsum, sed eo consentiente, & mandante, adeoque in debita subordinatione erga ipsum, tamquam Præpositum suum. *Non*

(*a*) Ignat. Ep ad Smyrn. n. VIII *Μηδεὶς χωρὶς τῦ ἐπισκόπυ τι πράσσειν τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν.*

(*b*) Id. Ep. ad Polycarp. n. IV. *Μηδὲν ἄνευ γνώμης σῦ γενέσθω.*

(*c*) Concil Laod can LVII. (Tom. I. p. 1505.) *Τὺς πρεσβυτέρυς μηδὲν πράττειν ἄνευ τῆς γνώμης τῦ ἐπισκόπυ.*

(*d*) Conc. Arelat I. c. XIX. Vt Presbyteri *sine conscientia Episcoporum* nihil faciant (hæc allegatio erronea est.)

(*e*) Conc. Tolet I c XX. Tom. II. p 1226. *Sine conscientia Episcopi* nihil penitus Presbyteri agere præsumant:

(*f*) Can Apost c XXXIX *Οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι ἄνευ γνώμης τῦ ἐπισκόπυ μηδὲν ἐπιτελείτωσαν· αὐτὸς γάρ ἐστιν ὁ πεπιστευμένος τὸν λαὸν τῦ κυρίυ, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν αὐτῶν λόγον ἀπαιτηθησόμενος.*

licet, inquit IGNATIVS, (g) *sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare: sed quodcunque ille probauerit, hoc & Deo est beneplacitum.* Non dicit, quod nemo nisi Episcopus hæc Sacramenta possit administrare, sed quod nemini sine venia & approbatione Episcopi id facere liceat. Et hæc est TERTVLLIANI (h) & HIERONYMI (i) sententia, cum dicunt, Presbyteros & Diaconos non habere ius baptizandi sine auctoritate & mandato Episcopi seu summi sacerdotis; & in hoc Ecclesiæ honorem versari, & sic pacem ac concordiam in Ecclesia manere saluam. AMBROSIVS (ii) idem testatur, quod, etiamsi Presbyteri baptizent, tamen non nisi Præpositi sui id faciant auctoritate.

§. IV.

Et in officio concionandi.

Idem illud circa officium concionandi seu prædicandi verbum diuinum notari potest. Hoc (k) præcipue ad Episcopos spectabat, & plerumque ab iis ipsis, speciatim in ecclesiis *Africanis*, peragebatur. Quæ caussa est, quamobrem phrasis ista *tractante episcopo* in scriptis CYPRIANI (l) toties reperiatur. Suo enim tempore concionari adeo moris & officii Episcoporum erat, vt ipsis præsentibus Presbytero concionari non liceret, ad ipsius AVGVSTINI vsque ætatem, qui, dum adhuc fuit Presbyter, a *Valerio*, Episcopo suo, & ipso quidem præsente, verbi diui-

(g) Ignat. Epist. ad Smyrn. n. VIII. *οὐκ ἐξόν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε ἀγάπην ποιεῖν, ἀλλ' ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ τῷ Θεῷ εὐάρεστον.*

(h) Tertull. de Bapt. c. XVII. Dandi ius quidem habet summus sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri & Diaconi; *non* tamen *sine Episcopi auctoritate*, propter Ecclesiæ honorem, quo saluo salua pax est.

(i) Hieron. Dialog. contra Lucifer. p. 139. Inde venit, vt *sine iussione Episcopi neque Presbyter neque Diaconus ius habeant baptizandi.*

(ii) Ambros. de Sacram. lib. III. c. I. Licet Presbyteri fecerint, tamen *exordium ministerii a summo est sacerdote.*

(k) Can. Apost. c. LVIII. *Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἀμελῶν τοῦ κλήρου, ἢ τοῦ λαοῦ καὶ μὴ παιδεύων αὐτοὺς τὴν εὐσέβειαν, ἀφοριζέσθω.* Episcopus, aut Presbyter Clerum vel populum negligens, & non docens eos pietatem, segregetur.

(l) Cyprian. Ep. LII. (Edit. Paris. p. 70.) Ego prius legeram & *Episcopo tractante* cognoueram non sacrificandum idolis &c. Ep. LVI. p. 88. Collectam fraternitatem non videat, nec *tractantes Episcopos* audiat.
Pontius in Vita Cypr. (p. 16. cit. Edit. Par.) O beatum Ecclesiæ populum, qui *Episcopo suo* tali, & oculis pariter & sensibus, & quod est amplius publicata voce compassus est, & sicut ipso *tractante* semper audierat.

ni præ-

ni prædicandi accepit poteſtatem. Quod autem POSSIDIO, (m) qui vitam eius ſcripſit, obſeruante adeo inſolens & inuſitatum fuit in eccleſiis *Africanis*, vt multi Epiſcopi hac re magnopere offenſi ei detraxerint, vsque dum iſta permiſſio bonum vſum & commodum in Eccleſia habere deprehenderetur, vbi diuerſi alii Epiſcopi Presbyteris poteſtatem atque priuilegium, ipſis præſentibus verbum Dei prædicandi, conceſſere. Vt adeo tunc gratiæ ac fauoris ſignificationem Presbyteri interpretarentur, ſi ipſis, Epiſcopis ſuis præſentibus, euangelium prædicare permitteretur, id quod prorſus in Epiſcopi poſitum erat arbitrio, vtrum permittere illud vellet an non: Et, ſi quando concionem ad populum haberent, *poteſtate accepta* id faciebant. In eccleſiis orientalibus Presbyteri frequentius concionari ſolebant, quemadmodum POSSIDIVS (n) obſeruat, quando eorum exemplo *Valerium* hunc morem in eccleſias *Africanas* inuexiſſe, adſirmat. Et HIERONYMVS (o) id non obſcure indicat, cum de hac tamquam mala quarumdam Eccleſiarum conſuetudine queritur, quod Presbyteris verbum Dei prædicare interdictum ſit. *Chryſoſtomus* diuerſas orationes diligenter elaboratas *Antiochiæ* adhuc Presbyter habuit, & idem *Conſtantinopoli* fecit *Atticus* (p). Et idem illud *Alexandriæ* (q), *Cæſareæ Cappadociæ* (r), *Cypri* &

(m) Poſſid Vit. Aug. c. V Eidem *Presbytero poteſtatem dedit coram ſe in Eccleſia euangelium prædicandi ac frequentiſſime tractandi*, contra vſum quidem ac conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum. Vnde etiam ei nonnulli Epiſcopi detrahebant. - - Poſtea bono præcedente exemplo, accepta ab Epiſcopis poteſtate, *Presbyteri* nonnulli coram Epiſcopis populo *tractare* cœperunt verbum Dei.

(n) Poſſid. ibid. Ille in Orientalibus Eccleſiis id ex more fieri ſciens, obtrectantium non curabat linguas &c.

(o) Hieron. Ep. II. ad Nepot. Tom. I. p. 10. a. Peſſimæ conſuetudinis eſt in quibusdam eccleſiis *tacere Presbyteros & præſentibus* Epiſcopis non loqui, quaſi aut inuideant, aut non dignentur audire.

(p) Socrat. lib. VII. c. II. Καὶ πρότερον μὲν ἡνίκα ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ ἐτάττετο, ἀναμαθὼν οὓς καὶ ἐποίει λόγους, ἐπ᾽ ἐκκλησίας ἐδίδασκε. Et antea quidem, quum adhuc *in Presbyterii gradu conſtitutus* eſſet, *orationes* a ſe compoſitas, quas memoriter didicerat, *in eccleſia recitabat.*

(q) Theod. lib. I. c. II. †

(r) Socrat. lib V. c. XXII. (p. 288. Edit. Valeſ. Amſtelod. CIↃ IↃC XCV.) Ἐν Καισαρείᾳ Καππαδοκίας καὶ ἐν Κύπρῳ ἐν ἡμέρᾳ σαββάτου καὶ κυριακῆς ἀεὶ περὶ ἑσπέραν μετὰ τῆς λυχναψίας, οἱ πρεσβύτεροι καὶ ἐπίσκοποι τὰς γραφὰς ἑρμηνεύουσιν Apud Cæ-

alia-

aliorum locorum Presbyteris permissum fuisse legitur. At vero id adhuc semper ab Episcoporum auctoritate in solidum pendebat, & Presbyteri non nisi ex ipsorum mandato & voluntate id faciebant: Et vbi Episcopi id prohibendi rationes idoneas sibi habere videbantur, hoc mandatum circumscribendi aut rursus abolendi habebant potestatem: quemadmodum & SOCRATES (*s*) & SOZOMENVS (*t*) testantur, qui *Alexandriæ* Presbyteris concionari interdictum esse perhibent ab eo tempore, quo ARIVS Ecclesiam turbare cœperit. Ex quibus videre est, quam potestatem antiquis Ecclesiæ temporibus in communibus & ordinariis officiis ecclesiasticis Episcopi sibi vendicarint atque exercuerint. Quod speciatim ad conciones habendas attinet, id non minus sui, quam vllius alius officii esse credebant. Tam ingens discrimen erat inter Ecclesiæ primitiuæ & Episcoporum *Romanorum* praxin in subsequentibus sæculis! quandoquidem, vt BLONDELLVS e SVRIO adnotauit, tempus fuit, vbi Episcopi Romani per integrum annorum 10. decursum nullum publice sermonem habuerunt: adeo vt, cum *Pius Quintus* aliquando verba ad populum faceret, mirabile & prodigii simile videretur: & erat id certe rarius atque insolentius, quam *sæculares ludi* in veteri *Roma* fuerunt. Vid. BLONDEL. *Apol.* p. 58. & SVR. *Comment. Rer. in Orbe gestarum.*

§. V.

II. *Functio & potestas ordinandi Presbyteris numquam concessa.*

Sed redimus ad primitiuæ Ecclesiæ Episcopos. Erant aliæ quædam functiones, quas rarissime Presbyteris credebant; & si quando eas administrandi ipsis darent negotium, non nisi summa vrgente necessitate id fieri solebat. Tales erant *Pænitentium reconciliatio*, *Neophytorum confirmatio*, *ædium ecclesiasticarum*, *Virginum* ac *Viduarum* & id genus aliorum *consecratio*; de quibus heic sigillatim plura non moneo, quia alio loco con-

---

saream Cappadociæ & in insula Cypro, die Sabbati ac dominico sub vesperam, postquam accensæ sunt lucernæ, semper Episcopi ac *Presbyteri scripturas interpretantur.*

(*s*) Socrat. ibid. Πρεσβύτερος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ οὐ προσομιλεῖ· καὶ τοῦτο ἀρχὴν ἔλαβεν, ἀφ᾽ οὗ Ἄρειος τὴν ἐκκλησίαν ἐτάραξεν. Alexandriæ Presbyter minime concionatur. Idque ab eo tempore obseruari cœptum est, quo Arius ecclesiam perturbauit.

(*t*) Sozom. lib. VII. c. XVII.

veni-

venientius ea considerari poterunt. Erat autem quædam functio, quam nulli vmquam Presbytero deferebant, vel eam administrandi dabant negotium; nimirum Clericorum superiorum, *Episcoporum*, *Presbyterorum & Diaconorum Ordinatio.* Quod omnium maxime hac in re vendicare sibi poterant, erat priuilegium imponendi vna cum Episcopo manus suas Presbytero, qui ordinabatur, dum interea Episcopus precationibus suis consecrationis ritum conficiebat. Tantum iuris a Concilio quodam *Carthaginensi* (u) illis adiudicatur, quod tamen preces in benedictione seu ordinatione verbis expressis soli Episcopo reseruat. Cum Episcoporum ordinatione nihil illis erat commercii, quippe quæ a synodo Episcoporum perficiebatur, quod magis particulatim ostendetur, vbi ad enarrandos ritus & consuetudines in ipsorum Ordinatione obseruari solitas, deueniemus. Hoc loco satis fuerit generatim demonstrare ordinandi potestatem Episcoporum fuisse prærogatiuam, eosque cum nullo vmquam Presbytero hoc priuilegium communicasse. HIERONYMI (uu) testimonium hoc in casu tam euidens est & perspicuum, vt contra illud nemo dicere quidquam queat. Eodem enim loco, vbi Presbyteris maximam prærogatiuam adsignat, potestatem tamen ordinandi excipit. *Quid enim facit*, inquit, *excepta Ordinatione*, *Episcopus*, *quod Presbyter non faciat?* CHRYSOSTOMVS (w) Presbyterorum potestatem maxime extollens iisdem fere verbis vtitur. *Inter Episcopum*, inquit, *& Presbyterum interest ferme nihil. Quippe & Presbyteris munus docendi & Ecclesiæ cura permissa est, & quæ de Episcopis dixit Paulus, ea etiam Presbyteris congruunt, sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur.* Et alio

(u) Conc. Carth. IV. Can. III. (Tom. II. Conc. p. 1199.) Presbyter cum ordinatur, *Episcopo eum benedicente* & manum super caput eius tenente, etiam omnes *Presbyteri*, qui præsentes sunt, *manus suas* iuxta manum Episcopi *super caput illius teneant.*

(uu) Hieron. Ep. LXXXV. ad Euagrium. (Tom. II. Edit. Fr. p. 221. a.)

(w) Chrysost. Hom. XI. in 1 Tim. III, 8. (Tom. VI. p. 469. Edit. Francof.) Οὐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν (πρεσβυτέρων) καὶ ἐπισκόπων· Καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι, καὶ προστασίαν τῆς Ἐκκλησίας. Καὶ ἃ περὶ ἐπισκόπων εἶπε, ταῦτα καὶ πρεσβυτέροις ἁρμόζει· Τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους.

loco (x) probat, *Timotheum* fuiſſe Epiſcopum, quod Apoſtolus de ipſius poteſtate ordinandi loquatur, præcipiens, ne cui cito manus imponat. Et tum heic, tum alibi (y) addit, Presbyterium, a quo *Timotheus* ordinatus ſit, fuiſſe ſynodum Epiſcoporum, quod, qui Presbyteri tantum ſint, poteſtatem ordinandi Epiſcopum non habeant. Poſſem heic omnes veterum Conciliorum producere Canones, qui Epiſcopis Ordinationem, (z) non autem Presbyteris adiudicant; quæ lex in primitiua Eccleſia tam exacte obſeruabatur, vt ipſe *Nouatianus* eam violare ſibi non ſumeret, ſed trium Epiſcoporum (a) cauſſa ex

(x) Id. Hom. I. in Philipp. ibid p. 7 Καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. Διὰ τοῦτο γράφων καὶ Τιμοθέῳ ἔλεγε, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, ἐπισκόπῳ ὄντι. ὅτι γὰρ ἐπίσκοπος ἦν, φησὶ πρὸς αὐτὸν, χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει. καὶ πάλιν, ὃ ἐδόθη σοι μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου· οὐκ ἂν δὲ πρεσβύτεροι ἐπίσκοπον ἐχειροτόνησαν. Ipſe etiam Epiſcopus vocabitur Diaconus. Id circo ad Timotheum ſcribens, inquit: *Diaconiam*, id eſt, *miniſterium tuum, imple*, quum tamen ille Epiſcopus eſſet: Quod conſtat ex verbis illis ad eumdem ſcriptis: *Manus cito nemini impoſueris.* Et rurſus, *quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii.* *Presbyteri* vero *Epiſcopum non ordinaſſent.*

(y) Chryſoſt. Hom. XIII. in 1 Tim. IV, 14. Οὐ περὶ πρεσβυτέρων φησὶν ἐνταῦθα, ἀλλὰ περὶ ἐπισκόπων· οὐ γὰρ δὴ πρεσβύτεροι τὸν ἐπίσκοπον ἐχειροτόνουν. Non de Presbyteris hoc in loco ſed de Epiſcopis loquitur. *Neque* enim profecto *Presbyteri ipſum Epiſcopum ordinant.*

(z) Concil Nic. c. XIX. (Tom. II. p. 37) - - ἀναβαπτισθέντες χειροτονείτωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου -- rebaptizati ordinentur a catholicæ eccleſiæ *Epiſcopo.* -

Concil. Antioch. c. IX. (Tom. II. p 565.) - ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, - vt etiam ordinent (Epiſcopi) *Presbyteros* & Diaconos.

Concil. Chalced. c. II. (Tom. IV. Conc p. 755) Εἴ τις ἐπίσκοπος - χειροτονήσῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον κ. τ. λ. Si quis *Epiſcopus* - propter pecunias ordinauerit Epiſcopum, vel Chorepiſcopum, vel *Presbyterum* vel Diaconum. &c.

Concil. Cart. III. c. XLV. (Tom. II. p. 1176) Aurelius Epiſcopus dixit: Sed *Epiſcopus* vnus eſſe poteſt, *per quem* dignatione diuina Presbyteri multi conſtitui poſſunt.

Can. Apoſt. c. I. Ἐπίσκοπος ὑπὸ ἐπισκόπων χειροτονείσθω δύο ἢ τριῶν. Epiſcopus a *duobus* aut *tribus Epiſcopis* ordinetur.

(a) Cornel Ep. ad Fabium ap. Euſeb lib. VI. c XLIII. Cum epiſcopatum ſibi a Deo minime conceſſum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratæ ſalutis homines ſibi ſocios adiunxit: vt eos in exiguam ac viliſſimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos *tres epiſcopos*, homines plane rudes & ſimplices, fraudulenta quadam molitione deciperet, - - - inclusos hora decima temulentos & crapula oppreſſos, adumbrata quadam & inani *manuum impoſitione* epiſcopatum ſibi tradere per vim coëgit.

remo-

remotiſſimis *Italiæ* angulis mittere mallet, quam legitimo Epiſcoporum numero carere, qui ipſius ordinationem perficerent. Subiungo tantum obſeruationem EPIPHANII [*aa*] vniuerſali Eccleſiæ praxi fundatam, cum dicit: *Epiſcoporum ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet. Huius enim eſt patrum in Eccleſia propagatio. Alter* (Presbyterorum ordo) *cum patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione producit; non tamen patres aut magiſtros.* Noui equidem, non nullos ad HIERONYMVM [*b*] provocare, vt demonſtrent, Presbyteros *Alexandriæ* ſibi Epiſcopos ordinaſſe a tempore *Marci* ad ætatem vsque *Heraclæ* & *Dionyſii*; & alii inde probari poſſe exiſtimant, quod ipſe prorſus ordinatus haud fuerit: ſed vtrique mentem HIERONYMI minus recte capiunt, quippe qui non de Epiſcopi ordinatione loquitur, ſed eius electione; qui a Presbyteris ex proprio ipſorum collegio electus & in Epiſcopi ſedem collocatus ſit; quod iſthac ætate nihil amplius quam ſignum electionis eius erat, & ab ipſo populo non numquam peragebatur; ordinatio autem iſtum actum excipiebat & Epiſcopis prouincialibus reſeruabatur, vti poſtea oſtendetur.

§. VI.

Ordinatio per Presbyteros ab Eccleſia irrita facta.

Quæritur autem, quid moris fuerit in Eccleſia, ſi qui Presbyteri aliquem ordinare ſuſtinuerint? Vtrum eorum ordinationes validæ fuerint, an non? Reſpondeo, plerumque eas aboleri & irritas fieri conſueuiſſe. Quemadmodum ex eo conſtat, quod cum *Iſchyra* [*c*]

(*aa*) Epiph Hæreſ. LXXV. Aërian. n IV. ἡ μὲν γάρ ἐστι πατέρων γεννητικὴ τάξις· πατέρας γὰρ γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ. ἡ δὲ πατέρας μὴ δυναμένη γεννᾷν, διὰ τῆς τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίας τέκνα γεννᾷ τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μὴν πατέρας, ἢ διδασκάλους.

(*b*) Hieronym. Ep LXXXV. ad Euagr. Alexandriæ a Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant, quomodo ſi exercitus imperatorem faciat.

(*c*) Athan. Apol. p. 732. (Tom. I. p. 193. Edit. Pariſ. CIↃ IↃCXCVIII.) ὃς οὐκ ἔστι πρεσβύτερος, ὑπὸ γὰρ Κολλούθου τοῦ πρεσβυτέρου φαντασθέντος ἐπισκοπὴν, καὶ ὕστερον ὑπὸ κοινῆς συνόδου Ὁσίου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἐπισκόπων κελευσθέντος πρεσβυτέρου εἶναι, καθὸ καὶ πρότερον ἦν, κατεστάθη. Καὶ κατὰ ἀκολουθίαν πάντες οἱ ὑπὸ Κολλούθου κατασταθέντες, ἀνέδραμον εἰς τὸν αὐτὸν τόπον, εἰς ὃν καὶ πρότερον ἦσαν, ὡς καὶ αὐτὸς Ἰσχύρας λαϊκὸς ὤφθη. Qui (Iſchyras) *non erat Presbyter. Ordinatus* quippe fuit a *Colluthο Presbytero*, qui falſo Epiſcopi nomine gloriabatur, demumque in

contigit, vtpote qui a Synodo *Alexandriana* munere suo exutus est ideo, quod *Colluthus*, qui ipsum ordinarat, Presbyter tantum erat, etiamsi pro Episcopo haberi vellet: nec minus inde intelligitur, quod Presbyteri quidam a Concilio *Sardicensi* (*d*) ad Laicorum sortem reducti sunt, quod *Eutychianus* & *Musæus*, qui ministerio ecclesiastico eos initiauerant, tantum falso crediti essent Episcopi. Concilium *Hispalense* in *Hispania* [*e*] paullo vlterius progrediebatur. Presbyterum vnum & duos Diaconos officio abdicabat, quod Episcopus manus tantum, Presbytero precationes benedictionis seu consecrationis super eos pronuntiante, ipsis imposuerat. Alia quoque eiusdem generis exempla adferri possent, quæ ostenderent, quod ne Episcopis quidem Presbyteros delegare, aut eis ipsorum nomine ordinandi negotium dare permissum, sed hoc episcopali functioni in solidum reseruatum fuerit.

§. VII.

Rationes quædam, quæ in contrarium adferri solent, examinantur.

Rationes, quas hic nonnulli vrgent in contrarium, huic nostræ obseruationi non derogant. Licet enim dicant,

I. *Chorepiscopos* fuisse tantum Presbyteros, & nihilo secius

communi synodo ab Hosio & sociis eius Episcopis celebrata *ad priorem Presbyteri ordinem reductus est*. Ac consequenter quotquot a Colutho fuerant ordinati, ii sunt ad priorem reuersi conditionem, ita vt ipse quoque *Ischyras inter Laicos visus fuerit*. Vide sis etiam p. 784. (p. 137. edit. Paris.) vbi Epistola Cleri Mareotici in hanc sententiam allegatur.

(*d*) Concil. Sardic Can. XIX. (Tom. II. p. 641.) Τῆς ἐμῆς μετριότητος ἡ ἀπόφασίς ἐστιν αὕτη - - ἅπαξ τοὺς εἰς κλῆρον ἐκκλησιαστικὸν προαχθέντας ὑπό τινων ἀδελφῶν ἡμῶν ἐὰν μὴ βούλοιντο ἐπανέρχεσθαι εἰς ἃς κατωνομάσθησαν ἐκκλησίας, τοῦ λοιποῦ μὴ ὑποδέχεσθαι. Εὐτυχιανὸν δὲ μήτε ἐπισκόπου ἑαυτῷ διεκδικεῖν ὄνομα ἀλλ᾽ οὐδὲ Μουσαῖον ὡς ἐπίσκοπον νομίζεσθαι. Meæ mediocritatis hæc est sententia; - - eos qui semel in Clerum ecclesiasticum ab aliquibus fratribus nostris promoti sunt, si nolint redire ad eas, ad quas nominati sunt, ecclesias, deinceps non admitti: Eutychianum autem ne Episcopi quidem sibi nomen vsurpare; sed neque Musæum vt Episcopum existimari.

(*e*) Concil. Hispal. II. Can. V. Relatum est nobis de quibusdam Clericis, quorum dum vnus ad Presbyterum, duo ad Leuitarum ministerium sacrarentur, Episcopus oculorum dolore detentus fertur manum suam super eos tantum imposuisse & Presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse &c. *Hi gradum sacerdotii vel Leuitici ordinis, quem peruerse adepti sunt, amittunt.*

potestatem habuisse ordinandi: in hac certe opinione longe falluntur. Omnes enim *Chorepiscopi* in veteri Ecclesia reuera Episcopi erant, etiamsi aliis Episcopis subordinati; quemadmodum specialiter demonstrabo, vbi de eorum ordine loquuturus sum.

II. Obiicitur, Presbyteros ciuitatis, Episcopo quidem permittente, habuisse ordinandi potestatem; & hoc Canone quodam in Concilio *Ancyrano* [f] fuisse stabilitum. At vero hoc valde ambiguo sensu, si non corrupta lectione, istius Canonis fundatur. Omnes enim antiqui interpretes alia prorsus ratione eum explicant, nimirum Presbyteros ciuitatis nihil [g] sine permissu & mandato Episcopi in vlla parochiæ siue diœceseos parte, quæ ad eius iurisdictionem spectet, agere oportere. Quod cum eo congruit, quod antea ex Concilio *Laodiceno* & diuersis aliis Canonibus adlegaui, qui Presbyteros in ordinario functionis suæ exercitio ab Episcopis suis dependere statuunt. (Videsis supra huius Capitis §. II.) Et græca quædam exemplaria [h] id legunt, *ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ*, quod indicare videtur, quod Presbyteri in alia quadam diœcesi sacris operari sine sui ipsorum episcopi litteris dimissoriis non debeant.

III. Porro vrgetur, quod *Nouatus* Presbyter *Carthaginensis* ordinarit *Felicissimum* Diaconum. Enim vero hoc nihil amplius videtur dicere, quam quod procurarit, vt ab Episcopo quodam ordinatus sit. CYPRIANVS enim dicit, eum eodem modo *Nouatianum* [i] Episcopum *Romæ* fecisse, quo *Felicissimum* Diaconum *Carthagine* fecerit. Iam vero certum est, non ordinasse eum

---

(f) Conc. Ancyr. Can. XIII. (Tom. I. p. 1461.) *Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων, ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ.* Chorepiscopos non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed neque vrbis Presbyteros, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit, in aliena parochia.

(g) Id. ex versione Dionysii Exigui: Sed nec Presbyteris ciuitatis, sine præcepto Episcopi, amplius aliquid imperare, nec sine auctoritate litterarum eius in vnaquaque parochia aliquid agere.

(h) Cod. Can. edit. Ehinger. p. 60.

(i) Cypr. Epist. XLIX, al. LII. ad Cornel. pag. 97. edit. Oxon. Quoniam pro magnitudine sua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic maiora & grauiora commisit. *Qui istic aduersus Ecclesiam Diaconum fecerat, illic Episcopum fecit.*

Noua-

Nouatianum, ſed tantum effeciſſe, vt a tribus obſcuris *Italiæ* Epiſcopis ordinaretur. Et hoc ſenſu *Felicissimum* etiam ordinare potuit. Fac autem aliter rem ſeſe habere, ſchiſmatici tantum erat actio, a *Cypriano* & vniuerſa Eccleſia improbata.

IV. Ex CASSIANO obiicitur, *Paphnutium* Abbatem *Aegyptium* ordinaſſe quemdam *Danielem* Presbyterum. Quod ſi autem verba CASSIANI recte conſideraueris, non illud, ſed hoc tantum [*k*] velle animaduertes, quod *Paphnutius* eo rem primum deduxerit, vt Diaconus factus ſit ante, quam multi alii ipſo quidem ſeniores, & quod cogitans ipſum ſibi ſucceſſorem conſtituere, ad Presbyterii etiam honorem prouexerit. Quæ ad munus promotio Epiſcopi Ordinationem minime excludit. Scite quidem inde colligi poteſt, ab Abbate eum fuiſſe electum, quod penes ipſum ſteterit; at de Ordinatione ab ipſo peracta non æque commode intelligi poterit; quandoquidem id cum legibus & praxi Eccleſiæ pugnabat: in primis ſi conſideremus, vbi & quando *Paphnutius* vixerit, nimirum in media *Aegypto* inter vel centum Epiſcopos, & quidem ſæculo quinto, probabile non eſt, eum in re tam plana Canones Eccleſiæ migrare voluiſſe. Quare erudito cuidam viro [*l*] adſentire non poſſum, qui nihil dicit eſſe planius, nihil euidentius quam quod heic Presbyter Presbyterum ordinarit, quod non legamus ab *Theophilo* tunc temporis Epiſcopo *Alexandriæ*, vel vllo alio eius ætatis irritum fuiſſe pronuntiatum. Ego vero exiſtimo, de contrario ipſis potius conſtitiſſe, adeoque rationes defuiſſe, quamobrem id irritum declararent, quod eam ordinationem iuſto ac legitimo modo factam eſſe ſcirent.

V. Vnum tantum adhuc ex antiquis hiſtoriæ Eccleſiæ monumentis (quæ enim hodie obiici ſolent, nihil moror) ſuccurrit, quod pro ordinatione Presbyterorum quodammodo videtur militare. Et huic ſatis eſt factum in reſponſo, quod *Leo* Papa dedit quæſtioni, quam ei *Ruſticus Narbonenſis* propoſuerat, an videlicet certorum hominum ordinatio, qui a quibus-

(*k*) Caſſian. Collat. IV. c. I. A beato Paphnutio ſolitudinis eiusdem Presbytero & quidem cum multis iunior eſſet ætate, ad Diaconii eſt prælatus officium. - - Optansque ſibimet ſucceſſorem digniſſimum prouidere, ſuperſtes eum Presbyterii honore prouexit.

(*l*) Stilling. Irenic. Par. II. c. VII. n. VIII. p. 389.

dam

dam *Pseudo-Episcopis*, munus suum haud legitime & Canonico iure auspicatis, ministerio Ecclesiastico initiati erant, posset rata haberi? Cui ille respondit [*m*], si ista eorum ordinatio cum legitimorum Episcoporum istarum ecclesiarum consensu facta esset, validam & ratam haberi eam posse; alioquin irritam esse declarandam. Sed heic notandum est, hos *Pseudo-Episcopos* certo sensu fuisse Episcopos, vtpote in munere suo, etsi illegitimo modo, iam confirmatos. In aliorum enim locum tamquam schismatici sese insinuasse, aut saltem corruptis & iniquis viis munera sua auspicati esse videntur. Iam vero eiusmodi Episcoporum actus non semper rescindere aut abolere solebat Ecclesia, sed libertate sua vtens ordinationes eorum vel irritas declarabat, vel etiam confirmabat & habebat ratas, prout occasio ferebat. Hinc quamuis Concilium generale [*n*] *Constantinopolitanum* eos omnes de officio deiiceret, quotquot a MAXIMO, qui in GREGORII NAZIANZENI locum *Constantinopoli* sese ipse largitione intruserat, essent Ecclesiæ ministerio consecrati; tamen Clerici *Nouatiani* a Concilio *Nicæno* [*o*] admittebantur, vtut ab Episcopo *schismatico* ordinati; & Concilia *Africana* [*p*] Ordinationes Episcoporum *Donatistarum* approbabant, et-

(*m*) Leo Ep. XCII. ad Rustic. c. I. Si qui autem Clerici ab istis Pseudo-episcopis in eis ecclesiis ordinati sunt, quæ ad proprios Episcopos pertinebant, & ordinatio eorum *cum consensu & iudicio præsidentium facta est, potest rata haberi* &c.

(*n*) Conc. Constant. c. IV. (Tom. II. p. 947) Περὶ Μαξίμου τοῦ Κυνικοῦ, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἀταξίας τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει γενομένης· ὥστε μήτε τὸν Μάξιμον ἐπίσκοπον ἢ γενέσθαι ἢ εἶναι, μήτε τοὺς παρ' αὐτοῦ χειροτονηθέντας ἐν οἱωδήποτε βαθμῷ κλήρου πάντων καὶ τῶν περὶ αὐτὸν καὶ τῶν παρ' αὐτοῦ γενομένων ἀκυρωθέντων. Statuerunt etiam de Maximo Cynico, & eius petulantia & insolentia, quæ fuit Constantinopoli, vt Maximus episcopus nec fuerit vel sit, nec qui ab eo ordinati fuerunt ab vllo, quicunque is sit, gradu cleri, omnibus & quæ circa ipsum fuerunt & quæ ab illo facta sunt, infirmatis.

(*o*) Concil. Nic. c. VIII. Ὁ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς ἐπίσκοπος ἢ τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει· πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ, τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν. Qui apud eos qui Cathari dicuntur, nominatur Episcopus, Presbyteri honorem habebit: nisi vtique Episcopo placeat, ipsum nominis honorem impertire.

(*p*) Collat. Carthag. I die c. XVI. (Tom. II. Concil. p. 1352 post med.) Poterit quippe vnusquisque nostrum honoris sibi socio copulato, vicissim sedere eminentius, sicut peregrino episcopo iuxta considente collega &c.

iamsi

iamsi diu in schismate perstitissent & alios itidem schismaticos ordinassent. Vnde liquet, ecclesiam primitiuam discrimen aliquod adhibuisse inter Ordines ab Episcopis schismaticis collatos, & inter eos, quos meri Presbyteri contulerant. Ego iam non inquiro in huius rei fundamentum & caussas, sed praxin & consuetudinem tantum commemoro Ecclesiarum. Ex iis igitur, quæ de tota hac materia diximus, apparet, secundam differentiam Episcopos inter & Presbyteros in hoc constitisse, vt illi quidem ordinandi habuerint potestatem, hi autem nec potestatem, nec mandatum id faciendi vmquam acceperint.

§. VIII.

Tertium *discrimen inter Episcopos & Presbyteros: Presbyteri Episcopis suis rationem reddere debebant, sed Episcopi Presbyteris non item.*

Præter hæc tertium discrimen inter Episcopos & Presbyteros in Iurisdictione versabatur. Episcopi Presbyteros ad rationem reddendam vocandi, eosque ob malam muneris administrationem reprehendendi, potestatem sibi semper reseruabant; Presbyteris vero Episcopos suos reprehendere non licebat, multo minus eorum mandato & iurisdictioni sese opponere. Cum *Felicissimus* & *Augendus* excitato schismate in Ecclesia *Carthaginensi* CYPRIANO sese opponerent, comminantes omnibus cum ipso facientibus diram sacrorum interdictionem, CYPRIANVS delegatis suis (ipse tum in exilio oberrans) mandabat, vt primum suam ipsorummet sententiam aduersus illos exsequerentur, eosque propter contemtionem sui & Ecclesiæ [q] exsecrationis ecclesiasticæ vim sentire sinerent; quod a delegatis etiam ad eius voluntatem factum est, vti ex ipsorum epistola responsoria [r] apparet. Alio loco ad *Rogatianum* Episcopum, qui cum *Cypriano* & Synodo de contentioso quodam Diacono questus erat, scribens, dicit, singularem eius modestiam

(q) Cyprian. Ep. XXXVIII. al. XLI. p. 80. Cum Felicissimus comminatus sit, non communicaturos in monte (al. morte) secum qui nobis communicarent: Accipiat sententiam, quam prior dixit; vt abstentum a se nobis sciat.

(r) Cypr. Ep. XXXIX. al. XLII. ad Cypr. Abstinuimus communicatione Felicissimum & Augendum &c.

prode-

prodere, quod ad ſe caſum iſtum retulerit, quandoquidem pro Epiſcopali, qua ipſe polleret, auctoritate transgreſſorem [s] illum punire potuiſſet; in quem, ſi in peruicacia perſiſteret, poteſtate ſua vti, eumque ab officio vel penitus remouere, aut ad tempus adminiſtrationem eius illi interdicere deberet. Nihil planius eſt, nihil euidentius, quam quod *Cypriani* tempore omnes Epiſcopi eos, qui inter Clericos aliqua in re deliquiſſent, caſtigandi habuerint poteſtatem. Et quicumque ſequentis ſæculi Concilia inſpexerit, is nihil in iis deprehendet frequentius, quam Canones, qui hanc poteſtatem tum ſupponunt, tum ſtabiliunt. Quando exempli cauſſa Canones Apoſtolici volunt, [w] vt ne quis Presbyter, vel Diaconus, ab ſuo ipſius Epiſcopo excluſus, ab aliis recipiatur: ſupponit hoc ipſum, omnes Epiſcopos in Clericos ſuos cenſuram eccleſiaſticam exercendi habere poteſtatem. Idem liquet ex canonibus Concilii *Nicæni*, [x] quod tali in caſu prouocationem ad Synodum prouincialem permittit; & Concilium *Sardicenſe* [y]

(s) Cyprian. Ep LXV. al. III. ad Rogatian. Tu quidem pro ſolita tua humilitate feciſti, vt malles de eo nobis conqueri, cum pro Epiſcopatus vigore & cathedræ auctoritate haberes poteſtatem, qua poſſes de illo ſtatim vindicari. - - Quod ſi vltra te contumeliis ſuis prouocauerit, fungeris circa eum poteſtate honoris tui, vt eum vel deponas vel abſtineas. Vid. etiam Cypr. Ep. X. al. XVI Edit. Oxon.

(w) Canon. Apoſt c. XXXI. Εἴ τις πρεσβύτερος ἢ διάκονος ἀπὸ ἐπισκόπου γένηται ἀφωρισμένος, τοῦτον μὴ ἐξεῖναι παρ' ἑτέρου δέχεσθαι, Si quis Presbyter vel Diaconus ab Epiſcopo ſit ſegregatus, *non liceat alii eum ſuſcipere.*

(x) Conc. Nicæn. c. V. Περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γενομένων, εἴτε τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, εἴτε ἐν λαϊκῷ τάγματι, ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπων, κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι. De iis, qui a communione ſegregati ſunt, ſiue clericorum ſiue laicorum ſint ordinis, ab epiſcopis, qui ſunt in vna quaque prouincia, valeat ſententia ſecundum canonem, qui pronuntiat *eos non eſſe ab aliis admittendos.*

(y) Conc. Sardic. c. XIII. Εἴ τις διάκονος ἢ πρεσβύτερος, ἢ καί τις τῶν κληρικῶν ἀκοινώνητος γένηται καὶ πρὸς ἕτερον ἐπίσκοπον τὸν εἰδότα αὐτὸν καταφύγοι, γινώσκοντα ἀποκεκινῆσθαι αὐτὸν τῆς κοινωνίας παρὰ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, μὴ χρῆναι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ ἀδελφῷ αὐτοῦ ὕβριν ποιοῦντα παρέχειν αὐτῷ κοινωνίαν. Si diaconus vel presbyter, vel etiam aliquis ex clericis ſit excommunicatus, & ad alium epiſcopum, qui eum nouit, confugerit, ſcientem eum a proprio epiſcopo eſſe communione motum, non oportere epiſcopo & fratri ſuo iniuriam facientem ei communionem præbere. Can. XIV. ὁ ἐκβαλλόμενος ἐχέτω ἐξουσίαν ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον τῆς μητροπόλεως τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας καταφυγεῖν. Qui eiicitur, poteſtatem habeat confugiendi ad epiſcopum metropolis eiusdem prouinciæ.

Metropolitanis iniungit, vt querelas audiant, noxisque medeantur. Ita quoque in Concilio *Antiocheno* [z], *Chalcedonensi* [a] & aliis compluribus.

§. IX.

Potestas tamen Episcoporum non arbitraria, sed per Canones diuerso respectu limitata erat.

Fatendum tamen est, quod secundum istorum temporum disciplinam & consuetudinem Episcopi raro huiusmodi quid sine Presbyterorum suorum conscientia & consensu fecerint, quippe qui eorum erant adsessores & quasi senatus ecclesiasticus & Concilium Ecclesiæ. Qua de re pluribus exponam, vbi de honore & priuilegiis Ordinis Presbyterorum dicendum fuerit. Heic etiam porro notandum est, quod, si quis Clericus ab Episcopo suo iniuriam accepisse sibi visus sit, libertatem habuerit prouocandi [b] vel ad Metropolitanum, vel ad pro-

(z) Concil. Antioch Can. III. (Tom.II. p.563) Εἰ καθαιρεθέντα διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν δέχοιτο ἕτερος ἐπίσκοπος, κἀκεῖνον ἐπιτιμίας τυγχάνειν ὑπὸ κοινῆς συνόδου, ὡς παραλύοντα τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικούς *Si enim*, qui propter hanc caussam depositus est, *alius episcopus receperit*, ille quoque *a communi synodo puniatur*, vt qui ritus ecclesiasticos dissoluat. Can. IV. Τοὺς κοινωνοῦντας αὐτῷ πάντας ἀποβάλλεσθαι τῆς ἐκκλησίας. Omnes qui ei communicant ex ecclesia eiiciantur.

(a) Conc. Chalced. c. IX. Εἰ δὲ καὶ κληρικὸς ἔχοι πρᾶγμα πρὸς τὸν ἴδιον ἐπίσκοπον, ἢ πρὸς ἕτερον, παρὰ τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας δικαζέσθω. Si Clericus cum proprio vel etiam alio episcopo negotium aut litem habeat, a *prouinciæ synodo iudicetur*.

(b) De libertate appellandi vid. Conc. Carth. II. c. VIII. (Tom. II. p. 1161.) Si quis Presbyter a præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, *debet vtique apud vicinos episcopos conqueri*, vt ab ipsis eius caussa possit audiri, ac per ipsos suo episcopo reconciliari.
Conc. Carth. IV. c. XXIX. Episcopus, si clerico vel laico crimen impegerit, *deducatur ad probationem in synodum*. c. LXVI. Clericus, qui episcopi circa se districtionem iniustam putat, recurrat ad synodum.
Antioch. c. XII. Εἴ τις ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου καθαιρεθεὶς - - - δέον ἐπὶ μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον τρέπεσθαι, καὶ ἃ νομίζει δίκαια ἔχειν, προσαναφέρειν πλείοσιν ἐπισκόποις, καὶ τὴν αὐτῶν ἐξέτασίν τε καὶ ἐπίκρισιν ἐκδέχεσθαι Si quis a proprio episcopo depositus - - eum oporteat *ad maiorem synodum conuerti*, & ius, quod se habere putat, ad plures episcopos referre, eorumque examinationem & iudicium suscipere &c.
Conc. Valens. II. c. V. (Tom. III. p. 1457.) Si quis episcopi sui sententiæ non acquiescit, *recurrat ad synodum*.

vincialem Synodum: In quibusdam etiam locis, ad euitandam eo melius poteſtatem arbitrariam, Canonibus cautum fuit, vt ne Epiſcopus in Presbyterum vel Diaconum cenſura eccleſiaſtica vti ſuſtineret, niſi adhibitis in ſententiæ exſequendæ ſocietatem vicinis aliquot Epiſcopis. Concilium *Carthaginenſe* primum [c] ad arguendum Diaconum tres, ad arguendum autem Presbyterum ſex requirit. Concilium *Carthaginenſe* ſecundum [d], in omnibus correctis eius editionibus, eumdem numerum exigit. CRABII enim editio manifeſto falſa eſt; BLONDELLVS [e] nihiloſecius corruptam iſtam lectionem amplectitur, vt demonſtret, quod Presbyteros ac Diaconos Epiſcoporum ſuorum iudices eſſe oporteat; quo ipſo efficit, vt Canon iſte abſurde loquatur, & Epiſcopum ſui ipſius iudicem conſtituat. Vera autem huius Canonis lectio ita habet: *Placet, vt cauſſa criminalis Epiſcopi a duodecim Epiſcopis audiatur; Cauſſa Presbyteri a ſex; Cauſſa vero Diaconi a tribus cum proprio Epiſcopo.* Hiſce vnusquisque Epiſcopus iubetur in tractandis cauſſis criminalibus alios Epiſcopos ſibi ſocios adſciſcere, at Presbyteri & Diaconi minime conſtituuntur ſuorum Epiſcoporum iudices. Hoc porro ex alio quodam Concilii *Carthaginenſis* tertii Canone [f] intelligimus, qui de legitimo aliquo numero Epiſcoporum ad diſcutiendas Presbyteri cuiusdam vel Diaconi cauſſas loquitur; & ſex quidem Presbytero, tres autem Diacono, quemadmodum etiam præcedentes Canones faciunt, adſignat. Quod autem ad inferiores Clericos attinet, poteſtas Epiſcopi, quantum quidem ego ſcio, non ita erat circumſcripta; ſed ipſe ſolus, e-

Concil. Venetic. Can. IX. (Tom. IV. p. 1056.) Si quis fortaſſe epiſcopi ſui iudicium cœperit habere ſuſpectum, aut ipſi de proprietate aliqua aduerſus ipſum epiſcopum fuerit nata contentio, *aliorum epiſcoporum audientiam*, non ſæcularium poteſtatem, *debebit ambire.*

(c) Conc. Carth. I. Can. XI. Si quis aliquam cauſſam habuerit, a *tribus* vicinis Epiſcopis, ſi *Diaconus* eſt, arguatur: *Presbyter a ſex.*

(d) Conc. Carth II, 10.

(e) Blondell. Apol. 137. Et Crabius corrupte ſic legunt: Epiſcopus a duodecim Epiſcopis audiatur & a ſex Presbyteris, & a tribus Diaconibus cum proprio ſuo Epiſcopo.

(f) Conc. Carth. III. c. VIII. Si Presbyteri vel Diaconi fuerint accuſati, adiuncto ſibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum - - in *Presbyteri nomine ſex*, in *Diaconi tribus*, ipſorum cauſſas diſcutiant.

iusdem Canonis vigore [g], eorum caussas agnoscere poterat & finire. Tantummodo libertate, vti reliqui omnes, gaudebant prouocandi ad Metropolitanum vel prouincialem Synodum, si qua in re sibi iniuriam factam esse putarent; qualem synodum Concilium *Nicænum* [h] & alia plura semel vel bis quotannis in hunc finem haberi iussit; vt si quis Clericus ex iniquiore Episcopi in ipsum adfectu censuram iniuste passus fuerit, ad superius aliquod iudicium posset confugere, ab eoque ius suum obtinere. Ita ratio potestatis Episcopi in Clericos suos comparata fuit, quantum quidem ex genuinis antiquæ Ecclesiæ monumentis colligere potui.

LIBRI SECVNDI

CAPVT QVARTVM

DE POTESTATE EPISCOPORVM IN LAICOS, MONACHOS, SVBORDINATOS MAGISTRATVS, ET OMNES DIOECESEOS SVAE HOMINES: ET DE IPSORVM OFFICIO IN DISPENSANDIS ECCLESIAE REDITIBVS.

§. I.

Nemo ab Episcoporum iurisdictione exemtus in primitiua ecclesia.

DE potestate Episcoporum in populum nunc agendum est, quæ facta disquisitione supra omnes homines, intra eorum diœcesin, seu iurisdictionis limites & terminos, cuiuscumque ordinis & dignitatis fuerint, sese extendisse deprehenditur. Ipsam diœceseos amplitudinem, & cur aliæ aliis extensiores fuerint, heic non considero; sed commodiori loco id tractandum reseruo, vbi de Ecclesiis dicendum erit. Hoc loco notandum esse existimo, quod omnes hominum ordines in diœcesi Episco-

(g) Conc. Carth. III. c. VIII. Reliquorum clericorum caussas solus Episcopus loci agnoscat & finiat.

(h) Concil. Nicæn Can. V. ἵνα οὖν τοῦτο τὴν πρέπουσαν ἐξέτασιν λαμβάνῃ, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. Vt hoc ergo conuenientem examinationem accipiat, recte habere visum est, vt singulis annis in vnaquaque prouincia *bis in anno synodi fiant* &c.

po sub-

po ſubiecti fuerint. Priuilegium enim, quo quis a iurisdictione Epiſcopi dioeceſeos exemtus eſſet, res erat prioribus ſæculis ignota. IGNATIVS audet dicere, [i] quod quemadmodum is, *qui Epiſcopum honoret ſuum, a Deo honoratur, ita is, qui clam Epiſcopo & contra ipſius voluntatem quidquam faciat, Diabolo ſeruiat.* Et CYPRIANVS [k] Eccleſiam definiens, *Eccleſia*, inquit, *eſt plebs ſacerdoti vnita & paſtori ſuo grex adhærens. Vnde ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; Et ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe* &c.

§. II.

Omnes Monachi Epiſcopo dioeceſeos, in qua viuebant, ſubiecti.

Speciatim heic de omnibus Aſcetis, Monachis & Eremitis obſeruari licet, quod leges cum eccleſiaſticæ tum ciuiles Epiſcopo loci, vbi vixerunt, eos ſubiecerint. Quod ad leges eccleſiaſticas attinet, duos habemus huius argumenti Canones in Concilio *Chalcedonenſi* [l], quorum prior omnes Monachos, tam in ciuitate quam in agris degentes, Epiſcopo ſuo ſubiectos eſſe, nec vlli negotio (ſacro vel ciuili) extra monaſterium ſuum ſeſe immiſcere iubet; niſi venia, vrgente aliqua neceſſitate ita faciendi, ipſis conceſſa fuerit. Et ſi quis obſequium denegaret, poſterior Canon excommunicationem minatur. Eadem mandata legi poſſunt in Conciliis *Aurelia-*

(*i*) Ignat. Ep. ad Smyrn. Ὁ λάθρα ἐπισκόπου τι πράσσων τῷ διαβόλῳ λατρεύει.

(*k*) Cypr. Epiſt. LXIX. al. LXVI. ad Papian. p. 168 (Edit. Pariſ. p. 118.)

(*l*) Conc. Chalced. Can. IV. Tom. IV. p. 758. Τοὺς δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν καὶ χώραν μονάζοντας ὑποτετάχθαι τῷ ἐπισκόπῳ, *Monachos* autem, qui ſunt in vnaquaque region & ciuitate Epiſcopo ſubiectos eſſe. Ibid. Can. VIII. Οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων καὶ μοναστηρίων, ὑπὸ τῶν ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐπισκόπων τὴν ἐξουσίαν, κατὰ τὴν τῶν ἁγίων πατέρων παράδοσιν, διαμενέτωσαν· καὶ μὴ καταυθαδιάζεσθαι, ἢ ἀφηνιᾶν τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου· οἱ δὲ τολμῶντες ἀνατρέπειν τὴν τοιαύτην διατύπωσιν καθ' οἱονδήποτε τρόπον, καὶ μὴ ὑποταττόμενοι τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ, εἰ μὲν εἶεν κληρικοί, τοῖς τῶν κανόνων ὑποκείσθωσαν ἐπιτιμίοις· εἰ δὲ μονάζοντες ἢ λαϊκοί, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι. Clerici ptochotrophiorum, monaſteriorum & templorum martyrum ſub poteſtate epiſcoporum, qui ſunt in vnaquaque ciuitate, ex ſanctorum patrum traditione, permaneant, & non per arrogantiam ſe a proprio epiſcopo, imperium eius detrectantes ſubducant. Qui hanc conſtitutionem euertere auſi fuerint: ſi ſint quidem clerici, canonum pœnis ſubiiciantur: ſi autem monachi vel laici, ſint excommunicati.

nensi [*m*], *Agathensi* [*n*], *Ilerdensi* [*o*] & aliis; quæ Abbates non minus quam Monachos Episcoporum curæ & disciplinæ subiiciunt. IVSTINIANVS hæc omnia lege quadam in codice *Romano* confirmat; quæ dicit [*p*]: ***Monasteria degunt*** (*seu censentur*) *sub Episcopis territoriorum suorum*, & ***Abbatum quidem curam gerunt Episcopi.*** In quadam ipsius Nouella [*q*] electio Abbatum in potestate Episcopi ponitur. Et alia quadam lege [*r*] sancitum est, ne qua noua cella vel monasterium erigatur, nisi consentiente & permittente Episcopo, ad cuius iurisdictionem pertineant. Quapropter BEDA & quidam alii [*s*] ex eo de statu ecclesiæ in *Scotia* recte quidem obseruarunt, res inusitato & præpostero ordine geri, si, cum Abbates subiecti esse debeant

(*m*) Concil. Aurel. I. c. XIX. (Tom. IV. Conc. p. 1407.) *Abbates* pro humilitate religionis *in Episcoporum potestate consistant*; & si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur.

(*n*) Conc. Agathens. Can. XXXVIII. (Tom. IV. p. 1389.) Clericis *sine* commendaticiis *epistolis Episcopi* sui licentia non pateat euagandi. In *monachis* quoque par sententiæ forma seruetur.

(*o*) Conc. Ilerdens. c. III. (Tom. IV. p. 1611.) De monachis id obseruari placuit, quod Synodus Agathensis vel Aurelianensis noscitur decreuisse &c.

(*p*) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de Episcop. leg. XL. *Τὰ μοναστήρια τελοῦσι ὑπὸ τοὺς ἐπισκόπους τῶν ὁρίων αὐτῶν· καὶ τοὺς μὲν ἡγουμένους ἐπιβλέπουσιν οἱ ἐπίσκοποι.*

(*q*) Iustin. Nouel. V. cap. IX. *Τὴν δὲ τῶν ἡγουμένων χειροτονίαν, εἴ ποτε συμβαίη δεῖσθαι τὸ μοναστήριον ἡγουμένου, μὴ κατὰ τὴν τάξιν τῶν εὐλαβεστάτων γίνεσθαι μοναχῶν, μηδὲ πάντως τὸν μετὰ τὸν πρῶτον, εὐθὺς ἡγούμενον γίνεσθαι, μηδὲ τὸν μετ' ἐκεῖνον δεύτερον, μηδὲ τὸν τρίτον, ἢ τοὺς ἐφεξῆς· (τοῦτο ὅπερ καὶ νόμος ἡμῶν ἕτερος λέγει· ἀλλὰ τὸν θεοφιλέστατον τῶν τόπων ἐπίσκοπον χωρεῖν μὲν ἐφεξῆς διὰ πάντων· οὐδὲ γὰρ ἀντιμαστέον πάντως τὸν χρόνον καὶ τὴν ἐξ αὐτοῦ τάξιν) καὶ τὸν ἀναφαινόμενον πρῶτον ἄριστον ἐν τοῖς μοναχοῖς καθεστῶτα, τὸν ἄξιον τῆς ἡγεμονίας αὐτῶν τοῦτον αἱρεῖσθαι.* Ordinationem Abbatum (si quando contigerit egere monasterium abbate) non per ordinem reuerendissimorum fieri monachorum, nec omnino eum qui post primum est, mox abbatem fieri: nec qui post illum secundus est, neque tertium, aut reliquos: (hoc quod etiam alia lex nostra dicit) sed *Deo amabilem locorum episcopum* percurrere quidem consequenter per omnes (non enim exhonorandum est omnino tempus & ex eo ordo) & eum qui apparuerit prius optimus inter monachos constitutus & dignus præsulatu eorum, *hunc eligere*

(*r*) Conc. Chalced. can. IV. (Tom. IV. p 758.) *Ἔδοξε μηδένα μηδαμοῦ οἰκοδομεῖν μηδὲ συνιστᾷν μοναστήριον, ἢ εὐκτήριον οἶκον παρὰ γνώμην τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου.* Visum est, nullum vsquam ædificare nec construere posse monasterium, vel oratoriam domum præter sententiam ipsius ciuitatis episcopi.

Conc. Agath. c. LVIII. (ibid. p. 1392.) Cellulas nouas, aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

(*s*) Pearson. Vindic. Ignat. Part. I. c. XI. p. 333. (p. 189. edit. Cantabrig. circ. med.)

Episco-

Epiſcopis, contra ea Epiſcopi Abbati cuidam ſubiecti fuerint. Hoc *Ordine inuſitato*, vt ſcite notat BEDA [*t*], fiebat: Hoc enim in eccleſia primitiua fieri non conſueuit.

§. III.

Nec non omnes ſubordinati magiſtratus in rebus ad ſpiritualem iurisdictionem attinentibus.

His temporibus exiſtimatio & auctoritas Epiſcoporum tanta erat & tam venerabilis in oculis omnium, vt ipſi ſubordinati magiſtratus ipſorum ſpirituali diſciplinæ & animaduerſioni ſubiacerent. Vrbium ac prouinciarum præfectos atque gubernatores *Litteras Communicatorias* ad Epiſcopum loci, quo ab eo, penes quem tum ſumma imperii erat, mittebantur, ſecum ſumere oportebat; & quamdiu officio illic fungebantur, curæ Epiſcopi ſuberant; qui, ſi quid ab ipſis contra diſciplinam publicam admitteretur, pro auctoritate, qua per leges Imperiales valebat, a ſacrorum vſu & Chriſtianorum conuentu eos arcere poterat. Hoc diſcimus ex Canone quodam Concilii *Arelatenſis* [*u*], quod ab ipſo *Conſtantino* conuocatum fuit, qui iſtos Canones ratos habitos vim Sanctionis Imperii habere iuſſit. Et vi huius poteſtatis enſe ſpirituali in impios & profanos magiſtratus interdum ſtricto ab omni Eccleſiæ communione eos excludebant. Cuius rei exemplum nobis ſiſtit SYNESIVS, *Ptolemaidis* in *Aegypto* Epiſcopus [*w*], qui in *Andronicum*

(*t*) Bed. Hiſtor. Gent. Anglor. Lib. III. c. IV. Habere ſolet ipſa inſula rectorem ſemper *Abbatem* Presbyterum, cuius iuri & omnis prouincia & ipſi etiam Epiſcopi ordine inuſitato debeant eſſe ſubiecti, iuxta exemplum primi doctoris illius, qui non epiſcopus ſed presbyter exſtitit & monachus.

(*u*) Conc. Arelat. I. Can. VII. (Tom. I. Conc. p. 1427.) De Præſidibus - - ita placuit, vt quum promoti fuerint, litteras accipiant eccleſiaſticas communicatorias: Ita tamen, vt in quibuscumque locis geſſerint, ab Epiſcopo eiusdem loci cura de illis agatur; at cum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum a communione excludantur.

(*w*) Syneſ. Ep LVIII. ad Epiſcopos (pag 202. edit. Pariſ.) *Ταύτην ἀπαιδεύτῳ γνώμῃ καὶ γλώττῃ τρὶς ἀνεφθέγξατο τὴν φωνὴν, μεθ' ἣν οὐκέτι νουθετητέος ὁ ἄνθρωπος, ἀλλ' ὥσπερ μέλος ἀνιάτως ἔχον ἀποκοπτέος ἡμῶν, ἵνα μὴ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τὸ ὑγιαῖνον συμφθείρηται.* In hanc ille vocem imperita mente ac lingua ter erupit, ſecundum quam nihil eſt, quod amplius moneamus hominem, ſed *velut membrum inſanabile a nobis eſt ſegregandus*, ne illius contagione quod ſincerum eſt corrumpatur.

Præfe-

Præfectum, ob crudelitatem suam ac contumeliosa in res diuinas dicta, exsecrationem obtestationemque composuit. Sunt & huiuscemodi exempla alia, quorum iniicietur mentio, vbi de disciplina ecclesiastica ex instituto agemus. Quod ad Episcopi potestatem, acta & decreta subordinatorum magistratuum inspiciendi atque examinandi attinet; SOCRATES [x], eam ab *Cyrillo Alexandrino* in caussa *Orestis*, Præfecti *Augustalis* in *Aegypto* vsurpatam esse, perhibet; quamquam, vt ipse indicat, inspectioni eius subesse, grauiter tulit.

§. IV.

Distinctio inter iurisdictionem temporalem & spiritualem; Episcopi potestas tota sub posteriore comprehensa.

Verum tamen in laudem primorum istorum Episcoporum par est dicere, quod non nisi in spiritualibus vllam potestatem sibi arrogauerint, iure suo ipsis competentem. Nondum vtrumque sibi gladium vendicabant, multo minus gladium sæculare magistratuum manibus extorquere, & specioso excommunicationis titulo Reges solio detrudere studebant. Ipsi veteres Episcopi *Romani* legibus Imperatoris obsequium profitebantur: Quod hoc loco nihil attinet demonstrare, quum id tam frequenter & valide a multis doctis scriptoribus e nostratibus [y] præstitum sit, & ipsi ingenui scriptores Pontificii [z] fateantur, GREGORIVM VII. primum e Pon-

(x) Socrat. Lib. VII. c. XIII Ὀρέστης δὲ καὶ πρότερον μὲν ἐμίσει τὴν δυναστείαν τῶν ἐπισκόπων, ὅτι παρῃροῦντο πολὺ τῆς ἐξουσίας τῶν ἐκ βασιλέως ἄρχειν τεταγμένων· μάλιστα δὲ ὅτι καὶ ἐποπτεύειν αὐτοῦ τὰς διατυπώσεις Κύριλλος ἐβούλετο. Oresti iam pridem inuisa erat Episcoporum dominatio, tum quod Episcopi de potestate eorum, qui ad regendas prouincias ab Imperatore missi erant, plurimum decerperent, tum quod *Cyrillus actus suos explorare vellet.*

(y) Vid. Mortonii Episocpi *Grand Impost. of the Church of Rome* c. XI. Io. Roffensis de Potestate Papæ in temporal. lib. II. c. II.

(z) Otho Frisingens. Chron. lib. VI. c XXXV. Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & *nusquam inuenio quemquam eorum ante hunc* (Henricum IV.) *a Romano Pontifice excommunicatum, vel regno priuatum* &c.

Gregor. Tholosan. de Repub. lib. XXVI. c. V. (§. 10. pag. 894. b. edit Francof. 1642.) Illud tantum ex his nunc colligo, difficilem esse quæstionem, num summi Pontifices deponere Imperatorem vel Regem possint, qui olim habuit instituendi summum Pontificem potestatem. (§. 11.) Quin & inueniuntur plures destitutiones & depositiones factæ ab Imperatore summorum Pontificum &c.

tifici-

tificibus fuisse, qui magistratum christianis Principibus abrogandi sibi arrogauerit potestatem. Antiquæ ecclesiæ Episcopi in nullius hominis corpus vel facultates coërcendi potestatem sibi arrogabant; sed si qua occasio eius vsum postularet, magistratum ciuilem in subsidium vocabant. Quemadmodum ex iis videre est, quæ cum *Paulo Samosatensi* acta sunt, qui in domus episcopalis possessione persistebat, posteaquam a Concilio *Antiocheno* Episcopatus dignitate exutus fuerat. Patres in isthoc concilio non habentes eum eiiciendi potestatem, *Aureliani* Imperatoris auxilium aduersus eum implorabant; qui [*a*], etiamsi gentilis, sententia pro ipsis dicta, a ministris suis ad effectum eam dari iubebat. Atque ita se res habuit, quod ad Episcopi potestatem attinet, etiam in subsequutis aliquot sæculis sub imperatoribus christianis: adeo ut SOCRATES [*b*] in *Cyrillo* Episcopo *Alexandrino* tamquam rem insolitam notauerit, quod auctoritate propria *Nouatianorum* templa claudere, argentea & sacris vsibus destinata vasa tollere, & *Theopemptum*, Episcopum eorum, vitæ subsidiis priuare ausus sit. Hoc factum dicitur esse *παρὰ τῆς ἱερατικῆς τάξεως*, præter ordinariam potestatem, quæ Episcopis conferri consueuit. Et quamquam posterioribus sæculis hanc potestatem obtinuerunt, non tamen ex aliquo ordinis sui iure, sed Principum sæcularium fauore & indulgentia id factum est. Porro etiam heic notandum est, ignominiosum tunc fuisse Episcopis, si tantummodo implorauerint brachium sæculare contra vitam cuiuspiam, quem per censuram ecclesiasticam capitis damnauerant. Idcirco cum *Ithacius* & alii quidam

[*a*] Euseb. lib. VII. c. XXX. *Μηδαμῶς ἐκστῆναι τοῦ Παύλου τοῦ τῆς ἐκκλησίας οἴκου θέλοντος, βασιλεὺς ἐντευχθεὶς Αὐρελιανὸς, αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε, τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν.* Quum Paulus e domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus imperator Aurelianus rectissime hoc negotium diiudicauit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis antistites & Romanus Episcopus scriberent.

(*b*) Socrat. lib. VII. c. VII. *Εὐθέως οὖν Κύριλλος τὰς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ναυατιανῶν ἐκκλησίας ἀποκλείσας, πάντα μὲν αὐτῶν τὰ ἱερὰ κειμήλια ἔλαβεν· τὸν δὲ ἐπίσκοπον αὐτῶν Θεόπεμπτον, πάντων ὧν εἶχεν ἀφείλετο.* Statim igitur Cyrillus, clausis Nouatianorum ecclesiis, quotquot erant Alexandriæ, primo quidem sacra eorum vasa atque ornamenta abstulit: deinde Episcopum illorum Theopemptum omnibus suis facultatibus nudauit.

Epiſcopi *Hiſpani* tantum a *Maximo* impetraſſent, vt *Priſcillianum* hæreticum occidendi mandatum daret, *Martinus* & multi alii pii Epiſcopi oblato libello ſupplice hanc rem impedire adlaborabant, dicentes (*c*) *ſatis ſuperque ſufficere, vt Epiſcopali ſententia hæretici iudicati eccleſiis pellerentur:* Quo quum efficere nihil poſſent, animi ſui dolorem de hoc facto in auctorem, horroremque illius declarabant, *Ithacium*, ſanguinarium iſtum Epiſcopum, in communionem ſuam admittere recuſantes. Tantopere hi viri ſancti intra ſpititualis ſuæ iurisdictionis terminos ſeſe continere adnitebantur.

§. V.

De litteris formatis *& de Epiſcoporum in dando illas quibusuis hominibus prærogatiua.*

Obſeruari etiam poteſt, auctoritatem Epiſcoporum numquam fuiſſe maiorem, quam vbi in ſuæ ipſorum poteſtatis ſpiritualis exercitio vnice fuerunt occupati. Tum enim generatim ab omnibus colebantur atque habebantur in pretio, adeo, vt nullus Chriſtianus iter facere cuperet ſine *litteris formatis*, vt vocabant, ab Epiſcopo acceptis, ſi in Eccleſia extranea ad ſacram ſynaxin accedere cogitaret. Tam mirifica tum temporis erat eccleſiæ Catholicæ concordia, tam ſancta harmonia & diuina animorum inter Epiſcopos conſenſio! Iſtæ litteræ diuerſi erant generis pro diuerſa occaſione vel hominum conditione, qui eas accipiebant. Generatim ad tres claſſes referebantur; Erant enim vel *Epiſtolæ Commendatoriæ*, vel *Communicatoriæ*, vel *Dimiſſoriæ*. Primæ claſſis epiſtolæ tales erant, quæ illuſtrioris conditionis, vel etiam eiusmodi hominibus dabantur, quorum exiſtimatio in quæſtionem fuerat vocata, vel Clericis, quibus in exteras regiones proficiſcendum erat. Secundi generis epiſtolæ omnibus iis impertiebantur, qui in communione Eccleſiæ erant, pacemque cum ea colebant; vnde etiam *Pacificæ* & *Eccleſiaſticæ*, & interdum *Canonicæ* dicebantur. Tertium genus ſolis Clericis dabatur, quando ex diœceſi ſua in aliam, domicilii illic figendi cauſſa concedebant; id quod pace Epiſcopi ſui eos facere teſtabantur; vnde *Dimiſſoriæ* & ſimiliter interdum *Pacificæ* vocabantur. Has vniuerſas generali nomine *Formatas*

(*c*) Sulpit. Seuer. lib. II. p. 119. (edit. Cellar. lib. II. c. L. p. 287.)

appel-

appellabant; quod peculiari forma, singularibus signis & characteribus scriptæ erant, vt a suppolititiis possent distingui. Non immorabor heic longius his ipsis enarrandis, sed moneo tantum, solius Episcopi fuisse prærogatiuam eas dare; nec cuipiam id sibi sumere licuisse, nisi mandante & consentiente Episcopo. Concilium *Antiochenum* [d] Episcopis prouincialibus eas permittit scribere, Presbyteris autem expressis verbis illud priuilegium interdicit. Et quum temporibus persecutionis *Confessores* quidam, qui magnæ in Ecclesia existimationis erant, eiusmodi epistolas suo ipsorum nomine dare sibi sumerent; Concilia [e] *Arelatense & Illiberritanum* [f] id facere iis interdixerunt; illisque, qui tales litteras habebant, nouas *Communicatorias* ab Episcopo suo accipere mandauerunt. BARONIVS [g] & plerique Conciliorum editores, qui eum sequuntur, has litteras pro iis libellis falso accipiunt, quos Confessores *Lapsis* dare solebant, vt in Ecclesiæ communionem denuo reciperentur. Enimvero ALBASPINAEVS [h] hunc errorem emendat; & scite obseruat, Concilia illa hæc non de istis litteris loqui, quæ *Lapsis* datæ sint, sed de iis, quæ omnibus Christianis dari consueuerint, qui in exteras regiones proficiscendi habuerint

[d] Conc. Antioch. Can. VIII. (Tom. II. p. 565.) Τοὺς ἀνεπιλήπτους χωρεπισκόπους διδόναι εἰρηνικάς. *Chorepiscopi* nulli reprehensioni adfines *dent pacificas*.

[e] Conc. Arelat. I. c. IX. (Tom. I. p. 1428.) De his, qui Confessionum litteras offerunt, placuit, vt sublatis eis litteris, alias accipiant Communicatorias.

[f] Conc. Illiberrit. Can. XXV. (Tom. I. p. 973.) Omnis qui attulerit litteras confessionis sublato nomine Confessoris - - communicatoriæ ei dandæ sunt litteræ.

[g] Baron. a. CXLII. n. IX. Erat quoque olim tempore persecutionis Ecclesiæ genus litterarum, quæ dicebantur *Confessoriæ, quæ a Christianis, qui* pro Christi nomine detinerentur *in carcere, pro commendatione lapsorum* ad episcopos dari solebant. conf. A. XXX. n. XLVIII.
Louysa Not. in Conc. Illiberrit. c. XXV. (Tom. I. Conc. p. 983. b. fin.) Epistolæ commendatitiæ, quæ litteræ appellabantur fidelibus datæ, diuersi generis erant: complectebantur enim *litteras confessionis*; & hæ erant dignitatis & honoris, quibus in Ecclesia magna reuerentia habebatur &c.

[h] Albaspin. Not. in Conc. Illiberrit. c. XXV. (Tom. I. Conc. p. 993.) Permagna est dissensio de huius Canonis sententia & explicatione, & noui Arelatensis primi - - Quorundam opinio est hos ipsos canones explicandos esse de litteris, *quas lapsi* ad ius communionis recuperandum a *martyribus*, qui essent in vinculis, *extorquebant*, vid. Card. Baron. anno Christi XXX. n. XLVIII.

occaſionem; quas Epiſcoporum fuerit impertire, & non Confeſſorum, quantamcumque alioquin auctoritatem honorifica Chriſti confeſſione tempore perſecutionis obtinuiſſent. Concilium *Illiberritanum* (*i*) alius cuiusdam abuſus eiusdem quidem generis meminit, eumque corrigit; quod videlicet feminæ quædam famæ celebritate in Eccleſia conſpicuæ, nimirum vxores Clericorum, vt ALBASPINAEVS dicit, vel potius Epiſcoporum, iſtius modi epiſtolas ſuo ipſorum nomine tam dare quam accipere ſibi ſumſerint: quas omnes Concilium aboleri iuſſit, vtpote quæ diſciplinam & ſocietatem eccleſiaſticam periculo exponerent & fraudi eſſent poteſtati Epiſcoporum, quibus ſolis eas dare competeret. Omnes enim antiqui Canones hoc priuilegium Epiſcopis plane reſeruant; & hoc ipſum magnam ipſis auctoritatem in Eccleſia conciliabat: Neque enim vllus vel Clericus vel Laicus cum alio quodam cœtu, præter eum, ad quem pertinebat, ſacra cœna ſine iſtis teſtimoniis Epiſcopi vti poterat: vt legere eſt in Concilio cum *Carthaginenſi* (*k*), tum *Agathenſi* (*l*) & aliis compluribus.

§. VI.

De poteſtate Epiſcoporum in diſpenſandis Eccleſiæ reditibus.

Vnum tantum ſupereſt, quod de poteſtate Epiſcoporum eccleſiaſtica notem, quod eſt auctoritas & poteſtas circa reditus Eccleſiæ diſpenſandos. Non eſt animus de reditibus Eccleſiæ heic fuſius dicere, (id quod poſtea in hoc opuſculo com-

(*i*) Concil. Illiberrit. Can LXXXI. (Tom I. p 979.) *Ne feminæ* ſuo potius, absque maritorum nominibus, *laicis ſcribere audeant:* quæ fideles ſunt, vel *litteras* alicuius *pacificas* ad ſuum ſolum nomen ſcriptas *accipiant.*

[*k*] Conc. Carth. I Can. VII. (Tom. II p. 616.) Clericus vel Laicus non *communicet* in aliena plebe *ſine litteris Epiſcopi ſui.*

[*l*] Conc. Agath. c LII. (Tom. IV p 1392) Presbytero, aut diacono, vel clerico *ſine antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti communionem nullus impendat.*

Concil Epaonenſ. c. VI. (Tom. IV. p 1577.) vbi eadem verba leguntur.

Conc. Laodic. c. XLI. (Tom. I. p. 1504.) Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικὸν ἢ κληρικὸν ἄνευ κανονικῶν γραμμάτων ὁδεύειν. Quod non oportet eum, qui eſt ſacratus vel clericus, *ſine canonicis litteris* iter ingredi

Conc Mileuit. can. XX. (Tom II. p. 1542.) Placuit, vt quicunque clericus, propter neceſſitatem ſuam alicubi ad comitatum ire voluerit, *formatam ab epiſcopo accipiat.*

Conc. Antioch c. VII. (Tom. II Conc p 564.) *Μηδένα ἄνευ εἰρηνικῶν δέχεσθαι τῶν ξένων, Nullus externus ſine pacificis ſuſcipiatur.*

modius

modius fiet) ſed tantum monere, Epiſcoporum fuiſſe prouidere, vt quam vtiliſſime adminiſtrarentur & diſpenſarentur. Concilia *Antiochenum* (*m*) & *Gangrenſe* (*n*) diuerſos Canones huc ſpectantes habent, quod omnes prouentus & dona Eccleſiæ ad voluntatem & arbitrium debeant diſpenſari Epiſcoporum; cui populus & animæ hominum commiſſæ ſint. Sic dicti Canones (*o*) & Conſtitutiones (*p*) Apoſtolicæ de eadem poteſtate loquuntur. Et CYPRIANVS (*q*) notat, quod omnes, qui ab

---

[*m*] Conc. Antioch. Can. XXIV. (Tom. II p 572.) Τὰ τῆς ἐκκλησίας, τῇ ἐκκλησίᾳ καλῶς ἔχειν φυλάττεσθαι δεῖν μετὰ πάσης ἐπιμελείας, καὶ ἀγαθῆς συνειδήσεως, καὶ πίστεως τῆς εἰς τὸν πάντων ἔφορον καὶ κριτὴν Θεόν· ἃ καὶ διοικεῖσθαι προσήκει μετὰ κρίσεως καὶ ἐξουσίας τοῦ ἐπισκόπου τοῦ πεπιστευμένου πάντα τὸν λαὸν, καὶ τὰς ψυχὰς τῶν συναγομένων. Recte habet, vt ea quæ ſunt eccleſiæ, eccleſiæ ſeruentur cum omni bona conſcientia & fide in omnium præſidem & iudicem Deum: *quæ etiam adminiſtrari conuenit cum iudicio & poteſtate Epiſcopi*, cui eſt omnis populus creditus, & eorum animæ, quæ in eccleſiam conueniunt.

Can. XXV. Ἐπίσκοπον ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων ἐξουσίαν, ὥστε διοικεῖν εἰς πάντας τοὺς δεομένους μετὰ πάσης εὐλαβείας καὶ φόβου Θεοῦ. *Epiſcopus habeat rerum eccleſiæ poteſtatem*, vt eas in omnes egentes diſpenſet cum multa cautione & Dei timore.

[*n*] Conc. Gangrenſ. Can VII. (Tom. II p 419.) Εἴ τις καρποφορίας ἐκκλησιαστικὰς ἐθέλοι λαμβάνειν, ἢ διδόναι ἔξω τῆς ἐκκλησίας, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἢ τοῦ ἐγκεχειρισμένου τὰ τοιαῦτα, καὶ μὴ μετὰ γνώμης αὐτοῦ ἐθέλοι πράττειν, ἀνάθεμα ἔστω. Si quis vult fructus eccleſiæ oblatos accipere, vel dare extra eccleſiam *præter epiſcopi ſententiam*, vel eius, cui cura eorum tradita eſt, & non cum eius ſententia ea velit agere, ſit anathema.

Can. VIII. Εἴ τις διδοῖ ἢ λαμβάνοι καρποφορίαν παρεκτὸς τοῦ ἐπισκόπου, ἢ τῶν ἐπιτεταγμένων εἰς οἰκονομίαν εὐποιΐας, καὶ ὁ διδοὺς, καὶ ὁ λαμβάνων ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis dat, vel accipit fructus oblatos præter epiſcopum*, vel eum, qui eſt conſtitutus ad beneficentiæ diſpenſationem; & qui dat & qui accipit, ſit anathema.

[*o*] Can Apoſt. c. XXXI. Πάντων ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ὁ ἐπίσκοπος ἐχέτω τὴν φροντίδα καὶ διοικείτω αὐτὰ ὡς Θεοῦ ἐφορῶντος. Omnium *rerum eccleſiaſticarum curam habeat Epiſcopus*, eaſque adminiſtret tamquam Deo inſpiciente.

Can. XXXIV. Προστάσσομεν τὸν ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν τῶν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων, Præcipimus, vt *Epiſcopus poteſtatem habeat rerum Eccleſiæ.*

[*p*] Conſtitut Apoſt. lib. II. c. XXV. totum; vtpote quod agit *de primitiis & decimis; & quomodo debeat Epiſcopus ex eis vel ipſe accipere vel aliis diſtribuere.*

[*q*] Cypr. Ep XXXVIII. al. XLI. Vt cum Eccleſia matre remanerent & *ſtipendia eius Epiſcopo diſpenſante* perciperent

Iuſtin. Mart. Apol II (p. 98. 99. edit. Pariſ. MDCXXXVI.) Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλε-

Ecclesia alimentum accipiant, id habeant, *Episcopo dispensante*. Non quidem ille semper suis ipsius manibus dispensabat, sed per administros suos Archidiaconum videlicet & Oeconomum, quem secundum Canones quosdam (*r*) de Clericis cuiusque Ecclesiæ esse oportebat: at hi ipsi quæstores tantum erant, ipsi subditi, ab eoque isti negotio præfecti, quemadmodum HIERONYMVS (*s*) adnotat, adeoque ipsi, tamquam supremo Ecclesiæ moderatori, ad rationem reddendam obligati. Vnde POSSIDIVS de *Augustino* memorat, quod, quamuis nullum vmquam vel sigillum vel clauem in ipsius manibus conspexerit, sed non nulli ex ipsius Clericis omnia administrauerint; certum tamen tempus ad examinandas eorum rationes impenderit: vt adeo omnia ab ipso acta dici possent, etiamsi aliorum manibus administrata essent & dispensata Et hoc primitiuo Apostolorum præscripto & praxi erat consentaneum, quibus cura & custodia rerum a populo donatarum Deoque consecratarum commissa erat: Diaconos sibi cooptabant, qui ipsis essent auxilio, quemadmodum Episcopi deinceps fecerunt; potestatem tamen eos in administrandis Ecclesiæ bonis dirigendi, certamque agendi rationem iis præscribendi, tamquam primarii quæstores Dei & præcipui familiæ eius moderatores, sibi reseruabant.

γόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Qui copiosiores sunt, & volunt pro arbitrio quisque suo quod visum est contribuunt, & quod ita colligitur, *apud Præpositum deponitur*: atque ille inde opitulatur pupillis & viduis & his qui propter morbum aut aliquam aliam caussam egent, quique in vinculis sunt, & peregere aduenientibus hospitibus: &, vt simpliciter dicam, *indigentium is omnium curator est*.

[*r*] Conc. Chalcedon. c. XXVI. (Tom. IV. Conc. p. 767.) *Ἐπειδὴ ἔν τισι ἐκκλησίαις, ὡς περιηχήθημεν, δίχα οἰκονόμων οἱ ἐπίσκοποι τὰ ἐκκλησιαστικὰ χειρίζουσι πράγματα· ἔδοξε πᾶσαν ἐκκλησίαν ἐπίσκοπον ἔχουσαν, καὶ οἰκονόμον ἔχειν ἐκ τοῦ ἰδίου κλήρου, οἰκονομοῦντα τὰ ἐκκλησιαστικὰ κατὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου· ὥστε μὴ ἀμάρτυρον εἶναι τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἐκ τούτου τὰ τῆς ἐκκλησίας σκορπίζεσθαι πράγματα, καὶ λοιδορίαν τῇ ἱερωσύνῃ προστρίβεσθαι.* Quoniam in nonnullis Ecclesiis, vt sæpe a nobis auditum est, episcopi absque oeconomo tractant res ecclesiasticas, placuit omnem ecclesiam episcopum habentem, ex proprio Clero, oeconomum habere, vt nec sine testibus sit ecclesiæ administratio, nec ideo res eius dissipentur & probrum ac dedecus sacerdotio inuratur.

[*s*] Hieron. Ep. I. ad Nepot. Sciat Episcopus, cui commissa est Ecclesia, quem dispensationi pauperum curæque præficiat.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT QVINTVM
DE OFFICIO EPISCOPORVM INTVITV TOTIVS CATHOLICAE ECCLESIAE.

§. I.

Quo sensu quilibet Episcopus totius Ecclesiæ Catholicæ Episcopus esse dicatur.

Vidimus hactenus Episcoporum officium & potestatem in Clericos & Laicos, ad ipsorum particulares Ecclesias spectantes: restat autem maius adhuc officii ac curæ pastoralis ipsorum momentum, nimirum suprema totius Ecclesiæ Catholicæ inspectio: in qua quilibet Episcopus æqualem partem habere credebatur; non quidem quod ad externum & politicum regimen, sed primam & essentialem religionis partem, christianæ videlicet fidei seu doctrinæ conseruationem attinebat. Si quando periculum erat, ne fides vel hæresi subuerteretur, vel vexationibus destrueretur, vnusquisque Episcopus suarum partium esse existimabat, manum admouere & pro quauis alia non minus, quam pro sua ipsius, dioecesi laborare. Dioeceses ad bonum ordinem, tempore pacis, conseruandum spectabant: Fides autem res vniuersalis erat, quæ quum oppugnaretur, vniuersus orbis vna tantum dioecesis, & tota ecclesia vnus tantum grex habebatur, & quilibet pastor officii sui rationem credebat postulare, vt summi sui Pastoris oues, in quamcumque etiam orbis partem dispersæ essent, pro facultate sua pasceret. Hoc sensu quilibet Episcopus vniuersalis erat pastor & totius mundi Christiani episcopus; quippe qui communem totius ecclesiæ Christi curam gerebat. Hoc est, quod AVGVSTINVS (*t*) *Bonifacio*, Episcopo *Romano*, scribit: *Communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio, (quamuis ipse in eo celsiore fastigio præemineas,) specula pastoralis.* CYPRIANVS, de sui temporis consuetudine loquens (*u*) *Copiosum*, inquit, *Corpus est Sacerdotum, concordiæ mutuæ glutine atque vnitatis vinculo copulatum:*

[*t*] Aug. contr. Epist. Pelag. in Præfat. ad Bonifac.

[*u*] Cypr. Ep. LXVIII. al. LXVII. ad Stephan. p. 178.

latum:

latum, vt, ſi quis ex collegio noſtro hæreſin facere & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentauerit, ſubueniant cæteri. - - Nam et ſi paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus, & oues vniuerſas, quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſiuit, colligere & fouere debemus. Hoc ſenſu GREGORIVS NAZIANZENVS (w) de CYPRIANO dicit, *quod Epiſcopus vniuerſalis fuerit; quod non Carthaginenſi tantum eccleſiæ, nec Africæ, verum occiduis omnibus regionibus, ac prope etiam orientali omni atque auſtrali & ſeptemtrionali oræ præfectus fuerit.* Idem de ATHANASIO dicit; (x) quod *cum Alexandrino populo præfectus fuerit, idem ſit, ac ſi vniuerſo terrarum orbi præfectus fuerit.* Quod ipſum cum BASILII congruit obſeruatione (y), quam de ipſo habet; quod nimirum omnium eccleſiarum curam geſſerit, non minus quam eius, quæ ipſi ſpeciatim credita fuerit. CHRYSOSTOMVS (z) ſimili ratione *Timotheum* vniuerſi orbis Epiſcopum nuncupat. Et auctor ille, qui ſub nomine CLEMENTIS ROMANI (zz) ſcripſit, vſitata hac appellatione vtens, *Iacobum*, Epiſcopum *Hieroſolymitanum*, non minus omnium eccleſiarum, quam *Hieroſolymitanæ*, rectorem vocat. CHRYSOSTOMVS (a) dicit, *Paulum* totum mundum curæ

[w] Gregor. Nazianz. Orat. XVIII. in laud. Cypr. p. 281. *Οὐ γὰρ τῆς Καρχηδονίων προκαθέζεται μόνον ἐκκλησίας, οὐδὲ τῆς ἐξ ἐκείνου καὶ δι' ἐκεῖνον περιβοήτου μέχρι τῆς Ἀφρικῆς, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς ἑσπερίου, σχεδὸν δὲ καὶ τῆς ἑῴας αὐτῆς, νοτίου τε καὶ βορείου λήξεως.*

[x] id. Orat. XXI. p. 377. *Τῆς οἰκουμένης πάσης ἐπιστασίαν πιστεύεται.*

[y] Baſil. Ep. LII. ad Athanaſ. (Tom. III. edit. Pariſ. MDCXXXVI. p. 79.) *Ἡ μέριμνά σοι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τοσαύτη, ὅση καὶ τῆς ἰδίας παρὰ τοῦ κοινοῦ δεσπότου ἡμῶν ἐμπιστευθείσης ἐπίκειται.* Tantam geris omnium eccleſiarum curam, quantam eius, quæ tibi peculiariter a Domino noſtro concredita eſt.

[z] Chryſoſtom. Hom. VI. adu. Iud. Tom. I. p. 542. (Tom. I. edit. Francof. p. 480.) *Μνήσθητι τοῦ μακαρίου Τιμοθέου - εἰ δὲ ὁ δίκαιος ἐκεῖνος καὶ ἅγιος καὶ τὴν τῆς οἰκουμένης προστασίαν ἐγκεχειρισμένος κ. τ. λ.* Recordare beati Timothei -- Quod ſi ille iuſtus, ille ſanctus, ille *qui orbis præfecturam ſuſcepit* &c.

[zz] Pſeudo-Clem. Ep. ad Iacob. ap. Coteler. Patr. Apoſt. (Tom. I. p. 542.) Clemens Iacobo, Fratri Domini & Epiſcopo Epiſcoporum, *regenti* Hebræorum ſanctam Eccleſiam in Hieroſolymis; *ſed & omnes Eccleſias, quæ vbique Dei prouidentia fundatæ ſunt.*

[a] Chryſoſt. Hom. XVII. in illud, Salutate Priſcillam Tom. V. p. 241. (p. 217. edit. Francof.) *Πρῶτόν ἐστι ἐκπλαγῆναι τοῦ Παύλου τὴν ἀρετὴν, ὅτι τὴν οἰκουμένην ἅπασαν ἐγκεχειρισμένος, καὶ γῆν καὶ θάλατταν, καὶ τὰς ὑφ' ἡλίῳ πόλεις ἁπάσας, καὶ βαρβάρους καὶ Ἕλληνας, καὶ δήμους τοσούτους ἐν ἑαυτῷ περιφέρων, ἑνὸς ἀνδρὸς καὶ μιᾶς*

ſub

ſuæ commiſſum habuiſſe, & vnamquamque ſub ſole ciuitatem; fuiſſe ipſum vniuerſi orbis doctorem *(b)*, omnes eccleſias inſpectaſſe *(c)*: Quod ipſum paſſim in ſcriptis ſuis repetit. Neque vero hæc prærogatiua Apoſtolis adeo propria fuit, quin quilibet Epiſcopus huius characteris ius quodammodo habuerit.

§. II.

Quo ſenſu vniuerſus orbis vna tantum diœceſis, & vnus tantum epiſcopatus in eccleſia eſſe, dicatur.

Hinc originem habet peruulgata iſta apud CYPRIANVM notio de vno tantum in Eccleſia epiſcopatu; in quo quilibet Epiſcopus ita partem, quemadmodum æqualem vniuerſi curam, habeat. *Epiſcopatus*, inquit, *vnus eſt, cuius a ſingulis in ſolidum pars tenetur (d).* Non dicit, monarchiam in vniuſcuiusque Epiſcopi manibus, ſed poteſtatem toto Epiſcoporum *(e)* collegio diffuſam eſſe, quorum quisque vniuerſam Dei eccleſiam paſcere & hæreſin ex vna quaque eius parte expellere ſuo iure poſſit. Hoc ſenſu poteſtas Epiſcopi *Eugubienſis* tam late ſe extendebat, quam Epiſcopi *Romani*; Epiſcopus *Rhegienſis* æque totius Ec-

---

γυναικὸς τοσαύτην ἐποιεῖτο φροντίδα. Primum eſt, vt Pauli virtutem admiremur, quod cum illi *totius orbis terrarum eſſet cura commiſſa, & terram, mare, cunctasque ciuitates, quæ ſub cœlo ſunt, & barbaros & græcos & tot populos ſecum circumferret*, adeo de viro vno deque vna muliere ſollicitus eſſet.

(b) Chryſoſt. Hom VI. in Terræ motum & Lazar. Tom. V. p. 107. (edit Francof. p. 100.) Παῦλος ὁ Ἀπόστολος - - ὁ διδάσκαλος τῆς οἰκουμένης, Paulus Apoſtolus - - *doctor orbis terrarum.*

[*c*] Id. Hom. XVII. in Priſcillam Tom V. p. 148. (Edit. Francof. p. 224.) Τῆς οἰκουμένης διδάσκαλος ὢν τοὺς τὴν γῆν οἰκοῦνταν ἅπαντας ἐπιτραπεὶς καὶ τὰς ὑφ᾽ ἡλίῳ κειμένας ἐκκλησίας ἁπάσας καὶ δήμους καὶ ἔθνη καὶ πόλεις μετὰ πολλῆς θεραπεύων ἐπιμελείας. Qui doctor erat orbis terrarum, cui omnium, qui terram incolunt, fuerat cura commiſſa, *qui cunctas ſub ſole poſitas eccleſias*, & populos & nationes & vrbes ſumma ſollicitudine curabat &c.

[*d*] Cyprian. de Vnitat. Eccleſ. p 108.

[*e*] Cypr. Ep. LII. al. LV. ad Antonian. p. 112. (p. 73. edit. Pariſ.) - *Epiſcopatus vnus, Epiſcoporum multorum concordi vniuerſitate diffuſus* &c. In hac ipſa Epiſtola ſæpius *collegii ſacerdotalis* meminit e. g. ſtatim ab initio: Accepi primas litteras tuas, frater cariſſime, concordiam *collegii ſacerdotalis* firmiter obtinentes &c.

It. Epiſt. LXVIII. Eccleſiæ vniuerſæ per totum mundum nobiscum vnitatis vinculo copulatæ. --- Eccleſia catholica eſt, vna eſt, ſciſſa non eſt, neque diuiſa, ſed vtique connexa & *cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum* glutine copulata.

clesiæ Episcopus erat, quam *Constantinopolitanus;* Et Episcopus *Tanidis* æqualis erat *Alexandrino*: Nam secundum HIERONYMI stilum omnes *eiusdem meriti* & *eiusdem sacerdotii* erant. In rebus ad fidem haud attinentibus cum aliorum diœcesibus nihil erat ipsis commercii, sed suæ solius diœceseos negotiis intentum quemque esse oportebat: Cum autem de fide aut salute ecclesiæ ageretur, & manifesto peteretur religio; tunc ex hac regula, quod vnus tantum esset Episcopatus, quemuis alium non minus, quam suum ipsorum episcopatum ad diœcesin suam pertinere credebant; neque vlla humana lex aut canon ipsorum manus poterat constringere, quo minus eiusmodi officii sui episcopalis actus vbiuis exercerent, quos ad conseruandam religionem necessarios esse ducebant.

§. III.

Exempla quorundam actuum Episcoporum priuatorum, tamquam Episcoporum totius Ecclesiæ Catholicæ.

Vt autem tanto melius de praxi Ecclesiæ hac in re nobis innotescat, duobus tribusue exemplis particularibus id ipsum illustrabimus. Lex erat in Ecclesia primitiua, vt nullus Episcopus in alius cuiusdam Episcopi diœcesi sine eius venia ordinationis ritum perageret. Et quamuis potestas episcopalis hac ratione intra cuiusque diœcesin coarctaretur, ordinis tamen caussa vniuersaliter obseruabatur. In quibusdam autem casibus, vrgente necessitate, aliter fieri poterat. Si exempli caussa cuiusdam diœceseos Episcopus in hæresin prolapsus, Orthodoxis vexatis atque eiectis, neminem nisi hæreticum sacro ministerio initiare vellet: in tali casu quilibet Episcopus Catholicus, vtpote vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, in istiusmodi diœcesi homines Orthodoxos ordinandi valebat auctoritate, etiamsi communi regulæ id ipsum repugnaret; nam hoc manifesto ad conseruandam fidem spectabat, quæ suprema omnium lex exsistit; adeoque prior ista lex potiori huic obligationi debebat cedere. Itaque vbi periculum erat, ne Ecclesia ab *Arianismo* obrueretur, magnus ille *Athanasius*, ex exilio suo redux factus,

[f] Hierom. Ep. LXXXV. ad Euagr. (Tom. II. edit. Franc. p. 221. a.) Vbicunque fuerit Episcopus, siue *Romæ*, siue *Eugubii*, siue *Constantinopoli*, siue *Rhegii*, siue *Alexandriæ*, siue *Tanis*, *eiusdem meriti*, *eiusdem* est & *sacerdotii*.

in

in diuerſis ciuitatibus (*g*), quas peragrabat, etiamſi ad ipſius diœceſin non pertinerent, hos illos ordinare non dubitauit. Et celebris ille *Euſebius Samoſatenſis* tempore perſecutionis *Arianæ* ſub *Valente* idem fecit. THEODORETO (*h*) teſte, omnem *Syriam, Phœniciam* & *Palæſtinam* militari habitu indutus peragrauit, Presbyteros ordinans & Diaconos, aliosque ſufficiens ordines Eccleſiaſticos, & quæcumque perturbata & confuſa in eccleſiis erant, in bonum ordinem redigens. Ita etiam in *Syria* & *Cilicia* aliisque locis, quorum nomina THEODORETVS (*i*) recenſet, Epiſcopos ordinauit. Iam vero hæc omnia communibus regulis erant contraria, Eccleſiæ autem ſalus ea poſtulabat; & hæc ipſa in eiusmodi caſu poteſtatem ſuam exercendi & tamquam totius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos ſeſe gerendi auctoritatem ipſis dabat. EPIPHANIVS ſimili in caſu *Paulinianum*, fratrem *Hieronymi*, primum quidem Diaconum, deinde Presbyterum in monaſterio quodam extra ipſius diœceſin in *Palæſtina* ſito, conſtituens, eadem poteſtate vſus eſt; contra quod quum quidam ex eius aduerſariis obieciſſent, quod minus Canonice id factum eſſet; fortiter ſeſe ex hoc fundamento defendit (*k*),

[*g*] Socrat lib. II. c. XXIV. Ἀθανάσιος διὰ Πηλουσίου ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἐπορεύετο - - - ἐν τισι τῶν ἐκκλησιῶν καὶ χειροτονίας ἐποίει. Athanaſius per Peluſium iter faciens Alexandriam, - - *in quibusdam eccleſiis ordinationes fecit.*

[*h*] Theod. lib. IV. c. XII. ὅτας πολλὰς τῶν ἐκκλησιῶν ἐρήμους εἶναι ποιμένων μαθὼν στρατιωτικὸν ἀμπεχόμενος σχῆμα, καὶ τιάρᾳ καλύπτων τὴν κεφαλὴν, τὴν Συρίαν, περιῄει καὶ τὴν Παλαιστίνην· πρεσβυτέρους δὲ χειροτονῶν καὶ διακόνους, καὶ τ' ἄλλα τῆς ἐκκλησίας τάγματα ἀνεπλήρου· εἰ δέ ποτε καὶ ἐπισκόποις ὁμογνωμόνων ἐπέτυχε, καὶ προέδρους ταῖς δεομέναις ἐκκλησίαις προὐβάλλετο. Qui cum multas Eccleſias paſtoribus carere didiciſſet, militari habitu indutus, & tiara capiti impoſita, Syriam, Phœniciam, & Palæſtinam peragrauit, *presbyteros ordinans & diaconos*, aliosque ſufficiens ordines Eccleſiaſticos. Quod ſi quando doctrina conſentientes Epiſcopos inueniſſe, etiam *pontifices carentibus eccleſiis præficiebat.*

(*i*) Theodoret lib. V. c. IV. Ὁ μέγας Εὐσέβιος ἐκ τῆς ὑπερορίας ἐπανελθὼν, Ἀκάκιον μὲν, οὗ πολὺ τὸ κλέος, ἐν Βεροίᾳ κεχειροτόνηκεν· ἐν Ἱεραπόλει δὲ Θεόδοτον - Εὐσέβιον δὲ Χαλκίδος, Κύρου δὲ τῆς ἡμετέρας Ἰσίδωρον. - - - φασὶ δὲ αὐτὸν καὶ Εὐλόγιον - - τῆς Ἐδέσσης κεχειροτονηκέναι ποιμένα - - ὁ δὲ θεῖος Εὐσέβιος ἔσχατον ἐπίσκοπον Μάριν τῇ Δολίχῃ κεχειροτόνηκε. Magnus Euſebius ab exilio reuerſus Acacium, cuius celebris eſt fama, Berœæ ordinauit Epiſcopum, Hierapoli vero Theodotum - - Chalcidis porro Euſebium, & Cyri noſtræ Iſidorum, - - Sed & Eulogium - - ab eodem ferunt Edeſſæ paſtorem fuiſſe ordinatum. - - Poſtremum omnium Marim diuinus Euſebius Dolichiæ creauit Epiſcopum.

[*k*] Epiph. ad Ioan. Hieroſolymit. (Tom. II. opp. p. 312, b.)

quod

quod in casu vrgentis necessitatis, qualis iste fuerit, in quo Dei caussa tuenda sit, vnusquisque Episcopus in qualibet totius Ecclesiæ parte officio suo defungi posset. *Nam etsi*, inquit, *singuli ecclesiarum Episcopi habent sub se ecclesias, quibus curam videntur impendere, & nemo super alienam mensuram extenditur; tamen præponitur omnibus caritas Christi, in qua nulla simulatio est: nec considerandum, quid factum sit, sed quo tempore & quo modo, & in quibus & quare factum sit.* Ita potestatis suæ episcopalis exercitium in aliena dioecesi defendit EPIPHANIVS. Ex his omnibus igitur apparet, quod quilibet Episcopus æque vniuersalis fuerit episcopus, & vniuersæ Ecclesiæ curam æque gesserit ac ipse Episcopus *Romanus*; quum nullus officii Episcopalis actus sit, quem non vbique, necessitate vrgente, sine vlla dispensatione non minus, quam is ipse, peragere potuisset. Quidquid præ reliquis proprium habebat & peculiare, solum ius Metropolitani siue Patriarchæ erat, & hoc ipsum quidem certo territorio per canones ecclesiasticos circumscriptum; qua de re deinceps suo loco fusius agetur.

LIBRI SECVNDI

CAPVT SEXTVM

DE EPISCOPORVM OMNI SVBIECTIONE SOLVTA RATIONE, VVLGO INDEPENDENTIA, SPECIATIM TEMPORE CYPRIANI ET IN ECCLESIIS AFRICANIS.

§. I.

Quid per Episcoporum omni subiectione solutam rationem, seu, vt vulgo dicitur, Indepedentiam *aliorum ab aliis; nec non per absolutam potestatem in sua ipsorum Ecclesia intelligatur.*

ADhuc aliud quidpiam, proprium Episcoporum officium considerantibus nobis, occurrit, cuius nos mentionem facere oportet, quod est absoluta cuiusque Episcopi in ecclesia sua potestas, cuius intuitu ab alio nullo dependebat. Vt recte intelligamus, quo vsque hæc potestas sese extenderit, distinguendum est inter religionis partes *substantiales* & *rituales*. Circa

ca haſce poſteriores præcipue Epiſcoporum poteſtas abſoluta erat in propria ipſorum eccleſia; liberum ipſis erat eligere quoscunque de hiſce indifferentibus ritibus, vbi eccleſiæ ſuæ vtiliſſimos eſſe iudicabant, nulli alii ad reddendam huius rei rationem obnoxii. In rebus quidem fidei, cum veram doctrinam hæreſi corrumperent, aut ritus introducerent religioni noxios, omnium Epiſcoporum cenſuræ ſuberant; & ex vniuerſo Epiſcoporum collegio quisque ſigillatim (quomodo in antecedenti capite audiuimus) ipſis ſeſe opponendi auctoritate valebat: Eiusmodi autem indifferentes ritus, qui in eccleſia adhiberi ſalvis canonibus poterant, cuilibet Epiſcopo integrum erat ſibi ſuæque eccleſiæ eligere, quos pro ſua ſapientia & circumſpectione vtiles & neceſſarios eſſe ſtatuebat.

§. II.

Omnes Epiſcopi libertatem habebant peculiares ſibi Liturgias formandi.

Ita exempli cauſſa, quamuis per vniuerſam Eccleſiam vna cultus diuini forma eſſet, quod ad ipſam cultus Chriſtiani ſubſtantiam attinet, quilibet tamen Epiſcopus *liturgiam* ſibi formandi libertatem habebat, quacumque methodo & quibuscumque verbis id ei optimum videbatur, dummodo analogiæ fidei & ſanæ doctrinæ adhærerent. Ita GREGORIVS NAZIANZENVS de BASILIO obſeruat, quod inter bona officia eccleſiæ *Cæſareenſi* ab ipſo, Presbytero adhuc, præſtita referri debeant precationum formulæ, quæ ab eo compoſitæ (*m*) & in Eccleſia, conſentiente & mandante EVSEBIO Epiſcopo, vſurpatæ ſint. Et quibusdam (*n*) non videtur improbabile, quod ſint prima delineatio eius *liturgiæ*, quæ in hunc vſque diem ab ipſius nomine appellatur. Eccleſia *Neo-Cæſareenſis* in *Ponto*, vbi BASILIVS natus erat, peculiarem habebat Liturgiam, qua de BASILIVS (*o*)

[*m*] Naz. Orat. XX. in laud. Baſil. p. 340. *εὐχῶν διατάξεις, καὶ εὐκοσμίας τοῦ βήματος.*

[*n*] Billius Not. in Loc. Caue Hiſtor. Litter. Vol. I. p. 194.

[*o*] Baſil. Ep. LXIII. ad Neocæſar. p. 96: *Ἐκ νυκτὸς ὀρθρίζει παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ τὸν οἶκον τῆς προσευχῆς, καὶ ἐν πόνῳ, καὶ ἐν θλίψει καὶ ἐν συνοχῇ δακρύων ἐξομολογούμενος τῷ Θεῷ, τελευταῖον ἀναστάντες τῶν προσευχῶν, εἰς τὴν ψαλμῳδίαν καθίστανται· καὶ νῦν μὲν διχῇ διανεμηθέντες ἀντιψάλλουσιν ἀλλήλοις, ὁμοῦ μὲν τὴν μελέτην τῶν λογίων ἐντεῦθεν κρατύνοντες, ὁμοῦ δὲ καὶ τὴν προσοχὴν καὶ τὸ ἀμετεώριστον τῶν*

in quadam Epiſtola loquitur. CHRYSOSTOMI Liturgia, quam pro Eccleſia *Conſtantinopolitana* compoſuerat, ab hac ipſa diſcrepabat. Formula *Ambroſiana* a *Romana*, & hæc rurſus ab aliis erat diuerſa. Eccleſiæ *Africanæ* peculiarem pro ſemet ipſis Liturgiam habebant, diuerſam a *Romana*, quemadmodum ex quibusdam locis, quæ a VICTORINO AFRO & FVLGENTIO ex *Africanis* Liturgiis citantur, & fatente BONA Cardinali (*p*) in *Romana* non reperiuntur, liquet.

§. III.

Nec non eamdem Fidei Confeſſionem diuerſimode exprimendi.

Idem obſeruari poteſt de *Confeſſione* ſeu *Symbolo Fidei* in diuerſis Eccleſiis. *Regula Fidei vna omnino erat*, vt TERTVLLIANVS (*q*) loquitur, *ſola immobilis & irreformabilis per vniuerſam Eccleſiam.* Erant tamen diuerſi modi eam exprimendi, quemadmodum ex multis formulis adhuc exſtantibus, & inter ſeſe quodammodo diſcrepantibus, manifeſtum eſt. Quæ apud IRENAEVM (*r*),

καρδιῶν ἑαυτοῖς διακοτέμενοι κ. τ. λ. De nocte populus conſurgens antelucano tempore domum precationis petit: inque labore & tribulatione ac lacrimis indeſinentibus facta ad Deum confeſſione, tandem ab oratione ſurgentes ad pſalmodiam traducuntur. Et nunc quidem in duas partes diuiſi alternis ſuccinentes pſallunt, atque ex eo ſimul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant: & cordibus ſuis attentionem & reiectis vanis cogitationibus mentis ſoliditatem ſuppeditant.

[*p*] Bona Rer. liturg. lib. I. c. VII. n. III. Marius Victorinus Afer lib. I. adu. Arium ſententiam citat ex Liturgia Africana, *quæ in Ordine Romano non exſtat: Sicut*, inquit, *& in oblatione dicitur*, *Munda tibi populum circumvitalem, æmulatorem bonorum operum, circa tuam ſubſtantiam venientem*. Fulgentius quoque Ruſpenſis in Fragmentum editis a Sirmondo c. XIV. in Epiſt. I. ad Cor. quodam teſtimonio Liturgiæ Africanæ vtitur, *quod in Romana non reperitur.*

[*q*] Tertull. de veland. Virg. c. I.

[*r*] Iren. lib. I. c II. tot. (p. 45. edit. Oxon. MDCCII.) quod quum paullo longius ſit, breuitatis cauſſa verba latina tantum tranſcribimus: Eccleſia per vniuerſum orbem vſque ad fines terræ ſeminata & ab Apoſtolis & Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in vnum Deum, Patrem omnipotentem, *qui fecit cælum & terram, & mare & omnia, quæ in eo ſunt;* & in vnum Ieſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute; & in Spiritum ſanctum, qui per prophetas prædicauit diſpoſitiones Dei, & aduentum & eam, quæ eſt ex Virgine, generationem, & paſſionem & reſurrectionem a mortuis & in carne in cælos adſcenſionem dilecti Ieſu Chriſti Domini noſtri, & de cælis in gloria Patris aduentum eius, ad recapitulanda vniuerſa & reſuſcitand m omnem

CYPRIANVM (*s*) & TERTVLLIANVM (*t*) reperiuntur, non eadem prorſus methodo nec iisdem verborum formulis conſcriptæ ſunt. Symbolum EVSEBII (*u*) & ipſius Eccleſiæ *Cæſareenſis* ab *Hieroſolymitano* differt, in quod CYRILLVS (*w*) commentatus eſt; Nec *Cyrillianum* cum eo, quod in Litur-

carnem humani generis, vt Chriſto Ieſu Domino noſtro, & Deo & Saluatori & Regi, ſecundum placitum Patris inuiſibilis *omne genu curuet & terreſtrium & infernorum & omnis lingua confiteatur ei* & iudicium iuſtum in omnibus faciat: Spiritalia quidem nequitiæ, & Angelos transgreſſos atque Apoſtatas factos, & impios, & iniuſtos & iniquos, & blaſphemos homines in æternum ignem mittat: iuſtis autem & æquis & præcepta eius ſeruantibus, & in dilectione eius perſeuerantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia, vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat & claritatem æternam circumdet.

(*s*) Cypr. Ep. LXX. ad Epiſcop. Numid. p. 190. (p. 117. edit. Pariſ.) Sed & ipſa interrogatio, quæ fit in baptiſmo, teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus: *Credis in vitam æternam, & remiſſionem peccatorum per ſanctam eccleſiam* &c. Item Epiſtol. LXXVI. al. LXIX. ad Magnum p. 183. edit. Oxon. (p. 152. edit. Pariſ.)

(*t*) Tertullian. ibid. Regula fidei vna omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in vnum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium eius Ieſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum a mortuis, receptum in cælis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum iudicare viuos & mortuos, per carnis etiam reſurrectionem.

(*u*) Euſeb. Ep. ad Cæſarienſ. ap. Socrat. lib. I. c. VIII. (p. 24. edit. Amſtelod.) Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν, παντοκράτορα, τὸν τῶν ἁπάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, ζωὴν ἐκ ζωῆς, υἱὸν μονογενῆ, πρωτότοκον πάσης κτίσεως, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ πατρὸς γεγεννημένον· δι᾽ οὗ καὶ ἐγένετο τὰ πάντα, τὸν διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθέντα, καὶ ἐν ἀνθρώποις πολιτευσάμενον, καὶ παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα πρὸς τὸν πατέρα καὶ ἥξοντα πάλιν ἐν δόξῃ κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· πιστεύομεν καὶ εἰς ἓν πνεῦμα ἅγιον. Τούτων ἕκαστον εἶναι καὶ ὑπάρχειν πιστεύοντες, πατέρα ἀληθῶς πατέρα, καὶ υἱὸν ἀληθῶς υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον ἀληθῶς ἅγιον πνεῦμα, κ. τ. λ. Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, viſibilium omnium & inuiſibilium creatorem: & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, Dei verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, Filium vnigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſæcula ex Deo Patre genitum, per quem omnia facta ſunt: qui propter noſtram ſalutem incarnatus eſt, & inter homines verſatus: qui paſſus eſt & reſurrexit tertia die: adſcendit ad patrem, & iterum venturus eſt cum gloria, vt viuos iudicet & mortuos. Credimus etiam in vnum Spiritum Sanctum. Horum vnumquemque eſſe ac ſubſiſtere credentes: Patrem vere Patrem, Filium vere Filium, & Spiritum Sanctum vere Spiritum Sanctum &c.

(*w*) Cyrill Hieroſolym. Catech. IV. n. III. IV. ſeqq. (p. 47. edit. Oxon.)

gia

gia *Iacobi* (*x*) exstat, congruit. Et vt plura, quæ heic memorari possent, prætermittamus, Symbolum *Aquileiæ* ab RVFFINO (*y*) recitatum a Symbolo *Romano* differt, quod illud ipsum est, quod communiter *Symbolum Apostolicum* dicimus. Horum discriminum omnium ratio non potest esse alia nisi hæc, quod omnes Episcopi potestatem habuerint formandi fidei Symbola pro sua quisque ecclesia, eaque iis verbis exprimendi, quæ ipsorum ecclesiarum statui maxime conuenirent, & quibus hæreses, quæ ipsis potissimum essent extimescendæ, reprimere valerent: Quemadmodum RVFFINVS obseruat, vocabula *Inuisibilis* & *Impassibilis* primo Symboli Articulo fuisse addita, vt *Patripassianis* & *Sabellianis* hæreticis, qui Patrem æque ac Filium in carne apparuisse & passum esse statuebant, occurreretur. Notum etiam est, quod aliarum ecclesiarum Episcopi eadem libertate, occasione ita ferente, vsi sint.

§. IV.

Specialia ieiunia in ecclesiis suis indicendi.

Obseruationem illam multis aliis eiusdem generis exemplis confirmare possem; sed vnum tantum adferam, quod est potestas, qua Episcopus quisque certos sacri ieiunii dies in ecclesia sua indicere valebat. Hoc ex AVGVSTINI epistola responsoria ad *Casulanum* circa ieiunium Sabbathi discimus. *Casulanus* hac in re maxime dubius erat & anxius, quod quasdam ecclesias in *Africa* eum diem ieiunio, alias vero festiuitate transmittere obseruabat; quid quod interdum in vna eademque ecclesia homines vitæ ratione inter se discreparent, aliis quidem eo die prandentibus, aliis vero ieiunantibus. Istum scrupulum *Casulano* exemturus AVGVSTINVS (*z*) ita respondet: *Mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est: Quapropter si consilio meo acquiescis: Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine vllo scrupulo*

(*x*) Liturg. Iacobi Bibl Patr. Gr. Lat. Tom. II. p. 7. (Tom. VI. p. 6. Biblioth. S. S. Patr. edit. Margarin. de la Bigne Parif. M D LXXXIX.) Credo in vnum Deum Patrem, omnipotentem factorem cæli & terræ, & in vnum Dominum Iesum Christum, Filium Dei &c.

(*y*) Ruffin. in Symbol. Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Inuisibilem & Impassibilem.

(*z*) Aug. Ep. LXXXVI. ad Casulan.

vel disceptatione sectare. Quod clarissime indicat, fuisse tum in cuiusuis Episcopi situm potestate, ieiunium istud in ecclesia sua iniungere vel non iniungere, prout ipsi visum fuerit.

§. V.

Episcoporum Independentia in Ecclesiis Africanis *omnium maxime conspicua.*

Nusquam vero hæc Episcoporum priuilegia, & absoluta, nec a quopiam dependens potestas in istiusmodi rebus omnibus plenius ipsis reseruata fuere, quam in ecclesiis *Africanis* ab ætate CYPRIANI, qui huius liberrimæ potestatis frequenter meminit; quæ heic non ad nudos tantum ritus & cærimonias, sed ad diuersa nec leuia disciplinæ ecclesiasticæ momenta sese extendebat; cuiusmodi quid erat *casus rebaptizandi hæreticos, admittendi denuo in communionem Ecclesiæ adulteros*, & quæstio de *valore baptismi Clinicorum.* In his rebus CYPRIANI opinio ac praxis ab ipsius in Episcopatu Collegarum opinione ac praxi erat diuersa: neque vero potestatem sibi arrogabat reprehendendi eos, qui aliter ac ipse agebant, nec ideo ab eorum se communione separabat, sed vnumquemque officii sui rationem iudici omnium Deo reddere patiebatur. Quod ad iterationem baptismi eorum attinet, qui ab hæreticis iam baptizati fuerant, eam quidem omnino probabat, vti omnibus cognitum est & perspectum: neque vero pro hac ipsa ita decertabat, vt vllam potestatem iudicialem in remouendis seu excommunicandis iis exerceret, qui secus sentirent & agerent; sed suam omnibus Episcopis libertatem se relinquere declarabat, vt pro suo quisque ageret iudicio, facti sui soli Deo rationem redditurus. Hanc in rem mentem suam in epistola ad *Stephanum* (*a*) Pontificem & *Iubaianum* (*b*) ipse declarat, adhuc autem multo plenius in Oratione, quam conscripsit, quum ma-

(*a*) Cypr. Ep. LXXII. ad Stephan. p. 197. (p. 122. edit. Paris.) Qui in re nec nos vim cuique facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum vnusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.

(*b*) Id. Ep. LXXIII. ad Iubaian. p. 210. (p. 128. lin. vlt. & p. 129 edit. Paris.) Hæc tibi breuiter pro nostra mediocritate rescripsimus, frater carissime, nemini præscribentes aut præiudicantes, quo minus vnusquisque Episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem.

gnum illud Concilium *Carthaginense* aperiretur, quod ad huius quæstionis considerationem conuenerat. *Superest (bb)*, inquiebat, *vt de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus; neminem iudicantes, aut a iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum Episcoporum se constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium proprium; tamque iudicari ab alio non possit, quam nec ipse potest iudicare. Sed exspectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.* Hoc modo CYPRIANVS plene & aperte coram Concilio sententiam suam dicit pro absoluta cuiusuis Episcopi potestate, tacite respiciens ad Episcopum *Romanum*, ius sibi vendicantem ex Ecclesiæ societate eiiciendi eos, qui diuersum ab ipso sentirent & agerent, quem ausum, tamquam tyrannicum agendi modum, CYPRIANVS damnat.

Quod ad secundum momentum de admittendis iterum ad communionem Ecclesiæ adulteris attinet, CYPRIANVS dicit, antecessores suos in *Africa* de hac quæstione diuersum statuisse, neque tamen mutuam ideo communionem deseruisse. *Apud antecessores nostros*, inquit, (c) *quidam de Episcopis isthinc in prouincia nostra dandam pacem mœchis non putauerunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt, non tamen a Coëpiscoporum suorum collegio recesserunt, aut Catholicæ Ecclesiæ vnitatem vel duritie, vel censuræ suæ obstinatione ruperunt, vt, quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de ecclesia separaretur, manente concordiæ vinculo, & perseuerante Catholicæ Ecclesiæ indiuiduo sacramento, actum suum disponit & dirigit vnusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.* Noui equidem, viros quosdam eruditos (d) per hanc Episcoporum *Africanorum* libertatem nihil intelligere aliud, quam quod suum ipsorum iudicium sequi potuerint, vsque dum Ecclesia hanc controuersiam decreto quodam publico composuisset: sed ve-

(bb) Conc. Carth. ap. Cypr. p. 229.
(c) Cypr. Ep. LII. al. LV. ad Anton. p. 110. (p. 71. fin. seq. edit. Bas. MDCLXVI.)
(d) Fell, Not. in loc. citat.

ro facere non possum, fateor, quin CYPRIANVM amplius quid intelligere existimem, quod hanc ipsam libertatem post ipsa etiam pleni Concilii decreta, defendit; quemadmodum ex Oratione eius ad Concilium *Carthaginense* percepimus.

Circa tertiam quæstionem de *valore baptismi Clinicorum*, an videlicet illi, qui ægrotantes aqua tantum in lectis suis conspersi, non autem penitus immersi aut abluti in baptismo fuerant, pro perfectis Christianis haberi debeant; CYPRIANVS ex sua quidem parte id adfirmabat; attamen si quis de Episcopis secus persuasus esset, baptismum istum non esse legitimum, & ex hoc fundamento eiusmodi homines de nouo aquæ immergeret, nemini se præscribere, sed vnicuique libertatem faciendi, quod sentiat, relinquere (*e*) profitebatur. Hæc erat antiqua illa libertas æui CYPRIANI, de qua heic paullo fusius diximus, quod inde possumus perspicere, quid tum fuerit incontrouersa vniuscuiusque Episcopi in Ecclesia *Africana* potestas & priuilegium, quod plerumque in hisce posterioribus sæculis non ita cognitum & exploratum est.

LIBRI SECVNDI
CAPVT SEPTIMVM
DE EPISCOPORVM POTESTATE IN AVDIENDIS ET DECIDENDIS CAVSSIS SAECVLARIBVS.

§. I.

Episcopi in primitiua Ecclesia plerumque arbitri electi ab iis, qui inter se dissidebant.

HActenus eiusmodi functionis Episcopalis officia perstrinximus, quæ secundum diuinas leges & ecclesiasticos Canones ad omnes Episcopos pertinent: At præterea aliud quoddam occurrit, per leges Status iis imponi solitum; quod est

(*e*) Cyprian. Ep. LXXVI. al. LXIX. ad Magnum p 186. (p. 153. edit Paris.) Qua in re nemini verecundia & modestia nostra praeiudicat, quo minus vnusquisque quod putat, sentiat, & quod senserit faciat. it. p. 188. (p. 155. ed. Paris.) Nemini præscribentes, quo minus statuat, quod putat vnusquisque Præpositus, actus sui rationem Domino redditurus.

caussarum sæcularium recognitio & decisio, quam populus continuo ab ipsis petere consueuit. Tam singulare eximiumque Episcoporum nomen erat & existimatio, tam incredibilis omnium hominum fiducia, quam in ipsorum integritate & iustitia collocabant, vt plerumque eos appellarent, tamquam optimos dissidentium arbitros & iudices, in obortis dissidiis minime omnium proprio commodo seruientes. SIDONIVS APOLLINARIS (*f*) sæpius hac de consuetudine loquitur: & SYNESIVS (*g*) id ipsum officii ac functionis suæ Episcopalis partem esse dicit. AMBROSIVS de se (*h*) testatur, quod eiusmodi occasionibus ad eius arbitrium prouocari consueuerit; & AVGVSTINVS (*i*) de eo narrat, sæpius cateruis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus seruierit, adeo circumdatum fuisse, vt parum temporis aliis rebus impendere potuerit. Talis ipsius etiam

(*f*) Sidon. Apollin. lib. III. ep. XII. Cæterum nostro quod sacerdoti nihil reseruaui; meæ caussæ suæque personæ præscius in commune consului, ne vel hæc iusto clementius vindicaretur, vel illa iusto seuerius vindicaret. Cui cum tamen totum ordinem rei vt satisfaciens ex itinere mandassem; vir sanctus & iustus iracundiæ meæ dedit gloriam, cum nihil amplius ego venia postularem, pronuntians more maiorum reos tantæ temeritatis iure cæsos videri. &c.
Id. Lib VI. ep. II. *Iurgium* seu sopitum *vestris* modo *finibus infertur*. Pacificate certantes, & pontificalis auctoritate censuræ, suspectis sibi partibus indicite gratiam, dicite veritatem. Ibid. Ep. IV. *Auctoritas personæ*, opportunitas præsentiæ *tuæ*, inter coram positos *facile valebit*, si dignabitur, seriem totius indagare violentiæ. - - Sed quia *iudicii vestri medicinam expetunt*, simultatemque, qui negotium criminale parturiunt, vtrarum, si bene metior, partium & morum est, aliqui *indemni compositione* istorum dolori, illorum periculo *subuenire*; & quodam *salubris sententiæ temperamento*, hanc partem minus adflictam, illam minus ream, & vtramque plus facere securam &c.

(*g*) Synes. Epist. CV. p. 399 (pag. 248 edit. Paris. MDCXXXIII.) Νομοδιδάσκαλος ὢν καὶ νενομισμένα φθεγγόμενος, vt qui (Episcopus) *legum doctor* sit, & quæ *legibus consentanea* sunt, *loquatur*.

(*h*) Ambros. Ep. XXIV. ad Marcellum (Ep XLIX. lib. VI. pag. 151 a. Tom. V. edit. Colon. MDCXVI.) Petierunt caussæ patroni protogari paucorum dierum tempora, *vt ego residerem cognitor*. Tantus ardor erat christianis viris, ne Præfectus de Episcopi iudicaret negotio. &c.

(*i*) Aug. Conf. Lib VI. c III. Non quærere ab eo (Ambrosio) poteram, sicut volebam, secludentibus me ab eius aure atque ore *cateruis negotiosorum hominum, quorum infirmitatibus seruiebat. Cum quibus quando non erat, quod per exiguum temporis erat*, aut corpus reficiebat necessariis sustentaculis, aut lectione animum.

AVGV-

AVGVSTINI erat conditio, qui frequentissime de oneribus sibi hoc intuitu incumbentibus (*k*) queritur. Neque enim a solis Christianis, sed a cuiusuis sectæ hominibus interpellabantur: adeo, vt; quemadmodum POSSIDIVS (*l*) in ipsius vita adnotat, *caussas eorum audiret diligenter ac pie: & eas aliquando vsque ad horam refectionis, aliquando autem tota die ieiunans, semper tamen nosceret & dirimeret.* Quæ res etsi ipsum valde defatigabat, tamen hoc onus in se deferri libenter patiebatur, *atque*, vt POSSIDIVS porro loquitur, *compertis rerum opportunitatibus diuinæ legis veritatem partes docebat, eamque illis inculcabat, & eos, quo adipiscerentur vitam æternam, edocebat & admonebat* &c.

§. II.

Huius consuetudinis origo. Quis sit sensus verbi Paulini ἐξουθενημένος 1 Cor. VI, 4.

Notandum etiam est, quod, quamuis in Nouo Testamento nullus textus exstet, qui expressis verbis Episcopos rerum sæcularium iudices constituat, AVGVSTINVS tamen existimet, Paulum prohibendo, ne quis negotium habens aduersus alterum iudicio experiatur sub infidelibus, hoc ipsum eis reuera præcipere. Dicit enim: (*m*) *Constituit talibus caussis Ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare Christianos.* Et alibi: (*mm*) *Quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis litteris agendum liberas, quam tumultuosissimas perplexitates caussarum alienarum pati de negotiis sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis: quibus nos molestiis affixit Apostolus, non vtique suo, sed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio, quas tamen ipsum perpessum fuisse non legimus.* Quo ipso Apostolum vniuersis Christianis putat iniungere, vt de suis arbitros eligant,

(*k*) Aug. Ep CX. Non permittor ad quod volo vacare ante meridiem, post meridiem occupationibus hominum teneor.
Id. Ep. CXLVII. Homines caussas suas sæculares apud nos finire cupientes &c.

(*l*) Possid. Vit. August. c. XIX.

(*m*) Aug. Serm. XXIV. in Psalm. CXIIX.

(*mm*) Id. de Oper. Monach. c. XXIX.

& hoc officium consuetudine ad Episcopos deuolutum esse, quippe qui propter ipsorum sapientiam & probitatem ad id praestandum maxime essent idonei. Id quod cum Pauli sententia 1 Cor. VI, 4. prout docti quidam acutique Critici (*n*) eam intelligunt, maxime conuenit. Quamquam enim vulgares translationes omnes verba ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ reddant, *homines nullo loco in Ecclesia habitos*: LIGHTFOOTVS tamen obseruat, quod pariter *homines summae existimationis* significare possint. Vox enim Graeca ἐξουθενημένοι significat tantum priuatos iudices, seu arbitros ab ipsis partibus dissidentibus electos; quales inter *Iudaeos* fuerunt, qui vocabantur ἰδιῶται & *non Authentici*, non quod de plebe & infima multitudine essent, sed infimi de classe iudiciaria; non quidem a *Sanhedrin* tamquam perpetuus consessus & auctorisatum forum constituti, sed ab ipsis litigantibus caussarum suarum cognitores electi. Tales priuatos iudices Apostolus Christianos in Ecclesia eligere, ad eosque controuersias ac lites suas referre iubet: quo ipso non mandat, vt de pauperrimis, infimis & rerum maxime ignaris ex populo iudices eligant, sed contra potius, vt homines idoneos, sapientia conspicuos, qui iudicium ferendi atque controuersias inter fratres suos dirimendi auctoritate valeant, adsciscant. Quoniam vero nemo melioribus in hanc rem dotibus instructus esse credebatur, quam Episcopi, ideo officium iudicis plerumque ipsis deferebatur, quod per decorum & caritatem detrectare illi non poterant. Atque inde haec officii & functionis Episcopalis pars veram suam originem traxisse mihi videtur.

§. III.

Haec Episcoporum potestas legibus Imperatorum confirmata.

Quod autem sic in consuetudinem abiit, ciuilibus magistratibus profanae gentilitatis superstitioni adhuc adhaerentibus, id postea, Imperatoribus Christianam religionem amplexis, per leges confirmatum fuit atque stabilitum. EVSEBIVS (*o*) dicit,

(*n*) Lightfoot. & Lud. de Dieu in 1 Cor. VI, 4.

(*o*) Euseb. de Vita Constant. Lib. IV. c. XXVII. Καὶ τοὺς τῶν ἐπισκόπων δὲ ὅρους τοὺς ἐν συνόδοις ἀποφανθέντας ἐπεσφραγίζετο, ὡς μὴ ἐξεῖναι τοῖς τῶν ἐθνῶν ἄρχουσι τὰ δόξαντα παραλύειν· παντὸς γὰρ εἶναι δικαστοῦ τοὺς ἱερεῖς τοῦ Θεοῦ δοκιμωτέρους.

Constan-

Constantinum Episcoporum sententias, quæ in Synodis promulgatæ essent, auctoritate sua confirmasse; adeo, vt prouinciarum rectoribus non licuerit Episcoporum decreta rescindere. Cuiuis enim iudici præferendos esse sacerdotes Dei. Et SOZOMENVS addit (p), *litigantibus permisisse, vt ad Episcoporum iudicium prouocarent, si magistratus ciuiles reiicere vellent: eorum autem sententia rata esset aliorumque iudicum sententiis præualeret, perinde ac si ab ipso Imperatore data fuisset: vtque res ab Episcopis iudicatas rectores prouinciarum eorumque Officiales exsecutioni mandarent.* Ad calcem *Codicis Theodosiani* lex subiuncta reperitur, quam nonnulli pro hac ipsa lege CONSTANTINI, istis auctoribus memorata, habent. SELDENVS ipse (q) genuinam esse credit; ego vero GOTHOFREDI argumenta, quibus spuriam esse probat, validiora esse existimo. Talem enim Episcopis potestatem tribuit, cuius nec EVSEBIVS meminit, nec SOZOMENVS, & cui leges cæteræ omnes contradicunt, his nimirum verbis conscriptæ; (r) *Quicunque litem habens, siue possessor siue petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur.* Qua vero cum praxi leges omnes & historiæ pugnant: nulla enim caussa ad Episcopum deferebatur, nisi cum litigantes ex compromisso ad ipsius arbitrium irent. Hoc in casu sententia Episcopi valida erat & per magistratum sæcularem in effectum deducenda, non autem ratione vlla alia. Vt adeo hæc ipsa lex vel non sit CONSTANTINI illa, ad quam EVSEBIVS & SOZOMENVS respiciunt, aut certe per alias leges omnes reuocata atque dissoluta. GOTHOFREDVS insignem contrariarum legum multitudinem adfert: quarum vnum tantum exemplum heic adduxisse satis habebo.

(p) Sozom, lib I, c. IX. Τῶν δὲ ἐπισκόπων ἐπικαλεῖσθαι τὴν κρίσιν ἐπέτρεψε τοῖς δικαζομένοις, ἢν βούλωνται τοὺς πολιτικοὺς ἄρχοντας παραιτεῖσθαι· κυρίαν δὲ εἶναι τὴν αὐτῶν ψῆφον καὶ κρείττω τῆς τῶν ἄλλων δικαστῶν, ὡσανεὶ παρὰ τοῦ βασιλέως ἐξενεχθεῖσαν· εἰς ἔργον δὲ τὰ κρινόμενα ἄγειν τοὺς ἄρχοντας, καὶ τοὺς διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας.

(q) Selden. Vxor. Hebr. lib. III. c. XXVIII. pag. 564. (pag. 413. 414. Edit. Francof. MDCLXXIII.)

(r) Extrauag. de Elect. iudicii Episcop ad Calcem Codic. Theod. Tom. IV. p. 303.

§. IV.

§. IV.

Non tamen concessa in caussis criminalibus : nec in aliis caussis, nisi inter litigantes de eligendis iis arbitris ante conuenisset.

Duas in *Codice Iustinianeo* (*s*) leges ARCADII & HONORII Imperatorum circa hanc materiam habemus, quæ ad explanandam CONSTANTINI legem faciunt. In istis enim Episcopis iudicare permittitur, eorumque iudicium definitiuum pronuntiatur, adeo vt ab isthoc prouocare non liceat; & iudicum sæcularium ministri Episcoporum sententias exsequi iubentur: sed additis expresse his duabus limitationibus: I. Quod iudicandi potestatem tantum habeant, si vtraque pars litigans de caussis suis ipsorum arbitrio deferendis consenserit. Et II. si caussæ fuerint mere ciuiles & non criminales, quæ forte ad vitam & necem cuiuspiam attinuerint. Nam in istiusmodi casibus per canones (*t*) ecclesiasticos perinde ac leges ciuiles prohibebantur, quo minus iudicum loco haberentur. Quare Episcopi nullam vmquam caussam criminalem ad se deferri patiebantur, nisi eorum, qui sub censuram ecclesiasticam erant vocati.

§. V.

Episcopi interdum Presbyteros, vel etiam Laicos suos, in his rebus in locum suum substituerunt.

Enim vero caussis ciuilibus plerumque nimium quantum districti erant, adeo vt non raro aliquam earum partem alii cuidam homini committere cogerentur, cuius in integritate atque prudentia confidere poterant. Is erat vt plurimum ex Clericis ipsorum, Presbyter aliquis aut princeps Diaconus. AVGVSTINVS, ab harum caussarum onere nimium se premi sentiens, *E-*

(*s*) Cod Iustin lib. I. Tit. IV. leg. VII. Si qui ex consensu apud sacræ legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur. Sed experientur illius in *ciuili duntaxat negotio*, more arbitri sponte residentis, iudicium. Ibid. leg. VIII. Episcopale iudicium ratum sit omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint; eamque eorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam iubemus, quum vestris deferre necesse est potestatibus, a quibus non licet prouocare.

(*t*) Conc. Tarracon. c. IV. (Tom. IV. p. 1564.) Habeant licentiam iudicandi *exceptis criminalibus negotiis.*

radium

radium Presbyterum (*u*) in locum suum substituit. Et Concilium *Tarraconense* non de Presbyteris tantum, sed (*w*) Diaconis etiam loquitur, qui audiendis caussis sæcularibus præfecti fuerint. Et SOCRATES memorat (*x*), *Sylvanum* Episcopum *Troadis* hanc potestatem omnem Clericorum manibus eripuisse, *quod eorum quosdam ex litigantium controversiis quæstum captare animaduerterit; quare neminem vmquam ex clero iudicem dedisse, sed acceptis litigantium libellis aduocasse vnum ex fidelibus laicis, quem æquitatis studiosum nosset: eique causse cognitione commissa litigantes a contentione reuocasse.* Eruditis viris disquirendum relinquo, numne *Cancellarii Laici* a tali occasione, qualis hæc ipsa est, Episcopis nimirum homines Laicos ad audiendas ipsorum nomine caussas sæculares designantibus, & mere spiritualem & ecclesiasticam potestatem sibi solis omnino reseruantibus, in Ecclesia primam originem traxerint.

LIBRI SECVNDI

CAPVT OCTAVVM

DE EPISCOPORVM PRIVILEGIO DEPRECANDI PRO REIS.

§. I.

De magna Episcoporum potestate & iure deprecandi pro reis apud magistratum ciuilem.

PRæcedenti capite adnotauimus, Episcopis numquam fuisse permissum in caussis capitalibus seu criminalibus iudicare, quod eorum non esset, pœnas cum sanguine poscere: Tantum aberat, vt in constituendo in quempiam supplicio aliquid haberent negotii, vt fere pars officii ipsorum esse consueuerit,

(*u*) Aug. Ep. CX. Obsecro vos & obstringo per Christum, *vt huic tuneat, huic Presbytero Eradio*, quem hodie in nomine Christi designo Episcopum successorem mihi, *patiamini me refundere onera occupationum mearum.*

(*w*) Conc. Tarracon. c. IV. ibid Nullus Episcoporum aut Presbyterorum vel Clericorum, die Dominico propositum cuiuscumque caussæ negotium audeat iudicare.

(*x*) Socrat. lib. VII. c. XXXVII Κατιδὼν κληρικοὺς ἐμπορίαν ποιουμένους καὶ τῶν δικαζομένων ἐρεχιλίας, οὐδένα τὸν τοῦ κλήρου δικαστὴν ἰδίου ποτὲ· ἀλλὰ τὰ βιβλία τῶν δεομένων δεχόμενος παρεκάλει ἕνα τῶν πιστῶν λαικῶν, ὃν ᾔδει φιλοῦντα τὸ δίκαιον· κἀκείνῳ ἐγχειρίσας τὴν ἀκρόασιν τοὺς δικαζομένους τῆς ἐρεχιλίας ἀπήλασεν.

homines a morte liberare, deprecatores apud ciuilem magiſtratum pro reis, qui capitis erant damnati, ſeſe præbendo. AMBROSIVS, quemadmodum PAVLINVS, qui eius vitam ſcripſit, adnotauit, ſæpe hoc priuilegio vſus eſt; dum *Macedonium* (y) & *Stiliconem* (z) aliosque præcipuos ſtatus publici adminiſtros ætatis ſuæ frequenter adiit, vt nocentibus reis veniam conciliaret. Idem AVGVSTINVS pro *Circumcellionibus*, de cæde quorumdam ex clero catholico conuictis & propterea ad mortem damnatis, fecit: Duas epiſtolas verbis adfectu plenis contextas (a) ad *Marcellinum Comitem* & *Apringium*, magiſtratus *Africanos*, miſit, ab illisque petiit, vt reos, vitæ ipſorum parcentes, in perpetuum carcerem & ergaſtulum, vbi reſipiſcendi tempus illis ſuppeteret, coniici iuberent. Concilium (b) *Sardicenſe* de

(y) Paulin. Vit. Ambroſ. p. 8. (p. 43. a. edit. Colon. MDCXVI.) Temporibus Gratiani cum ad prætorium Macedonii tunc magiſtri officiorum *pro quodam intercedendum perrexiſſet* &c.

(z) Ibid p. 12. (p. 44. a. ed. Colon.) Homines, qui decepti fuerant, *interuentu ſacerdotis* (Ambroſii) *dimiſit* Stilico.

(a) Aug. Ep. CLIX. Poena illorum quamuis de tantis ſceleribus confeſſorum rogo te, vt præter ſupplicium mortis ſit, & propter conſcientiam noſtram & propter catholicam manſuetudinem commendandam. Ipſe enim fructus ad nos peruenit confeſſionis illorum, quia inuenit eccleſia catholica, vbi ſuam erga atrociſſimos inimicos ſeruet atque exhibeat lenitatem. In tanta quippe crudelitate quæcumque præter ſanguinem vindicta proceſſerit, magna lenitas apparebit.
Id. Ep. CLX. Nolumus paſſiones ſeruorum Dei quaſi vice talionis paribus ſuppliciis vindicari. Non quo ſceleſtis hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, ſed hoc magis ſufficere volumus, vt viui & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine inſana ad ſanitatis otium legum coercitione dirigantur, vel a malignis operibus alieni vtili operi deputentur. Vocatur quidem & iſta damnatio. Sed quis non intelligat magis beneficium quam ſupplicium nuncupandum, vbi nec ſæuiendi relaxatur audacia, nec pœnitendi medicina ſubtrahitur? Imple Chriſtiane iudex pii patris officium, ſic ſuccenſe iniquitati, vt conſulere humanitati memineris &c.

(b) Concil. Sardic. Can. VII. (Tom. II. p. 633.) Ἐπεὶ πολλάκις συμβαίνει τινὰς οἴκτῳ δεομένους καταφυγεῖν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, διὰ τὰ ἑαυτῶν ἁμαρτήματα εἰς περιορισμὸν ἢ νῆσον καταδικασθέντας, ἢ ἄλλως πάλιν οἱαδήποτοῦν ἀποφάσει ἐκδεδομένους· τοῖς τοιούτοις μὴ ἀρνητέαν εἶναι τὴν βοήθειαν, ἀλλὰ χωρὶς μελλησμοῦ καὶ ἄνευ τοῦ διστάσαι τοῖς τοιούτοις αἰτεῖσθαι συγχώρησιν. Quia ſæpe contingit, aliquos qui egent miſericordia, ad eccleſiam confugere, qui propter ſua peccata vel relegatione vel in inſulam deportatione damnati, vel quauis alia ſententia addicti ſunt; iis non eſſe negandum auxilium, ſed ſine cunctatione & dubitatione iis veniam eſſe petendam.

hoc

hoc ipſo loqui videtur tamquam omnium Epiſcoporum officio, quod nimirum pro iſtiusmodi hominibus, qui ad ſolum vertendum ſeu exilium vel ſimilem pœnam damnati Eccleſiæ miſericordiam implorent, deprecari teneantur. Atque hic mos adeo in vniuerſum inualuit, vt priusquam Epiſcopi cuiusdam electio fieret, diſquiri cœperit, an ad hanc officii ſui partem, non minus quam ad cæteras, explendam eſſet idoneus. SIDONIVS APOLLINARIS (*c*) eiusmodi caſum memorat, vbi populus Epiſcopi cuiusdam electioni ſeſe oppoſuerit, quod, quum monachus fuerit, vitamque egerit ſolitariam, Abbas potius quam Epiſcopus eſſe poſſet. *Hic, qui nominatur*, inquiebant, *non Epiſcopi, ſed potius Abbatis complet officium : & intercedere magis pro animabus apud cæleſtem, quam pro corporibus apud terrenum iudicem poteſt.* Non erat ille vir ſciti ac vrbani congreſſus, quod tum quidem ad hanc officii Epiſcopalis partem conficiendam neceſſarium eſſe exiſtimabant. Forte perperam ſic iudicarunt, quemadmodum iſti apud HIERONYMVM (*d*) fecerunt, qui Clericos iudices ſæculares ſplendidiſſime accipere oportere cenſuerunt, vt in ſuas eos partes hoc modo traherent ; quos HIERONYMVS merito reprehendit, *Quod ſi*, inquiens, *obtenderis te facere hæc, vt roges pro miſeris atque ſubiectis : Iudex ſæculi plus deferet Clerico continenti quam diuiti, & magis ſanctitatem tuam venerabitur quam opes.* Sed vero quomodocunque hæc ſeſe habeant, oſtendunt tamen nihilo ſecius, quæ tum communis fuerit conſuetudo, & quantum Epiſcopi tunc temporis apud magiſtratus ciuiles generatim valuerint, qui raro huiusmodi deprecationes reiecerunt. SOCRATES de ipſis *Nouatianorum* Epiſcopis quosdam hoc priuilegio fruitos eſſe, perhibet ; e. g. *Paulum* (*e*) *Conſtantinopolitanum* & *Leontium* (*f*) *Romanum*, quo deprecante *Theodoſius*

(*c*) Sidon. lib VII. Ep IX.

(*d*) Hieron Ep. II. ad Nouatianum.

(*e*) Socrat. lib. VII c. XVII *ὑπὲρ πολλῶν δὲ καὶ τοὺς ἄρχοντας παρεκάλει, οἱ δὲ ἑτοίμως ὑπήκουον διὰ τὴν προσοῦσαν εὐλάβειαν τῷ ἀνδρί. Pro multis* etiam *deprecabatur* (Paulus) *apud iudices, qui* quidem ob eximiam viri pietatem libenter *ei obtemperabant.*

(*f*) Id. lib V. c. XIV. *Λεοντίῳ ἐπισκόπῳ τῆς ἐν Ῥώμῃ τῶν Ναυατιανῶν ἐκκλησίας παρακαλοῦντι χάριν διδοὺς, τὸν Σύμμαχον ἀπέλυσε τοῦ συγκλήματος. Leontio*, Nouatianorum in vrbe Roma Epiſcopo *gratificatus* (Theodoſius) *Symmachum crimine abſoluit.*

dosius

desius Imperator *Symmacho* in crimen imminutæ maiestatis vocato, (quippe qui superstite adhuc *Maximo* tyranno orationem de laudibus eius recitauerat, ipso autem mortuo supplicium metuens ad ecclesiam confugerat) veniam indulserit.

§. II.

Caussæ, quamobrem Episcopi pro quibusdam reis deprecati, pro aliis vero non deprecati sint.

Animaduertere etiam heic possumus, crimina in se maxime detestanda, cuiusmodi sunt perduellio & cædes, ipsis rogantibus nonnumquam fuisse condonata. Sed vero persuadere nobis nulla ratione debemus, Episcopos vllo vmquam tempore facinorosorum reorum suscepisse patrocinium, vt publicæ iustitiæ viam obstruerent, (quod idem fuisset, ac cuniculis oppugnare rempublicam) sed in iis tantum casibus, vbi ignoscendi venia manifesto in rem & gloriam Ecclesiæ ac salutem publicam cessura videbatur: aut vbi ipsorum criminum circumstantiæ aliquam mitigationem admittebant, vt commiserescentem iudicem flectere ad clementiam adhibendam possent. Exempli gratia cum AMBROSIVS miseris quibusdam hominibus culpæ condonationem a *Stilicone* postularet, quos ipsius *Stiliconis* serui fraudulenter in errorem induxerant: eorum simplicitas aliquam excusationem habere poterat. Et cum *Augustinus* gratiam *Circumcellionibus* rogaret, in Ecclesiæ honorem id cedere credebat, vt nimirum a vindictæ ac crudelitatis suspicione, quam *Donatistæ* in eam conferre solebant, liberaretur. Quam ob caussam *Apringium* (g) proconsulem orabat, vt tum Christi eiusque Ecclesiæ caussa ipsis parceret, tum vt male facta agnoscendi & resipiscendi locum daret.

§. III.

In caussis ciuilibus & pecuniariis numquam pro aliis deprecati.

Porro notandum ex AMBROSIO est, quod Episcopi, vtut ipsi sæpe numero caussarum ciuilium iudices electi fuerint, numquam tamen in eiusmodi casibus cuiuspiam caussam apud iudices sæculares egerint. Cuius rei satis idoneam adfert ratio-

(g) August. Ep. CLX. Illi impio ferro fuderunt sanguinem Christianum: *Tu ab eorum sanguine etiam iuridicum gladium cohibe propter Christum* ------ Tu inimicis Ecclesiæ viuentibus relaxa spatium pœnitendi.

nem

nem (*h*) dicens: *In caussis pecuniariis interuenire non est sacerdotis; in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur; quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur.* Quam ob caussam in istiusmodi casibus deprecationis eorum exempla nulla suppetunt.

LIBRI SECVNDI
CAPVT NONVM
DE PRAECIPVIS QVIBVSDAM HONORIS AC OBSERVANTIAE, QVA EPISCOPI AB OMNIBVS OMNINO COLEBANTVR, SIGNIFICATIONIBVS.

§. I.

De antiquo more caput inclinandi ad recipiendam Episcoporum benedictionem.

SVnt etiam alia quædam priuilegia, quæ ad Episcopos, nec non ad Clerum reliquum spectabant; exempli gratia, vacatio a molestioribus officiis ac quibusdam tributis, & immunitas a cognitionē fori ciuilis in quibusdam casibus; de quibus heic nihil dicam specialius, quod ea considerare animus est, vbi de priuilegiis Clericorum in genere agendum nobis erit. Erant autem duæ tresue consuetudines, quæ singularem venerationem erga Episcopos arguunt, idcirco a nobis non prorsus heic prætermittendæ. Vna ex his erat vetusta illa consuetudo *inclinandi* coram ipsis *caput* ad recipiendam eorum benedictionem: quæ consuetudo adeo inualuerat, vt ipsi Imperatores in eamdem se dare haud detrectarent: quemadmodum videre est ex sermone HILARII (*i*) ad *Constantium*, vbi dicit: *Osculo sacerdotes excipis, quo & Christus est proditus: Caput benedictioni submittis, vt fidem calces.* Quæ verba ad illam consuetudinem, de qua nunc loquimur, manifeste respiciunt. Inde etiam mentem THEODORETI intelligere possumus, quando dicit (*k*) *Va-*

(*h*) Ambros. de Offic. lib. III. c. IX.

(*i*) Hilar. adu. Constant. p. 95.

(*k*) Theodor. lib. IV. c. V. *ὅπως καὶ ἡμεῖς οἱ τὴν βασιλείαν ἰθύνοντες εἰλικρινῶς αὐτῷ τὰς ἡμετέρας ὑποκλίνοιμεν κεφαλάς.*

lentianum Imperatorem Episcopis, eo fine congregatis, vt Episcopum *Mediolanensem* eligerent, mandasse, vt talem in Episcopali cathedra collocarent, qui sese omnibus virtutum omnium exemplar proponat, testemque doctrinæ conuersationem habeat, *vt ipsi, qui regant imperium, sincera voluntate illi capita sua inclinent.* Eumdem hunc morem adhuc plenius explicatum dedit CHRYSOSTOMVS in *Homilia* (*l*) quadam *ad Populum Antiochenum*; vbi loquens de *Flauiano* ipsorum Episcopo, qui ad imperatorem, veniam ipsis procuratum abierat, dicit, *Flauianum etiam esse principem & quidem illo honoratiorem: etenim ipsum Imperatoris caput sacras leges ferentes huius manibus submisisse.* Non de vlla alia submissione loquitur quam ea, quæ ad recipiendam Episcopi benedictionem fieri solebat; in aliis enim respectibus sacerdotes ista ætate Imperatoribus omnino subiecti erant. Qui plura huius consuetudinis specimina videre auet, is VALESIVM adeat, qui (*m*) loca bene multa ex aliis auctoribus eo spectantia collegit. Adducam heic tantum *Honorii* ac *Valentiniani* Imperatorum rescriptum (*mm*), in quo Episcopi dicuntur homines, *quibus omnis terra caput inclinat.*

(*l*) Chrysost. Hom. III. ad Popul. Antioch. Tom. I. p. 48. (Tom. I. p. 42. edit. Francof.) Ἄρχων ἐστὶ καὶ αὐτὸς καὶ ἄρχων ἐκείνου σεμνότερος· καὶ γὰρ αὐτὴν τὴν βασιλικὴν κεφαλὴν ἱεροὶ νόμοι ταῖς τούτου φέροντες χερσὶν ὑπέταξαν.

(*m*) Vales. Not. in Theod. lib. IV. c. V. Solebant olim Christiani occurrentibus *episcopis caput submittere*, vt ab iis benedictionem acciperent. Cuius moris multa supersunt vestigia in veterum libris. Primo enim Hilarius in libro contra Constantium ita scribit: *osculo sacerdotes excipis* &c. Philostorgius in historia ecclesiastica scribit, Leontium Tripoleos Episcopum cum reliqui omnes Episcopi Eusebiam Augustam, vxorem Imperatoris Constantis adirent, eamque ex more adorarent, numquam adduci potuisse, vt eam inuiseret, nisi ea conditione, *vt Augusta venienti ipsi adsurgeret & caput submitteret, postulans vt benediceretur.* Verba Philostorgii refert Suidas in Leontio. Simile est, quod scribit Marcus Diaconus in vita Porphyrii Gazensis Episcopi, Eudoxiam Augustam ipsis in palatium venientibus non semel occurrisse, & priorem ipsos salutasse, atque vt sederent iussisse, & *inclinato capite postulasse vt benedicerent.* cætera.

(*mm*) Apud eumd. Valesium l. c. Audemus quidem sermonem facere solito plus timore capti, de sanctis & venerabilibus sacerdotibus, & secundis sacerdotibus vel etiam Leuitis; & eos cum omni timore nominare, *quibus omnis terra caput inclinat.*

§. II.

§. II.

De manuum ipsorum exosculatione.

Alia quædam huiusmodi veneratio, ipsis exhiberi solita, erat manuum ipsorum exosculatio; quam priori cærimoniæ iunctam fuisse existimo: AMBROSIVS (*n*) enim vtramque coniungit, quando dicit, quod reges ac principes incuruare & submittere colla sua genibus sacerdotum, & osculari eorum manus non dedignentur, & quod eorum precibus sese communiri putent. PAVLINVS (*o*) AMBROSIO plerumque hunc honorem a populo tributum fuisse auctor nobis est. Et CHRYSOSTOMVS (*p*) de *Meletio* episcopo *Antiocheno* loquens dicit, ***vbi ad Antiochenos venerit, vniuersam ciuitatem ei obuiam iuisse, alios quidem, qui prope accesserint, & pedes eius prehensantes & manus osculantes.*** Cui plura de hoc more legere lubet, videat is SIDONIVM (*q*) APOLLINAREM & doctas SAVARONIS (*r*) in eum adnotationes; qui ENNODIVM & alios quosdam Auctores in hanc rem citat.

§. III.

De more occinendi Osanna nonnumquam erga ipsos adhibito, sed non approbato.

HIERONYMVS alius cuiusdam moris mentionem facit, quem ille damnat (*s*) tamquam plus iusto honoris homini mere

(*n*) Ambros. de dignit. Sacerd. c. II. Quippe quum videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credant se communiri.

(*o*) Paulin. Vit. Ambros. p. 2. & 3. (p. 38. b. edit. Colon. MDCXVI.) Cum adolevisset & esset in vrbe Roma constitutus cum matre vidua & sorore, quæ virginitatem iam fuerat professa, comite alia virgine, cuius virginis soror Candida, & ipsa eiusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit iam anus, cum videret *sacerdotis* a domestica sorore vel matre *manus exosculari, ipse ludens offerebat dexteram*, dicens *& sibi id ab eis fieri oportere, siquidem se episcopum futurum esse* memorabat.

(*p*) Chrysostom. Hom XLV. in Melet: Tom. I. p. 593. (Tom. I. p. 523. edit. Francof.) ὅτε πρὸς ὑμᾶς εἰσήλαυνε καὶ πᾶσα ἡ πόλις πρὸς τὴν ὁδὸν μεθωρμίζετο, οἱ μὲν πλησίον ἤρχοντο, καὶ ποδῶν ἥπτοντο καὶ χεῖρας κατεφίλουν.

(*q*) Sidon. lib. VIII. Ep. XI.

Perge ad limina mox Episcoporum
Sancti & *Gallicini manu osculata.*

(*r*) Sauaro Not. in Sidon. lib VIII. ep. XI.

(*s*) Hieron. in Matth. XXI. Tom. IX. p. 62. Videant ergo Episcopi & quantumlibet sancti homines, cum quanto periculo dici ista sibi patiantur: si Domino, cui

morta-

mortali tribuentem; nimirum quod populus Episcopis suis *Osanna* acclamarit, quemadmodum multitudo olim Seruatori vrbem *Hierosolymorum* ingredienti fecit. VALESIVS (*t*) locum ex *Itinerario* ANTONINI monachi in hanc rem citat; in quo verba sic habent: *Benedicti vos a Domino benedictusque aduentus vester, Osanna in excelsis.* Nonnulli etiam HEGESIPPVM (*u*) eodem sensu intelligunt; qui, de concione *Iacobi* Episcopi *Hierosolymitani* loquens, ait, populum, qui eius sermone ad Christum conversus fuerit, exclamasse: *Hosanna Filio Dauidis.* SCALIGER hoc intelligit tamquam de ipso *Iacobo* dictum: alii (*w*) autem doxologiam seu acclamationem Christo factam interpretantur, quem propter testimonium ipsi a *Iacobo* perhibitum glorificauerint: Et hic quidem genuinus eius loci sensus esse videtur; quamquam priore illo sensu acceptus nihil dicit, quod istius temporis consuetudini aduersetur, quemadmodum e dictis apparet. Non morabor heic ea, quæ HIERONYMVS alio loco (*x*) porro de hoc *Hierosolymorum* Episcopo dicit; fuisse eum *virum tantæ sanctitatis & rumoris in populo, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere:* hic enim honor ei exhibitus fuit non vt Episcopo, sed vt sanctissimo homini; qui re vera, secundum testimonium ab HEGESIPPO & EVSEBIO ipsi datum, vir summæ & abstinentiæ & pietatis, & æui sui quasi miraculum fuit. Vt adeo is singularis honor fuerit, propter singularem ipsius sanctitatem & virtutem ei factus.

§. IV.

Quid per Coronam sacerdotalem, *& salutandi formulam* Per Coronam *intelligatur.*

Vt autem in communibus recensendis honoribus, qui Episcopis haberi solebant, pergamus, aliud reuerentiæ genus in vsitata eos adloquendi formula notari poterit: Quando enim quis ipsos adloquebatur, sermonem plerumque suum aliquo

vere hoc dicebatur (quia nec dum erat solida credendi fides) pro crimine impingitur.

(*t*) Vales. Not. in Euseb. lib. II. c. XXIII.

(*u*) Hegesip. ap. Euseb. lib. II. c. XXIII. Πολλῶν δοξαζόντων ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ τοῦ Ἰακώβου καὶ λεγόντων, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ.

(*w*) Grabe Spicileg. Sæc. II. p. 207 ita vertit: Multi hoc Iacobi testimonio confirmati glorificabant (Iesum) dicentes: *Hosanna Filio David.*

(*x*) Hieron. Com. in Galat. I.

hono-

honoris titulo inchoabat, exempli gratia *Precor Coronam* & *Per Coronam vestram.* Hæc formula frequenter in SIDONIO APOLLINARI, ENNODIO, HIERONYMO [y] aliisque occurrit. AVGVSTINVS auctor est, Catholicos [z] & *Donatistas*, si quando partis suæ Episcopos alloquuti fuerint, eamdem vsurpasse; dando eis honorificentissimos titulos, & rogitando vel potius adiurando eos *Per Coronam*, vt caussas suas sæculares audire vellent & terminare.

§. V.

Vtrum Episcopi olim mitram, an aliud quoddam ornamentum gestauerint.

Vsus huius loquendi formulæ planus est, sed ratio eius non æque euidens. SAVARO [a] & alii quidam eam ad tonsuræ

(y) Sidon. lib. VI. Ep. III. Hunc eatenus commendare præsumo, vt si cum instruere dignanter aduocatio consulta fastidit, *auctoritas coronæ tuæ* dissimulantibus studeat excudere responsi celeritatem. Id. lib. VII. De minimis rebus *coronam tuam* maximisque consule em.

Ennod. lib. IV. Ep. XXIX. ad Symmach. (in Monument. S. Patrum Orthodoxograph. Tom. I. latin. p 356.) Vt erigit paruulos implorata *coronæ vestræ* miseratio. Ad eumd. ibid. p. 377. Parthenius igitur præsentium portitor germanæ filius, hac ad *coronam vestram* fiducia animante directus est. Lib. V. epist. XVII. (ibid. p. 409.) ad Marcellin. Fiduciæ meæ *coronam vestram* non ambigo resp nsuram. Lib. IX. Ep XXVII. ad Aurel. (ibid. p. 474.) O si mihi liceret adhuc æquali cum beatitudine tuam sortem contendere, sed dormiunt apud *coronam tuam* propinquitatis priuilegia.

Hieron. Ep. XXVI. ad August. inter Ep. Aug. Precor *coronam tuam.*

(z) August. Ep. CXLVII. ad Proculeian. Episc partis Donati. Honorant nos vestri, honorant vos nostri. *Per coronam* nostram nos adiurant vestri; per *Coronam vestram* vos adiurant nostri.

(a) Sauaro Not. in Sidon. lib. VI. Ep. III.

Baron. an. LVIII. n. CXXXIV. Episcopos etiam magna saltem ex parte capitis abrasos fuisse, satis expressisse visus est Gregorius Nazianzenus, qui agens aduersus Maximum ex Cynico Philosopho mox factum Episcopum, hæc ait: *Cum ad pastoralis muneris administrationem nihil aliud omnino contulerint, quam quod comam, cui alendæ & ornandæ turpiter studuerant, raserint.* Porro quoniam eiusmodi capitis rasionem consueuisse a maioribus dici *coronam*, ea quæ dicta sunt superius, satis aperte significant: ad huiusmodi *coronam* vel aliud ornamentum capitis allusisse videtur Eusebius Pamphili in oratione panegyrica, quam habuit in dedicatione Ecclesiæ a Paulino Tyri Episcopo ædificatæ, cum sic exorditur: Amici Dei & sacerdotes, qui sacrosancto poderis indumento, cælesti gloriæ *corona* -- circumuestiti.

clericalis figuram existimant respicere; quod nimirum capilli instar orbis seu coronæ in capite detonsi fuerint. Alii eam ab ornamento, quod in capite suo gestauerint Episcopi, & quod necessario *coronam* vel *mitram* fuisse volunt, originem suam habere arbitrantur: cum tamen Episcopos eo tempore tale ornamentum habuisse non constet. Equidem noui, & VALESIVM (*b*) & PETAVIVM [*c*] confidenter admodum adfirmare, quod omnes a primo inde Episcopi insigne quoddam honoris in fronte pendens portauerint, quod idem fuisse dicunt, ac *petalum* seu auream laminam, quam in fronte sua *Iudæorum* pontifices gestare soliti sint: neque negari potest, vetustum illum scriptorem POLYCRATEM, [*d*] cuius cum apud EVSEBIVM tum HIERONYMVM fit mentio, perhibere, quod *Ioannes* fuerit sacerdos gestans *petalum*: Et EPIPHANIVS [*e*] idem de *Iacobo Hierosolymorum* Episcopo tradit. Enimuero hæc de illis dicta sunt non tamquam Episcopis christianis, sed ex coniectura ista, qua sacerdotes *Iudaici* & ex familia *Aaronis* fuisse creduntur. VALESIVS ipse librum MSCtum de Passione *Marci* adlegat, qui idem eius capiti ornamentum adsignat, hanc veram huius rei dans rationem: *B. Marcum iuxta ritum carnalis sacrificii, pontificalis apicis Petalum in populo gestasse Iudæorum, illustrium virorum syngraphæ de-*

(*b*) Valef. Not. in Euseb. lib. V. c. XXIV. Quod de *lamina* dicit Polycrates, credibile est, primos illos christianorum pontifices, exemplo iudaicorum pontificum, hoc honoris insigne gestasse. Certe & Iacobum fratrem Domini, qui primus Hierosolymi episcopus ordinatus est, *pontificalem laminam in fronte gestasse* auctor est Epiphanius in hæresi Nazaræorum & in hæresi LXXVIII.

(*c*) Petau. Not. in Epiph. Hæres. LXXVIII. n. XIV. Quod de summi Pontificis πετάλῳ accepisse videtur. Perperam id quidem: quod alloquin de Christianorum Pontificum insigni credibile est, & de Ioanne Euangelista testatum reliquit Polycrates apud Euseb. lib V. c. XXIII. ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς. De Iacobo haud scio an quispiam prodiderit. Nam quos hæresi XXIX. citat Epiphanius, de Ioanne non Iacobo, isto scripserunt.

(*d*) Polycrat. ap. Euseb. lib. V. c. XXIV. Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκώς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος, Ioannes qui in sinu Domini recubuit, qui etiam *sacerdos fuit & laminam gestauit*, martyr denique & doctor exstitit.

(*e*) Epiphan. Hæres. XXIX. n. IV. Ἀλλὰ καὶ τὸ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξῆν αὐτῷ φέρειν, sed & *bracteam* eidem (Iacobo) *in capite gestare* licuit. Id. Hæres. LXXVIII. n. XIV. Οὗτος ἱερατεύων καὶ πέταλον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐφόρεσε, *Iacobus ipse bracteam in capite gessit.*

clarant:

clarant: Ex quo (pergit auctor ille [*f*]) *manifeste datur intelligi, de stirpe eum Leuitica, immo pontificis Aaron sacræ successionis originem habuisse.* Ita hæc non de Episcopi christiani, sed sacerdotis *Iudaici* ornamento exponit; & hinc videre licet, quid Auctores alii per illud intellexerint, etiamsi VALESIVS id adnotare prætermiserit. Quod si igitur non possit demonstrari, quod Episcopi tale ornamentum, quale hoc est, olim portauerint, tanto minus hinc consequitur, vt regiam coronam vel mitram gestarint, quemadmodum SPONDANVS [*g*] id eos fecisse adserit, & hinc morem eos adloquendi *Per Coronam* deducit, hac in re a BARONIO, magno suo magistro, aliam eius rei adferente rationem, dissentiens. In summa, maxime id videtur probabile, non nisi metaphoricum loquendi fuisse modum, ad significandum Ordinis Episcopalis honorem ac dignitatem vsurpatum: quamquam *tonsuram clericalem* in vertice nonnumquam *coronam* appellatam fuisse haud nego; sed hoc non Episcopis peculiare, sed vniuerso Clero commune erat.

§. VI.

De titulis ἁγιώτατοι, Sanctissimi &c.

Non alienum fuerit, dum in huius rei consideratione versamur, addere, quod Episcopos salutantibus aut de ipsis loquentibus vsitatum fuerit, nominum ipsorum facere mentionem addita quadam honoris ac venerationis appellatione: dicebantur e. g. Θεοφιλέςατοι & Ἁγιώτατοι, Patres *Deo carissimi* & *Sanctissimi.* Quæ honorificæ appellationes in Imperatorum Rescriptis in lege [*h*] ciuili sæpius occurrunt, & tam crebri his tem-

(*f*) Auctor MS. Passion. S. Marc. ap. Vales. ibid.

(*g*) Spondan. Epitom. Baron. an. LVIII n LIV. Hinc est, vt, quoniam eiusmodi capitis rasionem consueuisse a maioribus dici CORONAM, ea quæ dicta sunt, satis aperte significant; consueto more loquendi soleret populus, cum Episcopum interpellaret, & enixius aliquid ob eo peteret, *per coronam* ipsius obtestari.

(*h*) Iustin. Nouell XL. *ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Πέτρῳ τῷ ὁσιοτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ Ἱεροσολύμων*, Idem Imperator Petro *sanctissimo* & *beatissimo Archiepiscopo* Hierosolymorum.
Nouell. XLII. Ὁ *αὐτὸς βασιλεὺς Μήνᾳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ.* Idem Imperator Menæ *sanctissimo* & *beatissimo archiepiscopo* & vniuersali Patriarchæ.
Nouell. LXVII. --- *Μήνᾳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ.*

poribus vſus erant, vt SOCRATES (vbi ad hiſtoriæ ſuæ librum VI. de ſuis ipſius temporibus agentem deuenit) neceſſitatem putat exigere, vt aliqua ratione ſeſe excuſet, [i] quod Epiſcopis ea ætate viuentibus hos titulos non tribuerit. Quod ipſum hoc loco libenter adnoto, tum vt quorumdam vanæ opinioni occurram, qui titulum, *Sanctiſſime Pater*, ſolius Papæ *Roman.* prærogatiuam eſſe ſtatuunt, tum vt eorum corrigam malitiam, qui hunc titulum ab Eccleſiæ Proteſtantis Epiſcopo, ſine Papalis arrogantiæ ſuſpicione ac imputatione adſumi, non permittunt. Quaſi AVGVSTINVS & HIERONYMVS reprehenſione digni fuiſſent, quod alter miſerit, acceperit alter epiſtolas ita ſemper inſcriptas: *Domino vere Sancto & Beatiſſimo Papæ Auguſtino.* Vide AVGVSTINI Epiſtolas XI. XIII. XIV. XVII. XVIII. XXI. in quibus HIERONYMVS & alii hanc ipſi honorificam appellationem tribuunt.

§. VII.

Epiſcopi cathedris ſuis in Eccleſia ab aliis diſtincti.

Vnum adhuc ſupereſt, heic non omittendum, quia communis omnium Epiſcoporum honor ac priuilegium erat, quod nimirum in Eccleſia cathedra quadam ſeu ſede, quæ plerumque ipſorum *thronus* vocabatur, ab aliis diſtingui ſoliti ſint. Ita EVSEBIVS [k] Epiſcopi *Hieroſolymitani* ſedem, θρόνον Ἀποστολικὸν,

Novell. LXXXVI. Εἰ προσιών τις τῷ ἄρχοντι τῆς χώρας μὴ τύχῃ τῶν δικαίων, τότε κελεύομεν αὐτὸν προσελθεῖν τῷ κατὰ τὴν τόπον ὁσιωτάτῳ ἐπισκόπῳ. Si dum aliquis adierit iudicem prouinciæ, non meruerit iuſtitiam, tunc iubemus eum adire ſuum *ſanctiſſimum epiſcopum* &c.

Concil Chalced Act X. (Tom. IV. p. 668) Διδασκαλία καὶ παράκλησις τοῖς θεοφιλεστάτοις καὶ ὁσιωτάτοις ἐπισκόποις Φωτίῳ καὶ Εὐσταθίῳ παρὰ παντὸς τοῦ κλήρου τῆς Ἐδεσσηνῶν μητροπόλεως. Inſtructio & deprecatio *Dei amantiſſimis* atque *ſanctiſſimis Epiſcopis* Photio & Euſtathio ab omni clero Edeſſenæ metropolis.

(i) Socrat. Procem. ad libr. VI. Οἱ μὴν ἐκκλησιῶν ζηλωταὶ καταγνώσονται, ὅτι μὴ τοὺς ἐπισκόπους λέγομεν θεοφιλεστάτους ἢ ἁγιωτάτους, ἢ τὰ τοιαῦτα. Et ii quidem, qui religionis noſtræ ardentiſſimi ſunt æmulatores, reprehenſuri ſunt, quod *Epiſcopos* non vocamus *Deo cariſſimos & ſanctiſſimos* & alia huiusmodi.

(k) Euſeb. lib. VII. c XIX. Τὸν Ἰακώβου θρόνον τοῦ πρώτου τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν πρὸς αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος καὶ τῶν ἀποστόλων ὑποδεξαμένου κ. τ. λ. Sane *Iacobi* illius *thronum*, qui primus Hieroſolymorum epiſcopus ab ipſo Seruatore & ab Apoſtolis eſt conſtitutus &c.

Id. lib. VII. c. XXXII. (p. 236 edit. Amſtelod.) Τῆς δ' ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας μετὰ τὸν σμικρῷ πρόσθεν δεδηλωμένον ἐπίσκοπον Ὑμέναιον, Ζάμβδας τὴν λειτουργίαν

thronum

thronum Apostolicum nuncupat; quod *Iacobus*, *Hierosolymorum* Episcopus, primus in ea sedit. Et ob eamdem caussam GREGORIVS NAZIANZENVS [*l*] sedem Episcopi *Alexandrini thronum Marci* vocat. Alias appellabatur Βῆμα & Θρόνος ὑψηλός, *thronus celsus*; quod sedes illa paullo elatior erat quam Presbyterorum sedes, quæ ad latus positæ *secundi throni* dicebantur; vti deinceps, cum de Presbyteris dicturi sumus, videbimus. Porro de Episcoporum throno heic notandum esse duco, quod quamuis interdum *thronus altus & sublimis* dicatur iis præsertim scriptoribus [*m*], qui stilo vtuntur oratorio; illud tamen comparate tantum & intuitu inferiorum sedum Presbyterorum intelligi debeat: Alias enim vitio vertebatur cuidam Episcopo, vbi magnificum & splendidum sibi thronum ædificari iusserat, splendoris ac magnificentiæ ciuilium magistratuum æmulus atque imitator. Hoc ipsum vnum erat e criminibus, quæ Concilium *Antiochenum* [*n*] *Paulo Samosatensi* in synodali sua aduersus ipsum epistola adsignabat; quod tribunal & sublimem thronum, non vt Christi discipulus, sed vt quidam huius mundi princeps, sibi ipse construxerit & secretum habuerit, perinde ac sæculares magistratus, quorum apud tribunalia adhuc alius quidam locus erat, per velum separatus, quem *Secretum* vocabant; & quod

παραλαμβάνει· μετ' ὀ πολὺ δὲ τούτου κεκοιμημένου, Ἕρμων ὕστατος τῶν μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς διωγμοῦ, τὸν εἰσέτι νῦν ἐκεῖσε πεφυλαγμένον ἀποστολικὸν διαδέχεται θρόνον. Porro *Hierosolymis* post obitum Hymenæi, cuius paullo ante meminimus, Zabdas administrationem illius ecclesiæ suscepit. Quo non multo post defuncto Hermon postremus eorum, qui ante illam nostri temporis persecutionem fuerunt, *Apostolicam cathedram* (seu *thronum*) *quæ illic etiam seruatur*, *obtinuit.*

(*l*) Greg. Nazianz. Orat. XXI. in laud. Athan. Tom I. p. 377. οὐδὲ φονικῶς τε καὶ τυραννικῶς ἀλλ' ἀποστολικῶς τε πνευματικῶς ἐπὶ τὸν Μάρκου θρόνον ἀνάγεται, neque per vim ac cædem, sed Apostolico & spirituali modo ad *Marci thronum* euchitur.

(*m*) Gregor. Nazianz. Somnium de Eccles. Anastas. Tom. II. p. 78. Ἕζεσθαι δοκέεσκον ὑπέρθρονος, *Sublimi throno* insidere mihi videbar.

Id. Orat. XX. in laud. Basil. Tom. I. p. 342. Ἄρτι τοῦ Φερωνύμου τῆς εὐσεβείας μετατεθέντος καὶ ταῖς ἐκείνου χερσὶν ἡδέως ἐναποψύξαντος, ἐπὶ τὸν ὑψηλὸν τῆς ἐπισκοπῆς θρόνον ἀνάγεται. Cum is, qui nomen a pietate apposite ducebat, ex hac vita migrasset, atque in ipsius manibus animam libenter exhalasset, ad *excelsum Episcopatus thronum* euchitur

(*n*) Ap. Euseb. lib. VII. c. XXX. Βῆμα καὶ θρόνον ὑψηλὸν ἑαυτῷ κατασκευασάμενον, οὐχ ὡς Χριστοῦ μαθητὴς, σήκρητον δε ὥσπερ οἱ κόσμου ἄρχοντες ἔχωντε καὶ ονομάζων.

 ambi-

ambitiosus ille episcopus eodem illud nomine appellauerit: quo ipso & rebus eiusmodi aliis Ethnicorum inuidiam & odium Christianis conflarit, quemadmodum de ipso ibi conqueruntur. Ecclesiæ igitur christianæ antiquissima cura erat, vt in honoribus in Episcopos conferendis decori haberetur ratio; vt nimirum tales essent, qui quidem extra contemtum eos ponerent, sed tamen ab inuidia etiam tuerentur: qui venerabiles eos redderent, non autem ad vanitatem aut externam pompam & sæcularis magnificentiæ ostentationem ansam iis subministrarent.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM
DE AETATE ET QVIBVSDAM PRAECIPVIS QVALITATIBVS AC PROPRIETATIBVS, QVAE IN IIS REQVIREBANTVR, QVI AD EPISCOPATVM PROVEHENDI ERANT.

§. I.

Episcopus non debebat ordinari infra tricesimum ætatis suæ annum, nisi forte vir esset extraordinariis meritis clarus.

DE iis Episcoporum requisitis, quæ cum reliquo Clero communia habere debebant, postea dicetur: Heic paucorum tantum faciam mentionem, quæ Episcopis magis erant propria. Quorum primum erat ipsorum *Aetas*; quæ per canones ad minimum triginta annorum esse debebat. Concilium *Neocæsareense* [o] in Presbyteris triginta requirit; quod certo argumento est, eamdem etiam in Episcopo ætatem requiri. Concilium *Agathense* [p] eorum ætatem expresse huic tempori adstringit, Metropolitanis omnibus iniungens, vt huius ætatis in ipsorum Ordinatione accuratam habeant rationem. Rationes ab his Con-

(o) Conc. Neocæs. c. XI. (Tom. I. p. 1484.) *Πρεσβύτερος πρὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μὴ χειροτονείσθω.* Presbyter *ante triginta annos* non ordinetur.

(p) Concil. Agath. c. XVII. (Tom. IV. Conc. p. 1386.) Presbyterum vel Episcopum *ante triginta annos*, id est, antequam ad viri perfecti ætatem perueniat, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat.
Conc. Tolet. IV. c. XIX. (Tom. V. Conc. p. 1711. lin. pen.) qui *nondum ad triginta annos* peruenerunt &c.

ciliis datæ ſunt; quod ipſe Seruator noſter docere non cœperit ante, quam annos natus eſſet triginta; & quod hæc viri perfecti ætas ſit. Hinc, etiamſi quis vel optimis animi ornamentis excelleret, tamen Concilium *Neocæſareenſe* eum exſpectare, nec Presbyterum quidem ante illud tempus ordinari oportere dicit. An vero lex iſta iam inde ab Apoſtolorum tempore ſemper obſeruata fuerit, id quidem quæri poterat: Ab Apoſtolis enim eiusmodi regulam in ſacris litteris præſcriptam eſſe, non inuenimus. *Conſtitutiones* ita dictæ *Apoſtolicæ* [q] Epiſcopum volunt annos quinquaginta viuendo transegiſſe, antequam ordinetur; niſi vir fuerit ſingularibus meritis & dignitate conſpicuus, quod ipſum annorum defectum compenſare poſſit. Vnde Eccleſiæ conſuetudinem hac in re diuerſam, & homines extraordinariis animi dotibus præditos huic ætati non ſemper adſtrictos fuiſſe, intelligimus. *Timotheus* ordinabatur iuuenis, quod ex iis colligas, quæ Paulus ei ſcribit 1 Tim. IV, 12. *Nemo tuam iuuentutem contemnat.* Hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumenta multa alia eiusmodi exempla ſubminiſtrant. *Gregorium Thaumaturgum* eiusque fratrem valde iuuenes, ἔτι νέους ἄμφω, Epiſcopos fuiſſe ordinatos, fidem nobis facit [r] EVSEBIVS. De *Acholio* Epiſcopo *Theſſalonicenſi* idem refert AMBROSIVS [s], *Benedictus*, inquiens, *proceſſus iuuentutis ipſius, in qua ad ſummum electus eſt ſacerdoti-*

(q) Conſtit. Apoſt. lib. II. c. I. Τὸν ποιμένα τὸν καθιστάμενον ἐπίσκοπον - - δεῖ ὑπάρχειν - - οὐκ ἔλαττον ἐτῶν πεντήκοντα - - εἰ δὲ καὶ ἐν παροικίᾳ μικρᾷ ὑπαρχούσης τις προβεβηκὼς τῷ χρόνῳ μὴ εὑρίσκεται, μεμαρτυρημένος ὑπὸ τῶν συνόντων αὐτῷ ὡς ἄξιος ἐπισκοπῆς, διὰ τῆς νεότητος ἐν πρᾳότητι καὶ εὐταξίᾳ γῆρας ἐπιδεικνύμενος δοκιμασθεὶς, εἰ ὑπὸ τῶν τοιούτων μαρτυρεῖται, καθιστάσθω ἐν εἰρήνῃ. Oportet eum qui paſtor eſt & epiſcopus - - - *eſſe non minorem natu quam annorum quinquaginta.* - - Sin vero in parua quadam parœcia ætate prouectus non reperiatur, & ſit aliquis, cum quo qui verſati ſunt, teſtimonium dederint; dignum eſſe, qui fiat epiſcopus, *qui in adoleſcentia* manſuete & compoſite viuendo *ſenilem ætatem* plane *oſtendat*, ſi talium teſtimonio probatur, quod in pace fiat, *iſto epiſcopus.*

(r) Euſeb. lib. VI c. XXX. Πέντε ὅλοις ἔτεσι αὐτῷ συγγενόμενοι τοσαύτην ἀπηνέγκαντο περὶ τὰ θεῖα λόγια βελτίωσιν, ὡς ἔτι νέους ἄμφω ἐπισκοπῆς τῶν κατὰ Πόντον ἐκκλησιῶν ἀξιωθῆναι. Cum quinquennio integro in eius (Origenis) auditorio verſati fuiſſent, tantopere in diuinis eloquiis profecerunt, *vt ambo adhuc admodum iuuenes, eccleſiarum in Ponto epiſcopi fuerint conſtituti.*

(s) Ambroſ. Ep. LX. ad Anyſium.

tium

um, mature iam probatus virtutum stipendio. Et SOCRATES [t] de *Paulo* Episcopo *Constantinopolitano* idem illud memoriæ prodidit. De *Athanasio* etiam obseruat [u] THEODORETVS, fuisse eum valde iuuenem, cum *Alexandrum* Episcopum suum comitaretur ad Concilium *Nicænum*; & nihilo secius post quinque menses ipsius successor *Alexandriæ* constitutus est; quod ante tricesimum ætatis eius annum probabiliter factum est: Concilium enim *Nicænum* non viginti amplius annis post persecutionem *Maximianam* habitum est; & *Athanasius* tamen ætate tam paruus erat, vt persecutionis istius initium, quod anno Domini CCCIII. incepit, haud recordaretur, sed a parentibus tantum de hac ipse audisset. De hac enim loquens dicit, [w] se ab parentibus suis didicisse, quod a *Maximiano*, auo *Constantii*, excitata fuerit. Vt adeo, si ab isto tempore computauerimus, difficulter possimus statuere, triginta eum annorum fuisse, quando anno CCCXXVI. fuit ordinatus. In hoc omnes Scriptores consentiunt [x], *Remigium* Episcopum *Rhemensem*, tantum viginti

(t) Socrat lib. II. c. VI. Ἐνετείλατο τοῖς καθήκουσι ἑλέσθαι δυοῖν τὸν ἕτερον, ὧν αὐτὸς ὀνομάσειεν· καὶ εἰ μὲν βούλοιντο διδασκαλικὸν ἐν ταυτῷ καὶ βίου Χριστοῦ μαρτυρούμενον, Παῦλον τὸν ὑπ' αὐτοῦ χειροτονηθέντα πρεσβύτερον, ἄνδρα νέον μὲν ἡλικίαν, προβεβηκότα δὲ ταῖς φρεσίν. Mandauit (Alexander Episcopus Constantinopolitanus) iis penes quos ius eligendi erat, vt alterum ex duobus quos ipse nominaret, eligerent. Ac si quidem eum vellent, qui & ad docendum idoneus & vitæ ac morum integritate conspicuus esset, *Paulum*, quem ipse Presbyterum ordinarat, adsumerent: *ætate quidem adhuc iuuenem sed prudentia senem.*

(u) Theodoret. lib. I. c XXV. Ἀλεξάνδρου τοῦ θαυμασίου ἐπισκόπου, -- τοῦ βίου τὸ τέρμα κατειληφότος - - τὴν τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας Ἀθανάσιος διεδέξατο προεδρίαν· - - συνῆν δὲ Ἀλεξάνδρῳ τῷ πανευφήμῳ νέος μὲν ὢν τὴν ἡλικίαν, τοῦ χοροῦ δὲ τῶν διακόνων ἡγούμενος. Alexandro illo admirabili Episcopo - - vita functo, in Alexandrinorum Ecclesiæ cathedra successit *Athanasius*. - - Erat autem cum celeberrimo Alexandro, *iuuenis quidem ætate*, sed princeps ordinis Diaconorum.

(w) Athanas. Ep. ad Solitar. Tom. I. p. 853. (p. 382. edit. Par. MDCXCVIII.) Ἐγὼ ἤκουσα τῶν πατέρων, καὶ πιστὸν ἡγοῦμαι τὸν ἐκείνων λόγον, ὅτι τὸ πρῶτον, ὅτε γέγονε καὶ ἐπὶ Μαξιμιανῷ τῷ πάππῳ Κωνσταντίου διωγμός κ. τ. λ. Audiui a Patribus (veramque rem arbitror) *in superiore sub Maximiniano, Constantii auo, persecutione* &c.

(x) Hincmar. Vit. Remig. apud Baron. an. CCCCLXXI. (Tom. VI. p. 300.) Cum Remigius *ad viginti & duos ætatis annos* peruenit, defuncto Gennadio Archiepiscopo in hac vrbe Rhemensi omnium generaliter votis *ad Pontificii culmen* raptus fuisse dignoscitur potius quam electus.

ginti duo annos fuisse natum, cum anno CCCCLXXI ordinatus sit. Et COTELERIVS [y] post NICEPHORVM auctor est, *Eleutherium*, Episcopum *Illyricum*, viginti annos natum, ordinatum fuisse. IGNATIVS luculenter testatur, quod *Damas*, Episcopus *Magnesianorum*, valde iuuenis fuerit Episcopus; etiamsi eius ætatis præcisam mentionem haud faciat. Ordinationem eius [z] *νεωτερικὴν τάξιν*, *iuuenilem ordinationem* vocat; & idcirco admonet populum, vt ne propter iuuentutem ipsius eum despiciant sed reuereantur, ipsique in Domino obediant. SALMASIVS [a] & LVDOVICVS CAPELLVS hunc locum misere peruertunt, sensumque ei dare adlaborant, qui huic auctori ne per somnium quidem in mentem venit: Statuunt nempe, IGNATIVM per ista verba *νεωτερικὴν τάξιν* nihil intelligere aliud, quam muneris episcopalis nouitatem in genere, quod scilicet nouissime illud sit institutum: Id quod non tantum ab vniuerso omnium Epistolarum IGNATII argumento & scopo alienum est, sed speciatim huius loci sensui repugnat; qui non de Episcopalis Officii institutione, sed de huius Episcopi ætate loquitur, quod valde iuuenis fuerit, quum ordinaretur.

Itaque ex his omnibus liquet, quod, quamuis lex fuerit in Ecclesia, Episcopos triginta annos natos requirens, quando ordinabantur; frequenter tamen vel in necessitatis casu, vel si quem extraordinariis animi dotibus ac ornamentis excellentem ad officium illud prouehere voluerint, hanc legem migrarint. At vero vndecim vel duodecim annorum pueros Episcopos in

(y) Coteler. Not. in Constitut. Apost. lib. II. c. I.
Niceph. lib. III c. XXIX. *Τῷ αὐτῷ χρόνῳ καὶ ὁ πολὺς τὴν ἀρετὴν κατὰ τὸ Ἰλλυρικὸν διέτριβεν Ἐλευθέριος - - τῷ εἰκοστῷ ἔτει τοῦ Ἰλλυρικοῦ ἐπίσκοπος προχειρίζεται.* Ea ipsa ætate præstanti virtute iuuenis Eleutherius in Illyrico erat - - deinde *viginti natus annos Illyrici episcopus deligitur.*

(z) Ignat. Ep. ad Magnes. n. III *Καὶ ὑμῖν πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, ἀλλὰ κατὰ δύναμιν Θεοῦ πατρὸς πᾶσαν ἐντροπὴν αὐτῷ ἀπονέμειν. καθὼς ἔγνων καὶ τοὺς ἁγίους πρεσβυτέρους οὐ προσειληφότας τὴν φαινομένην νεωτερικὴν τάξιν ἀλλ' ὡς φρονίμους ἐν Θεῷ συγχωροῦντας αὐτῷ.* Sed & vos decet non familiariius ac superbe vti *ætate* Episcopi, sed secundum virtutem Dei Patris impertiri illi reuerentiam: quemadmodum noui sanctos facere Presbyteros; non respicientes ad apparentem *iuuenilem ordinationem*, sed vt prudentes in Deo cedentes ipsi.

(a) Pearson. Vindic. Ignat. Præf. ad lector. tota.

Ecclesia primitiua factos esse, numquam legas; licet Scriptores Pontificii istiusmodi promotionis exempla multa adlegent; quemadmodum in eorum catalogo a REINOLDO & MASONIO, duobus ecclesiæ Anglicanæ eruditis Scriptoribus [b], collecto, quisquis volet, videre potest.

§. II.

Episcopi eligendi erant ex clericis eius ecclesiæ, cui præficiebantur.

Sed vt ad primitiuæ Ecclesiæ Episcopos redeamus: aliud requisitum in Episcopo, quod valde vrgebatur, erat, vt de eiusdem ecclesiæ, cui præficiendus erat Episcopus, clero eligeretur. Peregrini enim, quos populus haud norat, canonibus ecclesiasticis prohibebantur, quo minus Episcopi fierent. Huius rei luculentus & locuples testis est CYPRIANVS [c], *Episcopus,* inquiens, *deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissime nouit & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit.* HIERONYMVS eamdem consuetudinem *Alexandriæ* obtinuisse, his verbis [d] declarat: *Alexandriæ a Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper VNVM EX SE ELECTVM in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant.* Vnde *Iulius* [e] aduersus *Gregorium*, quem *Ariani* ecclesiæ *Alexandrinæ* in locum *Athanasii* obtrudebant, fortiter id vrgebat, esse externum hominem, non illic baptizatum, compluribus ignotum, nec a Presbyteris, vel ab Episcopis, vel a plebe postulatum: - - non decere sic præter ius fasque & contra ecclesiasticum canonem ordinari quempiam: sed in ipsa ecclesia, ex ipso sacerdotali ordine, ab ipso clero, ab episcopis prouinciæ illius constitui oportere. Veteribus episcopis *Roma-*

(b) Vid. Rainold. Apolog. Thes. n. XXVI. Mason *of the Consecrat. of Bishops* lib. I. c. V.

(c) Cypr. Ep. LXVIII al. LXVII. ad Fratr. Hispan. p. 172. (p. 114. edit. Paris. MDCLXVI.)

(d) Hieron. Ep. LXXXV. ad Euagr.

(e) Iul Ep. ap. Athan. Apol. II. Tom. I. p. 749. (Tom. I. p. 149. edit. Paris. 1698.) ἀποστάλῆναι Γρηγόριον ξένον μὲν τῆς πόλεως, μήτε ἐκεῖ βαπτισθέντα, μήτε γινωσκόμενον τοῖς πολλοῖς, μὴ αἰτηθέντα παρὰ πρεσβυτέρων, μὴ παρ' ἐπισκόπων, μὴ παρὰ λαῶν - - οὐκ ἔδει τὴν κατάστασιν οὕτως παρανόμως καὶ παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα γενέσθαι, ἀλλ' ἀπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ ἱερατείου, ἀπ' αὐτοῦ τοῦ κλήρου τοὺς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπους ἔδει καταστῆσαι

nis

ris eadem ſedit ſententia, quamdiu ſeſe legibus Eccleſiæ adſtrictos eſſe iudicarunt; *Cæleſtinus* enim [*f*], *Hilarius* [*g*] & *Leo* [*h*] huic rei, tamquam communi Eccleſiæ regulæ inſiſtunt. Habetur etiam lex æque antiqua ac *Carolus Magnus* & *Ludouicus Pius*, quæ idem præcipit. In ipſorum enim Conſtitutionibus eccleſiaſticis alicubi [*i*] dicitur: *Epiſcopi per electionem cleri & populi ſecundum ſtatuta canonum de propria diœceſi eligantur.* Quamquam, animaduertente BALVZIO [*k*], lex iſta non ad omnes diœceſes ſe extendebat: Iſthoc enim tempore penes reges *Francicos* omnium Epiſcopatuum ditioni ipſorum ſubiacentium erat iurisdictio, (paucis quibusdam eccleſiis exceptis, quæ ex ſpeciali quodam priuilegio antiquum eligendi modum retinebant:) neque vero illi ſeſe adſtringi iſti conſuetudini patiebantur, vt ſemper de eccleſiæ vacantis clero nominarent Epiſcopos, ſed ex alia quadam diœceſi eos eligendi vtebantur libertate; quemadmodum nunc apud omnium fere nationum reges ac principes in priuilegium & conſuetudinem abiit: vnde diſcriminis inter antiquam & hodiernam praxin ratio conſtat. Durante enim antiquo eligendi modo, generalis omnium eccleſiarum regula erat, vt de ſuo quæque clero, non vero extraneum, quempiam ſibi Epiſcopum eligerent.

(*f*) Cæleſtin. Ep. II ad Epiſcop. Narbon, n. IV. (Tom. II. p. 1620.) Alter in alterius prouincia nihil præſumat: *nec emeritis in ſuis eccleſiis clericis peregrini &* *extranei* & qui ante ignorati ſint, ad excluſionem eorum, qui bene de ſuorum ciuium merentur teſtimonio, *præponantur.* N. V. Tunc *alter de altera eligatur eccleſia*, *ſi* de ciuitatis ipſius *clericis*, cui eſt epiſcopus ordinandus, *nullus dignus*, quod euenire non creditur, *poterit reperiri.*

(*g*) Hilar. Pap. Epiſt. I. ad Aſcan. Tarracon. c. III. (Tom. IV. Conc. p. 1036.) Talis protinus *de Clero propio* Barcinonenſibus epiſcopus ordinetur.

(*h*) Leo Ep. LXXXIV. ad Anaſtaſ. c. VI. (Tom. III. Concil, p. 1385.) Metropolitano defuncto cum in locum eius alius fuerit ſubrogandus, prouinciales Epiſcopi ad ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum atque omnium ciuium voluntate diſcuſſa *ex Presbyteris eiusdem eccleſiæ, vel ex Diaconibus* optimus eligatur.

(*i*) Capitular. Karoli & Ludov. lib. I. c. XVIII.

(*k*) Baluz. Not. ad Concil Gall. Narbon. p. 34. Ego animaduerto, eam (legem) non fuiſſe obſeruatam, ac nihilominus reges dediſſe epiſcopatus in vniuerſum; ſi paucas quasdam Eccleſias excipias, quibus ex ſpeciali priuilegio conceſſum eſt, vt vacantibus eccleſiis prouideretur per electionem.
It. Not. ad Gratian. Diſt. LXIII. c. XXXIV. p. 467.

§. III.

Exceptiones quædam huius regulæ in tribus casibus specialibus.

Verumtamen in extraordinariis quibusdam casibus legitima hæc regula patiebatur exceptionem, speciatim in hisce tribus casibus I. Si e re ecclesiæ fore iudicabatur, vt Episcopus ab vna sede in alteram transferretur. In tali casu, etiamsi Episcopus extraneus esset, translatio erat legitima, neque istam legem violare credebatur. II. Quando inter ciues ecclesiæ de quopiam ex sua ipsorum diœcesi non conueniebat, tum ad sedandos animorum æstus & controuersias Imperator aut Synodus quædam ex alia ecclesia quempiam eorum electioni proponebant, vel etiam propria auctoritate constituebant. Ex hoc fundamento *Nectarius*, *Chrysostomus* & *Nestorius*, tamquam extranei, ecclesiæ *Constantinopolitanæ* Episcopi facti sunt; vt nimirum dissidia, quæ in ecclesia de eorum electione in omnia alia discedente orta erant, finirentur, quemadmodum SOCRATES [l] & SOZOMENVS hoc ipsum memoriæ prodidere. III. Nonnum-

(l) Socrat lib. VI. c. II. Ὀλίγου διελθόντος χρόνου καὶ Νεκτάριος ὁ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος ἐτελεύτησεν - εὐθὺς οὖν σπουδὴ περὶ χειροτονίας ἐπισκόπου ἐγίνετο. καὶ ἄλλων ἄλλον ἐπιζητούντων, περί τε τούτου πολλάκις προτεθείσης βουλῆς, τέλος ἔδοξεν ἐκ τῆς Ἀντιοχείας μεταπέμπεσθαι Ἰωάννην τὸν τῆς Ἀντιοχείας πρεσβύτερον· φήμη γὰρ ἐκράτει περὶ αὐτοῦ, ὡς εἴη διδακτικὸς ἐν ταυτῷ καὶ λόγιμος κ.τ.λ. Breui post tempore Nectarius Constantinopolitanus Episcopus extremum diem obiit. - - Statim igitur de ordinando Episcopo contentio orta est: aliis alium postulantibus. Cumque hac de re consilium sæpius initum fuisset, placuit tandem, vt Ioannes Antiochensis Ecclesiæ Presbyter Antiochia arcesseretur. Fama enim de illo increbuerat eum doctrina simul & eloquentia valere &c.
Sozom. lib. VIII. c. II. Νεκταρίου τελευτήσαντος καὶ βουλῆς οὔσης τίνα δέοι χειροτονεῖν, ἄλλοι μὲν ἄλλους ἐψηφίζοντο καὶ οὐ τὰ αὐτὰ πᾶσιν ἐδόκει, καὶ ὁ χρόνος ἐτρίβετο. Ἦν δέ τις ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ παρ' Ὀρόντῃ πρεσβύτερος, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης - - - p. 757 fin. ἐπίσημος οὖν τοῖς μὲν εἰδόσι, τῇ πείρᾳ· τοῖς δὲ ἀγνοοῦσι τῇ φήμῃ ἔκ τε τῶν λόγων καὶ τῶν ἔργων γενόμενος ἀνὰ πᾶσαν τὴν Ῥωμαίων ὑπήκοον, ἔδοξε Κωνσταντινουπόλει ἐπιτήδειος εἶναι τῆς ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν Mortuo Nectario dum consultaretur, qui in eius locum subrogandus esset? alii quidem alios nominabant, nec idem omnibus placebat, tempus vero in cassum terebatur: Erat Antiochiæ ad Orontem Presbyter quidam, nomine Ioannes - - . Cum igitur apud notos quidem visu ipso & consuetudine, apud eos vero, quibus erat ignotus, fama ac rumore per vniuersum orbem Romanum clarissimus euasisset, tum orationum tum virtutis caussa idoneus visus est, qui Constantinopolitanam Ecclesiam gubernaret.

quam

quam homines extraordinariis illuſtres meritis, vtvt extranei, omnibus eccleſiæ, cui eligebantur, membris præferebantur. Vt AMBROSIVS [*m*] de *Euſebio Vercellenſi* perhibet, quod *poſthabitis ciuibus* ſiue eo loco natis electus ſit, etiamſi nemini eorum, qui ipſum elegerint, antea viſus, ſed ipſis de fama ac exiſtimatione tantum cognitus fuerit: & ſunt vtique plura huius generis exempla. Sed vero ſi ab iſtiusmodi caſibus modo recenſitis diſceſſeris, legem iſtam generatim obſeruatam fuiſſe deprehendas, quod nullus vſquam Epiſcopus electus ſit, qui populo haud cognitus, nec antea eccleſiæ iſtius membrum fuerit.

§. IV.

Epiſcopis per inferiores Eccleſiæ ordines eundum erat.

Præterea in Epiſcopo requirebatur, vt ad hunc honorem per gradus eueheretur, neque thronum iſtum ſubito conſcenderet; ſed prius per quosdam, ſi non omnes, inferiores Eccleſiæ ordines iret. Concilium *Sardicenſe* Canone quodam [*n*] hoc expreſſe præcipit: *Si quis ex foro ſiue diues, ſiue ſcholaſticus Epiſcopus fieri dignus habeatur, non prius conſtituatur, quam Lectoris & Diaconi & Presbyteri miniſterium peregerit: vt in vnoquoque gradu; ſi dignus exiſtimatus fuerit, ad Epiſcopatus faſtigium per progreſſionem poſſit adſcendere. Habebit autem vniuscuiusque ordinis gradus non minimi ſcilicet temporis longitudinem, per quod & fides & morum probitas & conſtantia & moderatio poſſit cognoſci: & ipſe diuino ſacerdotio dignus exiſtimatus*

(*m*) Ambroſ. Ep. LXXXII. ad Eccleſ. Vercell. (Tom. V. p. 117. a. edit. Colon. MDCXVI.) Cum ſint in vobis diſſenſiones, quomodo poſſumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere, aut quisquam acquieſcere, vt inter diſſidentes ſuſcipiat hoc munus, quod inter conuenientes vix ſuſtineatur. Hæc eſt illa confeſſionis inſtitutio, hæc iuſtorum ſoboles patrum, qui *S. Euſebium, quem nunquam ante cognouerant, poſthabitis ciuibus, ſimul vt viderunt & probauerunt.*

(*n*) Concil Sardic. Can. X. (Tom. II pag. 636.) Ὥστε ἐάν τις πλούσιος, ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῖτο ἐπίσκοπος γίνεσθαι, μὴ πρότερον καθίστασθαι, ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου καὶ διακόνου καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκτελέσῃ· ἵνα καθ' ἕκαστον βαθμόν, ἐάνπερ ἄξιος νομισθείη, εἰς τὴν ἀψῖδα τῆς ἐπισκοπῆς κατὰ προκοπὴν διαβῆναι δυνηθείη· ἕξει δὲ ἑκάστου τάγματος ὁ βαθμὸς οὐκ ἐλαχίστου δηλονότι χρόνου μῆκος, δι' οὗ ἡ πίστις αὐτοῦ καὶ ἡ τῶν τρόπων καλοκαγαθία, καὶ ἡ στερρότης καὶ ἡ ἐπιείκεια γνώριμος γενέσθαι δυνήσεται· καὶ αὐτὸς ἄξιος τῆς θείας ἱερωσύνης νομισθεὶς τῆς μεγίστης ἀπολαῦσαι τιμῆς.

maximum honorem adsequatur. Eadem lex in Concilio *Bracarensi* [o] & aliis quibusdam præscripta est. Et hunc antiquum Ecclesiæ morem fuisse ex eo apparet, quod CYPRIANVS [p] de *Cornelio* testatur, *Non iste*, inquiens, *ad Episcopatum subito peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpe promeritus ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus adscendit.* THEODORETVS [q] *Athanasium* eodem nomine laudat; & GREGORIVS [r] *Nazianzenus* in honorem *Basilii*, respectu simul habito ad quosdam temporis sui Episcopos, ita fatur: *Eum non subito ad hunc gradum subuexit*, (multiplex Dei benignitas) *nec simul eum & abluit & sapientia instruxit, quemadmodum plerosque eorum, qui nunc Antistitum munus appetunt: verum ordine ac spiritualis progresionis lege hoc eum honore adfecit.* Et paullo post addit: *Eadem rei militari est ratio: miles primum, deinde Centurio, tum Imperator. Hic optimus ordo est, iisque, qui subsunt, inprimis conducibilis. Quam præclare*, pergit ille, *nobiscum ageretur, si idem rerum nostrarum status esset!* Isthoc tempore hæc lex sine caussa & nulla exigente necessitate, propter solam nonnullorum ambitionem, qui quod Episcopi officium adfectabant, inferiora autem officia, viam ad istud pandentia, obire detrectabant, migrata esse videtur.

§. V.

Diaconi poterant fieri Episcopi, etsi numquam ordinati Presbyteri.

Verum notandum heic est, non semper fuisse requisitum, vt quis prius esset Presbyter, quam Episcopus fieret: Nam Di-

(o) Concil. Bracar. I. c. XXXIX. Per *singulos gradus* eruditus *ad sacerdotium* venit †.

(p) Cyprian. Ep. LII. al. LV. ad Anton. p. 103 (p. 67. edit. Paris.)

(q) Theodoret. lib. I. c. XXV. *συνῆν Ἀλεξάνδρῳ τῷ πανευφήμῳ, νέος μὲν ὢν τὴν ἡλικίαν τοῦ χοροῦ δὲ τῶν διακόνων ἡγούμενος.* Versabatur (Athanasius) in comitatu eximii Alexandri, iuuenis quidem ætate sed *princeps ordinis Diaconorum.*

(r) Gregor. Naz. Orat. XX. in laud. Basil. p. 335. *Οὐ σχεδιάσασα τὸν βαθμὸν (ὢ πολυτρόπου τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας) οὐδὲ ὁμοῦ τε πλύνασα καὶ σοφίσασα κατὰ τοὺς πολλοὺς τῶν νῦν τῆς προεδρίας ἐφιεμένων, ἀλλὰ τάξει καὶ νόμῳ πνευματικῆς ἀναβάσεως τῆς τιμῆς ἀξιώσασα· - - ὡς δὲ κἂν τοῖς πολεμικοῖς ἔχει στρατιώτης, ταξίαρχος, στρατηγός, αὕτη ἡ τάξις ἀρίστη καὶ λυσιτελεστάτη τοῖς ἀρχομένοις· τὸ δὲ ἡμέτερον, πολλοῦ ἂν ἦν ἄξιον, οὕτως ἔχειν.*

aconi plerumque, non minus quam alii, Episcopi constituebantur. *Cæcilianus* non nisi Archidiaconus [s] erat *Carthagine*, quum Episcopus fieret, vti ex OPTATO discimus. Et THEODORETVS [t] ac EPIPHANIVS [u] *Athanasium* Diaconum tantummodo fuisse perhibent, quum Episcopus *Alexandriæ* crearetur. Idem de *Petro Moggo* & *Esaia*, duobus aliis Episcopis *Alexandrinis*, refert LIBERATVS [w]; ita etiam de *Agapeto* [x] & *Vigilio* Episcopis *Romanis*. SOCRATES [y] & THEODORETVS [z] idem de *Felice* Episcopo *Romano*, in locum *Liberii* substituto, memoriæ prodidere. EVSEBIVS [a] de quodam nominis sui Diacono *Alexandrino*,

(s) Optat. lib. I. p. 41. (pag. 20. edit. Paris. MDCLXXIX.) Iterum a Cæciliano mandatum est, vt si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum.

(t) Theodoret. lib. I c. XXV. vid. not. (q).

(u) Epiphan. Hæres. LXIX. Arian. n. XI. Τότε διαδέχεται Ἀχιλλᾶν τὸν ἐπίσκοπον ποιήσαντα μῆνας τρεῖς Ἀθανάσιος ὁ μακαρίτης ὢν τότε διάκονος Ἀλεξάνδρου, καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἀπεσταλμένος ἐπὶ τὸ Κομητάτον, ᾧ ὁ Ἀλέξανδρος, μέλλων τελευτᾶν, παρήγγειλεν ἀποδοθῆναι τὴν ἐπισκοπήν. Achilla post tres menses defuncto Athanasius successit *Alexandri Diaconus*, ab eoque ad Comitatum missus: cui moriens Alexander Episcopatum committi mandauerat.

(w) Liberat. Breuiar. c. XVI. (Tom. Concil. Labbei p. 765.) Post cuius obitum ordinauerunt sibi hæretici episcopum *Petrum* cognomento *Moggum*, *qui fuerat Archidiaconus*. C. XLIX. (ibid. p. 761.) Huic populo a Palæstina *quidam Diaconus* nomine *Iesaias ordinatus est Episcopus*.

(x) Liberat. ibid. c. XXI. Mortuo Ioanne Mercurio *Agapetus* Archidiaconus Romanæ ecclesiæ Papa ordinatur. C. XXII. Augusta vocans *Vigilium Agapeti Diaconum*, profiteri sibi secreto ab eo flagitauit, vt si Papa fieret tolleret synodum. - - - fauore Bellisarii *ordinatus est Vigilius*.

(y) Socrat. lib. II. c. XXXVII. p. 140. Πρῶτος μὲν Λιβέριος ὁ τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπος παραιτησάμενος ἐκείνῃ τῇ πίστει συνθέσθαι, ἐξόριστος γίνεται, τῶν περὶ Οὐρσάκιον εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ κατασησάντων Φίληκα· ὃς διάκονος ὢν τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας, καὶ τῇ Ἀρειανῇ δόξῃ προστεθεὶς, εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προεβλήθη. Primus quidem *Liberius* Romanæ vrbis *Episcopus*, cum fidei illi consensum accommodare renuisset, in exilium mittitur, *Felice in eius locum suffecto. Qui cum esset* ecclesiæ Romanæ *Diaconus*, Arianam tunc amplexus perfidiam, *ad Episcopatus honorem promotus est*.

(z) Theodoret. lib. II c. XVII Ἐκεχειροτόνητο μετὰ τὸν μέγαν Λιβέριον, τῶν διακόνων τις τῶν ἐκείνου, Φῆλιξ ἦν ὄνομα τούτῳ. Post magnum Liberium ordinatus fuerat *quidam ex eius diaconis*, *Felix* nomine.

(a) Euseb. lib VII. c. XI. Ἰστέον δὲ ὡς ὁ μὲν Εὐσέβιος, ὃν διάκονον προσεῖπεν, οὐ μικρὸν ὕστερον ἐπίσκοπος ἐκκλησίας τῆς κατὰ Συρίαν Λαοδικείας καθίσταται. Sciendum porro est, *Eusebium* quidem *quem* Dionysius *Diaconum* appellat, breui postea Laodiceæ in Syria episcopum esse constitutum;

qui

qui *Laodiceæ* Episcopus factus sit, facit mentionem. Et SOCRATES [*b*] *Chrysostomum Heraclidem* quemdam Diaconum suum, genere *Cyprium*, Episcopum *Ephesi*, & *Serapionem Heracleæ* in *Thracia* Episcopum constituisse, fidem nobis facit. Et hanc vniuersalem fuisse consuetudinem & canonibus ecclesiasticis conuenientem, ex epistola quadam LEONIS, Papæ, liquet, vbi de electione Metropolitani loquens dicit: [*c*] *Ex Presbyteris eiusdem Ecclesiæ, vel ex Diaconis eligatur.*

§. VI.

In casu necessitatis ex inferioribus Ordinibus Episcopi electi.

Interdum necessitate exigente ex inferioribus Ordinibus, Subdiaconis, Lectoribus &c. Episcopi eligebantur. LIBERATVS *Siluerium, Vigilii* in Episcopatu *Romano* competitorem, Subdiaconum [*d*] tantum fuisse auctor est. Et ipse AVGVSTINVS, quum nouum Episcopatum suum *Fussalæ* erigeret, spe sua de certo quodam viro, quem Episcopum consecrare cogitauerat, deiectus, ANTONIVM quemdam Lectorem Archiepiscopo sistebat, vt istius loco Episcopus ordinaretur; quem ille sine vlla dubitatione consecrabat; quamuis, AVGVSTINO [*e*] teste, vir iuuenis esset, nullo vmquam munere præter officium Lectoris in Ecclesia functus.

§. VII.

Et in casibus quibusdam extraordinariis de ipsis Laicis Episcopi facti.

Nec desunt exempla eorum, qui statim de ipsis Laicis Episcopi ordinati sunt, vbi Deus speciali sua prouidentia eos tam-

[*b*] Socrat. lib. VI. c. XI. Αὐτὸς Ἡρακλείδην τινὰ διάκονον ἑαυτοῦ γένει Κύπριον εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προεβάλλετο. Ipse *Heraclidem* quemdam *Diaconum* suum genere Cyprium ad Episcopatum promouit.

[*c*] Leo ep. LXXXIV. c. VI.

[*d*] Liberat. c. XXII. De cuius decessu audiens Romana ciuitas *Syluerium Subdiaconum*, Hormisdæ quondam Papæ filium, *elegit ordinandum.*

[*e*] August. Ep. CCLXI. ad Cælestin. Obtuli non petentibus quemdam adolescentem, Antonium, qui mecum tunc erat, in monasterio quidem a nobis a paruula ætate nutritum; sed *præter lectionis officium nullis clericatus gradibus* & laboribus *notum.* At illi miseri, quid futurum fuerat, ignorantes offerenti eum mihi obedientissime crediderunt. Quid plura? Factum est: *Esse illis Episcopus cœpit.*

quam

quam ad ministerium suum maxime idoneos occasione ita ferente sibi elegisse videbatur. Quemadmodum in noto isto casu *Ambrosii* accidit, qui admodum nuper baptizatus fuerat, quum ad Episcopatum proueheretur, quemadmodum PAVLINVS [f] & historici omnes testantur. Quum enim ciues *Mediolanenses* in eligendo episcopo ita inter se essent diuisi, vt per totam ciuitatem tumultuari cœpissent, magnaque inter illos contentio esset excitata, aliis alium eligere studentibus, ipse *Ambrosius* istius prouinciæ rector, officii sui ductus ratione ad ecclesiam contendebat, eo consilio, vt tumultum sedaret. Postquam populus ad eius conspectum conquieuisset, & ille diserta oratione multitudinis repressisset impetus, repente omnes abiecto mutuæ contentionis studio in vnam sententiam conspirabant & *Ambrosium* Episcopatu dignum esse vociferabantur, eumque sibi postulabant ordinari. Quo audito Imperator, diuino quodam nutu id factum iudicans, sacro eum lauacro (adhuc enim erat catechumenus) initiari & paucis præterlapsis diebus Episcopum ipsum constitui iussit. Aliam legis istius ecclesiasticæ migrationem diuina prouidentia factam in CYPRIANO habemus. PONTIO enim [g] teste, qui vitam eius scripsit, *Iudicio Dei & Plebis fauo-*

(*f*) Paulin Vit. Ambros. p 3. Per idem tempus mortuo Auxentio Arianæ perfidiæ episcopo - cum populus ad seditionem surgeret in petendo Episcopo, essetque illi cura sedandæ seditionis, ne populus ciuitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad ecclesiam. Ibique cum alloqueretur plebem, subito vox fertur infantis in populo sonuisse, *Ambrosium episcopum.* Ad cuius vocis sonum totius populi ora conuersa sunt, acclamantis Ambrosium *episcopum*, - - Cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec se diutius posse resistere, postulauit *se non nisi a catholico episcopo baptizari.*

Theodoret. lib. IV. c. VII. οἱ δὲ τῆς διαμάχης ἐκείνης παυσάμενοι κοινὴν ἀφῆκαν φωνὴν, Ἀμβρόσιον σφίσιν ἐξαιτοῦντες προβληθῆναι ποιμένα· ἔτι δὲ οὗτος ἀμύητος ἦν. Tum illi a contentione cessantes omnes vna voce clamare cœperunt, *Ambrosium sibi pastorem constitui poscentes, qui nondum baptismo initiatus erat.*

Socrat. lib. IV. c. XXX. Μηδὲν ὑπερθέμενοι συλλαμβάνουσι τὸν Ἀμβρόσιον, καὶ βαπτίσαντες, κατηχούμενος γὰρ ἦν, εὐθὺς πρὸς τὴν τῆς ἐπισκοπῆς ἱερωσύνην προχειρίζεσθαι ἔμελλον. Sine mora *Ambrosium* comprehendunt, & postquam cum sacro lauacro initiassent, *adhuc enim erat catechumenus, ad Episcopatus dignitatem* parant promouere.

Sozomen. lib. VI. c. XXIV. οὕπω δὲ αὐτοῦ παυσαμένου περὶ τούτων δημηγορεῖν, ἐξαπίνης πάντες ἀφέμενοι τῆς πρὸς ἀλλήλους ὀργῆς, ἐπ' αὐτὸν τὸν σύμβουλον τῆς ὁμονοίας ἄγουσι τὴν τῆς ἐπισκοπῆς ψῆφον· καὶ βαπτίζεσθαι παρεκελεύοντο. ἔτι γὰρ ἀμύητος ἦν, καὶ τὴν ἱερωσύνην παραλαμβάνειν ἐδέοντο.

(*g*) Pont. Vita Cyprian.

re ad officium Sacerdotii & Episcopatus gradum adhuc Neophytus, & vt putabatur Nouellus electus est. SOCRATES. [*h*] & SOZOMENVS [*i*] de *Nectario, Gregorii Nazianzeni* in Episcopatu *Constantinopolitano* successore, idem adfirmant, fuisse eum ab secundo Concilio generali renuntiatum Episcopum, adhuc *mystica*, id est, candida *veste indutum*, quam recens baptizati solebant gestare. *Eusebius*, Episcopus *Cæsareæ* in *Ponto*, *Basilii* antecessor, nondum diuino baptismo consignatus, sed Catechumenus duntaxat fuit, vbi Episcopus proclamatus est, quemadmodum ipse NAZIANZENVS [*k*] auctor nobis est. Et *Eucherius* Monachus tantum, hoc est, Laicus erat, cum *Lugduni* Episcopus renuntiaretur, vt BARONIVS [*l*] ex HILARIO ARELATENSI, vitæ *Honorati* scriptore, nobis perhibet. CHRYSOSTOMVS [*m*] idem de *Philogonio*

(*h*) Socrat. lib V. c. VIII. *Ἦν δέ τις Νεκτάριος ὄνομα - - ὃς ἁρπασθεὶς ὑπὸ τοῦ λαοῦ εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προεβλήθη, τῶν τότε παρόντων ἑκατὸν πεντήκοντα ἐπισκόπων χειροτονησάντων αὐτόν.* Erat tunc vir quidam Nectarius nomine - - Hic populo raptus ad Episcopale munus obeundum eligitur & ab Episcopis centum & quinquaginta, qui tum illi aderant, ordinatur.

(*i*) Sozom. lib. VII. c VIII. *Τὴν μυστικὴν ἐσθῆτα ἔτι ἠμφιεσμένος κοινῇ ψήφῳ τῆς συνόδου ἀναγορεύεται Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπος.* *Adhuc mystica veste indutus* (Nectarius) communi totius Concilii calculo *Episcopus* Constantinopolis *renuntiatur.*

(*k*) Gregor. Nazianz. Orat XIX. de laud. Patr. Tom. I. p. 308. *Τέλος συμφρονήσας ὁ δῆμος ἅπας, τὸν πρῶτον παρ' αὐτοῖς ἕνα βίῳ μὲν ἐξειλεγμένον, οὔπω δὲ τῷ θείῳ βαπτίσματι κατεσφραγισμένον, τοῦτον ἄκοντα συναρπάσαντες, καὶ ἅμα στρατιωτικῆς χειρὸς συλλαβομένης αὐτοῖς τηνικαῦτα ἐπιδημούσης, ἐπὶ τὸ βῆμα ἔθεσαν, καὶ τοῖς ἐπισκόποις προσήγαγον, τελεσθῆναί τε ἠξίουν, καὶ κηρυχθῆναι, πειθοῖ βίαν ἀναμίξαντες* Tandem plebs tota vno consensu primarii ordinis virum, vita quidem & moribus eximium, *diuino tamen baptismo nondum consignatum*, inuitum & repugnantem corripientes, simulque militaribus copiis, quæ tum in vrbe erant, opem adferentibus, in sacrario collocarunt, & episcopis obtulerunt, ab eisque petere instituerunt, *vt eum initiarent, & antistitem* proclamarent, suasioni interim vim admiscentes.

(*l*) Baron. an CCCCXLI. (Tom. VI. p. 10.) Eiusdem eremiticam vitam ecclesia præconio celebrat, dum eius agens natalem diem hæc ait: *Eucherius ex nobilissimo senatorum ordine ad religiosam vitam habitumque conuersus diu inter septa speluncæ sponte conclusus in orationibus & ieiuniis Christo seruiuit*, & quæ sequuntur. At de sancto *Eucherio* Lugdunensi *episcopo* hactenus.

(*m*) Chrysost. Hom. XXXI. de S. Philogon. Tom. I. p 397. (p. 352. edit. Francof.) *Ὅτι δὲ ἐκεῖνον ὁ Θεὸς ἐχειροτόνησε, καὶ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ τρόπου, δῆλον· ἐκ μέσης γὰρ ἀγορᾶς ἁρπασθεὶς ἐπὶ τὸν θρόνον ἤγετο τοῦτον· οὕτω σεμνὸν καὶ λαμπρὸν τὸν πρότε-*

Epi-

Episcopo *Antiocheno* videtur significare, quando eum ἀπὸ βήματος δικαστικοῦ ἐπὶ βῆμα ἱερὸν, hoc est, *de sella Iudicis in thronum Episcopi* translatum esse dicit. In his exemplis omnibus diuina prouidentia, cui omnes leges ac canones cedere oportet, intercessisse, atque ita direxisse omnia videtur. Vnde istæ Ordinationes numquam pro illegitimis & reiectaneis habitæ fuere, etiamsi cum vsitatæ cuiusdam legis littera pugnarent; quod lex ipsa cum hac limitatione & exceptione intelligi debebat, quemadmodum ex Canonibus vetustis quidam [*n*] vna cum reliquis omnibus hac de re loquentibus, id ipsum explicat, *Eum*, inquiens, *qui ex Gentibus accessit & baptizatus fuit, aut ex praua viuendi ratione; non est æquum, statim ad Episcopatum promouere: iniquum enim est, eum, qui nondum specimen exhibuerit, aliorum esse doctorem; nisi forte diuina gratia id fiat.* In hoc enim casu nihil difficultatis erat; quia voluntas Dei humanas leges quascumque longissime post se relinquit. Adeoque, licet ista limitatio in aliis canonibus non expresse addita sit, tamen cum hac exceptione semper eos intelligi oportere, manifestum est. Quo intuitu non habebatur Canonis violatio, si quis Laicus fieret Episcopus, vbi diuina prouidentia, populum ad vnanimem istiusmodi hominis electionem dirigendo, huic rei libertatem prius concedere videbatur. In istis casibus Laicum non hodie hunc cras alium Ordinem recipere, atque ita vna hebdomade per singulos ire Ordines iubebant, sed, vbi necesse erat, sine vlla alia ordinatione Episcopum illico renuntiabant.

Consuetudinis contrariæ, quæ hodie obtinet, vix ante tempora *Photii* A. DCCCLVIII. exemplum

---

ρον ἐπεδείξατο βίον· καὶ γυναῖκα ἔχων καὶ θυγατέρα καὶ ἐν δικαστηρίῳ στρεφόμενος· οὕτως ὑπὲρ τὸν ἥλιον ἔλαμψεν, ὡς εὐθέως ἐκεῖθεν ταύτης ἄξιος φανῆναι τῆς ἀρχῆς καὶ ἀπὸ βήματος δικαστικοῦ ἐπὶ βῆμα ἤγετο ἱερόν. Porro quod elegerit illum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est, quippe quem *ex medio ereptum foro ad thronum hunc euexerit*: ideo castam & insignem prius egit vitam, quum *vxorem haberet ac filium & in forensibus negotiis versaretur*, adeo solem ipsum splendore vicit, vt protinus ab illo gesto, hoc magistratu dignus videretur & *a iudiciorum tribunali ad sacrum tribunal euectus sit.*

[*n*] Can. Apost. c. LXXX. Τὸν ἐξ ἐθνῶν προσελθόντα καὶ βαπτισθέντα ἢ ἐκ φαύλης διαγωγῆς οὐ δίκαιόν ἐστι παραυτὰ προχειρίζεσθαι εἰς ἐπισκοπήν· ἄδικον γὰρ, τὸν μηδέπω πεῖραν ἐπιδειξάμενον, ἑτέρων εἶναι διδάσκαλον· εἰ μή πυ κατὰ θείαν χάριν τοῦτο γίνοιτο.

vllum inuenias. Hic enim vt criminationem, quasi non per gradus ad Episcopalem dignitatem adscendisset, euitaret, primo die Monachus ex Laico, altero Lector, tum Hypodiaconus & Presbyter: sexto deinde, qui Christi fuit natalis, Patriarcha factus est: quemadmodum DAVID NICETAS [o] istius æui scriptor in Vita *Ignatii* memoriæ nobis prodidit. SPALATENSIS [p] hunc morem in Ecclesia *Romana* obseruatum esse, auctor est, hanc quidem huic rei prætexente caussam, vt veteribus Ecclesiæ canonibus mos gereretur; quum tamen genuino eorum sensui ac intentioni nihil magis repugnare possit, quippe qui eo spectabant, vt quis aliquot integros annos in vnoquoque Ordine ad dandum vitæ suæ publicum specimen persisteret, non autem omnes Ordines intra quinque vel sex dierum spatium festinanter percurreret; Qui mos vt canonum ecclesiasticorum intentioni non respondet, ita præter primitiuæ Ecclesiæ exemplum inualuit.

LIBRI SECVNDI
CAPVT VNDECIMVM
DE PRAECIPVIS QVIBVSDAM LEGIBVS AC RITIBVS CIRCA EPISCOPORVM ORDINATIONEM OBSERVATIS.

(o) Nicet Vit. Ignat. (Tom. VIII. Concil. p. 1199.) Ἦν ἀληθῶς ἐκεῖνον ὁρᾷν αὐθήμερον ἅγιον πλαττόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν· πρώτη γὰρ ἡμέρᾳ μοναχὸς ἀντὶ λαϊκοῦ, τῇ δευτέρᾳ δὲ ἀναγνώστης, καὶ ὑποδιάκονος τῇ ἑξῆς, εἶτα διάκονος, εἶτα πρεσβύτερος· ἔπειτα τῇ ἕκτη, Χριστοῦ δὲ ἦν τὰ γενέθλια, καὶ αὐτὸς τοῦ ἱερατικοῦ προσβὰς θρόνῳ, τὴν εἰρήνην τοῦ λαοῦ προσεφώνει, μηδὲν τῆς ἀληθινῆς εἰρήνης ἄξιον ἐννοούμενος·

(p) Marc Anton. de Dominis de Rep. lib. III. c. IV. n. XIX. p. 430. (p. 281. a. Edit. Heidelb) Non licuit, nisi ex grauissima caussa, præsertim vbi ex Clero persona apta non potuit haberi, & Laicus insignis suppeteret, Laicum in Episcopali sede, non sine probatione præcedenti facta ordinatione collocare. Sic enim in Concilio Sardicensi c. X Osius loquitur: Hoc quoque &c. - - Admittitur ergo Laicus: sed prius, non ad ludibrium, vt nunc fit, sed vere & non exiguo tempore, inferioribus est ordinibus re ipsa exercendus.

§. 1.

§. I.

Epiſcopatus non vltra tres menſes vacare debebat.

SI quis Epiſcopalis muneris locus ſiue per mortem, ſiue per ceſſionem cuiusdam Epiſcopi vacuus erat factus, tum, ſiquidem Epiſcopi neceſſariam Eccleſiæ partem conſtituere credebantur, omnis nauabatur opera, vt quanta fieri poterat celeritate Eccleſiæ nouus quidam Epiſcopus præficeretur. Eccleſiæ *Africanæ* per vnum annum vacare ad ſummum poterant; quod ſi enim intra illud tempus noua electio non eſſet facta, tum is, qui ſede vacante Eccleſiæ res adminiſtrabat, & cuius erat, procurare atque accelerare electionem, ab officio removebatur, aliusque in eius locum ſubſtituebatur, ſecundum quemdam Concilii quinti [q] *Carthaginenſis* Canonem, qui etiam in *Codice Africano* [r] confirmatus eſt. At vero in aliis locis multo breuiore tempore id limitatur. Nam Canone quodam [s] Concilii generalis *Chalcedonenſis* quilibet Metropolitanus iubetur nouum Epiſcopum in locum vacantem ordinare intra trium menſium interuallum ſub pœna cenſuræ eccleſiaſticæ, niſi forte ineuitabilis neceſſitas id longius differre eum coëgiſſet.

§. II.

In quibusdam locis nouus Epiſcopus eligebatur ante, quam defunctus ſepultus eſſet.

Alexandriæ mos obtinebat, vt ſimul atque Epiſcopus mor-

(q) Conc. Carth. V. c. VIII. (Tom. II. p. 1216.) Item conſtitutum eſt, vt nulli interceſſori licitum ſit cathedram, cui interceſſor datus eſt, quibuslibet populorum ſtudiis vel ſeditionibus retinere, ſed dare operam, vt intra annum eisdem epiſcopum prouideat. Quod ſi neglexerit, anno exemto, interuentor alius tribuatur.

(r) Cod. Can. Eccleſ. African. c. LXXIV. (apud Iuſtell. Bibliothec. iuris Canon. veter. p. 368. & Tom. II. Conc. p. 1093.) Ὁμοίως ὡρίσθη, ὥστε μηδενὶ ἐξεῖναι μεσίτῃ τὴν καθέδραν κατέχειν, ᾗ τινι μεσίτης δέδοται διὰ οἱασδήποτε τῶν λαῶν σπουδὰς ἢ διχοστασίας, ἀλλὰ σπουδάζειν ἐντὸς ἐνιαυτοῦ τοῖς αὐτοῖς προνοεῖσθαι ἐπίσκοπον. Item conſtitutum eſt, vt nulli interceſſori &c. vt ad not. præced. (q).

(s) Conc. Chalced. Can. XXV. (Tom. IV. p. 768) Ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἐντὸς τριῶν μηνῶν γίνεσθαι τὰς χειροτονίας τῶν ἐπισκόπων, εἰ μή ποτε ἄρα ἀπαραίτητος ἀνάγκη παρασκευάσῃ ἐπιταθῆναι τὸν τῆς ἀναβολῆς χρόνον· εἰ δὲ μὴ τοῦτο ποιήσῃ, ὑποκεῖσθαι αὐτὸν κανονικῷ ἐπιτιμίῳ. Placuit ſanctæ Synodo, *intra tres menſes ordinationes Epiſcoporum celebrari*, niſi forte neceſſitas ineuitabilis coëgerit tempus dilationis extendi. Quod ſi hoc minime fecerit, correptioni eccleſiaſticæ ſubiacebit.

tuus esset, & antequam sepeliretur, noui statim Episcopi electio fieret. EPIPHANIVS [t] eo respicit, quando, *hanc fuisse Alexandriæ consuetudinem*, perhibet, *vt post Episcopi mortem successor non diutius differretur; sed subinde pacis tuendæ gratia subrogaretur; ne aliis hunc, aliis illum amplectentibus, iurgia in vulgus & contentiones exsisterent.* LIBERATVS [u] autem in enarrandis huius moris circumstantiis adhuc accuratior est, quando, *Consuetudo quidem*, inquit, *est Alexandriæ, illum, qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram eius capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci pallium, & tunc legitime sedere.* Subiungi hic potest testimonium SOCRATIS [w], qui, tertio post obitum *Theophili* die *Cyrillum* ordinatum fuisse, dicit; & alibi etiam eumdem morem obtinuisse indicat: *Proclus* enim, Episcopus *Constantinopolitanus* [x], in Episcopali solio collocatus fuit ante, quam *Maximianus*, antecessor eius, terræ esset mandatus, atque ita funus ei faciendum curauit. Et hoc quidem mandante *Theodosio* Imperatore factum est, ne de eligendo Episcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Ecclesia excitaret.

§. III.

Exempla quædam, quæ, Ecclesias temporibus difficilioribus & durante persecutione diutius vacasse, condocent.

At tamen vero hac cura & diligentia Ecclesiæ, quam in prospiciendo nouos cathedris vacantibus Episcopos adhibere

(t) Epiph. Hæres. LXIX. n. XI. Ἔθος δὲ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, μὴ χρονίζειν μετὰ τελευτὴν ἐπισκόπου τοὺς καθισταμένους, ἀλλ᾽ ἅμα γίνεσθαι εἰρήνης ἕνεκα, τοῦ μὴ παρατριβὰς γενέσθαι ἐν τοῖς λαοῖς, τῶν μὲν τόνδε θελόντων, τῶν δὲ τόνδε.

(u) Liberat. Brev. c. XX. (Tom. V. Conc. p 773)

(w) Socrat. lib. VII. c. VII. Τρίτῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὴν τελευτὴν Θεοφίλου ὁ Κύριλλος ἐνθρονισθείς.

(x) Socrat. lib. VII. c. XL. Ἵνα μὴ πάλιν περὶ ἐπιλογῆς ἐπισκόπου ζήτησις ἢ καὶ ταραχὴν τῇ ἐκκλησίᾳ κινήσῃ. μὴ μελλήσας, ἀλλ᾽ ἔτι κειμένου τοῦ σώματος Μαξιμιανοῦ, τοῖς παροῦσιν ἐπισκόποις ἐνθρονίσαι τὸν Πρόκλον ἐπέτρεψεν. - - ἐνθρονισθεὶς οὖν ὁ Πρόκλος τὴν ἐκκομιδὴν τοῦ Μαξιμιανοῦ σώματος ἐποιήσατο. Ne rursus de eligendo Episcopo ambigeretur, eaque res tumultum in Ecclesia excitaret, absque vlla cunctatione, nondum deposito Maximiniani corpore, Episcopis qui aderant mandauit, vt Proclum in Episcopali solio collocarent. - - Itaque Proclus in sede Episcopali collocatus, corpus Maximiniani sepulturæ tradidit.

consue-

consueuit, non obstante, quandoque accidit, vt Episcoporum electio in paullo longius tempus differretur. Nam in *Africa*, tempore Collationis *Carthaginensis* non minus sexaginta Episcopatus eodem tempore erant vacui, qui octauam fere partem vniuersorum efficiebant. Totus enim Episcoporum numerus complectebatur CCCCLXVI, quorum CCLXXXVI. in Colloquio erant congregati, & CXX. ob valetudinem vel senectutem domi remanserant; præterea LX. sedes vacabant, quæ Episcopis nondum erant instructæ, quemadmodum Catholici [y] *Donatistis* enarrant, qui de numero cum istis sese certare posse dictitabant, quamuis CCLXXIX. tantum efficerent. Quæ caussæ tot vacantium eo tempore Episcopatuum fuerint, non dicitur; iniuria temporum probabiliter in culpa fuit, quod Catholici, *Donatistis* omnia longe lateque possidentibus, suos ibi constituere non potuerunt. Aut forte in populi negligentia culpa hæsit, qui vacante Episcopi sede administratoribus contenti nouum Episcopum admittere recusarint. Concilium *Macrianense*, FVLGENTIO FERRANDO [z] memoratum, huius dilationis in quibusdam ecclesiis vsitatæ meminit, sancito contra eam canone, quo administratores, qui semper vicini quidam Episcopi erant, remoueri, & ecclesiæ istæ sine administratore manere iubentur, vsque dum proprium sibi Episcopum quærant. Alia ratio, cur istis temporibus & locis sedes Episcopales longius vacarint, difficilis erat Ecclesiarum tempore persecutionis conditio. Episcopi enim ii erant, in quos præcipue furorem suum intendebant persecutores: adeoque si quis Episcopus religionis caussa ab iis interficeretur, Ecclesia sæpius ordinationem alius cuiusdam differre cogebatur, siue quod eiusmodi difficili tempore fieri vix poterat, vt in hanc rem operam suam & curam conferrent, siue quod alium illico Episcopum implacabili furentis aduersarii odio exponere, & adhuc violen-

(y) Aug. Breuic Collat. primæ diei c. XIV. Sane propter cathedras, quas Episcopis vacuas apud se esse dixerunt, responsum est a Catholicis, sexaginta esse, quibus successores Episcopi nondum fuerant ordinati.

(z) Ferrand Breu. Canon c. XXIII. ap. Iustell. Tom. I. p. 449. Vt interuentores Episcopi conueniant plebis, quæ Episcopum non habent, vt Episcopum accipiant; Quod si accipere neglexerint, remoto Interuentore sic remaneant, quamdiu sibi Episcopum quærant.

tiorem

tiorem perſecutionis impetum in ſe conciare dubitabant. Clerus *Romanus* [*a*] hanc ad *Cyprianum* perſcripſit rationem, quamobrem poſt *Fabiani* martyrium non ſtatim nouum Epiſcopum elegerint: *Poſt exceſſum*, inquiebant, *nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani nondum eſt Epiſcopus PROPTER RERVM ET TEMPORVM DIFFICVLTATES conſtitutus.* BARONIVS [*b*] hanc Epiſcopi ſedem annum vnum & menſes tres vacuam fuiſſe exiſtimat, alii [*c*] autem in computatione accuratiores annum vnum & quinque menſes inde conficiunt. Sed vtracumque pars hac in re vicerit, tamen annum vltra tempus, per Canones conſtitutum, præterlapſum fuiſſe manifeſtum eſt. At enim vero pro nihilo hoc tibi habendum erit, ſi diuturnitatem temporis, quo Epiſcopatus *Carthaginenſis* durante perſecutione *Ariana* ſub *Genſerico* & *Hunerico*, duobus hæreticis *Vandalorum* regibus, vacauit, cum eo comparaueris, id quod teſte VICTORE VTICENSI [*d*] non minus XXIV. annos complectitur, quo toto interiecto tempore eccleſia *Carthaginenſis* nullum Epiſcopum habuit. Sed hoc difficultatibus, quibus Eccleſia premebatur, & aduerſariorum furori, non proprio eius arbitrio, tribuendum eſt: Pacis enim tempore aliam ſemper inibat rationem, neque ex iſtiusmodi caſibus extraordinariis exemplum capiendum, multo minus conſequentiam formandam & concludendum ſtatuebat, quemadmodum non nulli [*e*] fecerunt, quod Eccleſia ſine Epiſcopis eſſe poſſit, quia in extraordinariis quibusdam caſibus, vbi eos habere non poterat, ſine ipſis ſubſtitit: Quod argumentum ſi recte, conſiderarent ii, qui illud vrgent contra alium quemcumque ordinem, æque ac Epiſcopalem valere, deprehenderent.

(*a*) Epiſt. XXXI. al. XXX. ap. Cyprian. p. 58. (p. 44. lin. vlt. p. 45. lin. 1. edit. Pariſ. MDCLXVI.)

(*b*) Baron. an. CCLIII. n. VI. Vacaſſe ſedem eius anno vno & amplius, dicemus anno ſequenti in electione Cornelii. A. CCLIV. n. XLVI. ſeqq.

(*c*) Pearſon. Annal Cyprian. an. CCL. n. III. & an. CCLI. n. VI.

(*d*) Victor de Perſecut. Vandal. lib. II. (Tom. VII. Bibliothec. SS. Patr. edit. Pariſ. MDLXXXIX. p. 1899.) Dedit autem licentiam, Zenone imperatore atque Placidia relicta Olibrii rogantibus, vt Carthaginenſis Eccleſia ſibi quem vellet Epiſcopum ordinaſſet, *quæ iam per XXIIII. annos tali ornamento fuerat deſtituta.*

(*e*) Blondell. Apol.

§. IV.

§. IV.

Ad Episcopi cuiusdam ordinationem tres requirebantur Episcopi.

Vt autem ad propositam nobis Episcoporum Ordinationem revertamur: circa tempus ordinationi constitutum epistolam circularem mittere solebat Metropolitanus, qua omnes eius prouinciæ Episcopos ad eam plebem, cui Episcopus ordinandus erat, inuitabat, vt eius ordinationi adsisterent. Eorum omnium præsentia necessaria erat, si commode poterat exspectari; sin minus, consensum suum per litteras declarare oportebat: Quo in casu tres Episcopi, adsistente vel consentiente Metropolitano, ad peragendum consecrationis ritum sufficere credebantur. CYPRIANVS [f] hac de re loquitur, tamquam consuetudine, quæ in omnibus sui temporis ecclesiis obtinuit, quod omnes prouinciæ Episcopos in eiusmodi ordinatione coram adesse oportuerit. Et EVSEBIVS [g] speciatim de *Alexandri*, Episcopi *Hierosolymitani*, qui *Narcisso* successit, ordinatione narrat, quod *consentientibus vicinarum Ecclesiarum Episcopis* facta sit. Concilium *Chalcedonense* [h] legitimam vocat ordinationem, *si quis Episcopus ordinatus sit ab omnibus aut pluribus prouinciæ Episcopis, potestatem habente Metropolitano secundum Patrum regulas definitam.* Et Concilium generale *Constantinopolitanum* [i] ordinationem *Flauiani*,

(f) Cypr. Ep LXVIII. al. LXVII. ad Fr tr Hispan. p. 172 (p. 114. edit. Paris.) Quod apud nos quoque & fere per prouincias vniuersas tenetur, vt ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, *episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant* & Episcopus deligatur plebe præsente &c.

(g) Euseb. lib. VI c. XI. Ἐδήλου προελθόντας ἔξω πυλῶν, τὸν ἐκ Θεοῦ προωρισμένον αὐτοῖς ἐπίσκοπον ὑποδέξασθαι· τοῦτο δὲ πράξαντες μετὰ κοινῆς τῶν ἐπισκόπων, οἳ τὰς πέριξ διεῖπον ἐκκλησίας, γνώμης, ἐπάναγκες αὐτὸν παραμένειν βιάζονται. Significabat ipsis, vt extra portas ciuitatis egressi destinatum sibi a Deo episcopum susciperent. Quod cum illi *consentientibus vicinarum ecclesiarum episcopis* fecissent, manere deinceps eum apud se coegerunt.

(h) Concil. Chalced. Act. XVI. (Tom. IV p 817.) Τοὺς μὲν τοι κατὰ πόλιν ὁσιωτάτους ἐπισκόπους χειροτονεῖσθαι παρὰ πάντων, ἢ τῶν πλειόνων τῆς ἐπαρχίας εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων τὸ κῦρος ἔχοντος τοῦ μητροπολίτου κατὰ τὸν κείμενον τῶν πατέρων κανόνα.

(i) Ep. Synod. ap. Theodor. lib V. c. IX. Τῆς πρεσβυτάτης καὶ ὄντως Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, ἐν ᾗ πρώτῃ τὸ τίμιον χριστιανῶν ἐχρημάτισεν ὄνομα. τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον Φλαβιανὸν οἵ τε τῆς ἐπαρχίας καὶ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως συνδραμόντες κανονικῶς ἐχειροτόνησαν, πάσης συμψήφου

Episcopi *Antiocheni*, & *Cyrilli Hierosolymitani* comprobat tamquam legitimam, ideo, quod ab Episcopis prouinciæ congregatis ordinati sint. Antiqua Concilii *Nicani* lex [*k*] dicit, *Episcopum conuenire maxime quidem ab omnibus, qui sint in prouincia, Episcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut itineris longitudinem: tribus tamen omnimodis in id ipsum conuenientibus, & absentibus quoque pari modo decernentibus & per scripta consentientibus, tunc ordinationem celebrari.* Sed minus quam tres per Canones esse non poterant. Concilium *Arelatense* I. [*l*] & *Carthaginense* III. [*m*] præter Metropolitanum tres requirit. Et *Arelatense* II. [*n*] vnum ex his tribus Metropolitanum esse non vult, sed expresse dicit: *Episcopum sine Metropolitano, vel epistola Metropolitani, vel tribus comprouincialibus non liceat ordinare.* Canones quidem [*o*] & Constitutiones [*p*] sic dictæ *Apostolicæ* Ordinati-

---

τῆς ἐκκλησίας ὥσπερ διὰ μιᾶς φωνῆς ἄνδρα, τιμησάσης· ἥνπερ ἔνθεσμον χειροτονίαν ἐδέξατο καὶ τὸ τῆς συνόδου κοινόν· τῆς δὲ γε μητρὸς ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον Κύριλλον ἐπίσκοπον εἶναι γνωρίζομεν, κανονικῶς παρὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας χειροτονηθέντα. Antiquissimæ vereque Apostolicæ Antiochenæ in Syria ecclesiæ, in qua primo verecundum christianorum nomen auditum est, reuerendissimum & religiosissimum Episcopum Flauianum prouinciæ simul & diœcesis orientalis *conuenientes Episcopi Canonice ordinarunt, tota ecclesia consentiente* & quasi vno ore virum collaudante. Quam quidem *legitimam ordinationem synodus* quoque vniuersalis *comprobauit.* Matris vero Ecclesiarum omnium Hierosolymitanæ reuerendissimum & religiosissimum *Cyrillum Episcopum esse* significamus: *qui canonice olim fuit ab Episcopis prouinciæ ordinatus.*

(*k*) Concil. Nicæn. c IV. (Tom. II. p. 29.) Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι· εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων καὶ συντιθεμένων, διὰ γραμμάτων τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι.

(*l*) Con. Arelat. I. c XX. (Tom. I. Conc. p. 1429.) Si non potuerint *septem, sine tribus fratribus* non præsumant ordinare.

(*m*) Conc. Carthag. III. c. XIX. (erronea est allegatio nec vspiam inuenire hæc verba potui) Forma antiqua seruabitur, *vt non minus quam tres sufficiant*, qui fuerint a Metropolitano directi *ad ordinandum Episcopum.* Vid. etiam Conc. Carth. VI. (Tom II. p. 1595.)

(*n*) Conc. Arelat. II. c. V (Tom. II. p. 1012.) Nec Episcopus Metropolitanus sine tribus Episcopis comprouincialibus præsumat Episcopum ordinare.

(*o*) Can. Apost. c. I. Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ ἐπισκόπων δύο ἢ τριῶν, Episcopus ordinetur ab episcopis duobus vel tribus.

(*p*) Constit. Apostol. lib. VIII c. XXVII. Ἐπίσκοπος ὑπὸ τριῶν ἢ δύο ἐπισκόπων χειροτονείσθω. Episcopus a tribus vel *duobus* Episcopis ordinator.

onem

onem a duobus tantum Epiſcopis factam comprobant: at vero hoc omnibus aliis Canonibus repugnat; qui tantum abeſt vt duobus Epiſcopis eam permittant, vt potius Concilium *Arauſicanum* [q] tam ordinantes Epiſcopos, quam ordinatum ab officio remoueri iubeat: Et Concilium *Reienſe* [r] *Armentarium* eamdem ob cauſſam munere re vera exuit, quod non a tribus Epiſcopis ordinatus fuerat. Non quidem omnes eccleſiæ in iſtiusmodi Ordinationes tam ſeuere animaduertebant: vbique tamen illegitimæ habebantur. Cum *Paulinus* ordinaret *Euagrium* Epiſcopum *Antiochiæ*, THEODORETVS [s] id contra canones eccleſiaſticos factum eſſe, ait, quod ab vno tantum & ſine Epiſcoporum prouincialium conſenſu, ordinatus fuerat. Et de *Siderii* Epiſcopi *Palæbiſcæ* ordinatione idem tradit SYNESIVS [t],

(q) Concil. Arauſic. I. Can. XXI. (Tom III. Conc. p. 1450.) In noſtris prouinciis placuit de præſumtionibus, vt ſicuti contigerit *duos epiſcopos* epiſcopum inuitum facere, auctoribus damnatis, vnius eorum eccleſiæ ipſe, qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur, ſi tamen vita reſpondet; & alter in alterius deiecti loco nihilo minus ordinetur. Si voluntarium *duo* fecerint, & ipſe damnabitur, quo cautius ea quæ ſunt antiquitus ſtatuta, ſeruentur.

(r) Conc. Reienſ. Can. II. (Tom. III. p. 1286.) Ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam eſſe cenſuimus: In qua prætermiſſa trium præſentia, nec expetitis comprouincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta, pro ſus nihil, quod Epiſcopum faceret, oſtenſum eſt.

(s) Theodor. lib. V. c. XXIII. *Τοῦτο καὶ Ῥωμαίοις καὶ Αἰγυπτίοις δυσμένειαν πρὸς τὴν ἕω μακροτάτην εἰργάσατο· οὐδὲ γὰρ τῷ Παυλίνου θανάτῳ συγκατελύθη τὸ ἔχθος. Ἀλλὰ καὶ μετ' ἐκεῖνον Εὐαγρίου τὸν ἐκείνου παρειληφότος θρόνον διέμειναν τῷ μεγάλῳ Φλαβιανῷ χαλεπαίνοντες καὶ ταῦτα τοῦ Εὐαγρίου παρὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν προβεβλημένου θεσμόν· μόνος γὰρ αὐτὸν ὁ Παυλῖνος προυβάλετο, πολλοὺς κανόνας κατὰ ταυτὸν παραβάς· οὔτε γὰρ ἀνθ' ἑαυτοῦ τῷ τελευτῶντι χειροτονεῖν ἐπιτρέπουσι, καὶ πάντας συγκαλεῖσθαι τῆς ἐπαρχίας τοὺς ἐπισκόπους κελεύουσι· καὶ αὖ πάλιν δίχα τριῶν ἐπισκόπων ἐπισκόπου χειροτονίαν ἀπαγορεύουσι γίνεσθαι.* Ea res Romanos & Aegyptios diu infenſos reddidit Orientalibus: Nam nec Paulini morte ſimultas extincta eſt. Sed poſt huius mortem cum Euagrius in locum illius ſubrogatus fuiſſet aduerſus magnum Flauianum infenſo animo perſeuerarunt; idque tametſi *Euagrius contra eccleſiaſticas regulas ordinatus fuiſſet. Solus* enim *Paulinus eum elegerat*, multos ſimul canones transgreſſus. Hi enim neque morienti Epiſcopo permittunt, vt ſuo loco quempiam conſtituat, & omnes prouinciæ Epiſcopos conuocari iubent. Præterea *abſque tribus Epiſcopis ordinationem cuiuſpiam Epiſcopi fieri vetant.*

(t) Syneſ. Ep. LXVII. (p. 210. edit. Pariſ. MDCXXXIII.) *Τοῦτον οὖν ἕνα καὶ μόνον ἀποδεδεῖχθαι Παλαιβίσκης ἐπίσκοπον· ἀλλ' οὐδὲ τοῦτον ἐνθέσμως· ἐκθέσμως μὲν οὖν, ὅσα γε τῶν γερόντων ἠκούσαμεν, εἰ μήτε ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κατέστη, μήτε παρὰ τριῶν ἐν-*

quod minus legitima fuerit, quoniam neque Episcopi *Alexandrini* consensum habuerit, neque a tribus Episcopis peracta sit. Hanc minus legitimæ ordinationis obiectionem euitaturus *Novatianus*, cum *Romæ* se Episcopum contra *Cornelium* obtruderet, tres Episcopos ex extremis *Italiæ* angulis ad sui ordinationem [tt] arcessiuit. Et hanc ob caussam vbi *Pelagius* primus Episcopus *Romæ* ordinari debebat, cum tres Episcopi haberi non possent, Presbyter aliquis [u] ad faciendum numerum adsumebatur. Ex quibus omnibus vniuersalis Ecclesiæ consuetudo luculenter perspicitur.

§. V.

Ordinationes tamen per vnum Episcopum peractæ pro validis, etsi non legitimis habitæ.

Notandum tamen est, quod quamuis hæc communis regula & praxis ecclesiæ fuerit, non tamen simpliciter & absolute ad ordinationis essentiam spectarit. Ecclesia enim sæpius Episcoporum ab vno tantum vel duobus Episcopis consecratorum Ordinationes ratas habebat. Concilium *Arausicanum* [w], quod & ordinantes Episcopos & ordinatum, si duo tantum Episcopi Episcopum voluntarium consecrassent, de munere deiici iubet, nihilo secius decernit, vt, sicubi contigerit duos Episcopos Episcopum inuitum facere, auctoribus damnatis vnius eorum ecclesiæ ipse, qui vim passus est, substituatur, si tamen vita respondeat, alter in alterius deiecti loco nihilominus ordinetur. Sed præterea alia quædam ordinationis, per duos tantum Episcopos factæ, exempla suppetunt, quorum legitimam rationem in dubium vocatam esse, non legimus. *Pelagius* E-

θάδε, καὶ εἰ τὸ σύστημα τῆς χειροτονίας ἐκεῖθεν ἐδίδοτο, μόνον γάρ φασι δὴ τὸν μακάριον Φίλωνα θαῤῥῆσαι τὴν τοῦ συνιερέως ἀνάῤῥησιν. Quamobrem vnum illum ac solum esse Parebitcæ consecratum episcopum, sed nec ipsum legitime, immo contra iura omnia quantum de senioribus accepi: quum neque Alexandriæ sit, nec a tribus hic constitutus, quamuis illinc ordinandi esset facta potestas. Etenim solum beatæ memoriæ Philonem ausum esse collegam suum episcopum renunciare.

(tt) Euseb. lib. VI. c. XLIII. ex Epist. Cornelii (vid. supra pag. 90. not. (a).

(u) Lib. Pontif. Vit. Pelag. Dum non essent Episcopi, qui eum ordinarent, inuenti sunt duo Episcopi, Ioannes de Perusio & Bonus de Ferentino & Andreas Presbyter de Ostia & ordinauerunt eum.

(w) Conc. Arausican. I. c. XXI. vid. p. 163. not. (q).

pisco-

piſcopus *Romanus* verus habebatur Epiſcopus, licet, vt modo audiuimus, a duobus tantum Epiſcopis & Presbytero vno ordinatus fuerit. *Dioſcorus Alexandrinus* itidem a duobus tantum Epiſcopis, iisque ſub cenſura eccleſiaſtica conſtitutis, initiatus erat; vti ex epiſtola quadam Epiſcoporum *Ponti* [x] ſub finem Concilii *Chalcedonenſis* videre eſt: neque tamen Concilium illud, aut Antiſtites alii vlli, ordinationis ipſius valorem in dubium vocarunt, niſi forte id fecerunt iſti Epiſcopi *Ponti*, qui eam *nefandam atque imaginariam ordinationem* appellant. *Siderius* Epiſcopus *Palæbiſcæ* ab vno tantum Epiſcopo ordinatus fuerat; *Athanaſius* tamen ipſius ordinationem non tantum approbabat & confirmabat, ſed etiam cognito, quod vir vtilis eſſet, teſte SYNESIO [y], ad ſedem Epiſcopi Metropolitani *Ptolemaidis* poſtea eum prouexit. *Paulinus* Epiſcopus *Antiochiæ Euagrium* ſine vllo alio Epiſcopo adſiſtente ſibi ſucceſſorem conſecrauit: Quod etſi contra Canonem factum erat, THEODORETVS tamen adfirmat [z], Epiſcopos *Romanum* & *Antiochenum*, *Euagrium* pro vero Epiſcopo agnouiſſe, & numquam vel minima ratione de ordinationis eius valore dubitaſſe. Et quamuis poſtea, hortante *Theodoſio*, ſchiſmatis finiendi gratia *Flauianum* agnoſcerent; ea tamen conditione id faciebant, vt eorum ordinationes, qui ab *Euagrio* ordinati fuerant, etiam validæ haberentur, quemadmodum ex epiſtola *Innocentii* Papæ [a], qui non longe poſt hoc certamen vixit, videre eſt.

(x) Conc. Tom. IV. p. 960. Ordinationem ſuam a damnatis Epiſcopis, & hoc duobus, accepit, cum regulæ Patrum - - - vel tres Epiſcopos corporaliter adeſſe in huiusmodi diſpenſationibus omnino proſpiciant.

(y) Syneſ. Ep. LXVII. (p. 210.) Τοῦτον ἥκοντα μόνον ἀποδεῖξαί τε, καὶ ἐπὶ τοῦ θρόνου καθίσαι τὸν μακαρίτην Σιδήριον· ἀλλ᾽ ἀνάγκη γὰρ ἐν καιροῖς ἀπεῤῥησιάστοις τὴν ἀκρίβειαν παραβαίνεσθαι· διὰ τοῦτο τὸν πάμμεγαν Ἀθανάσιον συγχωρῆσαί τε τῷ καιρῷ. καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ δεῆσαν ἐν Πτολεμαΐδι τὸν ἐνόντα σμικρὸν ἔτι τῆς ὀρθοδοξίας σπινθῆρα θάλψαι τε καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐξάψαι, τὸν ἄνδρα τοῦτον ὡς μείζοσι πράγμασιν ἐπιτήδειον ἐκεῖ διαβῆναι κελεῦσαι τὴν μητροπολίτην ἐκκλησίαν ἐπιτροπεύσοντα. Hunc ſolum venientem ferunt beatum Siderium creaſſe & in throno collocaſſe. Sed formidoloſis temporibus ſummum ius prætermitti neceſſe eſt. Ideo magnum illum Athanaſium id tempori dediſſe, ac non multo poſt cum exiguam adhuc orthodoxæ fidei ſcintillam, quæ in Ptolemaidi erat, fouere, & magis magisque oporteret accendere, hominum illum maioribus rebus gerendis idoneum eo commigrare iuſſiſſe, vt metropolitanam eccleſiam gubernaret.

(z) Theod. lib. V. c. XXIII. vid. not. (s) p. 163.

(a) Innoc. Ep. XIV. ad Bonifac. Eccleſia Antiochena ita pacem poſtulauit, vt *& Eu-*

§. VI.

Episcopus Romanus *nihilo magis quam alius quispiam, solus ordinare poterat.*

Ex hisce intelligimus, ordinationem Episcopi ab vno tantum Episcopo factam validam fuisse, si Ecclesiæ eam comprobare visum fuerit. Neque Episcopus *Romanus* hac in re vllo præ aliis Episcopis priuilegio gaudebat, etiamsi non nulli distinctionem facere sibi sumant. Allegatur quidem antiquus Canon in Collectione FVLGENTII FERRANDI ex Concilio *Zellensi* & *Siricii* epistola, qui Episcopi *Romani* intuitu aliquam exceptionem statuere videtur: præcipit enim [*b*], *vt vnus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana.* Enimuero COTELERIVS [*c*] ingenue fatetur, in textu FERRANDI esse corruptionem, quæ per ignorantiam aut fraudem recentioris cuiusdam librarii irrepserit, qui duo decreta, de quibus SIRICIVS loquatur, confundat, verbis *Sedes Apostolica Primatis* in *Sedes Apostolica Romana* commutatis. In verbis enim SIRICII [*d*] ecclesiæ *Romanæ* nulla plane fit mentio, sed dicitur, *vt extra conscientiam sedis Apostolicæ, hoc est Primatis* seu Metropolitanæ prouincialis, *nemo audeat ordinare*; & paullo post: *Ne vnus Episcopus Episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtiuum præstitum beneficium videatur. Hoc enim & a Synodo Nicæna constitutum est atque definitum.* Vt adeo istis temporibus Canonum directioni subfuerit Episcopus *Romanus*, nec peculiare ordinandi priuilegium, præter id, quod cum reliquis sui ordinis commune habebat, sibi esse, cogitare præsumserit.

---

agrianos suis ordinibus ac locis intemerata ordinatione, quam acceperant a memorato, *susciperet.*

(*b*) Ferrand. Brev. Canon. c. VI.

(*c*) Coteler. Not. in Constitut. Apost. lib. III. c. XX. Hoc loco celatum nolim lectorem errorem geminum, qui apparet in Breuiatione Canonum Fulgentii Ferrandi c. VI. *Vt unus Episcopus Episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana. Concilio Zellensi. Ex Epistola Papæ SIRICII.* Etenim duo prima decreta Epist. IV. Siricii perperam commiscentur: & *sedes Apostolica primatis* seu metropolitana, mutatur in sedem Apostolicam Romanam; non culpa, (suspicor) Ferrandi, sed ignorantia vel fraude cuiusdam recentioris &c.

(*d*) Siric. Ep. IV. c. I. & II.

§. VII.

§. VII.

Quemlibet Episcopum in sua ipsiusmet Ecclesia ordinari oportebat.

Quod nunc hac in re considerandum venit, est, quod quilibet Episcopus secundum canones ac consuetudinem Ecclesiæ in sua ipsius ecclesia, præsente populo ordinari debebat. Id quod luculenter indicatur a CYPRIANO [e], cum ait: *Ad Ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente.* Et hic mos in vniuersam Ecclesiam ita fuit introductus, vt *Iulius* Papa [f] contra *Gregorium Alexandrinum*, qui ab *Eusebianorum* factione Ecclesiæ in locum *Athanasii* obtrusus erat, obiiceret, quod *Antiochiæ* Episcopus nominatus & *Alexandriam* missus esset militari stipatus manu; cum tamen secundum ecclesiasticum canonem ἐπ' αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας, in ipsa Ecclesia *Alexandrina*, ab Episcopis prouinciæ illius Episcopum constitui oportuerit. Hic canon in ecclesiis *Africanis* diligentissime obseruabatur, vbi tunc moris erat, vt Primas (cuius erat Episcopos ordinare) ad eam se conferret ecclesiam, in qua nouus Episcopus constituendus esset, ibique eum consecraret. Huius consuetudinis diuersa exempla AVGVSTINO memorantur, qui ipse in sua ipsius ecclesia *Hippone* [g] a Primate *Numidiæ* fuerat ordinatus; & cum dioecesi sua diuisa, nouoque *Fussalæ* Episcopatu erecto, Episcopum elegisset, ad Primatem longo licet viæ interuallo disiunctum [gg] misit, vt ad locum istum veniret, ibique eum ordinaret.

(e) Cypr. Ep. LXVIII. al. LXVII. ad Fratr Hispan. p. 172. (p. 114. edit. Paris.)

(f) Iul. Ep. ad Orient. ap. Athan. Apol. II. Tom. I. p. 749. vid. supra c. X. §. II. not. (e) pag. 146.

(g) Possid. Vit. Aug. c. VIII. Vnde amplius formidans idem venerabilis senex & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis litteris apud primatem Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrans, vt Hipponensi ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ cathedræ non tam succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Quæ igitur beatus Valerius optauit & rogauit, satagens rescripto impetrauit.

(gg) August. Ep. CCLXI. Propter quem ordinandum, sanctum senem, qui tunc primatum Numidiæ gerebat, de longinquo vt veniret rogans litteris impetraui.

§. VIII.

§. VIII.

Vetuſtus Epiſcopos ordinandi ritus.

Quod ad modum & ritum ordinandi Epiſcopum attinet, in quodam Conciliorum *Carthaginenſium* [h] Canone ſtrictim ita deſcriptus legitur: *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant euangeliorum codicem ſuper caput & verticem eius, & vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant.* Ritus ponendi in eius caput euangeliorum codicem in omnibus eccleſiis in vſu videtur fuiſſe. Auctor enim [i] *Conſtitutionum Apoſtolicarum* (græcus quidam ſcriptor, qui ritus ſæculi tertii enarrare creditur) eius meminit, hoc ſolo cum diſcrimine, quod duorum Epiſcoporum loco duo Diaconi euangeliorum codicem, Epiſcopo Seniore ſeu Primate cum duobus ipſi adſiſtentibus Epiſcopis preces conſecrationis recitante, ſuper caput Ordinandi tenere iuſſi ſint. Idem ille mos CHRYSOSTOMO [k] & Auctori *Hierarchiæ Eccleſiæ*, ſub nomine DIONYSII latitanti, memoratur, qui

(h) Conc. Carth. IV. c. II.

(i) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. IV. *Καὶ σιωπῆς γενομένης εἷς τῶν πρώτων ἐπισκόπων ἅμα καὶ δυσὶν ἑτέροις πλησίον τοῦ θυσιαστηρίου ἑστὼς τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων καὶ πρεσβυτέρων σιωπῇ προσευχομένων, τῶν δὲ διακόνων τὰ θεῖα εὐαγγέλια ἐπὶ τῆς τοῦ χειροτονουμένου κεφαλῆς ἀνεπτυγμένα κατεχόντων, λεγέτω πρὸς Θεόν.* Et ſilentio facto, vnus ex primis epiſcopis vna cum duobus aliis ſtans prope altare, reliquis epiſcopis & presbyteris tacite precationem facientibus, & diaconis aperta euangelia ſuper caput eius, qui ordinatur, tenentibus, in hunc modum precetur.

(k) Chryſoſtom. de laudib. euangel. apud Habert. p. 79. *Ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἱερέων, τὸ Εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ κεφαλῆς τίθεται, ἵνα μάθῃ ὁ χειροτονούμενος, ὅτι τὴν ἀληθινὴν τοῦ εὐαγγελίου τιάραν λαμβάνει, καὶ ἵνα μάθῃ εἰ καὶ πάντων ἐστὶ κεφαλὴ, ἀλλ' ὑπὸ τούτους πράττει τοὺς νόμους, πάντων κρατῶν, καὶ τῷ νόμῳ κρατούμενος, πάντα νομοθετῶν καὶ ὑπὸ τοῦ νόμου νομοθετούμενος. Διὰ τοῦτο γενναῖός τις τῶν ἀρχαίων, Ἰγνάτιος δὲ ἦν ὄνομα αὐτῷ, οὕτως ἱερωσύνῃ καὶ μαρτυρίῳ διαπρέψας ἐπιστέλλων τινὶ ἱερεῖ ἔλεγε· μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω, μηδὲ σὺ ἄνευ γνώμης Θεοῦ τι πράττε. τὸ τοίνυν ἔχειν τὸν Ἀρχιερέα τὸ εὐαγγέλιον σημεῖόν ἐστι τὸ ὑπ' ἐξουσίαν εἶναι.* *Dum ordinantur ſacerdotes, euangelium capiti* imponitur, quo diſcat ordinatus, verum ſe accipere Euangelii tiaram; diſcat etiam, tametſi omnium ſit caput, ſe tamen eſſe ſub legibus, & quum omnibus dominetur, legis imperio ſubiici; cumque omnibus legem ponat, a lege gubernari. Quamobrem vnus ex antiquis nobilis, cui nomen Ignatio, ſacerdotio ſimul ac martyrio inſignis, ſcribens alicui ſacerdoti dixit: Nihil abſque voluntate tua geratur, neque tu etiam præter Dei voluntatem quidquam facias. Quod igitur euangelium accipiat Pontifex, ſignificat, eum ſub poteſtate eſſe conſtitutum.

hanc

hanc cærimoniam ſoli Epiſcoporum ordinationi peculiarem fuiſſe & vſitatam, dicunt.

§. IX.

Formula precationis, quæ in eorum conſecratione adhiberi conſueuit.

Auctor *Conſtitutionum* antiquam aliquam precationis Formulam recitat, cuius clauſula [*l*] ita habet: *Da ipſi, Domine omnipotens, per Chriſtum tuum participationem Spiritus Sancti, vt habeat poteſtatem remittendi peccata ſecundum mandatum tuum, item dandi Cleros, id eſt ſortes, vt tu iuſſiſti, ac ſoluendi omnem inculum ſecundum poteſtatem, quam Apoſtolis dediſti, placendique tibi in manſuetudine & corde mundo, offerendo tibi ſine culpa ſemper & ſine crimine ſacrificium mundum & incruentum, quod per Chriſtum conſtituiſti myſterium noui teſtamenti in odorem ſuauitatis per ſanctum filium tuum Ieſum Chriſtum, Deum & Saluatorem noſtrum, per quem tibi gloria, honor & veneratio in Sancto Spiritu nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.* Vnam eamdemque formulam in omnibus eccleſiis vſitatam fuiſſe, non fas eſt, exiſtimemus: Cum enim cuilibet Epiſcopo peculiarem ſibi liturgiam formare liceret, ſicuti diuerſæ in diuerſis eccleſiis liturgiæ erant, in procliui eſt colligere, quod Primates ſeu Metropolitani diuerſas conſecrationis formulas habuerint, etiamſi earum nihil remanſerit, quod de iis plus lucis nobis ſubminiſtrare poſſit.

§. X.

De eorum Enthroniſatione, de Homiliis Enthroniſticis & litteris Enthroniſticis.

Finita Conſecratione Epiſcopi, qui aderant, Epiſcopum modo ordinatum in cathedram ſeu thronum ipſius conducebant, in eoque ipſum collocatum ſancto oſculo in Domino omnes ſalutabant. Lecta deinde ſacra Scriptura (pro more, tamquam

(*l*) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. V. Δὸς αὐτῷ δέσποτα παντοκράτορ διὰ τοῦ χριστοῦ σου τὴν μετουσίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος, ὥστε ἔχειν ἐξουσίαν ἀφιέναι ἁμαρτίας κατὰ τὴν ἐντολήν σου· διδόναι κλήρους κατὰ τὸ πρόσταγμά σου· λύειν δὲ πάντα σύνδεσμον κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔδωκας τοῖς ἀποστόλοις· εὐαρεστεῖν δέ σοι ἐν πραότητι καὶ καθαρᾷ καρδίᾳ, ἀτρέπτως, ἀμέμπτως, ἀνεγκλήτως· προσφέροντά σοι καθαρὰν καὶ ἀναίμακτον θυσίαν· ἣν διὰ χριστοῦ διετάξω τὸ μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας διὰ τοῦ ἁγίου παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν, δι' οὗ σοι δόξα, τιμὴ καὶ σέβας ἐν ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

cultus quotidiani parte) nouus Epiſcopus ſermonem in eam faciebat, qui *Sermo Enthroniſticus* a tempore & circumſtantiis, in quibus habitus erat, dicebatur. Talis erat peruagata illa *Meletii* Epiſcopi *Antiocheni* homilia, EPIPHANIO [*m*] & SOZOMENO memorata, propter quam a *Conſtantio* in exilium e veſtigio miſſus fuit. SOCRATES eiusmodi homiliarum ab Epiſcopis [*n*] in inauguratione ſua recitatarum crebram facit mentionem; & LIBERATVS [*o*] de *Seuero Antiocheno* loquens expoſitionem eius hac occaſione factam memorans, *Expoſitionem in Inthroniſmo* nuncupat. Solebant etiam Epiſcopi, ſimul atque conſecrati erant, miſſis ad extraneos Episcopos litteris fidem ac orthodoxiam ſuam teſtatam facere, vt ab illis viciſſim litteras pacificas & communicatorias acciperent, quæ litteræ appellabantur *litteræ Enthroniſticæ* ſiue συλλαβαὶ ἐνθρονιστικαὶ, quemadmodum eas EVAGRIVS [*p*] vocat, loquens de litteris circularibus, quas *Seuerus*

(*m*) Epiphan. Hæreſ. LXXIII. n. XXIX --- XXXIII. & XXXIV. Sozom. lib. IV. c. XXVIII.

(*n*) Socrat. lib. II. c. XLIII. Εὐδόξιος καθεσθεὶς εἰς τὸν θρόνον αὐτῆς, πρώτην ἐκείνην τὴν πολυθρύλλητον ἀφῆκε φωνὴν, φράσας· ὁ πατὴρ ἀσεβής· ὁ υἱὸς εὐσεβής κ. τ. λ. Eudoxius *ſimul atque in ſede illa collocatus eſt, primam hanc protulit ſententiam*, quæ omnium ſermone celebratur: Pater ἀσεβὴς, Filius εὐσεβὴς &c. Lib. VII. c. XXIX. Τριμήνου διαδραμόντος, ἄγεται ἐκ τῆς Ἀντιοχείας ὁ Νεστόριος, ὅστις ἐπὶ σωφροσύνῃ μὲν παρὰ τοῖς πλείστοις ἐκηρύττετο, ὁποῖος δὲ ἦν ἐν τοῖς ἄλλοις τὸ ἦθος, ἀπὸ τῆς πρώτης αὐτοῦ διδασκαλίας τοὺς εὐφρονοῦντας οὐκ ἔλαθε. Χειροτονηθεὶς γὰρ τῇ δεκάτῃ τοῦ ἀπριλλίου μηνὸς, ἐν ὑπατείᾳ Φίληκος καὶ Ταύρου, εὐθὺς ἐκείνην τὴν περιβόητον ἀφῆκε φωνὴν ἐπὶ τοῦ λαοῦ παντὸς, πρὸς τὸν βασιλέα τὸν λόγον ποιούμενος· δός μοι, φησὶν, ὦ βασιλεῦ, καθαρὰν τὴν γῆν τῶν αἱρετικῶν, κἀγώ σοι τὸν οὐρανὸν ἀντιδώσω· συγκάθελέ μοι τοὺς αἱρετικούς· κἀγὼ συγκαθελῶ σοι τοὺς Πέρσας. Et poſt trium menſium ſpatio Neſtorius Antiochia adducitur. Qui ob temperantiam quidem a pluribus prædicabatur. In reliquis vero quali ingenio & quibus moribus fuerit, *ex prima eius concione* prudentiores ſtatim deprehenderunt. Ordinatus enim die quarto Idus Aprilis, Felice & Tauro conſulibus, illinc coram vniuerſo populo imperatorem alloquens, *celebrem illam protulit dictionem:* Da mihi, inquit, Imperator, terram hæreticis purgatam, & ego tibi cælum retribuam. Mecum hæreticos debella: ego Perſas tecum debellabo.

(*o*) Liberat. Brev. c. XIX. Fertur *expoſitio* eius, *quæ ab eo dicta eſt in inthroniſmo*, in qua & vnitiuum ſuſcepit zenonis &c.

(*p*) Euagr. lib. IV. c. IV. Μάλιστά γε ἐν ταῖς καλουμέναις ἐνθρονιστικαῖς συλλαβαῖς καὶ ταῖς τούτων ἀμοιβαίαις, ἃς διεπέμψατο τοῖς ἑκάστου πατριάρχαις κ. τ. λ. Præcipue *in epiſtolis, quas* ἐνθρονιστικὰς *vocant*, & in reſponſionibus ad easdem epiſtolas, quas ad ſingulos Patriarchas mittebat &c.

Epiſco-

Episcopus *Antiochenus* hac occasione ad reliquos Patriarchas dederat. Hæ alio nomine dicebantur *litteræ communicatoriæ*, κοινωνικὰ συγγράμματα, vti Concilium *Antiochenum*, quod *Paulo Samosatensi* munus abdicauit, eas nominat: Patres enim in isthoc concilio congregati, *Domno* in locum *Pauli* ordinato, omnes ecclesias hac de re faciebant certiores, dicentes, se ideo hoc ipsis significare, vt ad *Domnum* scriberent, & ab eo vicissim κοινωνικὰ συγγράμματα [q] *litteras communicatorias* acciperent: Quod, recte notante VALESIO, [r.s] heic non de istis *Litteris Communicatoriis, quæ Clericis & Laicis peregrinantibus dabantur, vt a peregrinis Episcopis ad communionem admitterentur,* intelligendum est; sed de iis litteris, *quas Episcopi paullo post Ordinationem testandæ communionis suæ caussa ad alios mittebant Episcopos, & quas ipsi vicissim ab aliis accipiebant.* Hæ litteræ etiam *Synodicæ* a LIBERATO dicuntur, [t.u] qui consuetudinem istam, qua ductus nouus quisque Episcopus de sua ordinatione aliis sui Ordinis litteras Synodicas miserit, adeo necessariam dicit fuisse, vt earum omissio pro aliqua communionis cum reliquis Episcopis colendæ recusatione, & pro tacita hæreseos imputatione habita sit.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DVODECIMVM
DE LEGE, QVAE EPISCOPOS IN PARVIS OPPIDIS ORDINARI VETAT.

§. I.

Ratio legis de non constituendis Episcopis in paruis oppidis.

ANtequam huic de Episcopis sermoni finem imponam, de duabus legibus aliis, ad ipsorum Ordinationem respicien-

(q) Euseb. l b. VII. c. XXX. p. 230. ἐδηλώσαμέν τε ὑμῖν, ὅπως τούτῳ γράφητε, καὶ τὰ παρὰ τούτου κοινωνικὰ δέχησθε γράμματα. Quod idcirco vobis significauimus, vt & ad eum scribatis, & ab eo *communicatorias litteras* accipiatis.

(r. s) Vales. Not. in loc.

(t. u) Liberat. Brev. c. XVII. De quo etiam Acacius *synodicam* Romano Papæ misit *epistolam*, petens, ne etiam adulterum & hæreticum in episcopali dignitate reciperet. Verum Ioannes Talaia de ordinatione sua neglexit per suos *Synodicas litteras* Acacio episcopo Constantinopolitano destinare. - - Mandavit ergo magistriano *litteras synodicas*, delegans ei omnia cum illius facere voluntate.

tibus, adhuc dicendum non nihil erit. Quarum prima Episcopos in paruis oppidis & vicis constitui vetabat: quæ lex in Concilio *Sardicensi* primum lata est, eo consilio, vt Ordinis Episcopalis honor & dignitas sarta tecta conseruaretur; vti ratio in Canone in hanc rem sancito data est, qui dicit: [w] *Non licet simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago vel parua vrbe, cui vel vnus presbyter sufficit: non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen & auctoritas vilipendatur.* Non nulli addunt Concilii *Laodiceni* Canonem LVII, Episcopos in [x] vicis & pagis constitui prohibentem, & eorum loco Visitatores dari iubentem: Sed hic Canon non de absolutis Episcopis, sed de Chorepiscopis loquitur, qui aliis Episcopis subiecti erant, de quibus infra speciatim acturus sum. Sed quicquid huius sit, non est de Canone *Sardicensi* disceptatio; nam ratio subiuncta eius sensum explanat, quod ordinationem Episcoporum in paruis vrbibus & pagis in totum interdicat.

§. II.

Exceptiones quædam huius legis in Aegypto, Libya, Cypro, Arabia, Asia minore &c.

Obseruandum tamen est, hanc legem non vbique obtinuisse: Nam cum ante tum post Concilium *Sardicense* Episcopi in paruis ciuitatibus & vicis reperiebantur. *Nazianzus* paruum duntaxat oppidum erat; SOCRATI [y] *πόλις εὐτελὴς, vrbs exigua*, vocatur: & eodem hoc respectu GREGORIVS NAZIANZENVS [z] patrem suum, istius loci Episcopum, *μικροπο-*

(w) Concil. Sardic. c. VI. (Tom. II Conc. p. 63.) Μὴ ἐξεῖναι δὲ ἁπλῶς καθιστᾶν ἐπίσκοπον ἐν κώμῃ τινὶ ἢ βραχείᾳ πόλει, ᾗ τινι καὶ εἷς μόνος πρεσβύτερος ἐπαρκεῖ. οὐκ ἀναγκαῖον γὰρ ἐπισκόπους ἐκεῖσε καθίστασθαι, ἵνα μὴ κατευτελίζηται τὸ τοῦ ἐπισκόπου ὄνομα καὶ ἡ αὐθεντία.

(x) Concil. Laodic. Can. LVII ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις, καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους, ἀλλὰ περιοδευτάς. Quod non oportet in vicis & pagis episcopos constitui, sed periodeutas, hoc est, circumcursatores seu visitatores.

(y) Socrat. lib IV. c. XI. Βασίλειος καὶ Γρηγόριος· ὧν ὁ μὲν Καισαρείας τῆς ἐν Καππαδοκίᾳ ἐπίσκοπος ἦν· Γρηγόριος δὲ Ναζιανζοῦ πόλεως εὐτελοῦς γειτνιαζούσης τῇ Καισαρείᾳ. Basilius atque Gregorius: quorum ille Cæsareæ Cappadociæ erat Episcopus: hic *Nazianzi, vrbis exiguæ*, quæ in vicinia Cæsareæ sita est.

(z) Gregor. Nazian. Orat. XIX. de Laud. Patr. Tom. I. p. 310. Τοῦτο τοῦ μικροπολίτου ποιμένος καὶ τὰς καθέδρας τὰς δευτέρας ἔχοντος. Hoc exiguum vrbis episcopi opera, cathedras secundas tenentis.

λίτην

λίτην καὶ τῆς καθέδρας τὰ δεύτερα ἔχουσαν, *exiguæ vrbis Episcopum & cathedræ secundas tenentem* nominat. Non erat tamen *Chorepiscopus*, sed absolutus in diœcesi sua Episcopus, non minus quam Episcopi *Romæ* vel *Alexandriæ*. *Geras* prope *Pelusium* SOZOMENO [a] *paruum oppidum* audit, & nihilominus sedes Episcopi ibi erat. De *Dolicha*, vbi *Maris* erat Episcopus, idem obseruatur THEODORETO [b] πολίχνην σμικρὰν eam nuncupanti: Idem etiam dicit de *Cucuso* [c], loco in *Armenia* sito, quo *Chrysostomus* relegatus fuerat: quantulumcumque illud oppidum erat, *Chrysostomus* [d] tamen ibi Episcopum offendit, admodum comiter ac reuerenter ipsum in exilio suo tractantem. SYNESIVS [e] de Episcopo *Olbiæ* in quadam epistola mentionem facit, & simul eum locum vicum tantum fuisse dicit; populum enim

(a) Sozom. lib. VIII. c. XIX. ἀπὸ τοῦ πελάγους ὧδε συμβὰν, κατῆρεν εἰς Γέρας. πόλιν μικρὰν, ἀμφὶ πεντήκοντα στάδια τοῦ Πηλουσίου ἀφεστῶσαν· τελευτήσαντος δὲ τότε τοῦ ἐνθάδε ἐπισκόπου, οἱ μὲν πολῖται, ὡς ἐπυθόμην, ἐψηφίσαντο Νιλάμμωνα προστατεῖν τῆς ἑαυτῶν ἐκκλησίας κ. τ. λ. Forte accidit, vt nauis secundo vento appellaret *Geras*, *paruum oppidum*, quinquaginta circiter stadiis distans Pelusio. *Eius loci Episcopo* tunc mortuo, ciues quidem, vt accepi, Nilammonem *ecclesiæ suæ antistitem* elegerunt.

(b) Theodoret. lib V. c IV. ὁ δὲ θεῖος Εὐσέβιος, ἔσχατον ἐπίσκοπον Μάριν τῇ Δολίχῃ κεχειροτόνηκε· πολίχνη δὲ αὕτη σμικρὰ, καὶ τῆς Ἀρειανικῆς νόσου κατ' ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ μετειλήφει. Postremus omnium Maris, a diuino Eusebio Dolichæ Episcopus creatus est, *vrbs est exigua*, quæ tunc temporis Ariana labe erat infecta.

(c) Theod. lib. II. c. V. Μετῴκισαν εἰς Κουκουσόν· πόλις δὲ αὕτη μικρά. Relegarunt (Paulum) *Cucusum*, id *exiguum oppidum* est. Lib. V. c. XXXIV. εἰς τινα πολίχνην σμικράν τε καὶ ἔρημον τῆς Ἀρμενίας ἐξέπεμψαν· Κουκουσὸς ὄνομα ταύτῃ. In *paruum quoddam* ac desertum Armeniæ *oppidum* relegarunt, cui nomen est *Cucusus*.

(d) Chrysostom. Ep. CXXV. ad Cyriac. (Tom. IV. p. 764: edit. Francof.) Ταῦτά σοι ἐπέσταλκα ἀπὸ Κουκουσοῦ τῆς Κιλικίας, ὅπου ἐκέλευσεν ἡμᾶς ἡ βασίλισσα ἐξορισθῆναι· - - Πάνυ δὲ ἡμᾶς ἐδεξιώσατο ὁ ἐπίσκοπος τῆς πόλεως ταύτης, καὶ πολλὴν ἀγάπην ἔδειξεν εἰς ἡμᾶς. Atque hæc tibi e *Cucuso*, quod Ciliciæ *oppidum* est, scripsi, quo videlicet Imperatrix ablegari me iussit. - - At vero *vrbis huiusce Episcopus* perquam humaniter nos excepit, magnamque erga nos caritatem præ se tulit. &c.

(e) Synes. Ep. LXXVI. Ὀλβιάταις οὗτοι δὲ δῆμός εἰσι κωμήτης, ἐδέησεν αἱρέσεως ἐπισκόπου, τοῦ μακαριωτάτου πατρὸς Ἀθάμαντος τῷ μακρῷ βίῳ τὴν ἱερωσύνην συγκαταλύσαντος. Olbiatis: *vici* cuiusdam hic populus est: *Episcopi* creatione opus fuit, cum beatissimus pater Athamas longiore vita pariter & sacerdotio functus est.

δῆμον κωμήτην, vici cuiusdam populum appellat. Ita alio loco [*f*] dicit, quod *Hydrax* & *Palæbisca* aliquando suum quæque habuerint Episcopum, licet vici tantum *Pentapolis* essent ad diœcesin *Erythrensem* proprie spectantes, cui post aliquod temporis interuallum rursus fuerint contributi. SOZOMENI memoria inter *Arabiæ* & *Cypri* incolas vsitatum erat, Episcopos non tantum in vrbibus, sed vicis etiam ordinare; ita etiam inter *Nouatianos* & *Montanistas* in *Phrygia* obtinuit; quod omne [*g*] ex sua ipsius notitia adfirmat. Sunt, qui *Dracontium* talem Episcopum fuisse existimant, quod ATHANASIVS [*h*] eius Episcopatum *χώρας ἐπισκοπὴν* appellet: Vtrum vero absolutum Episcopum, an tantum *Chorepiscopum*, eum fuisse hoc ipso significare velit, non facile est ad diiudicandum. Ita quoque non patet, cuius generis Episcopi isti fuerint, quos Concilium *Antiochenum* [*i*] in Synodali sua aduersus *Paulum Samosatensem* epistola pagorum nominat Episcopos; forte enim *Chorepiscopi*, seu Episcopi dependentes fuerunt, quæ VALESII coniectura est. Verum id de his SOZOMENO

(*f*) Synes. Ep. LXVII. p. 208. *Γέγονα κατὰ Παλαίβισκάν τε καὶ Ὕδρακα· κῶμαι δὲ αὗται Πενταπόλεως.* Palæbiscam & Hydracem perueni. *Vici sunt* Pentapolis. p. 210. *Τοῦτον οὖν ἕνα καὶ μόνον ἀποδεδεῖχθαι Παλαιβίσκης ἐπίσκοπον* - - Vnum illum ac solum *Palæbiscæ* creatum *Episcopum*. p. 211. *ἐν Ὕδρακι τῇ κώμῃ χωρίον ἐστι - - τοῦτο τοῖς ἀδελφοῖς ἡμῶν ἤδη καὶ ἄλλοις τοῖς εὐλαβεστάτοις ἐπισκόποις Διοσκώρῳ καὶ Παύλῳ τὸ περιμάχητον ἦν κ. τ. λ.* In *Hydrace vico* locus quidam est - - de hoc inter fratres nostros, vt & alios antea, religiosissimos *episcopos* Dioscorum & Paulum summa erat contentio &c.

(*g*) Sozom. lib. VII. c. XIX. *Ἐν ἄλλοις δὲ ἔθνεσιν ἐστὶν, ὅπη καὶ ἐν κώμαις ἐπίσκοποι ἱερῶνται, ὡς παρὰ Ἀραβίοις καὶ Κυπρίοις ἔγνων.* In aliis prouinciis interdum *etiam vici consecratos habent episcopos*, sicut in Arabia & in Insula Cypro animaduerti.

(*h*) Athan. Epist. ad Dracont. Tom. I. p. 954. (p. 263 edit Paris. MDCXCVIII) *Καὶ γὰρ ἡ ἐκ παραδόξου γενομένη συμφωνία ἐν τῇ Ἀλεξανδρείων χώρᾳ, ἐν τῇ σῇ καταστάσει, ἐξ ἀνάγκης σχισθήσεται διὰ τὴν σὴν ἀναχώρησιν· καὶ ἡ ἐπισκοπὴ δὲ τῆς χώρας αὐτῆς ὑπὸ πολλῶν ἁρπαγήσεται καὶ πολλῶν οὐκ ὀρθῶν, ἀλλ' ὧν οἶδας καὶ αὐτός.* Etenim admirandus ille Alexandrini *agri* in te eligendo consensus, ob tuum secessum necessario in complurimas diuidetur factiones: estque *huius loci Episcopatus* a multis inuadendus: iisque non probis viris, sed quos tute probe nosti.

(*i*) Ap. Euseb. lib. VII. c. XXX. p. 229. *Οἷα καὶ τοὺς θωπεύοντας αὐτὸν ἐπισκόπους τῶν ὁμόρων ἀγρῶν τε καὶ πόλεων καὶ πρεσβυτέρους, ἐν ταῖς πρὸς τὸν λαὸν ὁμιλίαις καθίησι, διαλέγεσθαι.* *Episcopos* quoque vicinorum *pagorum* & ciuitatum nec non presbyteros assentatores suos submisit, qui in suis ad populum concionibus eadem de ipso prædicarent.

memo-

memoratis dici nequit, nec de aliis exemplis, quæ ex SYNESIO & reliquis ante citatis Auctoribus dedi; quorum e testimoniis liquido apparet, fuisse tum in exiguis valde vrbibus & quandoque etiam in villulis Episcopos, contrario Concilii *Sardicensis* decreto non obstante. Dignum etiam obseruatu est, in *Asia minore*, terræ tractu non multo ampliore, quam *Magna Britannia* Insula (duas tantum dioeceses, ad Imperium *Romanum* spectantes, complectente) quadringentos fere Episcopos fuisse; quemadmodum ex antiqua Ecclesiæ historia constat. Vnde *Cuculum* & *Nazianzum* non solas exiguas istius prouinciæ vrbes, sed adhuc multo plures alias vrbes ac dioeceses, non ita magnas in ea fuisse, iudicari facile potest.

§. III.

Rationes, ob quas in paruis locis Episcopatus erecti sint.

Vna caussa, quamobrem Episcopatus multiplicarentur & non numquam in exiguis erigerentur locis, erat, quod in Ecclesia primitiua vnusquisque Episcopus, consentiente Metropolitano, aut Concilio prouinciali approbante, dioecesin suam diuidendi & nouum Episcopum conueniente quodam eius loco, in Ecclesiæ emolumentum, constituendi habebat potestatem; si quidem dioecesin suam nimis amplam, & loca nimium a sede sua distare aut conuersorum multitudinem augescere, adeoque curas & occupationes grauius sibi, quam vt sustinere posset, onus euadere intelligeret. Hæc ratio erat, cur *Augustinus* [k] in dioeceseos suæ oppido *Fussala* millibus circiter quadraginta ab *Hippone* seiuncto, nouum Episcopatum erigeret. Locus erat, vbi ingens hominum multitudo e schismate *Donatistarum* ad Ecclesiam Catholicam reducti, & quidam adhuc reducendi erant: Cum autem locus nimio itineris interuallo distaret, necessariam curam ac diligentiam in istis quidem regendis, his autem denuo lucrandis adhibere non poterat: adeoque ab Primate *Numidiæ* impetrabat, vt eo deueniret & *Antonium* quemdam Episcopum

(*k*) Aug. Ep. CCLXI. ad Cælestin. Quod ab Hippone memoratum castellum millibus quadraginta seiungitur, cum in eis regendis & eorum reliquiis licet exiguis colligendis -- - me viderem latius quam oportebat extendi, nec adhibendæ sufficerem diligentiæ, quam certissima ratione adhiberi debere cernebam, Episcopum ibi ordinandum constituendumque curaui.

ibi

ibi ordinaret. Et hoc ecclesiæ *Africanæ* legibus respondebat, quæ nouos Episcopatus in diœcesi quadam, in qua necessarium esse credebatur, erigi [*l*] permittebant, si quidem ipsius diœceseos Episcopus & Primas consentirent; siue, VT FERRANDVS [*m*] in Collectione sua animaduertit, si Episcopus, Primas & Concilium prouinciale communi consensu atque auctoritate id concederent. Quorum canonum virtute, durante *Donatistarum* schismate, multi noui Episcopatus in vilibus oppidis *Africæ* erecti fuere; quemadmodum ex Actis Collationis *Carthaginensis* videre est; vbi Catholici & *Donatistæ* hanc praxin sibi mutuo exprobrant; quod videlicet Episcopatum quandoque in tres quatuorue dispescant, Episcoposque in pagis & villis ad augendum partis suæ numerum constituant. Ita *Petilianum Donatistam* [*n*] alicubi inuenimus querentem, quod Catholici in *Ianuarii*, Episcopi a partibus *Donati* stantis, diœcesi quatuor numerum augendi gratia constituerint Episcopos. Et alibi *Alipius* Catholicus in commentarios [*o*] referri iubet bene multos *Donatistarum* Episcopos ibi memoratos, non in ciuitatibus, sed tantum in villis vel agris ordinatos esse. Ad quod respondet *Petilianus*, [*p*] quod idem Catholici faciant, ordinantes Episcopos in agris & interdum in iis locis, vbi non habeant populum: quo ipso id vult dicere, omnem populum in istis locis ad *Donatistarum* castra transiisse. Et ex hac vera ratione Episcopi Catholici sui

(*l*) Conc. Carth. II. c V. (Tom. II. p. 1160.) Si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desiderauit *proprium* habere *rectorem*, *eius* videlicet *voluntate*, *in cuius potestate est diœcesis* constituta, *habeat Episcopum*.
It. Conc. Carth. III. c XLII. (Tom. II. p 1173.) Multis in Concilio hoc statutum est a cœtu sacerdotali, vt plebes, quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, quæ episcopum numquam habuerunt, non nisi *cum voluntate eius episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores*, hoc est *episcopos*.

(*m*) Ferrand. Breuiar. Canon. c. XIII. Vt *Episcopus non ordinetur in diœcesi, quæ Episcopum numquam habuit, nisi cum voluntate Episcopi, ad quem ipsa diœcesis pertinet*, ex Concilio tamen plenario & Primatis auctoritate.

(*n*) Collat. Carthag. I. c. CXVII. (Tom. II. Conc. 1377.) Petilianus Episcopus dixit, in vna plebe Ianuarii collegæ nostri præsentis, *in vna diœcesi quatuor sunt constituti contra ipsum*; vt numerus scilicet augeretur.

(*o*) Ibid. c. CLXXXI. Alypius dixit, scriptum sit, istos omnes in villis vel in fundis esse episcopos ordinatos, *non in aliquibus ciuitatibus*.

(*p*) Ibid. c. CLXXXII. Petilianus Episcopus dixit: Sic etiam tu multos habes per omnes agros dispersos: Immo crebros vbi habes, sane & sine populis habes.

muneris

muneris esse credebant, vt dioecesibus suis diuisis nouos Episcopos in exiguis oppidis constituerent, quo *Donatistas* & numero & zelo anteire, & de errante populo in priscam Ecclesiæ Catholicæ communionem reducendo maiori cum effectu laborare possent. Hæc erat praxis Ecclesiæ *Africanæ*, & hæc eius ratio, cur tot paruos Episcopatus hoc angustiarum tempore erigerent: In salutem & ædificationem Ecclesiæ oculi semper erant intenti.

GREGORIVS NAZIANZENVS pietatem & prudentiam BASILII, quam in simili casu testatam fecit, magnopere prædicat. Accidit nimirum ipsius ætate, vt *Cappadocia* in duas dispesceretur prouincias, *Tyana* ciuili respectu secundæ prouinciæ metropoli constituta: Hoc *Anthimo* Episcopo *Tyanæ* occasionem vendicandi sibi ius metropolitani in Ecclesia dabat; cui rei *Basilius* se opponebat, quippe quæ suæ ipsius Ecclesiæ *Cæsareensi*, quæ secundum Canones & ex præscriptione totius prouinciæ metropolis esse debebat, derogaret. Sed *Anthimo* vere contentiosum agente aduersarium, magnamque concitante turbam & tumultum, *Basilius* ad pacem Ecclesiæ cum sui ipsius iuris iactura redimendam promtus erat, iurisdictione sua in istam *Cappadociæ* partem, quam *Anthimus* sibi vendicabat, relicta: & iacturam suam quodammodo compensaturus nouos aliquot in prouincia sua Episcopatus, exempli caussa *Sasimæ* & in aliis quibusdam eiusmodi obscuris istius regionis locis erigebat. Quod institutum etsi litteræ cuiusdam Canonis repugnabat, NAZIANZENVS tamen ob tres potissimum rationes laudibus illud extollit. Primum quidem, quod hoc modo maior animarum cura [q] fuerit suscepta. Deinde quælibet ciuitas prouentus suos habuerit. Denique bellum inter duos Metropolitanos compressum & exstinctum sit. *Hoc*, inquit ille, ***remedium erat huius mali magnum & admirandum & illius anima dignum. Etenim dissidium hoc in Ecclesiæ commodum & incrementum conuertit, atque hanc calamitatem quam pulcher-***

(q) Gregor. Nazianz. Orat. XX, de laud. Basil. Tom. I, p. 356. Σκοπῶμεν, ὡς μεγάλην καὶ θαυμασίαν (τοῦ κακοῦ λύσιν) καὶ τί γὰρ ἢ τῆς ἐκείνου ψυχῆς ἀξίαν· προσθήκην γὰρ τῆς ἐκκλησίας ποιεῖται τὴν στάσιν, καὶ τὴν συμφορὰν, ὡς κάλλιστα διατίθεται, πλείοσιν ἐπισκόποις τὴν πατρίδα καταπυκνώσας· ἐξ οὗ τί γίνεται, τρία τὰ κάλλιστα· ψυχῶν ἐπιμέλεια πλείων, καὶ τὸ πόλιν ἑκάστην τὸ ἑαυτῆς ἔχειν, καὶ τὸ λυθῆναι ταύτῃ τὸν πόλεμον.

rime constituit, patria nimirum pluribus Episcopis communita. Vnde colligere pronum est, ex NAZIANZENI sententia pro Ecclesiæ commodo habendum esse, si pluribus ea Episcopis frequentetur; neque in eius ignominiam cedere, si, necessitate ita ferente, in vilibus etiam oppidis Episcopi constituantur.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM TERTIVM
DE LEGE, QVAE DVOS EPISCOPOS IN VNA CIVITATE ORDINARI VETAT.

§. I.

Lex & praxis vniuersalis Ecclesiæ, vnum tantum in ciuitate aliqua habere Episcopum.

ALia lex vniuersaliter obseruata in Ecclesia erat, quod in ciuitate aliqua vnus tantum debebat esse Episcopus, etiamsi ad admittendos complures Presbyteros satis ampla esset. Tempore *Cornelii* in Ecclesia *Romana* quadraginta sex Presbyteri [*r*], Diaconi septem, totidem Hypodiaconi, & nonaginta quatuor inferiorum Ordinum Clerici erant: & vniuersus populus secundum quorumdam computationem [*s*] quinque circiter hominum millia, secundum aliorum [*t*] autem calculum multo maiorem numerum dicitur effecisse; sed tamen vnus tantummodo eorum omnium erat Episcopus. Vt adeo *Nouatianus* contra *Cornelium* Episcopus *Romæ* ordinatus ab omnibus & singulis tamquam legis Ecclesiæ Catholicæ violator damnatus sit. CYPRIANVS [*u*] hac occasione id velut placitum aliquod Ecclesiæ inculcat, quod *vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus*

(*r*) Cornel. Ep. ad Fabium ap. Euseb. lib. VI. c. XLIII. Ὁ ἐκδικητὴς τοῦ εὐαγγελίου οὐκ ἠπίςατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ· ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει· πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ· διακόνους ἑπτά· ὑποδιακόνους ἑπτά. ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα· ἐξορκιςὰς δὲ καὶ ἀναγνώςας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα.

(*s*) Burnets *Letter* 4. p. 107.

(*t*) Basnag. Exerc. ad Annal. Baron. an. XLIV. p. 532. †

(*u*) Cyprian. Ep. LV. al. LIX. ad Corn. p. 129. (p. 79. lin. vlt. edit. Par. MDCLXVI.)

Iudex

Iudex Vice Christi esse debeat. Hinc alio loco [w] *Nouatianum* negat esse Episcopum; *Cum post primum*, inquit, *secundus esse non possit, quisquis post vnum*, (Cornelium) *qui solus esse debeat, factus est*, (Nouatianus) *non iam secundus ille, sed nullus est.* Immo adulterum & extraneum eum vocat, quando dicit; *Nisi si Episcopus tibi videtur, qui Episcopo in Ecclesia a sedecim Coëpiscopis facto, adulter* [x] *atque extraneus, Episcopus fieri a desertoribus per ambitum nititur.* Idem ipsi non a CYPRIANO [y] solum, sed a toto simul Concilio *Africano* exprobratum fuit; vti CYPRIANVS in epistola quadam commemorat, *cum ad nos*, inquiens, *in Africam legatum misisset optans* (more nouis Episcopis post ordinationem consueto) *ad communicationem nostram admitti, hinc a concilio plurimorum sacerdotum, qui praesentes eramus, sententiam retulit, se foris esse coepisse, nec posse a quoquam nostri sibi communicari, qui Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia de Dei iudicio & cleri ac plebis suffragio ordinato profanum altare erigere & adulteram cathedram collocare, & sacrilega contra verum sacerdotium sacrificia offerre tentauerit.* Erant quidem non nulli *Romae* Confessores, qui primum cum *Nouatiano* faciebant: CYPRIANVS [z] autem scripta ad eos epistola facti vitiositatem verbis blandis ostendebat, & vt ad Ecclesiam matrem & fraternitatem reuerterentur, quibus poterat hortamentis, petebat atque rogabat: Quae admonitio quosdam ex eorum principibus tam efficaciter percellebat, vt non diu post ad *Cornelium* reuerterentur, erro-

(w) Cyprian. Ep. LII. al. LV. ad Antonian. p. 104. (p. 68. edit. Par.)

(x) Ibid. p. 112. (p. 73. edit. Par.)

(y) Cyprian. Ep. LXVII. al. LXVIII. ad Stephan. p. 177. (p. 111. edit. Paris.)

(z) Cypr. Ep. XLIV. al. XLVI ad Nicostrat. & Maxim. (p. 58. edit. Paris.) Grauat me atque contristat & intolerabilis perculsi & pene prostrati pectoris moestitia perstringit; cum vos illic comperissem contra ecclesiasticam dispositionem, contra euangelicam legem, contra institutionis Catholicae vnitatem alium episcopum fieri consensisse, id est, quod nec fas est, nec licet fieri, Ecclesiam aliam constitui, Christi membra discerpi, Dominici gregis animum & corpus vnum discissa aemulatione lacerari. Quod quaeso vt in vobis saltem illicitum istud fraternitatis nostrae dissidium non perseueret, sed & confessionis vestrae & diuinae traditionis memores ad matrem reuertamini, vnde prodiistis, vnde ad confessionis gloriam cum eiusdem matris exsultatione venistis. Nec putetis, sic vos euangelium Christi adserere, dum vosmet ipsos a Christi grege & ab eius pace & concordia separatis &c.

rem ſuum his verbis publice confitentes: [a] *Nos Cornelium Epiſcopum ſanctiſsimæ Catholicæ Eccleſiæ electum a Deo omnipotente & CHRISTO Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur. Circumuenti ſumus perfidia loquacitate fallaciosa amentes. Videbamur quaſi quamdam communicationem cum ſchiſmatico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit, nec ignoramus, vnum Deum eſſe, & vnum CHRISTVM eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum Sanctum, VNVM EPISCOPVM in Catholica Eccleſia eſſe debere.* PAMELIVS [b] & alii, qui hoc magiſterii Epiſcopi *Romani* confeſſionem interpretantur, aut craſſam ignorantiam, aut magnum partis ſuæ ſtudium produnt: quamquam enim hæc de Epiſcopo quodam *Romano* dicuntur, non tamen ad eum ſolum, ſed ad omnium Eccleſiarum Epiſcopos ſpectant. IGNATIVS & poſt eum Scriptores omnes, qui de Epiſcopis loquuntur, vnum ſemper in quaque Eccleſia Epiſcopum fuiſſe dicunt: & licet ORIGENES [c] duo in vnaquaque Eccleſia Epiſcopos eſſe videatur dicere, attamen vbi ſuam ipſius mentem explicat, idem omnino cum reliquis ſentire deprehenditur. Dicit enim, alium eſſe viſibilem, alium inuiſibilem; alium angelum, alium eſſe hominem. Ita vt eius teſtimonium (quamlibet ab aliorum ſententia quodammodo diſcrepare videatur) hanc Eccleſiæ conſuetudinem confirmet.

Sequentium temporum Scriptores eiuſdem rei tam crebram faciunt mentionem, vt eorum omnium teſtimonia [d] adferre tam

(a) Cornel Ep. XLVI. al. XLIX. ad Cyprian. (apud Cyprian. p. 60. edit. Par. 1666.)

(b) Pamel. in Loc.

(c) Origen Hom. XIII. in Luc. Per ſingulas Eccleſias bini ſunt Epiſcopi, alius Viſibilis alius Inuiſibilis - - Ego puto inueniri ſimul poſſe & Angelum & Hominem bonos (leg. binos) Eccleſiæ Epiſcopos.

(d) vid. Chryſoſtom Ep CXXV. ad Cyriac. ὁ προβατόσχημος ἐκεῖνος λύκος, ὁ σχῆμα μὲν ἔχων ἐπισκόπου, μοιχὸς δὲ ὑπάρχων· ὡς γὰρ ἡ γυνὴ μοιχαλὶς χρηματίσει, ἡ ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς ἑτέρῳ συναφθεῖσα· οὕτω καὶ αὐτὸς μοιχός ἐστιν· οὐ σαρκὸς ἀλλὰ πνεύματος· ζῶντος γὰρ ἐμοῦ ἥρπασέ μου τὸν θρόνον τῆς ἐκκλησίας. Lupus ille (Arſacius) ouis ſpeciem præ ſe ferens, tametſi Epiſcopi laruam gerat, adulter tamen eſt, Vt enim mulier adultera vocatur, quæ viuente viro alteri nubit: eodem modo hic quoque adulter eſt, non carnis ſed ſpiritus. *Me enim viuente Eccleſiæ thronum inuaſit.*

Homil. I in Philipp Tom. VI. p. 8. Συνεπισκόποις καὶ διακόνοις. τί τοῦτο; μιᾶς πόλεως πολλοὶ ἐπίσκοποι ἦσαν· οὐδαμῶς. *Coepiſcopis & diaconis.* Quid hoc? *an vnius ciuitatis multi erant epiſcopi? nequaquam.*

faſti-

fastidiosum quam inutile futurum sit. Itaque hæc duo tantummodo addo: Primum quidem, quod Concilium *Nicænum* [*e*] hanc antiquam legem repetat ac confirmet. Canone enim octauo, qui de Episcopis *Nouatianis* ad Ecclesiam reuertentibus agit, dicitur: *Qui a Catharis vocatur Episcopus, Presbyteri honorem habebit: nisi forte placuerit Episcopo, nominis honorem illi im-*

Hieron. Ep. IV. ad Nepotian. (Tom. I p. 30. b. Edit. Francof.) *Singuli Ecclesiarum episcopi*, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui *vnus gubernator*; in domo *vnus Dominus*.

Idem Ep. LXXXV. ad Euagrium. Ne quis *contentiose in vna ecclesia plures episcopos fuisse contendat*. - - Nam & Alexandriæ a Marco Euangelista vsque ad Heraclam Presbyteri semper *vnum* ex se electum, in excelsiori gradu collocatum *Episcopum* nominabant.

Pseud. Hieron. 1 Tim. III. Cum *vna ciuitas plures episcopos* habere non posset.

Hilar. Diac. Comm. in Phil. I, 1. Si episcopis scriberet & diaconibus ad personas eorum scriberet, & loci ipsius *episcopo* scribendum erat, non *duobus vel tribus*.

Id. in 1 Cor XII, 28. Quia ab *vno Deo* Patre sunt omnia, *singulos episcopos singulis ecclesiis* præesse decreuit. In 1 Tim. III, 12. Nunc septem diaconos esse oportet & aliquantos presbyteros, vt bini sint per ecclesias, & *vnus in ciuitate Episcopus*.

Pacian. Epist. III. ad Sempron. (Tom. III. Biblioth. SS. Patrum p. 420.) Ille (Nouatus) sedente iam Romæ episcopo aduersum fas *sacerdotii singularis alterius episcopi* nomen adsumit.

Socrat. lib. VI c XXII Ἰωάννȣ δὲ ποτὲ τȣ̃ ἐπισκόπȣ ἐγκαλȣ̃ντος αὐτῷ, καὶ λέγοντος, ὅτι ȣ̓ δύναται ἡ πόλις δύο ἐπισκόπȣς ἔχειν, ὁ Σισίννιος ἔφη, ȣ̓δὲ γὰρ ἔχει. Cum aliquando a Ioanne Episcopo reprehenderetur, Ioannesque diceret, *ciuitatem non posse duos Episcopos habere*: respondit Sisinnius: Nec profecto habet.

Sozom. lib IV. c. XV. Ὀλίγον δὲ χρόνον Φίληκος ἐπιβιώσαντος, μόνος Λιβέριος τῆς ἐκκλησίας προΐστατο· ταύτῃ πῃ τȣ̃ Θεȣ̃ διοικήσαντος, ὥστε τὸν Πέτρȣ θρόνον μὴ ἀδοξεῖν, ὑπὸ δύο ἡγεμόσιν ἰθυνόμενον, ὃ διχονίας σύμβολόν ἐστι καὶ ἐκκλησιαστικȣ̃ θεσμȣ̃ ἀλλότριον. Post hæc vero cum Felix modico tempore superuixisset, *Liberius solus ecclesiam administrauit*. Quod quidem diuina prouidentia ita dispensauit, ne sedes Petri dehonestaretur, *a duobus præsulibus simul gubernata: quod* discordiæ signum & *ab ecclesiasticis legibus alienum est*.

Theodoret lib. III, c. IV. Καὶ γὰρ ἐν Ἀντιοχείᾳ διχῇ τὸ ὑγιαῖνον σῶμα τῆς ἐκκλησίας διῄρητο κ. τ. λ. Etenim Antiochiæ sanum ecclesiæ corpus *duas in partes* diuisum erat &c.

(*e*) Concil. Nicæn. Can. VIII. Ὁ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς Καθαροῖς ἐπίσκοπος τὴν τȣ̃ πρεσβυτέρȣ τιμὴν ἕξει· πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τȣ̃ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν· εἰ δὲ μὴ τȣ̃το αὐτῷ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκοπȣ̃ ἢ πρεσβυτέρȣ ὑπὲρ τȣ̃ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν.

pertire. Sin minus hoc ei placuerit, prouidebit illi locum vel Chorepiscopi, vel Presbyteri, vt omnino ille in Clero esse videatur, & in vna vrbe non simul duo Episcopi. Secundo, quod populus reuera vniuerse eam fouerit opinionem, simpliciter id legibus repugnare, si duo Episcopi in vna sede simul sedeant: adeo vt, cum *Constantius* Imperator, memorante THEODORETO [*f*], populo *Romano* significaret, velle se *Liberium* & *Felicem* sedis Episcopalis esse socios, & vtrumque communi opera ecclesiam gubernare, vnanimiter hanc conditionem repudiarent, vna voce omnes pariter exclamantes: *Vnus Deus, Vnus Christus, Vnus Episcopus.*

§. II.

Interdum tamen duo Episcopi, controuersiam aliquam dirimendi, aut inueteratum schisma tollendi caussa, fuerunt admissi.

Notandum tamen est, quod, quemadmodum primarius finis & intentio huius legis erat, vt schisma anteuerteretur, & pax ac concordia conseruaretur in Ecclesia: ita e contrario, quum manifeste pateret, duorum Episcoporum in vna ciuitate permissionem in certis quibusdam rerum circumstantiis, ac difficiliore temporis ratione, vnicam diuturnum aliquod & inueteratum schisma finiendi viam esse, fuerint non nulli Episcopi Catholici, qui socio in thronum suum libenter admisso potestatem, dignitatemque Episcopalem cum eo partirentur. Istiusmodi conditionem *Meletius*, Episcopus *Antiochenus*, *Paulino* aduersario suo offerebat, qui etsi eamdem fidem profitebatur, tamen Ecclesiam ab ipso separatam habebat. Oblatam istam conditionem verbis [*g*] THEODORETI enarrabo: *Meletius*, inquit

(*f*) Theod. lib. II. c. XIV. Εἷς Θεὸς, εἷς Χριστὸς, εἷς ἐπίσκοπος.

(*g*) Theodoret. lib. V. c. III. Μελέτιος ὁ πάντων ἀνθρώπων πρᾳότατος, φιλοφρόνως ἅμα καὶ ἠπίως ἔφη πρὸς τὸν Παυλῖνον ἐπειδὴ καὶ ἐμοὶ τῶν δὲ τῶν προβάτων τὴν ἐπιμέλειαν ὁ τῶν προβάτων ἐνεχείρισε κύριος, καὶ σὺ τῶν ἄλλων ἀναδέδεξαι τὴν φροντίδα, κοινωνεῖ δὲ ἀλλήλοις τῆς εὐσεβείας τὰ θρέμματα συνάψωμεν, ὦ φιλότης, τὰ ποίμνια, καὶ τὴν περὶ τῆς ἡγεμονίας καταλύσωμεν διαμάχην· κοινῇ δὲ τὰ πρόβατα νέμοντες, κοινὴν αὐτοῖς προσενέγκωμεν θεραπείαν· εἰ δὲ ὁ μέσος θῶκος τὴν ἔριν γεννᾷ, ἐγὼ καὶ ταύτην ἐξελάσαι πειράσομαι· ἐν γὰρ τούτῳ τὸ θεῖον προτεθεικὼς εὐαγγέλιον, ἑκατέρωθεν ἡμᾶς καθῆσθαι παρεγγυῶ· καὶ εἰ μὲν πρῶτος ἐγὼ δεξαίμην τοῦ βίου τὸ πέρας, μόνος σχῆς, ὦ φίλος, τὴν τῆς ποίμνης ἡγεμονίαν· εἰ δὲ σὺ πρότερον τοῦτο πάθοις, ἐγὼ πάλιν εἰς δύναμιν τῶν προβάτων ἐπιμελήσομαι· ταῦτα ἠπίως μὲν ἅμα καὶ φιλοφρόνως θεῖος εἶπε Μολέτιος· ὁ δὲ Παυλῖνος οὐκ ἔστερξεν.

ille

ille, *mortalium omnium mitissimus, amanter & benigne compellens Paulinum, Quoniam, inquit, & mihi ouium istarum curam Dominus commisit, & tu alias oues curandas suscepisti, ouesque inter se consentiunt, greges nostros, amice, coniungamus & contentionem de praefectura dirimamus, ouesque in commune pascentes, communem illis curam impendamus. Quod si de media sede est controuersia, ego hanc etiam conabor remouere. Ponatur enim in ea, quaeso, sacrum Euangelium, & ex vtraque parte nos sedeamus: & si quidem prior ego e vita excessero, tu solus, amice, gregem reges: sin autem tibi prius id contigerit, ego rursus ouium pro viribus curam geram. Quae quum benigne amanterque*, ait auctor noster, *a diuino Meletio proferrentur, Paulinus tamen non acquieuit.*

Adhuc aliam huiuscemodi conditionem Episcopis *Donatistis* ab omnibus Episcopis Catholicis *Africanis*, sub initium peruagatae illius Collationis *Carthaginensis* propositam legimus. Offerebant illis candide, antequam inchoaretur illa Collatio, si pro debita conuictione ad vnitatem & communionem Ecclesiae redirent, fore, vt Episcopalem suum honorem [*b*] ac dignitatem porro retineant: & si per statum & conditionem, in qua tum esset Ecclesia, fieri non posset, quin ad tempus duo in eadem ciuitate episcopi admitterentur, porro proponebatur, quemlibet Episcopum Catholicum ex ipsis sibi socium adsciscere, cum eoque honorem partiri debere; permittendo ipsi secum in eadem sedere cathedra, quemadmodum Episcopi Coëpiscopos suos, qui extranei essent, tractare solerent; atque ita illi Ecclesiam de suis tradendo, in qua eamdem erga ipsum humanitatem adhibere posset: vt ita alter alteri mutuo honore praeiret, & suo quisque ordine in Ecclesia eminentius sederet eo vsque, dum alteruter moreretur: & tum ius successionis

(*b*) Coliat. Carthag. I. die C. XVI. Sic nobiscum teneant vnitatem, vt non solum viam salutis inueniant, sed nec honorem Episcopatus amittant. – – Poterit quippe vnusquisque nostrum, honoris sibi socio copulato, vicissim sedere eminentius, sicut peregrino Episcopo iuxta considente collega. Hoc cum alternis Basilicis vtrisque conceditur, vterque ab alterutro honore mutuo praeuenitur: Quia vbi praeceptio caritatis dilatauerit corda, possessio pacis non fit angusta, vt vno eorum defuncto deinceps iam singulis singuli, pristino more succedant.

more

more antea vſitato penes vnum tantum Epiſcopum ſemper eſſet. *Nec hoc*, inquiebant [*i*], *nouum aliquid fiet : Nam hoc ab ipſius ſeparationis exordio in eis, qui damnato nefariæ diſceſſionis errore, vnitatis dulcedinem vel ſero ſapuerunt, catholica dilectio custodiuit.* Vnde manifeſtum eſt, hanc conſuetudinem vltra integrum ſæculum in *Africa* obtinuiſſe: Et præſentes Epiſcopi *Donatiſtis* hac illis facta conceſſione proponebant, vt hac in re anteceſſorum ſuorum exemplum ſequerentur, quo ſic Eccleſiæ diuiſio prorſus tolleretur. Addunt autem: *Si forte Chriſtiani populi ſingulis delectantur Epiſcopis & duorum conſortium, inuſitata rerum facie, tolerare non poſſunt : vtrique de medio ſecedamus; & Eccleſiis ſingulis, damnata ſchiſmatis cauſſa, in vnitate pacifica conſtitutis, ab his, qui ſinguli in Eccleſiis ſingulis inuenientur, vnitati factæ per loca neceſſaria ſinguli conſtituantur Epiſcopi.* Vt adeo declararint, tum quæ vſitata & ordinaria Eccleſiæ regula fuerit, nimirum vnum tantum in ciuitate aliqua habere Epiſcopum, tum quam promte recedendum fuerit, vt in iſthoc extraordinario rerum ſtatu pax & concordia Eccleſiæ reſtitueretur. Hunc locum paullo fuſius recitare placuit, non tantum, quod ea omnia, quæ in hoc capite adſerui, pleniſſime demonſtrat, verum etiam quod tam generoſi & ſemetipſum abnegantis zeli & caritatis exemplum nobis præbet, cui vix in vllis hiſtoriarum monumentis ſimile inuenias, quodque ſane admirabilem horum ſanctorum Epiſcoporum, quos inter AVGVSTINVS facile erat princeps, ſpiritum & indolem nobis commonſtrat.

§. III.

Doctorum virorum opiniones de duobus in vna ciuitate Epiſcopis æuo Apoſtolico, Iudæorum *quidem altero, altero* Gentilium.

Viri quidem docti [*a*] porro exiſtimant, hanc legem de vno tantum Epiſcopo in ciuitate aliqua ad Apoſtolorum ætatem referri non poſſe: putant enim, antequam *Iudæi* & *Gentiles* in vnam Eccleſiam perfecte coaluerint, in multis vrbibus duos

(*i*) Collat. Carthagin. ibid.

(*a*) Pearſon. Vind. Ignat. Par. II. c. XIII. p. 414. (p. 186. edit. Cantabrig. 1672.) Duas in quibusdam ciuitatibus temporibus Apoſtolorum Eccleſias, duos Epiſcopos fuiſſe, donec gentiles cum Iudæis in vnum corpus coaleſcerent, probabiliſſimum ex ipſis ſcriptis Apoſtolicis facit Hammondus noſter &c.

fuiſſe

fuisse Episcopos, alterum *Iudaeorum*, *Gentilium* alterum. Hanc consuetudinem *Antiochiae* fuisse censent, vbi *Euodius* & *Ignatius* episcopi ab Apostolis ordinati esse dicuntur; quemadmodum etiam *Linus* & *Clemens Romae*, & alter quidem a *Petro Iudaeorum* Episcopus, alter autem a *Paulo Gentilium* Episcopus ordinatus sit. EPIPHANIVS hanc fouisse sententiam videtur: *Petrum* enim & *Paulum* primos *Romae* Episcopos fuisse dicit [*b*]; & dubitat, annon duo alios Episcopos consecrauerint, qui ipsorum locum, ipsis quidem absentibus, explerent. Alio loco [*c*] dicit, *Alexandriam* numquam vt alia oppida duos habuisse Episcopos. *Quae obseruatio*, inquit PEARSONIVS [*cc*], *ad Apostolica etiam tempora extendi sine dubio debet; quod Marcus, cum solus ibi (Alexandriae) praedicauerit, vnicum Episcopum successorem reliquit, in aliis autem ciuitatibus aliquando duo Apostoli Ecclesias congregabant, & loco suo quisque Episcopum reliquit.* Sed hoc aliis viris eruditis [*d*] non facit satis, quorum diuersa est opinio, dum existimant, quod, licet Apostoli occasionem habuerint in quibusdam ciuitatibus duos ordinandi Episcopos, hoc tamen non respectu diuersarum Ecclesiarum, *Iudaeorum* videlicet & *Gentilium*, sed ex vsitata successionis lege factum sit: quemadmodum *Ignatius* post obitum *Euodii Antiochiae*, & *Clemens* mortuo *Lino Romae* ordinati fuerint. Decernere mihi non sumserim, ab vtra parte in tam delicata disputatione [*e*] stet veritas, sed lectoris iudicio id ipsum relinquens hoc tantum dico, quod si prior opinio praeualeat, aliam rursus a communi regula, vnum tan-

(*b*) Epiph. Haeres. XXVII. Carpocrat n. VI. *Ἐν Ῥώμῃ γεγόνασι πρῶτοι Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ Ἀπόστολοι αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι.* Romae primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter & Episcopi fuerunt.

(*c*) Epiph. Haeres. LXVIII. Melet. n. VI. *Οὐ γάρ ποτε ἡ Ἀλεξάνδρεια δύο ἐπισκόπους ἔσχεν, ὡς αἱ ἄλλαι πόλεις.*

(*cc*) Pearson. Vit. Ign. Pat. II. c. XIII.

(*d*) Coteler. Not. in Constit. Apost. lib. VII. c. XLVI. (p. 383. a.) Ex Apostolici Constitutoris verbis concludunt viri docti, Euodium & Ignatium simul fuisse Antiochiae Episcopos, Illum gentibus datum, hunc Iudaeis - - Subtiliter profecto & ingeniose haec, ac si vis etiam verisimiliter: mihi tamen res non persuadetur facile. Quia quod volunt, non dicit aperte constitutio: immo magis videtur exponenda per communem successionis morem. &c.

(*e*) Pearsonius opinionem suam mutauit vid. eius Differt. II. de Success. Rom. Pontif. c. III.

tum in aliquo oppido Episcopum admittente, secessionem comprobet; aut potius ostendat, quæ Ecclesiæ praxis ante hanc legem datam fuerit.

§. IV.

Quo casu Coadiutores constituti sint.

His tertiam exceptionem in casu multo planiore, ad Coadiutorum videlicet constitutionem attinente, addere licuerit. Hi erant Episcopi ideo ordinati, vt aliis quibusdam Episcopis infirmioribus vel senectute confectis opitularentur, illisque, quoad viuerent, suberant, mortuis vero succedebant. Ita cum *Narcissus* Episcopus *Hierosolymitanus* propter longius productum senium (annos enim natus erat centum & viginti) muneris Episcopalis oneri non amplius esset ferundo, *Alexander* ei Coadiutor constituebatur. EVSEBIVS [*f*] pariter & HIERONYMVS id ex reuelatione factum dicunt; sed vero non est eorum sententia, quod *Narcisso* reuelatione opus fuerit, quæ auctoritatem ipsi conciliauerit cooptandi sibi Coadiutorem, sed quæ tantummodo hunc præcipue virum commonstrauerit: *Alexander* enim peregrinus erat, & in alia prouincia iam tum Episcopus, vt adeo huic officio accommodus iudicari sine reuelatione non posset. Vbi autem accommodus esse declaratus semel fuerat, nullum amplius erat hac in re dubium, sed vnanimi omnium Episcoporum in *Palæstina* suffragio [*g*] eligebatur, vt communem cum *Narcisso* Ecclesiæ curam & gubernationem in se reciperet. VALESIVS [*h*] hoc primum alicuius Coadiutoris exemplum

(*f*) Euseb. lib. VI. c. XI. Καὶ δὴ μηκέθ' οἵῳτε ὄντος λειτουργεῖν διὰ λιπαρὸν γῆρας, τὸν εἰρημένον Ἀλέξανδρον, ἐπίσκοπον ἑτέρας ὑπάρχοντα παροικίας, οἰκονομία Θεοῦ ἐπὶ τὴν ἅμα τῷ Ναρκίσσῳ λειτουργεῖν ἐκάλει, κατὰ ἀποκάλυψιν νύκτωρ αὐτῷ δι' ὁράματος φανεῖσαν. Verum cum propter extremam senectutem ministerium suum obire amplius non posset, supra dictum Alexandrum alterius ecclesiæ Episcopum *diuina dispensatione per reuelationem* quamdam, quæ illi in somnis apparuerat, *ad participandum cum Narcisso sacerdotis officium* euocauit.

(*g*) Hieronym. de Scriptor Eccles. in Alexandro. Cunctis in Palæstina Episcopis in vnum congregatis, adnitente quoque ipso vel maxime Narcisso, Hierosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit.

(*h*) Vales. Not. in Euseb. lib. VI. c. XI. In hac Alexandri electione duo contra Ecclesiasticam regulam admissa sunt. Primum quod ab vno Episcopatu Alexander ad alium translatus est. Alterum, quod superstiti Episcopo adiutor & coëpiscopus est adiunctus. Atque *hoc primum exemplum occurrit coadiutorum Episcoporum.*

plum

plum esse iudicat, quod in antiqua Ecclesiæ historia occurrat; sed in sequentibus sæculis plura exempla obuia sunt. *Theotecnus* Episcopus *Cæsareensis* sibi *Anatolium* Coadiutorem adsciuit, designauitque successorem, ita vt [*i*] communi ambo cura eamdem ecclesiam ad tempus regerent. *Maximus* [*k*], simul cum *Macario*, Episcopus *Hierosolymitanus* fuisse dicitur SOZOMENO. *Orion* Episcopus *Palæbiscensis*, pergrandis vir natu, *Siderium* sibi coadiutorem & successorem, teste SYNESIO [*l*], ordinauit. Ita THEODORETVS [*m*], *Ioannem* Episcopum *Apameæ*, *Stephanum* quemdam collegam habuisse, auctor nobis est. Et AMBROSIVS[*n*] *Senecionis* cuiusdam meminit, qui *Basso* coadiutor datus fuerit. Eodem modo *Gregorius Nazianzenus* simul cum parente suo sene *Nazianzi* erat Episcopus. BARONIVS [*o*] quidem ipsum

(*i*) Euseb. lib. VII. c. XXXII. Τούτῳ πρῶτος ὁ τῆς Παλαιστινῶν Καισαρείας ἐπίσκοπος Θεότεκνος χεῖρας εἰς ἐπισκοπὴν ἐπιτέθεικε, διάδοχον ἑαυτοῦ μετὰ τελευτὴν προεισθαι τῇ ἰδίᾳ παροικίᾳ προνοούμενος· καὶ δὴ ἐπὶ σμικρόν τινα χρόνον ἄμφω τῆς αὐτῆς προὐστήτην ἐκκλησίας. Huic (Anatolio) Theotecnus Cæsareæ Palestinæ episcopus primus manus imposuit, eumque episcopum ordinauit: successorem illum ecclesiæ suæ despondens. *Ambo* certe aliquantisper *eamdem ecclesiam simul gubernarunt.*

(*k*) Sozom. lib. II. c. XX. Ἔδοξεν εὖ ἔχειν, Διοσπολίταις μὲν ἕτερον αἱρεῖσθαι ἐπίσκοπον· Μάξιμον δὲ ἐν Ἱεροσολύμοις μεῖναι καὶ Μακαρίῳ συνιερᾶσθαι. Commodius visum est, vt Dispolitanis quidem alius eligeretur Episcopus: Maximus vero maneret Hierosolymis, & *vna cum Macario Episcopali munere fungeretur.*

(*l*) Synes. Epist LXVII. Καὶ ἐπειδὰν παρέτεινε ζῶν, οὐκ ἀνασχέσθαι περιμεῖναι τοῦ δικαίου τὴν τελευτὴν, ἀλλὰ προβαλέσθαι τὸν μακαρίτην Σιδήριον. Qui (Orion) quum diutius vitam produceret, non fecisse illos, vt iusti hominis exitum præstolarentur; *sed* beatæ memoriæ *Siderium elegisse.*

(*m*) Theod. lib. V. c. IV. Οὗτος ἐν τῷ τῆς ζάλης καιρῷ, τὸν τῶν ὁμοπίστων ἐκυβέρνησε σύλλογον· συνεργὸν δὲ εἶχε τὸν ἀξιέπαινον Στέφανον. Hic (Ioannes) dum tempestas sæuiret, orthodoxorum illic conuentum rexerat, *adiutorem operis habens Stephanum.*

(*n*) Ambros. Ep. LXXIX. ad Theophil. Fratri nostro & Coëpiscopo Basso *in consortium regendæ ecclesiæ* datus est Senecio.

(*o*) Baron. A. CCCLXXI. n. CVI. At illud de Gregorio plane accidit admiratione dignum, quod omnes ipsum Episcopum Nazianzenum adfirment, hæcque opinio apud omnes ferme adeo inualuerit, vt nec ea de re dubitandi saltem locum admiserint. Et quid mirum, si posteri eo errare lapsi sunt, cum hoc ipsum crediderint homines huius temporis, iique præsertim, qui in Concilio Constantinopolitano eidem refragati sunt, dicentes ipsum trium sedium Episcopum esse, nempe Sasimorum, Nazianzi, atque Constantinopolis? Cum igitur id de eo creditum atque scriptum appareat, & eiusmodi caussa eo statu collocata esse videatur, vt contrarium testem admittat neminem, in aliorum quoque sen-

vmquam *Nazianzi* Episcopum fuisse negat, at HIERONYMVS [*p*] & antiqui historici omnes, SOCRATES [*q*], SOZOMENVS [*r*], RVFFINVS [*s*] & THEODORETVS [*t*] exserte id adfirmant; quamquam eorum quidam in hoc errant, quod patris sui successorem eum appellent. Non enim *Nazianzi* Episcopus, sed tantum parentis Coadiutor fuit. Capessebat hoc munus ea quidem lege, vt ad continuandum illud se non obligatum fore diceret longius, quam pater vixerit, vt ipse [*u*] in vita sua & aliis in locis no-

---

tentiam & ego pedibus irem, nisi, (quod instar omnium est, & plus omnibus æstimari debet) ipsemet Gregorius contrarium adfirmaret, &c.

(*p*) Hieron. de Scriptor. Eccles. Gregorius primum Sasimorum, deinde *Nazianzenus Episcopus* &c.

(*q*) Socrat. lib. IV. c. XXVI. p. 242. fin. Γρηγόριος τῆς Ναζιανζοῦ πόλεως· εὐτελοῦς ἐν Καππαδοκίᾳ, ἧς καὶ ὁ αὐτοῦ πατὴρ πρότερον ἐκκλησίας προέστη, κατὰ τὰ αὐτὰ τῷ Βασιλείῳ διεπράττετο. *Gregorius Nazianzi*, vilis Cappadociæ oppidi, cui etiam pater ipsius ante præfuerat, *Episcopus constitutus*, eadem quæ Basilius gessit.

(*r*) Sozom. lib. VI. c. VIII. Γρηγόριος Ναζιανζοῦ πόλεως μικρᾶς ἐπισκοπεῖν μετὰ τὸν αὐτοῦ πατέρα λαχών. *Gregorius Episcopatum Nazianzi* post parentis obitum *sortitus*.

(*s*) Ruffin. lib. II. c. IX.

(*t*) Theodoret. lib. V. c. VIII. Κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν χρόνον ὁ τὴν Ναζιανζοῦ τὰ τελευταῖα ποιμάνας ἐν Κωνσταντινουπόλει διέτριβε. Degebat tunc temporis Constantinopoli is, *qui Nazianzum nouissime rexerat*. (Gregorius).

(*u*) Nazianz. Carm. de vita sua:

Ἐνουθέτησ' ἐμαυτόν, ὡς οὐδὲν βλάβος
Ἕως καθέδρας πατρὸς ἐκπλῆσαι πόθον.
Οὐ γὰρ καθέξει τοῦτ' (ἔφην) ἄκοντά με,
Ὃν οὔτε κήρυγμ', οὔθ' ὑπόσχεσις κρατεῖ.
Οὕτως ἀνήγαγέ με νικήσας φόβος.
Ἐπεὶ δ' ὑπεξῆλθον μὲν οἱ γονεῖς βίου,
Κλῆρον λαχόντες, εἰς ὃν ἔσπευδον πάλαι,
Ἐγὼ δ' ἐλείφθην οὐ καλῶς ἐλεύθερος,
Τῆς μὲν δοθείσης οὐδόλως ἐκκλησίας
Προσηψάμην, οὐδ' ὅσον λατρείαν μίαν
Θεῷ προσενεγκεῖν, ἢ συνεύξασθαι λαῷ
Ἢ χεῖρας θεῖναι κληρικῶν ἑνί γε τῳ.
Sic cogitaui, nil mihi hinc damni fore,
Adusque solium vota si explerem patris.
Nec enim, inquiebam, me reluctantem ista res
Stringet, liget me nulla cum promissio.
Sic me reduxit obtinens palmam timor.
At vt parentes, vltimo functi die

bis

bis narrat; vt adeo post parentis obitum ipse munere omnino se abdicarit, & *Eulalio* in eius locum, ex ipsius quidem deside- rio, surrogato vitam priuatam [w] amplexus sit. Quæ omnia luculenter euincunt, non parentis sui eum fuisse successorem, sed tantum Coadiutorem. Vnum duntaxat exemplum simile adhuc in medium proferam, quod notus ille *Augustini* casus nobis exhibet, qui *Hipponensium* Episcopus, viuo adhuc *Valerio*, ordinatus vna cum ipso [x] ad aliquod tempus, tamquam ipsius Coadiutor, cathedram Episcopalem ornauit; id quod consentientibus Primatibus *Carthaginensi* & *Numidiensi*, quorum hic eum ordinauerat, fecit. POSSIDIVS hac de re ei scrupulum initio subnatum fuisse dicit, quod cum consuetudine Ecclesiæ id pugnare crediderit: sed hoc ipsum tum in *Africana*, tum in transmarinis ecclesiis receptum & vsitatum esse edoctus, post aliquam tergiuersationem tandem se ordinari passus est.

Tenuere sedes expetitas perdiu;
Liber relictus sumque plane incommode,
Datam quidem mihi Sasimensem ecclesiam
Non attigi, sic vt sacrum nec vnicum
Illic obirem, iungerem aut preces meas,
Cum plebe, cuiquam vel manum imponerem.

Id. Orat. VIII. ad Patr. p. 148. *Διὰ τοῦτο νῦν μὲν δέχομαι τῷ καλῷ πατρὶ συνδιαφέρειν τὴν ἐπιμέλειαν, ὥσπερ ἀετῷ μεγάλῳ καὶ ὑψιπέτῃ νεοσσὸς οὐκ ἄχρηστος, ἐγγύθεν συμπεριπτάμενος· μετὰ δὲ τοῦτο, δώσω τῷ πνεύματι τὴν ἐμὴν πτέρυγα, φέρειν ᾗ βούλεται καὶ ὡς βούλεται, καὶ οὐδεὶς ὁ βιασάμενος οὐδὲ ἀπάξων ἑτέρωθι μετὰ τοῦτο βουλευόμενον.* Proinde nunc quidem cum præclaro parente curam hanc suscipere non recuso, velut magnæ aquilæ & altissime volanti pullus non incommodus e propinquo. Postea vero pennam meam spiritui, quo volet, & quoque modo volet, ferendam dabo: nec quisquam erit, qui me cogere, aut aliorsum traducere possit, cum eo consultantem.

(w) Gregor. Nazianz. Ep. XLII. ad Gregor. Nyssen. tot.

(x) Possid. Vit. Aug. c. VIII. Vnde amplius formidans idem venerabilis senex & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis litteris apud primatem Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatem, & obsecrans; vt Hipponensi ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ cathedræ non tam succederet, sed *consacerdos accederet Augustinus*.

Paulin. XLVI ad Roman. (NB. erronea sine dubio allegatio: neque enim in Bibliotheca S. S. Patr. neque in monumentis Orthodoxogr. hæc epistola inter reliquos inueniri potuit.)

August. Ep. XXXIV. Qua ecclesiæ cura tenear, ex hoc vestra caritas oportet attendat, quod beatissimus pater Valerius - - nec presbyterum me esse suum passus est, *nisi maiorem mihi coepiscopatus sarcinam* imponeret.

Hæc exempla luculentiſſime docent, non fuiſſe genuino iſtius canonis ſenſui contrarium, ſi quis ob infirmitatem vel ſenium Coadiutorem ſibi in eccleſia cooptarit: quamquam verum omnino eſt, quod *Auguſtinus* in ea fuerit opinione, ordinationem ſuam non eſſe legitimam, poſteaquam de canone Concilii *Nicani* cognouiſſet: qui ipſi antea notus haud fuerat; & hanc ob cauſſam *Eradium* [y], etſi Eccleſia conſentiente ſucceſſorem ſuum nominarat, ordinare, dum viveret, non volebat. Sed enim vero non omnes tam ſtricto ac rigido ſenſu, quam quidem *Auguſtinus* faciebat, hunc Canonem intelligebant, tamquam duos in vna ciuitate ſimul Epiſcopos quibuscumque in caſibus ſimpliciter prohibentem, ſed tantum deficiente iuſta cauſſa, nec Eccleſiæ conditione neceſſario id requirente: Quod ſi autem idonea ſuppeteret cauſſa, vt plures vno conſtituerentur Epiſcopi, e. g. ſi quis Epiſcopus muneri ſuo rite obeundo non eſſet, aut ſimili in caſu, canon iſte non obligabat, quemadmodum ex exemplis, quæ heic attulimus, & diuerſis aliis, quæ iſtis addi facile poſſent, pateſcit.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM QVARTVM
DE CHOREPISCOPIS, ΠΕΡΙΟΔΕΥΤΑΙΣ ET EPISCOPIS SVFFRAGANEIS: ET QVOMODO HI INTER SE DIFFERANT.

§. I.

De ratione nominis Chorepiſcopi etymologica, & de non neminis circa eam errore.

QVemadmodum Epiſcopi, vbi vel per ætatem, vel infirmitatem corporis officio ſuo fungi non poterant, ipſi ſibi Coadiutores in ciuitate ordinabant: ita etiam, vbi diœceſibus ipſorum e conuerſis gentilibus in pagis & villis ab Eccleſia oppidana longe diſſitis larga facta erat acceſſio, alius generis adminiſtros in agris ſibi adſciſcebant, quos Chorepiſcopos appellabant; qui ita dicebantur, non quod *ex choro Sacerdotum*

(y) Auguſt. Ep. CX. Quod reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo - - Erit Presbyter, vt eſt, quando Deus voluerit, futurus Epiſcopus.

tum essent, quemadmodum scriptor quidam Latinus [z] ex errore hanc deriuat, sed ideo, quod essent *τῆς χώρας ἐπίσκοποι*, *ruris Episcopi*, quos vox ista proprie significat, & non Presbyteros ex regionibus oppidanis, vti SALMASIVS eam intelligit.

§. II.

Tres diuersæ opiniones de huius Ordinis natura. Prima *quidem, quod tantum fuerint Presbyteri.*

Iam licet ex ipso nomine de ipsorum officio quodammodo possit iudicari, magna tamen inter viros eruditos de huius Ordinis natura agitata fuit controuersia. Inter Scholasticos & Canonistas recepta est opinio, fuisse eos tantummodo Presbyteros; vti videre est in TVRRIANO [a], ESTIO [b], ANTONIO AVGVSTINO [c] & GRATIANO [d], quos non SALMASIVS [e] solum, sed SPALATENSIS [f] etiam, FIELDIVS [g] & FORBESIVS [h] sequuntur, quorum vltimus diuersa adfert argumenta, quibus probare nititur, fuisse eos meros Presbyteros, nec vllam vmquam Episcopalem Ordinationem accepisse.

§. III.

Secunda *opinio, quod eorum alii fuerint Presbyteri, & alii Episcopi.*

Alii duo Chorepiscoporum genera fuisse existimant, alios

(z) Raban. Maur. de institut. sacerdot. lib. I. c. V.
Salmas. de Primat. c. I. p. 10. Hinc c. XI. de officio Archipresbyteri, *ministerium eius in eo constitui* dicitur, *vt diligenti cura prouideat ministerium sacerdotum Cardinalium.* Quod non de vrbis tantum Romæ presbyteris accipiendum, sed de primis sacerdotibus aliarum vrbium, quibus parœciæ, id est, tituli commissi. Græcorum infima ætas *πρωτοπαπάδας* vocauit, qui videntur in locum Chorepiscoporum successisse, vt ex Balsamone clarum est, scholiis in Synodum Antiochenam Can. VIII. vbi *τοὺς ἐν χώραις πρεσβυτέρους*, qui in Canone ipso *χωρεπίσκοποι* vocantur, *πρωτοπαπάδας* interpretatur.

(a) Turrian Not. in Can. LIV. Concil. Nic. Arabic.

(b) Est in IV. Sent. Dist. XXIV. §. XXX.

(c) Ant. Aug. Epit. Iur. Canon. lib. VI. Tit. I. c. VIII. XI. XIII.

(d) Gratian. Dist. LXVIII. c. IV. V.

(e) Walo Messalin. c. V. p. 315.

(f) Spalat. de Rep. Part. I. lib. II. c. IX. n. XVII. XIIX. XIX.

(g) Field. *of the Church* lib. V. c. XXIX.

(h) Forbes. Iren. lib. II. c. XI. Prop. XIV. p. 249. (p. 444. seqq. edit. Amstelod. cIↄIↄcciii.)

quidem

quidem, qui ordinationem habuerint Episcopalem, alios autem qui meri fuerint Presbyteri: Quæ CABASSVTII [*i*], PETRI *de* MARCA [*k*] & BELLARMINI [*l*] est opinio. Concedunt in quibusdam casibus contigisse, vt Chorepiscopi vere fuerint Episcopi, quod Episcopi ordinati fuerint ante, quam Chorepiscopi fierent. Et eatenus quidem recte statuunt: In primitiua enim Ecclesia quandoque Episcopi ad hunc illum locum fuerunt ordinati, sed non recepti, & quidem vel ob multitudinis perversitatem, vel persecutionis æstum, vel simili ex ratione: Et istiusmodi Episcopi (quos veteres Scriptores [*m*] σχολαίους & σχολάζοντας ἐπισκόπους, Episcopos vacantes dicunt) non habentes in sua ipsorum Ecclesia sacris operandi libertatem, sub alio quodam Episcopo, qui eos in ministerium suum cooptare volebat, ad muneris sui administrationem admittebantur. Concilium *Nicanum* [*n*] simili ratione consuluit atque prospexit Episcopis *Nouatianis*, qui ad Catholicam redire vellent Ecclesiam; vt Episcopus loci siue ad Presbyteri cuiusdam oppidani, siue ad Chorepiscopi officium eos admitteret; quia duo Episcopi in vno oppido esse non poterant. Atque ita quoque ab eodem Concilio [*o*] de Episcopis *Meletianis* decretum fuit, vt

cf: Vol: 2. p: 446.

(*i*) Cabassut. Notit. Concil. c. VIII. p. 45. †

(*k*) Petr. de Marca de Concord. lib. II. c. XIII. tot.

(*l*) Bellarm. de Cleric. lib. I. c. XVII. tot.

(*m*) Socrat. lib. IV. c. VII. Σχολαῖος δὲ ἐπίσκοπος ἦν. Vacans habebatur Episcopus. Conc. Antioch. c. XVI. (Tom. II. p. 568) Εἴ τις ἐπίσκοπος σχολάζων ἐπὶ σχολάζουσαν ἐκκλησίαν ἑαυτὸν ἐπιῤῥίψας, ὑφαρπάζοι τὸν θρόνον δίχα συνόδου τελείας, τοῦτον ἀπόβλητον εἶναι. Si quis *vacans Episcopus* in *vacantem ecclesiam* irrumpens, sedem arripuerit absque perfecta synodo, is sit eiectus.

(*n*) Concil. Nicæn. Can. VIII. (Tom. II. p. 34) Ὁ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει· πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν· εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν. Qui apud eos, qui Cathari dicuntur, nominatur Episcopus, Presbyteri honorem habebit: nisi vtique Episcopo placeat ipsum nominis honorem impertire. Si autem hoc illi non placeat, vel *Chorepiscopi* vel *Presbyteri* locum excogitabit, vt esse omnino in clero videatur, ne in ciuitate duo sint Episcopi.

(*o*) Conc. Nic. Epist. Synod. ap. Socrat. lib. I. c. IX. Τοὺς ὑπ' αὐτοῦ κατασταθέντας, μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας κοινωνῆσαι ἐπὶ τούτοις, ἐφ' ᾧτε ἔχειν μὲν αὐτοὺς τὴν τιμὴν καὶ λειτουργίαν, δευτέρους δὲ εἶναι ἐξάπαντος πάντων τῶν ἐν ἑκάστῃ παρ-

ad Ec-

ad Ecclesiæ vnitatem reuersis ipsis liceret sub Ecclesiæ Catholicæ Episcopis officium suum administrare. Iam vero constat, huiusmodi Chorepiscopos omnes proprie dictos fuisse Episcopos, quod Episcopi ordinati fuerint ante, quam Chorepiscoporum nomine sub aliis ministerium peragerent. De reliquis vero omnibus PETRVS *de* MARCA iudicat, quod tantum Presbyteri fuerint.

§. IV.

Tertia *opinio, quod maxime probabile sit, fuisse eos omnes Episcopos.*

Verum istæ opiniones (quæ parum inter se discrepant) a BARLOVIO Episcopo [*p*], HAMMONDO [*q*], BEVEREGIO [*r*], CAVEO [*s*] & ab ipso BLONDELLO [*t*] reiiciuntur, qui, etsi ab aliis inter eos refertur, qui contrariam tuentur sententiam, longam dissertationem contra PETRVM *de* MARCA edidit, qua Chorepiscopos omnes, antiquis commemoratos Conciliis, veri nominis Episcopos fuisse, demonstrare nititur. Ad quod probandum nihil requiritur amplius, quam quod ATHANASIVS Apologia sua II. perhibet, vbi inter Presbyteros & Chorepiscopos perspicue distinguit. Loquens enim de illegitima *Ischiræ* promotione, qui ab *Eusebianorum* factione regionis *Mareotidis* Episcopus constitutus erat, *Mareotidem* dicit regionē tantum *Alexandriæ*, & omnes istius terræ tractus Ecclesias soli Episcopo *Alexandrino* subiectas fuisse, nec vmquam vel Episcopum vel Chorepiscopum [*u*], sed tantum Pre-

οἰκίᾳ τε καὶ ἐκκλησίᾳ ἐξεταζομένων, τῶν ὑπὸ τοῦ τιμιωτάτου καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἀλεξάνδρου προκεχειρισμένων. Ii vero, qui ab ipso (Meletio) constituti sunt, sanctiore ordinatione confirmati, ad communionem admittentur, ea lege, vt honorem quidem ac ministerium suum retineant; secundo tamen semper loco sint ab iis omnibus, qui in vnaquaque parœcia, & ecclesia versantur a carissimo collega nostro Alexandro prius ordinati.

(*p*) Barlow's *Letter to Bishop* Ush. *in Vsh. Lett.* 222 p. 520.

(*q*) Hammond. Differt. III. contr. Blondel. c. VIII.

(*r*) Beuereg. Pand. Tom. II. Not. in Conc. Ancyr. can. XIII p. 176. Nos eorum (Chorepiscoporum) constitutionem atque officium ex hoc aliisque canonibus elicere moliemur: quibus etiam conficere non dubitamus, *veteres Chorepiscopos*, contra ac pluribus visum est, *reuera Episcopos fuisse*, etiamsi Episcopalia quarumdam functionum exercitia iis a canonibus denegentur. &c.

(*s*) Cav. Prim. Christ. Par. I. c. VIII p. 224. (*t*) Blondel. Apol. p. 95. &c.

(*u*) Athan. Apol. II. Tom. I. p. 802. (Tom. I p. 209. edit. Paris MDCCVIII): Μαρεώτης χώρα τῆς Ἀλεξανδρείας ἐστὶ, καὶ οὐδέποτε ἐν τῇ χώρᾳ γέγονεν ἐπίσκοπος

sbyteros inter se habuisse, suis quemque vicis siue Ecclesiis adligatos. Hoc, vt scite obseruat BLONDELVS, [w] euidenter indicat, *non vnum cum Presbyteris Chorepiscopos fuisse, aut eamdem formam gestasse, prout Decretalium suppositori*, sub *Leonis* & *Damasi* Paparum nomine latitanti, *somniare visum est.*

§. V.

Obiectionibus quibusdam respondetur.

Cur vero Concilium *Neocæsareense* [x] Chorepiscopos in figura Septuaginta constitutos esse dicit? Respondeo, ideo, quod Episcopis oppidanis subiecti erant, sicut LXX Seniores *Mosi*, vel LXX Discipuli Apostolis erant subiecti. Nam quidquid etiam Concilium illud per septuaginta intelligat, non tamen inde probari potest, quod Chorepiscopi meri Presbyteri fuerint.

Sed porro obiicitur, quod Episcopi esse non potuerint, quo Episcoporum Ordinatio a tribus Episcopis, Metropolitano & comprouincialibus Episcopis consentientibus, peragi debuerit; Concilium autem *Antiochenum* [y] dicat, Chorepiscopum ordinari ab vno tantum Episcopo, ab eius nimirum ciuitatis Episcopo, cuius ad iurisdictionem ille pertineret. Sed ad hanc obiectionem facilis est responsio, fuisse nimirum hanc principalem differentiam inter Episcopos oppidanos & Episcopos rurales, quippe qui tum ordinationis modo, tum potestate a se inuicem discrepabant: alteri enim alter subordinatus erat: Itaque illi Canones, qui tres Episcopos ad imponendas manus in Episcopi cuiusdam ordinatione requirunt, de iis tantum Episcopis loquuntur, qui absoluti ac supremi diœcesium suarum erant rectores, non autem de illis, qui his subiecti erant, quos

οὐδὲ χωρεπίσκοπος· ἀλλὰ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπῳ αἱ ἐκκλησίαι πάσης τῆς χώρας ὑπόκεινται· ἕκαστος δὲ τῶν πρεσβυτέρων ἔχει τὰς ἰδίας κώμας μεγίστας, καὶ ἀριθμῷ δέκα που καὶ πλείονας. Marcotes regio est Alexandrina, *in qua numquam Episcopus fuit, aut chorepiscopus*: sed vniuersæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino parent Episcopo. *Presbyteri* autem singuli suos vicos habent maximos, qui decem circiter sunt immo plures numero.

(w) Blondel. Apol p 127.

(x) Concil Neocæs. c. XIV. (Tom. I. p 1483.) Χωρεπίσκοποι εἰσὶ μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα.

(y) Conc Antioch. c. X. (Tom. II. p 565.) Χωρεπίσκοπον δὲ γίνεσθαι ὑπὸ τοῦ τῆς πόλεως, ᾗ ὑπόκειται, ἐπισκόπου. Fiat autem *Chorepiscopus* ab episcopo ciuitatis, cui subiicitur.

Episco-

Episcopi oppidani pro suo arbitrio ordinare poterant, ita tamen, vt ad huius rei rationem Synodo prouinciali reddendam obligati essent.

§. VI.

Chorepiscopis licebat inferiorum ordinum Clericos ordinare, non autem Presbyteros aut Diaconos sine speciali Episcopi ciuitatis venia.

Horum Chorepiscoporum officium erat, Clericis ruralibus præesse, in ipsorum vitæ rationem inquirere, de eaque ad Episcopum ciuitatis referre; nec non inferioribus officiis Ecclesiæ idoneos homines prospicere. Ad conciliandam etiam aliquam illis auctoritatem, certis quibusdam priuilegiis gaudebant. I. In vsum Ecclesiæ Lectores, Hypodiaconos & Exorcistas ordinare poterant. Basilius [z] quidem a Chorepiscopis suis requirebat, vt prius de istorum hominum ἱκανότητι ad se referrent, & veniam eos ordinandi rogarent: At Concilium *Antiochenum* [a] generale iis dat negotium ordinandi omnes Hypodiaconos, Lectores & Exorcistas, ita quidem, vt consulere vrbis episcopum in cuiusque promotione non necesse habeant: Presbyteros autem & Diaconos itidem ordinare poterant, sed

(z) Basil. Ep. CLXXXI. *Καὶ τοῦτο ἐξέταζον μὲν πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι οἱ συνοικοῦντες αὐτοῖς, ἐπανέφερον δὲ τοῖς χωρεπισκόποις, οἱ τὰς παρὰ τῶν ἀληθινῶς μαρτυρούντων δεξάμενοι ψήφους, καὶ ὑπομνήσαντες τὸν ἐπίσκοπον, οὕτως ἐνηρίθμουν τὸν ὑπηρέτην τῷ τάγματι τῶν ἱερατικῶν· νῦν δὲ πρῶτον μὲν ἡμᾶς παρωσάμενοι καὶ μηδὲ ἐπαναφέρειν ἡμῖν καταδεχόμενοι, εἰς ἑαυτοὺς τὴν ὅλην περιεστήσατε αὐθεντίαν· - - Μὴ ἀριθμεῖτε δὲ πρὶν εἰς ἡμᾶς ἐπανενεγκεῖν· ἢ γινώσκετε, ὅτι λαϊκὸς ἔσται ὁ ἄνευ ἡμετέρας γνώμης εἰς ὑπηρεσίαν παραδεχθείς.* Hæc quidem examinabant Presbyteri & diaconi, quæ cum eis versabantur. Referebant autem ad Chorepiscopos, qui a vere testificantibus susceptis suffragiis, & *eorum admonitis Episcopis*, ita ministrum in sacerdotalem numerum cooptabant Nunc autem verbis primum extrusis, nec *ad nos referre* in animum inducentes, omnem in vosmetipsos auctoritatem transtulistis. - - In numerum autem ne referte, *priusquam ad nos retuleritis*, vel scitote, quod erit laicus, qui *sine nostra sententia* in ministerium admissus est.

(a) Conc. Antioch. c. X. (Tom. II. Concil. p. 566.) *Καθιστᾷν δὲ ἀναγνώστας καὶ ὑποδιακόνους καὶ ἐξορκιστὰς, καὶ τῇ τούτων ἀρκεῖσθαι προσαγωγῇ, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτονεῖν τολμᾷν δίχα τοῦ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπου, ᾗ ὑπόκειται αὐτός τε καὶ ἡ χώρα.* Constituant lectores & Hypodiaconos & exorcistas, & eorum promotionem sufficere existiment, nec Presbyterum nec Diaconum ordinare audeant absque vrbis Episcopo, cui subiicitur ipse & regio.

 non

non absque vrbis Episcopo, cui subiecti erant ipsi & regio. Et hæc Concilii *Ancyrani* [*b*] sententia est, dicentis, *Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare*: quod secundum explicationem a Concilio *Antiocheno* datam capiendum est, non habere eos auctoritatem id faciendi sine speciali vrbis Episcopi directione, ipso autem concedente omnino habere.

§. VII.

Secundo: *Potestatem habebant confirmandi.*

Potestatem habebant eis, qui in Ecclesiis vicorum recens baptizati erant, impertiendi confirmationem. Hoc diserte in Concilio *Reiensi* [*c*] permittitur in casu *Armentarii*, vtpote cui ad Chorepiscopi conditionem redacto priuilegium confirmandi *Neophytos* indulgebant; vnde colligi potest, confirmationem per manus Chorepiscoporum in Ecclesiis pagorum & vicorum potuisse administrari.

§. VIII.

Tertio: *Potestatem habebant dandi Clericis epistolas Dimissorias.*

Dimissorias etiam, siue, vt alias vocabantur, *canonicas & pacificas epistolas* Clericis ruralibus, e diœcesi alia in aliam transferri cupientibus, dandi habebant potestatem. Sic Canonem Concilii *Antiocheni* [*d*] intelligo, qui dicit: *Nec Presbyteri, qui sunt in pagis, dent Canonicas epistolas vel ad solos vicinos Episcopos epistolas mittant. Chorepiscopi autem nulli reprehensioni adpnes dent pacificas.*

§. IX.

Quarto: *Potestatem habebant operandi sacris præsente ciuitatis Episcopo.*

Libertatem habebant operandi sacris in Ecclesia oppi-

(*b*) Concil. Ancyran. c. XIII (Tom. I. Conc. p. 1462.) *Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν.*

(*c*) Concil. Reiens. Can. III. (Tom. III. p. 1287.) Nec vsquam ipsi quidquam de episcopalibus officiis vsurpare, præterquam in Ecclesia, quam cuiusquam misericordia fuerit indeptus: in qua ei solum neophytos confirmare & ante presbyteros offerre conceditur.

(*d*) Conc. Antioch. c. VIII. (Tom. II. Conc. p. 563.) *Μηδὲ πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ταῖς χώραις κανονικὰς ἐπιστολὰς διδόναι, ἢ πρὸς μόνους τοὺς γείτονας ἐπισκόπους ἐπιστολὰς ἐκπέμπειν· τοὺς δὲ ἀνεπιλήπτους χωρεπισκόπους διδόναι εἰρηνικάς.*

dana, præſentibus Epiſcopo & Presbyteris vrbis, quam Presbyteri rurales non habebant. Ita enim Concilium *Neocæſareenſe* hanc rem duobus canonibus ſanciuit [e]: *Vicani Presbyteri non poſſunt in Dominico offerre præſente Epiſcopo vel vrbis Presbyteris: neque panem dare precationis, neque calicem: Chorepiſcopi autem ſunt quidem in figura ſeptuaginta: vt autem comminiſtri, propter ſtudium in pauperes, offerunt honorati.*

§. X.

Quinto: *Et ſedendi ac ſuffragia ferendi in Conciliis.*

Priuilegium habebant ſedendi ac ſuffragia ferendi in Conciliis ac Synodis: cuius rei adhuc nonnulla exempla in veterum Conciliorum Actis ſuperſunt. Concilio *Nicæno* primo [f] *Palladius* & *Seleucius* ſubſcripſerunt tamquam Chorepiſcopi prouinciæ *Cæleſyriæ: Gorgonius*, *Stephanus*, *Euphronius*, *Rhodon*, *Theophanes* vt Chorepiſcopi prouinciæ *Cappadociæ: Heſychius*, *Theodorus*, *Anatolius*, *Quintus*, *Aquila* prouinciæ *Iſauriæ: Theuſtinus* & *Eulalius* prouinciæ *Bithyniæ*. Ita rurſus in Concilio *Neocæſareenſi* [g] *Stephanus* & *Rudus* ſiue *Rhodon*, duo ex iis ipſis, qui Concilio *Nicæno* interfuerunt, ſubſcripſerunt tamquam Chorepiſcopi prouinciæ *Cappadociæ*. Et Concilio *Epheſino* [h] *Cæſarius* Chorepiſcopus *alces*.

§. XI.

Poteſtas Chorepiſcoporum non ſemper & vbique eadem.

Heic autem animaduertendum eſt, poteſtatem & priuilegia Chorepiſcoporum pro ratione temporum & locorum fuiſſe diuerſa. Cum enim Concilium *Reienſe* in *Gallia* A. CCCC XXXIX. *Armentarium* de Epiſcopatu ſuo deieciſſet, quod modo illegitimo ordinatus fuerat, iuxta Patrum *Nicænorum* exemplum, priuilegium ei concedebat agendi Chorepiſcopum, ſed

(e) Concil. Neoc. Can. XIII. & XIV. (Tom I. Conc. p. 1483.) *ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι ἐν τῷ κυριακῷ τῆς πόλεως προσφέρειν ὀ δύνανται, παρόντος ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρων πόλεως, οὔτε μὴν ἄρτον διδόναι ἐν εὐχῇ οὐδὲ ποτήριον· οἱ δὲ χωρεπίσκοποί εἰσι μὲν εἰς τύπον τῶν ἑβδομήκοντα· ὡς δὲ συλλειτουργοὶ διὰ τὴν σπουδὴν εἰς τοὺς πτωχοὺς προσφέρουσι τιμώμενοι.*

(f) Concil. Nic. I. in Subſcript. (Tom. II. p. 51. ſqq.)

(g) Concil. Neocæſ. in Subſcript. (Tom. I p. 1488.)

(h) Conc. Epheſ. Act. I. (Tom. III. Conc. p. 539.)

poteſtatis eius exercitio certos præſtituebat limites. Quamuis enim auctoritatem confirmandi *Neophytos*, conſecrandi Virgines, celebrandi Sacram Euchariſtiam in quibusdam Eccleſiis ruris ei indulgeret, quod nulli regionis Presbytero licebat facere; tamen I. denegabat ei [*i*] priuilegium conſecrandi eucharistiam in eccleſia vrbana, quod per Canonem XIII. Concilii *Neocæſareenſis* aliis licebat Chorepiſcopis. II. Poteſtatis ipſius Chorepiſcopalis exercitium vni tantum Eccleſiæ definiebat, aliorum poteſtate ſuper omnem ſeſe extendente regionem. III. Ordinationem vel vllius ex inferiore Clero etiam in ſua ipſius Eccleſia interdicebat, quæ aliis Chorepiſcopis per Concilii *Ancyrani* Canonem XIII. permiſſa erat. Et hinc patet, quod, quemadmodum ipſorum poteſtas precaria erat & ab arbitrio Conciliorum ac Epiſcoporum oppidanorum, a quibus eam acceperant, dependebat: ita eorum auctoritas hoc tempore in Eccleſia nimium quantum vileſcere cœperit.

§. XII.

Eorum poteſtas primum per Concilium Laodicenum, *περιοδευταῖς in eorum locum conſtitutis, infracta fuit.*

Concilium *Laodicenum* A. CCCLX primum eis vulnus inflixit. Ibi enim decretum fuit [*k*]: *quod non oportet in vicis & pagis Epiſcopos conſtitui, ſed Periodeutas, hoc eſt Circumcurſatores: eos autem, qui prius conſtituti ſunt, nihil agere ſine mente Epiſcopi, qui eſt in ciuitate.* In Concilio *Chalcedonenſi* inuenimus iſtiusmodi aliquot Presbyteros exſerte vocatos περιοδευτὰς, vt *Alexandrum* [*l*] & *Valentinum* [*m*], quorum vterque Presbyteri & περιοδευτοῦ gerebat titulum. Ita etiam in Concilio *Con-*

(*i*) Concil. Reienſ. c. III (Tom. III. p. 1287.) Ne vmquam in ciuitatibus vel ſub Epiſcoporum abſentia, offerre præſumat. - nec vſquam ipſi &c. vid. not. (c). p. 196.

(*k*) Concil. Laod. c. LVII. (Tom. I. Conc. p. 1506.) Ὅτι οὐ δεῖ ἐν ταῖς κώμαις καὶ ἐν ταῖς χώραις καθίστασθαι ἐπισκόπους ἀλλὰ περιοδευτὰς, τοὺς μὲν τοι ἤδη προκατασταθέντας μηδὲν πράττειν ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἐν τῇ πόλει.

(*l*) Concil. Chalced. Act. IV. (Tom. IV. p. 535.) ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ περιοδευτὴς Ἀλέξανδρος. Reuerendiſſimus *Presbyter & Circuitor* Alexander.

(*m*) Ibid. Act. X. p. 647. Βαλέντιόν τινα ἐπίῤῥητον ἄνδρα - - ἐχειροτόνησε πρεσβύτερον καὶ περιοδευτήν. Valentinum quemdam infamem virum - - ordinauit *Presbyterum & Procuratorem*,

ſtanti-

ſtantinopolitano V. [*n*] *Sergius* quidam Presbyter eumdem *περιοδευτȣ͂*, *Curatoris* ſiue *Viſitatoris*, Eccleſiarum *Syriacarum* titulum habebat. Sed tamen hic Chorepiſcoporum Ordo in multis locis adhuc conſeruabatur. Nam eius non tantum a GREGORIO NAZIANZENO [*o*] & BASILIO ſæculo IV. fit mentio, ſed a THEODORETO [*p*] etiam, qui de *Hypatio* & *Abramio* loquitur, tamquam de ſuis ipſius Chorepiſcopis; Et in Concilio *Chalcedonenſi* ſæculo V. Chorepiſcopos ſediſſe legimus, qui Epiſcoporum, a quibus miſſi fuerant, nomine ſubſcripſere. Sed hæc erat quædam poteſtatis eorum imminutio: In antegreſſis enim Conciliis ſuo ipſorum nomine ſubſcripſerunt, vt communis doctorum virorum [*q*] & concordans eſt ſententia: Iam vero poteſtas eorum labaſcebat, & ad deteriorem ſtatum inclinata gradatim imminuebatur, donec tandem ſæculo IX. fictis & fabricatis Decretalibus & in ſcenam productis, haud veri nominis Epiſcopi eſſe dicerentur: atque ita per Paparum tyrannidem in eccleſiis occidentalibus prorſus abrogarentur.

(*n*) Conc. Conſtantinop. ſub Menna Act. I. p. 563. (Tom. V. Concil p. 45.) *Σέργιος πρεσβύτερος καὶ περιοδευτὴς μονῆς Γινδάρȣ ἀξιώσας ὑπέγραψα*, Sergius *Presbyter* & *luſtrator*, (viſitator) monaſterii Gindari, ſupplicando ſubſcripſi.

(*o*) Nazianz. Ep. LXXXVIII. *Παρὰ τῶν κυρίων μȣ τῶν συμπρεσβυτέρων μαθήσῃ Εὐλαλίȣ τȣ͂ χωρεπισκόπȣ καὶ Κελευσίȣ, οὓς ἐξ ἔργȣ πρὸς τὴν σὴν εὐλάβειαν ἀπεστάλκαμεν.* Ex Dominis meis compresbyteris Eulalio *chorepiſcopo* & Celeuſio, quos dedita opera ad pietatem tuam miſimus, intelligis. Baſil. Epiſt. CLXXXI. vid. ſupra not. (z) p. 195.

(*p*) Theodoret. Epiſt. CXIII. ad Leon. *Ταῦτα διὰ τῶν εὐλαβεστάτων καὶ θεοφιλεστάτων πρεσβυτέρων Ὑπατίȣ καὶ Ἀβραμίȣ τῶν χωρεπισκόπων, καὶ Ἀλυπίȣ τȣ͂ ἐξάρχȣ τῶν παρ' ἡμῖν μοναζόντων τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην ἐδίδαξα.* Hæc per reuerendiſſimos Deoque cariſſimos Presbyteros, Hypatium & Abramium *Chorepiſcopos*, & Alypium monachorum, qui apud nos ſunt, exarchum ſanctitati veſtræ ſuggeſſi.

(*q*) Blondel. Apol p. 113.
Beuereg. Not. in Conc. Ancyr. c. XIII. Plures huiusmodi *Chorepiſcopos* conſtitutos fuiſſe, ex Actis Conciliorum patet; vtpote quibus ipſi, æque ac alii Epiſcopi, non interfuerunt modo, ſed & ſubſcripſerunt. Exempli gratia, Synodo Nicænæ I. ſubſcripſerunt ex prouincia Cœleſyriæ, Palladius *Chorepiſcopus* & Seleucius *Chorepiſcopus* - - - Et ſic in aliis comitiis chorepiſcopi ipſos inter epiſcopos ſubſcripſerunt, idque non vt aliorum Epiſcoporum locum tenentes, ſed pro ſe ipſis. Qui enim aliorum vices gerunt, illud in ſubſcriptionibus ſignificare ſolent; quod a Chorepiſcopis nuſpiam fit.

§.XIII

§. XIII.

De consilio Chorepiscopos sub Episcoporum Suffraganeorum *nomine in* Anglia *restituendi.*

De hisce Chorepiscopis sub Episcoporum *Suffraganeorum* nomine restituendis sub initium Reformationis in *Anglia* consilia quædam agitata sunt. Secundum enim historicos *Anglicanos* [r] A. cIↃ Ↄ xxx iii. *Henrico* VIII. regnante, statuto quodam diuersa oppida pro sedibus suffraganeis ordinarunt, nimirum *Thetfordiam*, *Ipswichium*, *Colechesteram*, *Doueram*, *Gilfordiam*, *Southamptoniam*, *Tauntoniam*, *Schafburiam*, *Maltoniam*, *Marleboroughum*, *Bedfordiam*, *Legecestriam*, *Glocestriam*, *Salopiam*, *Bristoliam*, *Penrethum*, *Bridgewateram*, *Nottinghamiam*, *Granthamiam*, *Hullam*, *Huntingdoniam*, *Cantabrigiam*, *Perethum*, *Berwicum*, S. *Germaniam* in *Wallia*, & Insulam *Vectam*. Hi Suffraganei ab Archiepiscopo & duobus aliis Episcopis debebant consecrari, & ex isto statuto talem ipsis iurisdictionem exercere licebat, qualem Suffraganei prius in hoc regno exercere soliti erant. Nullus autem eorum vllam Episcopalem potestatem habere poterat vel exercere, sine consensu atque permissione Episcopi illius ciuitatis, cuius in dioecesi erat constitutus. Quisquis igitur hoc ipsum cum iis comparauerit, quæ de veteribus Chorepiscopis tradidimus, ille hos Suffraganeos eiusdem fere cum illis generis fuisse, facile poterit dignoscere.

§. XIV.

Episcopi Suffraganei a Chorepiscopis in Ecclesia primitiua distincti.

Sed enim notandum heic etiam est, nouum hoc fuisse nomen, quo nuncupati sunt: Antiquitus enim omnes Episcopi oppidani cuiusdam prouinciæ, qui Metropolitano cuidam suberant, Episcopi Suffraganei vocabantur, quod ex ipsius mandato ad suffragia ferenda, consilia danda aut sententiam suam dicendam in Synodo prouinciali conuenirent. Et hoc sensu vox ista adhibita fuit in *Anglia*, cum LINWOODVS *Prouinciale* suum scripsit, quod non vltra centum annos ante Reformationem factum est, Anno nimirum Christi cIↃ cccc xxx. In Commentario suo in vnam ex Constitutionibus *Ioannis Beckhami* Archi-

(r) Burnet *histor. of Reformat.* Vol. I. p. 157. (edit. Lat. Mitteholz. p. 91.)

epi-

episcopi *Cantabrigiensis*, his incipientem verbis: *Omnibus & singulis Coëpiscopis Suffraganeis Nostris*; hanc habet adnotationem [s]: *Suffraganeis sic dictis, quia Archiepiscopo suffragari & adsistere tenentur* &c. Vnde manifestum est, hoc tempore per Suffraganeos Episcopos non Chorepiscopos seu Episcopos rurales, sed omnes *Angliæ* Episcopos, qui sub Archiepiscopis seu Metropolitanis suis constituti erant, fuisse intellectos. Ita etiam in aliis fuit ecclesiis. Septuaginta Episcopi, qui Episcopo *Romano*, tamquam Primati seu Metropolitano suo proxime subiecti erant, Suffraganei ipsius dicebantur, quod frequenter ad Synodos eius vocabantur; quemadmodum huius appellationis ratio in Antiquo MSCto Vaticano, a BARONIO [t] adlegato, data est.

§. XV.

Suffraganei Episcopi Prouinciæ Romanæ *nomine technico* Libra *vocati.*

Non abs re etiam fuerit, dum de Episcopis Suffraganeis loquimur, obseruare, quod isti septuaginta, qui Episcopi *Romani* erant Suffraganei, peculiari nomine technico vocati sint *Libra*; quod nomen haud aliam ob caussam eis impositum fuit, quam quod numero essent septuaginta. *Romana* enim *Libra* ex antiquariorum obseruatione [u] consistebat LXX solidis siue tot partibus; atque hinc res aliæ quædam & personæ, numerum LXX conficientes, dici cœpere *Libra*: quemadmodum LXX testes, qui ante Concilium *Sinuessense* introducti contra *Marcellinum* testabantur, quod ipsum turificasse vidissent, ab Actorum istorum collectore [w] vocantur *Libra Occidua*, non alia ex ratione, VT BARONIVS [x] existimat, quam quod LXX

(s) Linwood Prouinc. lib. I. Tit. II. c. I.

(t) Baron. A. MLVII. n. XXIII. Præter septem Collaterales Episcopos erant alii Episcopi, qui dicuntur suffraganei Romani Pontificis, nulli alii Primati vel Archiepiscopo subiecti, qui frequenter ad synodos vocarentur.

(u) Brerewood. de Ponder. & Pret. c. XV.

(w) Concil. Sinuess. ap. Crab. Tom. I. p. 190. Hi omnes electi sunt viri, *Libra Occidua*, qui testimonium perhibent, videntes Marcellinum turificasse.

(x) Baron. A. CCCII. n. XCII. Quod inferius Acta Synodi in caussa Marcellini numerum LXX testium, *libram occiduam* nominant: inde patet, quod heic dicitur; omnes electi sunt viri libra occidua, qui testimonium perhibent.] numerum septuaginta duorum testium esse significatum, eumque esse dictum *li-*

numero fuerint. Et GROTIVS [y] eamdem adfert rationem istius appellationis tributæ his LXX Episcopis, qui adsessores seu Suffraganei Episcopi *Romani* erant. Erant, vt ita dicam, ipsius *Libra*, seu ordinarium Concilium prouinciale.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM QVINTVM
DE INTERCESSORIBVS ET INTERVENTORIBVS IN ECCLESIIS AFRICANIS.

§. I.
Cur Episcopi quidam in Ecclesiis Africanis *dicti sint* Intercessores.

Aliud adhuc restat nomen, quibusdam Episcopis in Conciliis *Africanis* adsignatum, cuius heic mentio iniicienda est, dum de Episcopis loquimur: id nomen est *Intercessoris* & *Interuentoris*; honoris titulus, quibusdam Episcopis, officii cuiusdam ad tempus eis concrediti intuitu, datus. In Ecclesiis *Africanis* & forte etiam in aliis, vacante quodam Episcopatu, vsitati moris erat, vt Primas Episcopum quemdam prouincialem procuratorem istius dioeceseos constitueret, qui partim vacantis sedis curam gereret, partim maturam noui Episcopi electionem promoueret procuraretque. Atque hinc *Intercessores* & *Interuentores* appellabantur.

§. II.
Officium Intercessoris cuiusdam non vltra annum durare oportebat.

Scopus huius officii manifesto ad promouendum Ecclesiæ emolumentum spectabat; at duplici illud abusui erat obnoxium. Intercessor enim hoc pacto commodam habebat occasionem conciliandi sibi gratiam ac fauorem populi, & loco vtili-

bram occiduam, quod scilicet ea libra septuaginta duos solidos contineret, vt ea lege declaratur, qua dicitur: Quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur, in septuaginta duos solidos libra feratur accepta.

(y) Grot. in Luc X, 1. Romanis Episcopis iam olim LXX. Episcopi Adsessores *libra* dicti, quod *libra Romana* tot solidos contineret.

tatis

tatis Ecclesiæ suis ipsius seruiendi commodis; dum vel sedem longius quam necesse erat, vacare sinebat, vel si opulentior ac honoratior quam suus ipsius esset locus, in eum ipse se insinuare adlaborabat. Cui malæ intentioni vt occurrerent Patres *Africani*, in Concilio *Carthaginensi V.* decernebant, Intercessorem non vltra annum officium continuare, sed si intra illud tempus noui Episcopi electionem haud procurasset, intercessorem alium in eius locum substitui oportere.

§. III.

Nullus Intercessor istius loci Episcopus fieri poterat, cui Intercessor erat constitutus.

Vt autem maiori cum effectu omnes abusus præciderent, corruptionemque anteuerterent dicti Patres, Canonem condebant ita habentem [z]: *Constitutum est, vt nulli Intercessori licitum sit, Cathedram, cui Intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere: sed dare operam, vt intra annum eisdem Episcopum prouideat. Quod si neglexerit, anno expleto Interuentor alius tribuatur.* Tantam sancti isti Patres *Africani* adhibebant curam atque industriam, vt abusui in huiusmodi rebus præuenirent.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM SEXTVM
DE PRIMATIBVS SEV METROPOLITANIS.

§. I.

Nonnulli Metropolitanorum originem ab Apostolica constitutione deriuant.

EAdem ratio, quæ primum inuexit Chorepiscopos & Coadiutores, tamquam Episcopis in Ecclesia qualibet ciuitatis subordinatos, ansam quoque cuiusque prouinciæ Episcopis dedit cogitandi, necessarium esse, vt vnum ex se ipsis summum reliquorum omnium præsulem constituerent, eique certam potestatem ac priuilegia in vtilitatem publicam conferrent: Quem proinde Primatem suum seu Metropolitanum,

(z) Concil. Carth. V. Can. VIII. (Tom. II. p. 1216.)

h. e. summum totius prouinciæ Episcopum, nominarunt. IACOBVS VSSERIVS Episcopus [a] ordinationis eorum originem Apostolicæ constitutioni tribuit. Ita quoque BEVEREGIVS Episcopus [b], HAMMONDVS [c], PETRVS *de* MARCA & alii nonnulli. Et sunt sane quædam loca apud EVSEBIVM & CHRYSOSTOMVM, quæ pro ipsorum videntur sententia militare. EVSEBIVS [d] enim dicit, *Titum* ecclesiarum in *Creta* insula habuisse ἐπισκοπὴν, *Inspectionem* seu *Episcopatum*: Et CHRYSOSTOMVS [e] itidem adfirmat, Apostolum ei totam commisisse insulam, omnesque Episcopos, in ea constitutos, censuræ eius subiecisse. Idem de *Timotheo* [f] dicit, quod ipsi gubernatio ecclesiastica per totam prouin-

(a) Vsser. de Orig. Episcop. & Metropolit.

(b) Beuereg. Cod. Can. Vindicat. lib. II. c. V. n. XII. (p. 203 edit. Amstelod. 1697.) Cum Apostoli cælitus euocati & adiuti, Ecclesiæ a Christo fundatæ per vniuersum terrarum orbem propagandæ operam nauarent, imperium Romanum, vbi religio christiana multo citius faciliusque quam apud rudiores gentes suscepta est, ita dispositum inuenientes, omnes eiusdem prouincias sigillatim peragrabant, & vbicumque aliquos ad fidem christianam conuerterant, Ecclesiam ibidem instituebant, ab ista prouincia denominabant, in qua constituta est, vel a primaria aliqua eiusdem ciuitate. Hierosolymis, quæ istis diebus nondum deleta, prouinciæ Palæstinæ Metropolis erat & Iudææ caput, Ecclesia prima fundata est, quæ propterea Ecclesia Hierosolymitana dicitur, Ἡ ἐκκλησία ἡ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις Act. VIII, 1. Cap XI, 22. Sic etiam Ecclesia in Antiochia Syriæ Metropoli memoratur Act. XIII, 1. Et alia in Corintho Metropoli Achaiæ 1 Cor. I, 2. 2 Cor. I, 1. Adhæc D. Paulum Syriam & Ciliciam peragrasse legimus Ecclesias confirmantem Act. XV, 41 Nec non Galatiam & Phrygiam c. XVIII, 23. Syria, Cilicia, Galatia, & Phrygia quatuor erant prouinciæ imperio Romano subditæ &c.

(c) Hammond Præfat. ad Tit. Titum a Paulo ad Christianam fidem adductum & in prædicatione euangelii socium eius factum, tandem constitutum esse ab eo *Archiepiscopum insulæ Cretæ*, vt in ea per ciuitates constitueret Presbyteros, liquet ex Cap. I, 5. &c. Id Dissertat. IV. contra Blondel c V.

(d) Euseb. Histor. Ecclesi. lib. II. c. IV. Τιμόθεός γε μὴν τῆς ἐν Ἐφέσῳ παροικίας ἱστορεῖται πρῶτος τὴν ἐπισκοπὴν εἰληχέναι· ὡς καὶ Τίτος τῶν ἐπὶ Κρήτης ἐκκλησιῶν. Ex his Timotheus quidem Ephesinæ Ecclesiæ Episcopatum primus accepisse dicitur, quemadmodum etiam *Titus* insulæ *Cretæ Ecclesiarum Episcopus* fuisse memoratur.

(e) Chrysostom Homil. I. in Tit. νῆσον ὁλόκληρον - - καὶ τοσούτων ἐπισκόπων κρίσιν ἐπέτρεψεν.

(f) Chrysost Hom XV. in 1 Timoth. (p 510. Tom. VI. Edit Francof.) Δῆλον δέ ἐστιν ἐντεῦθεν, ὅτι ἐκκλησίαν λοιπὸν ἦν ἐμπεπιστευμένος ὁ Τιμόθεος, ἢ καὶ ἔθνος ὁλόκληρον τὸ τῆς Ἀσίας. Manifestum est hinc, quod Timotheo credita fuerit ecclesia, immo *gens fere tota Asiatica*.

ciam

ciam *Asiam* concredita fuerit. Et certum est, Episcopos *Cypri* in Concilio *Ephesino* [g] contendisse, quod Metropolitani sui priuilegia eiusdem cum Apostolis ætatis essent.

§. II.

Alii ab ætate, quæ Apostolis fuit proxima.

Sed vero dubitari potest, an Apostoli in vlla prouincia eiusmodi Metropolitanum constituerint: Monumentis enim de plerarumque ecclesiarum origine deperditis, non potest liquido demonstrari, quod id fecerint. MARCA [h] existimat, Apostolos in *Timotheo* & *Tito* specimen quoddam dedisse, exsecutionem autem & complementum eius rei sequentibus temporibus reliquisse. CAVEVS [i] dicit, non multo post Apostolorum ætatem, sectis & schismatis erumpentibus, & controuersiis inter Episcopos augescentibus, necessarium fuisse creditum, aliquem in vnaquaque prouincia eligere, cuius ad arbitrium oborti casus referri, & a quo res omnes, ad communem & publicum Ecclesiæ statum attinentes, dirigi possent. Forte hoc ipsum originem suam habet a reuerentia & obsequii studio, quod reliqui Episcopi Episcopo metropolis in vnaquaque prouincia testari consueuerunt; quod posteaquam in consuetudinem abiit, in Concilio *Nicæno* deinceps vim Canonis obtinuit.

(g) Concil. Ephes. Act. VII. (Tom. III. Conc. p. 800.) Sancta Synodus dixit: Docete, annon ius ordinandi ex more veteri apud nos habet Antiochenus? Zenon Episcopus dixit: Prius adfirmauimus, quod numquam vel adfuerit vel ordinauerit, neque in metropoli neque in alia ciuitate; sed synodus nostræ prouinciæ congregata constituebat Metropolitanum: Et oramus, vt vestra sancta synodus sua sententia nobis consentiat, ita vt vetus mos, sicut hactenus robur habuit, ita & nunc habeat, & nullam nouitatem in nostra prouincia fieri sinat.

(h) Marca de Concord. lib. VI. c. I. n. IX p. 778. Licet, vt ego quidem existimo, *formam distribuendarum prouinciarum & Metropolitanorum instituendorum Apostoli tradiderint*, quia tamen id nuspiam in sacris scripturis præceptum est, & præterea exsecutio & singularis institutio processu dein temporis facta est Episcoporum cura, qui Ecclesiis Apostolicis præsidebant fundatis ab Apostolicis, duo quædam notatu valde digna contigere. Primum enim inde factum est, vt veteres hanc prouinciarum diuisionem non ipsis Apostolis, *sed Patribus & vetustæ consuetudini tribuerint*. &c.

(i) Caue *Anc. Chr. Gov.* p. 91.

§. III.

Apud omnes in confessu est, quod diu ante Concilium Nicænum *fuerint.*

Certum tamen est, Concilium *Nicænum* de Metropolitanis loqui, tamquam ex vetusta consuetudine longe ante constitutis, quando Canonem de ipsis conditum ita orditur: Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, [k] *Antiqui mores seruentur:* & tum pergit dicere de consuetudine in *Aegypto*, secundum quam Episcopus *Alexandrinus* omnium ecclesiarum *Aegypti*, *Libyæ* & *Pentapolis* habeat potestatem; Quæ Metropolitani cuiusdam, si non Patriarchæ, potestas erat. EPIPHANIVS [l] idem memorat, loquens de *Alexandro* & *Petro*, Episcopis *Alexandrinis*, ante Concilium *Nicænum*, dicit; *Mos est Alexandrinorum Episcoporum, vt per totam Aegyptum ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem & Pentapolin ecclesiastica negotia administrent.*

Et ATHANASIVS [m] loquens de *Dionysio*, qui annis plus sexaginta ante Concilium *Nicænum* Episcopus *Alexandriæ* fuerit, dicit, eum quoque hanc potestatem habuisse, eique curam ecclesiarum *Pentapolis* & *Libyæ* incubuisse, erumpente *Sabellii* hæresi, epistolasque misisse admonitorias ad diuersos istius partis Episcopos, qui ea hæresi infici cœperint. Vnde luce meridiana clarius patet, Episcopum *Alexandrinum* potestatem Metropolitani non a Concilio demum *Nicæno* accepisse, sed tantum in hoc iure, quod ex antiqua consuetudine & præscriptione iam dudum habuerat, fuisse confirmatum. Atque ita etiam cum ecclesiis cæteris comparatum fuit.

(k) Concil. Nicæn. Can. VI. (Tom. II. Conc. p. 31.) Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν.

(l) Epiphan. Hæres. LXVIII. n. I. Τοῦτο ἔθος ἐστὶ τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἀρχιεπίσκοπον πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος Μαρεώτου τε, καὶ Λιβύης, Ἀμμωνιακῆς, Μαρεώτιδός τε καὶ Πενταπόλεως, ἔχειν τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν. conf. etiam Hæres. LXIX. n. III.

(m) Athan. de Sentent. Dionys. Tom. I. p. 552. (Tom. I. p. 246. edit. Paris. 1698.) Ἐν Πενταπόλει τῆς ἄνω Λιβύης τηνικαῦτά τινες τῶν ἐπισκόπων ἐφρόνησαν τὰ Σαβελλίου - - τοῦτο μαθὼν Διονύσιος, αὐτὸς γὰρ εἶχε τὴν μέριμναν τῶν ἐκκλησιῶν ἐκείνων κ. τ. λ. In *Pentapoli superioris Libyæ* quidam Episcoporum tunc tempo is cum Sabellio sentiebant. - - Rei certior factus Dionysius, *cui earum cura Ecclesiarum* incumbebat &c.

Con-

Concilium *Illiberritanum* in *Hispania* [n] de *primæ Cathedræ Episcopo* loquitur: Et sic dicti canones Apostolici (qui erant canones ecclesiæ *græcæ* sæculo tertio) mentionem faciunt πρώτε seu *primarii* cuiusdam in quauis prouincia *Episcopi*, quem reliqui caput suum [o] agnoscere debeant, & sine quo nihil eis facere liceat. Et quidem ex CYPRIANI quibusdam epistolis apparet, [p] Episcopum *Carthaginensem* præ reliquis Episcopis *Africanis* omnibus prærogatiuam & potestatem mittendi eis mandata habuisse. Et AVGVSTINVS de Primate *Numidiensi* loquitur æque ac de Primate *Carthaginensi* ante schisma *Donatistarum*; & dicit [q], eos schismatis caussam aliquam allegasse, quod Primas *Numidiæ* ad electionem & consecrationem Primatis *Carthaginis* haud vocatus fuerit. Et idcirco tum idem AVGVSTINVS [r], tum OPTATVS [s] commemorant, *Donati-*

(n) Concil. Illiberritan. an. CCCV. Can. LVIII. (Tom. I. p 976.) Placuit, vbique & maxime in eo loco, in quo *prima cathedra* constituta est *Episcopatus* &c.

(o) Can. Apost. c. XXIII. (Tom I. Conc. p. 32.) Τὺς ἐπισκόπες ἑκάστε ἔθνες εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν, καὶ μηδὲν πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνε γνώμης. Episcopos vniuscuiusque gentis nosse oportet eum, qui in eis est *primus*, & existimare vt *caput*: & nihil facere, quod sit arduum aut magni momenti, præter illius sententiam.

(p) Cyprian. Ep. XLII. ad Cornel. Per prouinciam nostram hæc eadem collegis singulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres nostros cum litteris dirigendos esse mandauimus. Id. Epist. XLV. ad Cornel. Placuit vt per Episcopos - - per omnes omnino istic positos litteræ fierent.

(q) Aug Breuic. Collat. Tert. die c. XVI. (Tom. VII. p. 393. edit. Froben.) Donatistæ longa prosecutione agebant, vt ex illius auctoritate Carthaginensis Concilii confirmaretur Cæciliani damnatio, quod ad tot sacerdotes venire noluerit, quasi non & Primianus ad eos, a quibus damnatus est, cum eorum factionem cognosceret, simili voluntate non venerit, & quod non exspectauerit Cæcilianus, *vt princeps a principe ordinaretur*, cum aliud habeat Ecclesiæ catholicæ consuetudo, vt non Numidiæ sed propinquiores Episcopi episcopum ecclesiæ Carthaginis ordinent, sicut nec Romanæ ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.

(r) Aug contr. Parmen. lib. I. c. III. Qui venientes cum Primate suo tunc Secundo Tigisitano - - - Cæcilianum - - traditorem esse censuerunt - Ita contra sedentem in cathedra - episcopum alterum ordinauerunt.

(s) Optat. lib. i. p. 41. (p. 19 20. edit. Paris. MDCLXXIX.) Suffragio totius populi Cæcilianus eligitur. Et manus imponente Felice Aptungiano Episcopus ordinatur. - Ab iis tribus personis caussæ confictæ sunt, vt vitiosa eius ordinatio diceretur. Ad Secundum Tigisitanum missum est, vt Carthaginem veniretur &c.

stas

stas caussantes, ordinationem *Caciliani* Episcopi *Carthaginensis* non esse validam, quod non a Primate quodam facta fuerit, *Secundum Tigisitanum*, tum temporis Primatem *Numidiæ*, arcessiuisse, vt *Maiorinum* in istius locum ordinaret. Iam vero quum ea omnia aliquot annis ante Concilium *Nicænum* acta sint, Primates in *Africa* prius, quam in isthoc Concilio confirmarentur, fuisse, satis est testimonium.

§. IV.

Metropolitanos iam sæculo secundo fuisse, probatur.

Quod si paullo longius retrogressi in sæculum secundum respexerimus, eiusdem potestatis non nulla vestigia, etsi non æque manifesta atque illa prima, deprehendimus. *Lugdunum* in *Gallia* ciuili respectu consideratum Metropolis erat, & *Irenæus*, qui ibi erat Episcopus, præfuisse parœciis *Galliæ* dicitur EVSEBIO [*t*]. *Philippus*, *Gortynæ* in *Creta* insula Episcopus, DIONYSIO [*u*] CORINTHIO Episcopus omnium Ecclesiarum *Cretensium* audit. *Polycrates* Episcopus *Ephesinus* in Concilio omnibus *Asiæ* Episcopis [*w*]; *Palmas*, Episcopus *Amastris*, Episcopis *Ponticis*; & *Theophilus* [*x*] *Cæsareensis* cum *Narcisso Hierosolymitano* reliquis *Palæstinæ* Episcopis, præsidebant. Hæc sunt argumenta, quæ hoc in casu communiter adferri solent. Ingenue autem fateor, posteriora tria rem, qua de disputatur, non satis

(*t*) Euseb. H. E. lib. V. c. XXIII. τῶν κατὰ Γαλλίαν παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει.

(*u*) Dionys. apud Euseb. lib IV. c. XXIII. Καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ δὲ παροικούσῃ Γόρτυναν ἅμα ταῖς λοιπαῖς κατὰ Κρήτην παροικίαις ἐπιστείλας, Φίλιππον ἐπίσκοπον αὐτῶν ἀποδέχεται. Ecclesiæ Gortynensium & reliquis simul ecclesiis Cretæ litteras scribens, Episcopum ipsorum Philippum magnopere prædicat.

(*w*) Euseb. lib. V. c. XXIV. Τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας ἐπισκόπων τὸ πάλαι πρότερον αὐτοῖς παραδοθὲν διαφυλάττειν ἔθος χρῆναι διισχυριζομένων, ἡγεῖτο Πολυκράτης. *Episcopi Asiæ*, qui morem sibi a maioribus traditum retinendum esse acriter contendebant, *Polycrates præerat.*

(*x*) Euseb. lib. V, c. XXIII. Φέρεται εἰσέτι νῦν τῶν κατὰ Παλαιστίνην τηνικάδε συγκεκροτημένων γραφὴ, ὧν προυτέτακτο Θεόφιλος τῆς ἐν Καισαρείᾳ παροικίας ἐπίσκοπος, καὶ Νάρκισσος τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις -- - Τῶν δὲ κατὰ Πόντον ἐπισκόπων ὧν Πάλμας ὡς ἀρχαιότατος προυτέτακτο. Exstat etiamnum epistola *sacerdotum*, qui tunc *in Palæstina* congregati sunt, *quibus præsidebant Theophilus* Cæsareæ Palæstinæ & *Narcissus* Hierosolymorum Episcopus. - - Habentur præterea litteræ *Episcoporum Ponti, quibus Palmas* vtpote antiquissimus *præfuit.*

firmiter

firmiter probare. In Concilio enim præsidere non necessario Metropolitani arguit potestatem; quod præsidere potuerunt tamq' am Episcopi seniores, quemadmodum, EVSEBIO diserte adfirmante, eorum aliquis fecit, nimirum *Palmas*, Episcopus *Amastris*, ὡς ἀρχαιότατ☉ πρȣ̈τέτακτο, tamquam senior præsedit. Quod non sine caussa ab EVSEBIO adnotatum esse videtur; *Heraclea* enim non *Amastris* ciuilis Metropolis *Ponti* erat. BLONDELLVS ex hoc loco concludit, eo tempore Episcopos seniores vbique fuisse Metropolitanos. Sed non satis liquido patet, hunc morem vllo alio in loco, quam in Ecclesiis *Africanis*, obtinuisse; quemadmodum mox indicabo: Nam ex aliis exemplis, quæ attulimus, melius videtur consequi, Episcopos earum vrbium, quæ secundum ciuilem respectum metropoles fuerunt, generatim etiam Primates seu Metropolitanos fuisse.

§. V.

Quo nomine Metropolitani *antiquitus appellati fuerint.*

Nulli quidem eorum diserte *Metropolitani* dicti fuere. Vix enim in vllo antiquitatis monumento ante Concilium *Nicænum* illud nomen inuenias: sed primis temporibus vocabantur πρῶτοι & κεφαλαὶ, vt Canones sic dicti Apostolici [y] eos appellant. In sequentibus sæculis aliter nominabantur, exempli gratia *Archiepiscopi*, vt *Alexandriæ* [z] & aliis in locis, vsque dum nomen illud *Patriarchis* attribui cœptum fuit. Concilium *Sardicense* [a] vocat eos Ἐξάρχȣς τῆς ἐπαρχίας, *Exarchos Pro-*

(y) Can. Apost. c. XXXVII. vid. supra not. (o) p. 207.

(z) Epiphan. Hær. LXVIII n 1. Ὁ μὲν Μελήτιος ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ καθειργμέν☉ ἦν, αὐτός τε καὶ οἱ προειρημένοι μάρτυρες ἅμα τῷ προειρημένῳ Πέτρῳ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπισκόπῳ Meletius cum Martyribus ac præcipue *Petro Archiepiscopo Alexandrino* in vinculis habebatur. &c. Hæres. LXIX. n 1. Ὅσαι ἐκκλησίαι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ὑπὸ ἕνα Ἀρχιεπίσκοπον ȣ̃σαι κ. τ. λ. Quotquot Alexandriæ catholicæ communionis ecclesiæ sunt vni *Archiepiscopo* subiectæ &c.

(a) Concil. Sardic. c. VI. (Tom. II. p 632.) Χρὴ πρότερον ἐκεῖνον τὸν ἐναπομείναντα ἐπίσκοπον ὑπομιμνήσκεσθαι διὰ γραμμάτων τȣ̃ ἐξάρχȣ τῆς ἐπαρχίας, λέγω δὲ τȣ̃ ἐπισκόπȣ τῆς μητροπόλεως, ὅτι ἀξιοῖ τὰ πλήθη ποιμένα αὐτοῖς δοθῆναι - ἡγȣ̃μαι καλῶς ἔχειν, καὶ τȣ̃τον ἐκδέχεσθαι, ἵνα παραγένηται. Oportet illum prius, qui non adfuerit, episcopum admoneri per litteras *Primatis prouinciæ*, nempe e-

vinciæ. AVGVSTINO non numquam dicuntur *Principes* [*b*]; & HILARIO Papæ [*c*] *Monarchæ.* Quum autem hæc nomina sæcularis celſitudinis eſſent tituli, & nimium quantum abſolutam ſaperent poteſtatem atque dominium, Concilium *Carthaginenſe* III. expreſſe eorum vſurpationem interdixit, decernendo [*d*], vt *primæ ſedis Epiſcopus non appelletur PRINCEPS SACERDOTVM, aut SVMMVS SACERDOS, aut aliquid huiusmodi, ſed tantum PRIMAE SEDIS EPISCOPVS.* Hinc eſt, quod iſti Epiſcopi, qui in aliis mundi partibus Metropolitani dicti fuere, in *Africa* nomen Primatum plerumque geſſerint; quamquam nomen Metropolitani [*e*] in Conciliis etiam *Africanis* interdum vſurpatum deprehendimus.

§. VI.

Primates in Africa *appellati* Senes, *quod Epiſcopus ſenior ſemper Metropolitanus fuit*

Sed hi Primates in *Africa* frequenter vocati *Patres* & *Senes.* Vti *Xantippus* Primas *Numidiæ* in Codice *Africano* ſemel atque iterum [*f*] dicitur *Senex Xantippus.* Et AVGVSTINVS ei mittens epiſtolas inſcribit [*g*] *Patri & Conſacerdoti Seni Xantippo.* Atque ita in multis epiſtolis aliis [*h*] ſcribens ad Primates,

piſcopi metropolitani, quod rogat populus ſibi paſtorem dari; & exiſtimo recte habere, hunc quoque exſpectari vt adſit.

(*b*) Auguſt. Breuic. c. XVI. (Tom VII. p. 393 edit. Baſil. MDXXVIII.) quod non exſpectauerit Cæcilianus, vt *princeps* a *principe* ordinaretur.

(*c*) Hilar. Ep. ad Leont Arelat. Baron. A. CCCCLXII. Tom. VI. p. 263. Miramur fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem eſſe, vt quoque iniqua & contra Patrum noſtrorum ſtatuta in prouincia, *quæ ad monarchiam tuam* pertinet, ſi ipſe aut non vis, aut non potes, etiam nec nos ſilentii tui taciturnitatem permittas corrigere.

(*d*) Conc. Carth. III. c. XXVI. (Tom. II. Conc. p. 1171.)

(*e*) Conc. Carth. III. c. XXXIX. † Conc. Carth. IV. c. I. (Tom. II, pag. 1199.) Cum in his omnibus examinatus, inuentus fuerit plene inſtructus, tunc cum conſenſu clericorum & laicorum & conuentu totius prouinciæ epiſcoporum maximeque *metropolitani* vel auctoritate vel præſentia ordinetur epiſcopus.

(*f*) Cod. Can. Afric. Eccleſ. c. XC. (Tom. II Con. p. 1105.) Nam etiam tractoriam ſanctitatis tuæ cum ad *ſanctum ſenem Xantippum* deferrem &c. Can. C. (ibid. p. 1117.) Promiſſæ ſunt litteræ *ad ſenem Xantippum.*

(*g*) Auguſt. Ep. CCXXXVI. Domino beatiſſimo & venerabiliter ſuſcipiendo *patri & conſacerdoti Seni Xantippo* in Domino ſalutem.

(*h*) Aug Ep. CXLIX. Quod *ſenex* Megalius defunctus ſit, iam vos audiuiſſe, quis dubitet? CLII. Siluanus *ſenex* &c. CCXXXV. Nec ego tamen ta-

aut

aut de eis verba faciens, *Senes* eos appellat. Et erat peculiaris huius appellationis ratio in *Africa*. Sedes enim Primatis heic non vt in aliis locis ciuili Metropoli adligata erat, ſed ad Epiſcopi ſenioris in prouincia, vbicumque ille viueret, domicilium transferebatur. In aliis orbis partibus Epiſcopus ciuilis Metropolis plerumque etiam Eccleſiæ erat Metropolitanus: atque ita ſecundum diuerſos Canones tum in *Orientalibus* tum *Occidentalibus* Eccleſiis fieri debebat. Concilium *Antiochenum* [*i*] *omnes Epiſcopos, qui ſunt in vnaquaque prouincia*, dicit, *ſcire oportere, Epiſcopum, qui præeſt Metropoli, etiam curam ſuſcipere totius prouinciæ, eo quod in metropolim vndequaque concurrant omnes, qui habeant negotia.* Et Concilium *Taurinenſe* [*k*] ex hoc fundamento litem de Primatu inter duos Epiſcopos *Arelatenſem* & *Viennenſem* diremit; facto decreto, quod, *qui ex iis comprobauerit ſuam ciuitatem eſſe Metropolim, is totius Prouinciæ honorem Primatus obtineat.* Concilium *Chalcedonenſe* duos habet Canones [*l*], quibus eas ciuitates in Eccleſia iubet eſſe metropoles, quæ ſecundum ciuilem Imperii diſtributionem eſſent me-

cui apud venerabilem & debita mihi pro eius meritis honorificentia ſuſcipiendum fratrem & collegam meum *ſenem Aurelium* &c. CCLXI. Habebam, de quo cogitabam paratum Presbyterum, propter quem ordinandum *ſanctum ſenem*, qui tunc primatum Numidiæ gerebat, de longinquo vt veniret, rogans litteris impetraui.

(*i*) Concil. Antioch. can. IX. Τὺς καθ' ἑκάςην ἐπαρχίαν ἐπισκόπυς εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεςῶτα ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τὺς πράγματα ἔχοντας.

(*k*) Conc. Taurin. c. II. (Tom. II. p. 1156.)

(*l*) Concil. Chalced. c. XII. (Tom. IV. p 762) ὅσαι ἤδη πόλεις διὰ γραμμάτων βασιλικῶν τῷ τῆς μητροπόλεως ἐτιμήθησαν ὀνόματι, μόνης ἀπολαυέτωσαν τῆς τιμῆς, καὶ ὁ τὴν ἐκκλησίαν αὐτῆς διοικῶν ἐπίσκοπος, δηλονότι σωζομένων κατὰ ἀλήθειαν, μητροπόλει τῶν οἰκείων δικαίων. Quæcumque ciuitates per litteras imperatorias metropolis nomine honoratæ ſunt, ſolo honore fruantur, & qui eius eccleſiam adminiſtrat epiſcopus, ſeruato ſcilicet veræ metropoli ſuo iure. Can. XVII. Εἰ δέ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξυσίας ἐκαινίσθη πόλις, ἢ αὖθις καινισθείη, τοῖς πολιτικοῖς καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαςικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολυθείτω. Sin autem etiam ciuitas aliqua ab imperatoria auctoritate innouata eſt, vel deinceps innouata fuerit, ciuiles & publicas formas eccleſiaſticarum quoque parochiarum ordo conſequatur.

tropoles. Et Concilium *Trullanum* [m] Canonem quemdam in eamdem ſententiam habet.

At enim vero in eccleſiis *Africanis* aliter ſe res habebat: Illæ enim ſuis ipſarum legibus & canonibus gubernabantur; lex autem ipſis erat, vt Primatus de ciuitate alia in aliam transferretur, & ſemper cum Epiſcopo ſeniore migraret, ſine vllo ciuilis metropolis reſpectu, ſola *Carthagine* excepta, vbi Epiſcopus fixam & ſtabilem Metropolitani ſedem pro prouincia *Africa* proprie ſic dicta habebat. At in *Numidia* & *Mauritania* hic honor mobilis erat; vt vel ex hoc vno exemplo apparet. *Conſtantina Numidiæ* erat metropolis, vti tum ex antiqua Imperii notitia, tum ex quodam Codicis *Africani* Canone [n], diſerte eam ita vocante, conſtat: tantum tamen abeſt, vt Primatis ſedes fixa ibi fuerit, vt ne quidem Epiſcopum *Conſtantinenſem* vllo vmquam tempore Primatem fuiſſe legas; ſed tamen *Conſtantini* ætate *Secundus Tigiſitanus* [o] Primas fuit *Numidiæ*; tempore *Auguſtini Megalius* Epiſcopus *Calamenſis* fuit Primas, qui pro muneris ſui ratione [p] *Auguſtinum* ordinauit Epiſcopum; deinde *Xantippus Tagaſtenſis* [q] ſucceſſit, quod

(m) Conc. Trull c. XXXVIII. (Tom. VI. p. 1159) Τὸν ἐκ τῶν πατέρων τεθέντα κανόνα καὶ ἡμεῖς παραφυλάττομεν, τὸν οὕτω διαγορεύοντα· εἴ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας κ. τ. λ. Canonem qui a patribus factus eſt, nos quoque obſeruamus, qui ſic edicit: *Si qua ciuitas* &c. vid. not (*l*) p. 211

(n) Cod. Can Eccleſ. Afric. c. LXXXVI. (Tom. II. Conc. p. 2001.) Ἤρεσε πᾶσι τοῖς ἐπισκόποις τοῖς ἐν ταύτῃ τῇ συνόδῳ ὑπογράψασιν, ἵνα τὸ ματρίκιον καὶ ἀρχέτυπον τῆς Νουμιδίας, καὶ εἰς τὴν πρώτην καθέδραν ᾖ καὶ εἰς τὴν μητρόπολιν Κωνσταντῖναν. Placuit omnibus epiſcopis, qui in hoc concilio ſubſcripſerunt, vt matricula & archiuus Numidiæ & apud primam ſedem ſit, & *in metropoli*, id eſt, *Conſtantina*.

(o) Aug. contr. Parmen. lib. I. c. III. Qui venientes cum *primate* ſuo tunc *Secundo Tigiſitano* &c. Epiſt. LXVIII. ad Ianuar. Illud tamen nullo modo prætermittendum eſt, quomodo Felicis Aptungenſis, quem fontem malorum in concilio Carthaginenſi, *ab Secundo Tigiſitano primate* patres veſtri fuiſſe dixerunt, rogantibus apud *imperatorem* veſtris, publico iudicio cauſſa diſcuſſa atque finita ſit, &c.

(p) Poſſid. Vit. Aug c. VIII. Adueniente ad eccleſiam Hipponenſem tunc *Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo*.

(q) Conc. Mileuit. I. in Cod Afr. c. LXXXIV Xantippus primæ ſedis Numidiæ Epiſcopus.

Auguſt. Epiſt. CCXVII. Collega noſter *Xantippus Tagaſtenſis* dicit, quod eum *Primatus* ipſe contingat &c.

eſſet ſenior; vnde *Auguſtino* [r] & Conciliis *Africanis* [s] ſemper *Senex Xantippus* audit. Hæc ſufficiant ad demonſtrandum, quod Primatus in *Africa* ciuili metropoli haud adſtrictus, ſed ſeniori ſemper Epiſcopo collatus fuerit, cuius ætas a tempore, quo conſecratus erat, fuit æſtimata. Sunt, qui hos Primates hoc non obſtante ciuilis metropolis Epiſcopis, tamquam proprie Metropolitanis, ſubiectos fuiſſe dictitant. Sed iſtorum ſententia vero deſtituitur fundamento, & a MARCA [t] aliisque, qui hanc materiam, occaſione ita ferente, attigere, merito exploſa eſt.

§. VII.

Quomodo Epiſcopi Africani *ius ſuum Primatus perdere potuerint.*

Verum equidem eſt, quod ſecundum diſciplinam eccleſiarum *Africanarum* Epiſcopus Primogenituram ſuam, adeoque & ius Primatus potuerit perdere; quemadmodum e certo quodam loco AVGVSTINI [u] manifeſtum eſt, qui de eiusmodi pœna,

(r) Auguſt. Ep CCXXXVI vid. ſupra not. (g). p. 210.

(s) Cod. Can. Afr. c. XC. & C. vid. not. (f). p. 210.

(t) Marca Diſſert. de Primat. Lugdun. n. III. p. 11. Licet ex ſex prouinciis, ex quibus Africana dioeceſis conſtabat, duæ Mauritaniæ, Numidiæ, Byacena & Tripolitana, ſua quæque metropoli in ordine imperii non carerent, prima tamen ſedes eccleſiaſtica non erat illi addicta, ſed Epiſcopum ſeniorem ſequebatur. - - Solius Carthaginis ſplendor id obtinuerat, vt illius ciuitatis Epiſcopus primas eſſet proconſularis prouinciæ, immo vero & caput reliquarum quinque prouinciarum, quas enumeraui. Non moror in probando ſpeciali iſto Africanarum eccleſiarum vſu, qui primatum prouinciæ non ciuitatibus, ſed perſonis dabat. Abunde id præſtiterunt eruditi viri, adductis & diſcuſſis locis ex Auguſtino, Africanis conciliis, Gregorio primo & Leone nono petitis: exploſa recentiori quadam opinione, quæ primates vagos & deſultorios in Africa ratione antiquioris ordinationis fatetur, ſed metropoleon Epiſcopis ſubeitos fuiſſe fruſtra contendit.
Albaſpin Not. in Optat lib. I. p. 121.
Stillingfl. *Hiſt. of Separ.* Par. III. §. IX. p. 253. Fell. Not. in Conc. Carth. ap. Cypr p. 230

(u) Aug Epiſt. CCLXI. Exſiſtat exemplo, ipſa ſede Apoſtolica iudicata firmante, quosdam pro culpis quibusdam nec Epiſcopali ſpoliatos honores, nec relictos omnimodis impunitos Quæ vt a noſtris temporibus remotiſſima non requiram, recentia memorabo: Clamet *Priſcus*, prouinciæ Cæſareenſis Epiſcopus: *Aut ad Primatum locus, ſicut cæteris, & mihi patere debuit*, aut *Epiſcopatus mihi remanere non debuit.* &c.

Prisco, Episcopo *Mauritaniæ*, inflicta loquitur, cui propter malam officii administrationem hoc priuilegium, relicto quidem Episcopatu, ademtum fuit; at vero in tali casu Primatus non ad ciuilis metropolis Episcopum, sed ad proximum in ordine, qui se ante reliquos omnes consecratum fuisse probare poterat, deuoluebatur.

§. VIII.

Catalogum Ordinationum in ecclesia Primatis adseruari, eique omnes Episcopos secundum ætatem inscribi oportebat.

Et quum non numquam de ætatis prærogatiua suboriretur disceptatio, ad hanc ipsam anteuertendam diuersæ bonæ leges a Patribus *Africanis* hoc respectu latæ fuere. Primo quidem, vt *Matricula* seu *Archiuus*, quemadmodum vocabant, tum in ecclesia Primatis [w], tum in metropoli prouinciæ adseruaretur, vt Episcopi consecrationis suæ tempus demonstrare inde possent. Secundo, quilibet Episcopus epistola ordinationis, ab eo, qui ipsum ordinarat, subscripta, annoque & die consecrationis ipsius signata [x] instructus esse debebat. Tertio, omnes Episcopi locum occupare debebant secundum ætatem, atque ita sedere ac suffragia ferre, nominaque sua in Concilio subscribere; quæ lex erat non in *Africa* [y] tantum, sed in omnibus reliquis Ecclesiis a diuersis stabilita Conciliis [z], &

(w) Concil. Mileuit. in Cod. Afr. c. LXXXVI. vid. supra not. (n). p. 212.

(x) Conc. Mileuit. c. XIV. (Tom. II. p. 1541.) Placuit, vt quicumque ab episcopis ordinantur, litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes consulem & diem, vt nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

(y) Conc. Mileuit. c. XIII. ibid. Posteriores anterioribus deferant nec eis inconsultis aliquid agere præsumant.
Vit. Fulgent. c. XX. Inter Episcopos, tempore ordinationis inferior, vltimus sedebat.

(z) Concil. Bracar. I. Can. XXIV. (potius Conc. II. c. VI. Tom. V. p. 840.) Item placuit, conseruato metropolitani episcopi primatu, cæteri episcoporum, *secundum suæ ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum.*
Tolet. IV. c. IV. (Tom. V. p. 1704) Hora prima diei ante solis ortum eiiciantur omnes ex ecclesia, obseratisque foribus cuncti ad vnam ianuam, per quam sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent; & conuenientes omnes episcopi pariter introeant, & *secundum ordinationis suæ tempora resideant.*

ciuili

ciuili Legi [*a*] a *Iustiniano* Imperatore inserta : Sed omnium accuratissime in *Africa* obseruata, vbi Primatus ad Seniorem deuolui solebat, ne illius neglectio confusionem inter eos pareret. Adeo, vt *Augustinus* [*b*] *Victorinum* (qui Primatem *Numidiæ* se venditabat) eam duntaxat ab caussam reprehenderet, quod in *Tractoria* seu epistola sua citatoria ad Concilium prouinciale nomina Episcoporum *Numidiæ* confuse scripserit, *Augustini* nomen multis aliis, ætate ipsum superantibus, anteponendo : quæ res, *Augustino* quidem iudicante, istis iniuriosa erat, ipsi autem inuidiosa. Adeo circumspecte prouidebat, ne quid faceret, quod aduersus hanc legem pugnare videretur, veritus, ne qua in ecclesiarum gubernatione suboriretur confusio.

§. IX.

Tria genera Primatum honorariorum, præter Primates potestatis. I. *Primates aeuo.*

Porro heic notandum est, præter Primates potestatis fuisse etiam in plerisque prouinciis Primates honoris ; vnde non nulli Episcopi nomen & titulum Primatum gerebant, qui non habebant iurisdictionem. Et horum tria erant genera. Primum quidem *Primates æuo*; vt Episcopus senior in qualibet prouincia, post Metropolitanum proximus. Hic nullam in reliquos habebat potestatem, nisi quando Metropolitanus ob vitæ suæ rationem a recta legum norma desciscentem, vel munus ad tempus ei abrogatum, ad ministeria sua inhabilis erat: In tali casu potestas plerumque Seniori in prouincia deferebatur. Et

(*a*) Cod. Iustin. lib. I. Tit. IV. c. XXIX. *Τριῶν ἅμα τῷ μητροπολίτῃ συνιόντων θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων τῶν κατὰ τὴν τάξιν τῆς χειροτονίας πρωτευόντων.* Cum metropolitano tribus conuenientibus religiosissimis episcopis, *qui cæteris propter ordinationem præferuntur.*

(*b*) Augustin. Ep. CCXVII. ad Victorin. Legi in eadem tractoria etiam ad Mauritanias esse scriptum, quas prouincias scimus suos habere Primates. Quod si & ex eis ad Numidiam conuocandum esset concilium, oportuit vtique, vt aliquorum Maurorum episcoporum, qui illic priores sunt, nomina in tractoria ponerentur: quod in ista tractoria non reperiens multum miratus sum. Deinde ad ipsos Numidas ita perturbato & neglecto ordine scriptum, vt nomen meum tertio loco inuenerim, qui noui, quam post multos episcopus factus sum; quæ res & aliis iniuriosa est satis, & mihi inuidiosa.

haec

hæc, reor, caussa fuit, quamobrem Episcopus *Amastris* [c] in Concilio primum inter Episcopos *Ponti* locum habuerit, cum tamen *Heraclea*, non autem *Amastris*, illius prouinciæ esset metropolis.

§. X.

II. *Metropolitani titulares*.

Secundum genus honorariorum Primatum erant *Metropolitani titulares*, qui erant Episcopi earum vrbium, quæ nomen & titulum ciuilis metropolis ab Imperatore quodam sibi datum gerebant, sine tamen potestate & priuilegiis, quæ veteri metropoli prouinciæ reseruabantur. Ita *Marcianus* Imperator *Chalcedonem* vrbem titulo metropolis donabat, & honor in ipso Concilio *Chalcedonensi* [d] Episcopo loci confirmabatur, saluo tamen iure *Nicomediæ*, antiquæ metropolis. Itaque ab eo tempore Episcopus *Chalcedonensis* se ipsum Metropolitanum *Bithyniæ* nominabat, vt ex Actis [e] Concilii generalis sexti videre est. Idem honor ciuitati *Nicæ*, eiusque Episcopo, similiter in Concilio *Chalcedonensi* [f] contigit. Vt adeo tres in

(c) Euseb. lib. V. c. XXIII. Τῶν κατὰ Πόντον ἐπισκόπων ὧν Πάλμας ὡς ἀρχαιότατος προὐτέτακτο. Episcoporum Ponti, quibus Palmas *vtpote antiquissimus* præfuit.

(d) Concil. Chalced. Act. VI. (Tom. IV. p. 612.) Ὁ θειότατος καὶ εὐσεβέστατος ἡμῶν δεσπότης πρὸς τὴν ἁγίαν σύνοδον εἶπεν· εἰς τιμὴν τῆς τε ἁγίας μάρτυρος Εὐφημίας, καὶ τῆς ὑμετέρας ὁσιότητος τὴν Καλχηδονέων πόλιν, ἐν ᾗ τῆς ἁγίας πίστεως σύνοδος διεκροτήθη, μητροπόλεως ἔχειν πρεσβεῖα ἐθεσπίσαμεν, ὀνόματι μόνῳ ταύτην τιμήσαντες, σωζομένου δηλαδὴ τῇ Νικομηδέων μητροπόλει τοῦ ἰδίου ἀξιώματος· πάντες ἐβόησαν· δικαία ἡ κρίσις τοῦ βασιλέως. Diuinissimus & piissimus Dominus noster ad sanctam synodum dixit: Ad honorem sanctæ Martyris Euphemiæ & vestræ pariter sanctitatis, *Chalcedonensem ciuitatem*, in qua sanctæ fidei Concilium gestum est, metropolis priuilegia habere sancimus, nomine tantum hanc honorantes, salua videlicet Nicomediensium ciuitati propria dignitate, omnes clamauerunt: Iustum iudicium imperatoris.

(e) Conc. Gen. VI. Act. XVIII. (Tom. VI. p. 1030.) Ἰωάννης ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς Καλχηδονέων μητροπόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας ὁρίσας ὑπέγραψα. Ioannes misericordia Dei *episcopus Chalcedonensis metropoleos Bithyniæ* prouinciæ definiens subscripsi. vid. etiam ibid. p. 1080.

(f) Concil Chalced. Act XIII. (Tom. IV. p. 716.) Τὸ θεῖον γράμμα τῆς θείας λήξεως Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος τηνικαῦτα τῇ Νικαίων παρασχὸν τὸ μητροπολιτικὸν δίκαιον, ἰδικῶς παρακελεύεται τῶν ἄλλων μηδὲν ὑφαιρεῖσθαι πόλεων. Sacræ litteræ diuinæ memoriæ Valentiniani & Valentis, quæ tunc *Nicænæ ciuitati præbuerunt metropoliticum ius*, proprie præcipimus ab aliis ciuitatibus nihil auferri. Ibid. αἱ νομοθεσίαι ὀνόματι μητροπόλεως μόνῳ ἐτίμησαν τὴν Νικαίων, προτιμᾶται

vna

vna prouincia Metropolitani fuerint, vno tantum habente potestatem; reliquorum priuilegia honoraria tantum erant, vt sederent in Concilio & proxime a Metropolitano suo ferrent suffragia. Sed vero hoc ipsum eiusmodi Episcopis sese efferendi dabat occasionem, & non numquam in primi Metropolitani ius adeo inuolabant, vt, Episcopis eius suffraganeis ab ipso abalienatis, prouinciam cum eo diuiderent. Ita comparatum fuit cum Episcopo *Nicæno*, qui ante tempus Concilii generalis sexti suffraganeorum synodum sub se habuit. *Photius* enim isti Concilio [g] vt Episcopus *Nicænus* & Metropolitanus *Bithyniæ* suo ipsius & synodi, quam sub se habebat, nomine subscripsit.

§. XI.

III. *Episcopi quarumdam Ecclesiarum matrum, quibus ex more vetusto iste honor exhibitus fuit.*

Præter eos, quos nominauimus, tertium quoddam genus Primatum erat, qui licet nec titularium metropoleon Episcopi, nec Seniores essent in prouincia, cæteris tamen omnibus præferebantur, propter singularem obseruantiam, qua ab vniuersis colebantur, eminentiæ sedis ipsorum intuitu, cum ea vel esset Ecclesia mater, vel singulariter ex antiqua præscriptione honorata: quemadmodum in Episcopo *Hierosolymitano* conspicimus. Hæc enim ciuitas non erat Imperii metropolis, sed *Cæsreæ* metropoli *Palæstinæ* subiecta; attamen quum esset totius orbis Ecclesia mater, singularis iste honor ipsi deferebatur, vt eius Episcopus dignitate semper esset Metropolitano *Cæsareensi* proximus, locumque haberet præ reliquis istius prouinciæ Episcopis superiorem. Et hoc ipsi priuilegium in Concilio *Nicæno* [h] fuit confirmatum, quod Canonem in hunc finem fecit:

δὲ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας τῇ τιμῇ μόνῃ. Leges *nomine metropolis solummodo* honorauerunt *Nicænam ciuitatem*, & præponitur reliquis episcopis prouinciæ *honore solummodo*.

(g) Concil. Gen. VI. Act. XVIII. (Tom. VI. p. 1080.) Φώτιος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Νικαέων μητροπόλεως τῆς Βιθυνῶν ἐπαρχίας ὑπὲρ ἐμαυτοῦ καὶ τῆς ὑπ' ἐμὲ συνόδου ὁμοίως ὑπεσημηνάμην. Photius misericordia Dei episcopus Nicææ metropoleos Bithynorum prouinciæ pro me & synodo, quæ sub me est similiter subsignaui.

(h) Concil Nicæn. c. VII. ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος.

Quoniam obtinuit consuetudo & antiqua traditio, vt qui est in Aelia Episcopus, honoretur: habeat honoris consequentiam, metropoli propria dignitate seruata. Falso sibi quidam persuaserunt [*i*], hunc Canonem Episcopo *Hierosolymitano* Patriarchalem conferre potestatem; cum tamen ne quidem Metropolitanum eum faciat, sed metropoli *Palæstinæ* subiectum manere iubeat, quæ *Cæsarea* teste HIERONYMO [*k*] erat, cuius verba Canonis istius sensum explanant, probantque, Episcopum *Hierosolymitanum* non fuisse Metropolitanum, nec a Metropolitani sui obsequio immunem, quemadmodum VALESIVS [*l*] sibi persuadet; sed habuisse tantum secundum a Metropolitano honoris locum, qui erat Primatus honoris, quo Episcopus *Hierosolymitanus* semper fruitus erat, quoniam, vt verba Concilii *Constantinopolitani* habent [*m*], *Ecclesia Hierosolymitana aliarum omnium mater* erat.

§. XII.

Officia Metropolitanorum. Primum *quidem: Ordinare Episcopos suos suffraganeos.*

Sed relictis hisce Primatibus honorariis, quibus præter nomen nihil fere erat, pergimus nunc ostensuri, quæ officia ac priuilegia proprie sic dictorum Metropolitanorum fuerint; nimirum ea, quæ sequuntur. Primum quidem eorum erat, omnium suorum Episcoporum prouincialium dirigere electionem, eosque vel ordinare, vel ordinandi dare potestatem. Nullum Episcopum ipsis non consentientibus, nec approbantibus, eligi decebat vel ordinari: alioquin enim Canones & electionem

(*i*) Syluius Addit. ad Carranz. summ. Concil. p. 70 edit. Colon. *Habeat consequenter honorem*, id est, post Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum Episcopum.

(*k*) Hieron. Ep. LXI. ad Pammach. Hoc ibi decernitur, vt Palæstinæ metropolis Cæsarea sit.

(*l*) Vales. Not. in Euseb. lib. V. c. XXIII. Cæsareensis Episcopus ante concilium Nicænum & diu postea Metropolitani honorem & dignitatem semper obtinuit; ita vt omnibus Palæstinæ conciliis præsideret tamquam primæ sedis Episcopus. Nihilominus tamen Hierosolymorum episcopis honor semper est habitus, vtpote Apostolicæ ecclesiæ, quæ prima Episcopum habuisset. Itaque quodam honoris priuilegio fruebantur eius sedis episcopi; *nec Cæsareensi Episcopo subiacebant, sed erant* αὐτοκέφαλοι.

(*m*) Concil. Constantinop. I. Ep. ad Damas. (Tom. II. p. 965.) Τῆς δὲ μητρὸς ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις.

& or-

& ordinationem irritam declarabant. *Eorum, quæ fiunt*, inquit Concilium *Nicænum* [n], *confirmationem in vnaquaque prouincia a Metropolitano fieri oportet.* Et iterum [o]: *Illud autem est omnino manifestum, quod si quis absque Metropolitani sententia factus sit Episcopus, eum magna Synodus definiuit non esse Episcopum.* Eadem lex in Conciliis *Antiocheno* [p], *Laodiceno* [q], *Arelatensi* [r], *Taurinensi* [s], *Sardicensi* [t], *Ephesino* [u] & *Chalcedonensi* [w] repetita est. Et quamquam non nulli, Primates *Africanos* hanc potestatem non habuisse, autumant, contrarium tamen ex diuersis Conciliorum canonibus luculenter

(n) Conc. Nic. c. IV. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ.

(o) Ibid. c. VI. Καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον.

(p) Concil Antioch. c. XIX. (Tom. II p. 569.) Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τοῦς ἐπαρχίας. Episcopus ne ordinetur absque synodo & præsentia metropolitani prouinciæ.

(q) Conc. Laod. c. XII. (Tom. I. p. 1497.) Περὶ τοῦ, τοὺς ἐπισκόπους κρίσει τῶν μητροπολιτῶν, καὶ τῶν πέριξ ἐπισκόπων, καθίστασθαι εἰς τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀρχήν, vt episcopi metropolitanorum & eorum, quæ sunt circumcirca, episcoporum iudicio, in ecclesiastico magistratu constituantur.

(r) Concil. Arelat. II. c. V. (Tom. IV. p. 1011.) *Episcopum sine metropolitano*, vel epistola metropolitani, vel tribus comprouincialibus, *non liceat ordinare.* Can. VI. Illud ante omnia clareat, eum *qui sine conscientia metropolitani* constitutus fuerit episcopus, iuxta magnam synodum *esse episcopum non debere.*

(s) Conc. Taurin. c. I. (Tom. II. p. 1155.) Cum primum omnium vir sanctus Proculus Massiliensis episcopus ciuitatis se tamquam metropolitanum ecclesiis, quæ in secunda prouincia Narbonensi positæ videbantur, diceret præesse debere, atque per se ordinationes in memorata prouincia summorum fieri sacerdotum &c.

(t) Concil. Sardic. c. VI. Χρὴ πρότερον κ. τ. λ. vid supra not. (a) p. 209.

(u) Concil. Ephes. Decret. de Episcop. Cypr. (Tom. III. p. 802.) Ἕξουσι τὸ ἀνεπηρέαστον καὶ ἀβίαστον οἱ τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν τῶν κατὰ τὴν Κύπρον προεστῶτες, κατὰ τοὺς κανόνας τῶν ὁσίων πατέρων καὶ τὴν ἀρχαίαν συνήθειαν, δι' ἑαυτῶν τὰς χειροτονίας τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων ποιούμενοι. Habebunt ius suum intactum & inuiolatum qui sanctis in Cypro ecclesiis præsunt, secundum canones sanctorum patrum & veterem consuetudinem per se ipsos ordinationes religiosissimorum episcoporum facientes.

(w) Conc. Chalced. Act. XIII. (Tom. IV. p. 713.) Τὸ κῦρος τῶν γινομένων διοίσει καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Potestas gestorum vniuscuius iue prouinciæ *metropolitano Episcopo* competit. Can. XXV. p. 768. Ἐπειδή τινες τῶν μητροπολιτῶν - - ἀναβάλλονται τὰς χειροτονίας τῶν ἐπισκόπων κ. τ. λ. Quoniam nonnulli *metropolitani* - - *episcoporum ordinationes* differunt &c.

 apparet

apparet. Concilium *Carthaginense* IIdum [*x*] dicit: ***Inconsulto Primate cuiuslibet prouinciæ nemo præsumat, licet cum multis Episcopis, sine eius præcepto Episcopum ordinare.*** Concilium *Carthaginense* III. tres ad minimum Episcopos ad Episcopi cuiusdam ordinationem requirit, at eos a Metropolitano ad illud negotium auctoritatem habere [*y*] iubet. Et Concilium IIII. [*z*] aut ipsius præsentiam, aut saltem auctoritatem & mandatum requirit. In tali casu Primas & Metropolitanus vnum idemque erant, nimirum Senior Episcopus prouinciæ, qui plerumque ad eam Ecclesiam, in qua nouus Episcopus constituendus erat, se conferebat, eumque sua ipsius dextera consecrabat, quemadmodum AVGVSTINVS & POSSIDIVS [*a*], qui de ipsorum praxi optime omnium iudicare poterant, testificantur.

§. XIII.

Hanc potestatem, constitutis super eos Patriarchis, retinuerunt.

Neque vero eorum potestas, constitutis super eos Patriarchis, vllo modo infracta est. Nam etsi tum quidem Metropolitani a Patriarchis ordinari, eosque propterea adire debuerunt, cum antea a sua ipsorum Synodo prouinciali ordinarentur: tamen ius suos ipsorum Suffraganeos ordinandi continuo ipsis reseruatum & expressis verbis a Concilio *Chalcedonensi* [*b*] confirmatum fuit; neque vllum vmquam Patriarcham deprehendimus, qui hanc sibi potestatem arrogarit, præter Episcopum *Alexandriæ* ex speciali quadam ratione, qua de re capite sequente §. XI. acturus sum.

(*x*) Concil. Carthag. II. c. XII.

(*y*) Conc. Carth. III. c XXXIX. Non minus quam tres sufficiant, qui fuerint *a Metropolitano directi* ad ordinandum Episcopum.

(*z*) Concil. Carth. IV. c. I. Conuentu totius prouinciæ Episcoporum, maximeque *Metropolitani vel præsentia vel auctoritate ordinetur Episcopus.*

(*a*) Aug Ep. CCLXI. Propter quem ordinandum sanctum senem, qui tunc *Primatum Numidiæ gerebat*, de longinquo vt veniret, rogans litteris impetraui. Possid. Vit. Aug. c. VIII. Adueniente ad ecclesiam Hipponensem tunc *Primate Numidiæ* Megalio. - - Episcopatum suscipere Augustino recusabat.

(*b*) Conc. Chalced. Act. XVI. fin. (Tom. IV. p. 818. tot.)

§.XIV

§. XIV.

Hæc tamen poteſtas non arbitraria, ſed plurimis ſynodi prouincialis ſuffragiis circumſcripta fuit.

Verum enim vero notandum heic eſt, hanc Metropolitanorum poteſtatem non fuiſſe arbitrariam. Quamquam enim nullum epiſcopum eligi aut ordinari ſine eorum conſenſu licebat, non erat tamen eorum ſuffragium negatiuum ſed maiori ſynodi prouincialis parti ſe ſe attemperare debebant. Ita enim Concilium *Arelatenſe* [c] decreuit: *Si inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero Metropolitanorum in electione conſentiat.* Et Concilium *Nicænum* [d] in eamdem ſententiam: *Quod ſi quidem communi omnium electioni, quæ & rationi conſentanea, & ex regula eccleſiaſtica facta eſt, duo vel tres propter ſuam, qua delectantur, contentionem contradicant, vincant plurium ſuffragia.*

§. XV.

Metropolitani ab ſua ipſorum ſynodo prouinciali eligendi erant atque ordinandi.

Eadem lex in ipſorum Metropolitanorum ordinatione obſeruari debebat, quippe quos a ſuis ipſorum Epiſcopis prouincialibus eligi oportebat atque conſecrari; qui non neceſſe habebant, ex alia prouincia Metropolitanum ad id faciendum arceſſere, ſed id faciendi in prouinciali ſua ipſorummet ſynodo auctoritate inter ſe ipſos erant inſtructi. Hanc conſuetudinem AVGVSTINVS Catholicæ Eccleſiæ tum in *Africa*, tum *Romæ* fuiſſe auctor eſt. Quam *Donatiſtis* contra *Cæcilianum* Primatem *Carthaginenſem* obiicientibus, quod eius ordinatio eſſet illegitima, quoniam vicinum *Numidiæ* Primatem ad ſe ordinandum non arceſſiuiſſet, reſpondet ille [e], *Cæcilianum* ad id faciendum non fuiſſe obligatum, *Non*, inquiens, *exſpectauit Cæcilianus, vt princeps a principe ordinaretur; cum aliud habeat eccle-*

(c) Concil Arelat. II. c. V. (Tom. II. p. 1012.)

(d) Conc. Nic. Can. VI. Ἐὰν μέν τοι τῇ κοινῇ πάντων ψήφῳ εὐλόγῳ οὔσῃ, καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικὸν, δύο ἢ τρεῖς δι' οἰκείαν φιλονεικίαν ἀντιλέγωσι, κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος.

(e) Aug. Breuic. Collat tert. die c. XVI.

siæ catholicæ consuetudo, vt non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum ecclesiæ Carthaginis ordinent: Sicut nec Romanæ ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus.

Negari quidem non potest, esse in Concilio *Sardicensi* [f] Canonem, qui τὲς ἀπὸ τῆς πλησιοχώρε ἐπαρχίας ἐπισκόπες, *propinquioris prouinciæ Episcopos*, vt quorumdam vult interpretatio, ad Metropolitani cuiusdam ordinationem vocari iubet. Sed fortassis id æque recte reddi potuerit, *propinquos* [g] *eiusdem prouinciæ Episcopos*; & quum Ecclesiæ consuetudo & praxis, optima dubiorum Canonum interpres, huic sensui manifesto faueat, cum aliqua omnino ratione ea verba sic intelliguntur. Sed quidquid huius sit, non heic vllius Metropolitani, qui alium Metropolitanum ordinandi ius habeat, iniicitur mentio: Ex quo dignoscitur, hisce temporibus nulli Metropolitano ex sua ipsius prouincia, multo minus *Romam*, sui ordinandi caussa vel eundi, vel mittendi impositam fuisse necessitatem; sed omnia ab Episcopis Suffraganeis suæ ipsius ecclesiæ peragi debuerunt. Neque vllus Episcopus propter sui ordinationem ad Metropolitanum se conferre obligatus fuit, sed vt plurimum Metropolitanus & reliqui Episcopi in Ecclesiam vacantem coiuere, eligentes ibi & consecrantes nouum Episcopum, præsente populo, cui eum ordinabant. Hæc prima officii Metropolitani pars est.

§. XVI.

Secundum *officium Metropolitanorum decidere controuersias, inter prouinciales suos Episcopos subortas, ab iisque acceptare prouocationem.*

Proximum eorum officium erat, Episcopis suis prouincialibus præesse, & si qua inter eos suborta esset controuersia, eam interposita sua auctoritate finire atque decidere, adeoque

(f) Concil. Sardic. c. VI. (Tom. VI. p. 632.) Χρὴ δὲ μετακαλεῖσθαι καὶ τὲς ἀπὸ τῆς πλησιοχώρε ἐπαρχίας ἐπισκόπες πρὸς τὴν κατάστασιν τε τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπε. Oportet autem ex vicina quoque prouincia accersi episcopos ad metropolitani episcopi institutionem.

(g) Harmenopulus ita intelligit; nam in Epitome sua ita reddit: οἱ πλησιόχωροι τῆς ἐπαρχίας παρέστωσαν. Vid. Harmen. Epit. Canon. ap. Leunclau. Iur. Gr. Rom. Tom. I. p. 2.

&ac-

& accuſationes audire aliorum, qui de iniuria ſibi ab Epiſcopis ſuis illata querebantur, a quibus ad ipſorum Metropolitanum prouocare ſemper licitum erat. Ita in *Africa* [*h*] a Concilio *Mileuitano* ſancitum eſt, *vt*, ſi qua inter duos Epiſcopos de dioeceſium ſuarum finibus orta eſſet diſceptatio, *per Epiſcopos iudices cauſſa finiretur, ſiue quos eis primates dederint, ſiue quos ipſi vicinos ex conſultu primatis delegerint.* Si quis Presbyter aut Diaconus ab Epiſcopo ſuo fuerat eiectus, ei Concilium *Sardicenſe* [*i*] *poteſtatem concedit confugiendi ad Epiſcopum metropolis eiusdem prouinciæ: ſi autem Metropolitanus abfuerit, ad finitimum concurrendi & rogandi, vt ſuum negotium accurate examinetur.* In talibus caſibus Metropolitanus triplicem inire ſolebat rationem: Primo quidem ex Epiſcopis aliquot iudices conſtituere tenebatur, qui mos in *Africa* obtinebat, vbi iſti iudices idcirco vocabantur [*k*] *iudices electi*, qui, ſi cauſſa cuiusdam Epiſcopi tractanda eſſet, duodecim [*l*] eſſe debebant. Vel ſecundo cauſſam ad Synodum prouincialem referre eum oportebat, quæ generalis videtur praxis fuiſſe, vbi ſic dicti Canones Apoſtolici conditi ſunt: Quorum vnus [*m*] ſic habet: *Synodus ea quæ videntur aduerſus eum* (Epiſcopum accuſatum) *pronuntiet.* Alius dicit [*n*]: *Primas ne quid absque omnium ſententia agat. Sic enim*

(*h*) Concil. Mileuit. c. XXI. (Tom. II. Conc. p 1542)

(*i*) Conc. Sardic. c. XIV. (Tom. II. p. 640.) Ὁ ἐκβαλλόμενος ἐχέτω ἐξουσίαν ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας καταφυγεῖν· εἰ δὲ ὁ τῆς μητροπόλεως ἄπεστιν, ἐπὶ τὸν πλησιόχωρον κατατρέχειν, καὶ ἀξιοῦν, ἵνα μετὰ ἀκριβείας αὐτοῦ ἐξετάζηται τὸ πρᾶγμα.

(*k*) Concil. Carth. III. c. VII. † (nihil ibi de iſtis iudicibus, c. IX. vero hæc leguntur: Cui ad *eligendos iudices* vndique patet auctoritas.)

(*l*) Concil. Carth. I. c. XI. Epiſcopus a *duodecim conſacerdotibus* audiatur.

(*m*) Can. Apoſt. c. LXXIII. (Tom. I. Conc. p. 42.) Ἡ σύνοδος ἀποφαινέσθω κατ' αὐτοῦ τὰ δοκοῦντα.

Concil. Conſtantin. Gen. II. c. VI. (Tom. II. p. 950) Εἰ συμβαίη ἀδυνατῆσαι τοὺς ἐπαρχιώτας πρὸς διόρθωσιν τῶν ἐπιφερομένων ἐγκλημάτων τῷ ἐπισκόπῳ, τότε αὐτοὺς προσιέναι μείζονι συνόδῳ τῶν τῆς διοικήσεως ἐπισκόπων ἐκείνης ὑπὲρ τῆς αἰτίας ταύτης συγκαλουμένων. Quid ſi euenerit, vt prouinciales epiſcopi crimina, quæ epiſcopo intentata ſunt, corrigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad maiorem ſynodum dioeceſis illius epiſcoporum, pro cauſſa conuocatorum.

(*n*) Can. Apoſt. c. XXXIII. ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῆς πάντων γνώμης ποιείτω τι. οὕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσται καὶ δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ κυρίου ἐν ἁγίῳ πνεύματι.

Conc. Antioch. c. IX. (Tom. II. p. 565.) Περαιτέρω μηδὲν πράττειν ἐπιχειρεῖν δίχα

cii con-

erit concordia, & glorificabitur Deus per Dominum IESVM CHRISTVM. Et alius [o]: *Bis in anno fiat Episcoporum Synodus, & inter se examinent decreta religionis, & incidentes Ecclesiasticas controuersias componant.* Tertio autem ex lege *Iustinianea* [p] Metropolitanus poteſtatem habebat audiendi cauſſas, & ſolus quidem ſine ſynodo: enimuero an ſua ſolius auctoritate Epiſcopo officium abrogare potuerit, de hoc quidem dubitatur: SPALATENSIS [q] exempla quædam adfert Epiſcoporum, a Metropolitanis ſuis muneribus deiectorum; at quantum apparet, id a Synodo factum eſt. Sed vtrum res ita ſe habeat, an ſe-

τῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπυ μηδὲ αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης. Nihil vltra facere adgrediantur, ſine metropolis epiſcopo: neque ipſe ſino reliquorum ſententia.

(o) Can. Apoſt. XXXVI. Δεύτερον τῦ ἔτυς σύνοδος γενέσθω τῶν ἐπισκόπων, καὶ ἀνακρινέτωσαν ἀλλήλυς τὰ δόγματα τῆς εὐσεβείας καὶ τὰς ἐμπιπτύσας ἐκκλησιαστικὰς ἀντιλογίας διαλυέτωσαν.

(p) Cod. Iuſtin. lib. I. Tit. IV c XXIX. Θεσπίζομεν μηδένα τῶν εὐλαβεστάτων κληρικῶν, εἴτε παρά τινος συγκληρικῦ, εἴτε παρὰ τῶν καλυμένων λαϊκῶν τινὸς, εὐθὺς καὶ ἐκ πρώτης ἐν αἰτιάσει γίνεσθαι παρὰ τοῖς μακαριωτάτοις πατριάρχαις διοικήσεως ἑκάστης· ἀλλὰ πρῶτον κατὰ τὰς ἱερὰς θέσμυς παρὰ τῷ τῆς πόλεως ἐπισκόπῳ, καθ' ἣν ὁ κληρικὸς διάγει· εἰ δὲ ὑπόπτως ἔχει πρὸς ἐκεῖνον, παρὰ τῷ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπῳ τῦτο πράττειν. Sancimus, vt nemo venerabilis clericus ab aliquo ſiue clerico ſiue laico ab initio apud beatiſſimum Patriarcham prouinciæ accuſetur; ſed prius iuxta ſacra inſtituta apud Epiſcopum ciuitatis, in qua clericus verſatur; tum ſi is ſuſpectus eſt, *apud metropolitanum epiſcopum reum agat.*

(q) Spalat. de Rep. Eccleſ. Part. I. lib. III. c. VII. n. XIX. Nunc factis ipſis, ac præſertim pœnis, nec leuibus illatis, Metropolitanorum poteſtatem erga ſuos Epiſcopos confirmemus. Et ſane Cenſuris omnibus poſſe Metropolitanum in ſuos ſuffraganeos ex cauſſa agere, concedunt apertiſſime Canoniſtæ. Facta vero Catholicorum Metropolitanorum iam accipe, quum mihi occurrunt inſigniora. In ciuitate Epheſina, quando in ea tertia Oecumenica Synodus celebrabatur, inuenti ſunt aliquot Epiſcopi, qui grauibus de cauſſis a ſuis Metropolitanis erant depoſiti; vt narrant Patres illius Concilii in ſua Synodica ad Cæleſtinum Romanum Pontificem *apud Cyrill. Alex ep. XII. Synodali:* dum conqueruntur, Ioannem Antiochenum, Conciliabulum quoddam ex his depoſitis & ex aliis extorribus, qui nullas habentes eccleſias vagabantur, & ex eiectis, & Pelagianis, ac Cæleſtianis congregaſſe. Baſilius vero *epiſt.* LXXVI. depoſitionem minatur ſuis ſuffraganeis, ſi propter pecuniam faciant ordinationes. Ibas Edeſſenus a ſuis Clericis accuſatus, *Conc. Chalced.* c. IX iudicatus fuit ab Antiocheno Primate in Synodo: Florentinus Epidaurenſ. Epiſcopus (*Gregor. lib. II. Ind. II. Ep. IX. & lib. VII. Ind. I. ep. XII.* a Natali Solomitano in exilium pulſus eſt &c.

cus,

cus, non multum refert, nam vi eiusdem legis *Iustinianeæ* [r] & Canonum in omnibus casibus a Metropolitano ad Synodum prouincialem prouocare licebat, cuius ille tantummodo præses erat, & caussarum in ea decidendarum moderator duntaxat atque director.

§. XVII.

Tertium *eorum officium, conuocare Synodos prouinciales, ad quas omnes Episcopos suffraganeos coire oportebat.*

Et hoc ipsum ad tertium Metropolitanorum officium nos deducit, quod erat Synodos prouinciales conuocare, eisque præesse. Ex quo enim tempore Canones [s] ordinarie duas quotannis synodos, (præter eas, quæ extraordinaria quadam occasione conuocari poterant) in vnaquaque prouincia celebrari iusserunt, necesse erat, quemdam constitui, qui tempus & locum significaret, & eas tum conuocandi tum dirigendi polleret auctoritate. Itaque quæcumque eo spectabant, communi omnium consensione in Primatis sita erant potestate, cuius epistolæ circulares (quandoque *synodicæ* & *tractoriæ* [t], vt Imperatoris *sacræ*, vocatæ) legales erant citationes, quibus nul-

(r) Cod. Iustin. ibid. εἰ δὲ (ὡς εἰκὸς) οὔτε τὰ καθ' ἐκεῖνον αὐτῷ ἀρέσκοι, τηνικαῦτα πρὸς τὴν ἱερὰν σύνοδον τὴν τῆς χώρας ἄγειν αὐτὸν δικαζόμενον κ. τ. λ. Sed si forte nec ei quidem accusatio placuerit, *ad sacram eius regionis synodum accusatum deducat.*

(s) Conc. Nicæn. c V. Καλῶς ἔχειν ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι. Recte habere visum est, vt singulis annis in vnaquaque prouincia *bis in anno Synodi fiant.*

Concil. Antioch. c. XX. Καλῶς ἔχειν ἔδοξε συνόδους καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῶν ἐπισκόπων γίνεσθαι δεύτερον τοῦ ἔτους. Recte habere visum est, *vt synodi Episcoporum* in vnaquaque prouincia *fiant bis in anno.*

Concil. Agathens. c. XXXV. (Tom. IV. Conc p. 1389.) Si metropolitanus *episcopus ad comprouinciales epistolas direxerit*, in quibus *eos* aut ad ordinationem summi pontificis, aut *ad synodum inuitet*, postpositis omnibus, excepta graui infirmitate corporis aut præceptione regia, *ad constitutam diem adesse non differant.*

Conc. Arelat. II. c. XVIII. (Tom. IV. p. 1013.) Ad Arelatensis Episcopi arbitrium synodus congreganda.

Can. Apost. Can. XXXVI. Δεύτερον τοῦ ἔτους σύνοδος γινέσθω τῶν ἐπισκόπων, Bis in anno fiat Episcoporum synodus.

(t) Aug. Ep. CCXVII. ad Victorin. *Tractoria* quinto Idus Nouembris ad me venit &c.

lius prouinciæ Epiſcopus, ſub pœna interdictionis muneris adminiſtrandi, aut alius iſtiusmodi cenſuræ canonicæ, quæ Metropolitani & Concilii arbitrio [u] permittebatur, obſequium poterat denegare.

§. XVIII.

Quartum *Metropolitanorum officium, publicare leges & canones imperiales, viſitare diœceſes, & abuſus emendare.*

Metropolitanorum etiam erat, imperiales leges ac canones, a concilio vel imperatore communi eccleſiæ bono conditos publicare & diſpergere. Id quod diuerſæ leges [w] tum eccleſiaſticæ tum ciuiles ab ipſis poſtulant, vt tanto notiores fierent, eoque melius in praxin deducerentur. Non tantum canones, qui conſtituti erant, notos reddere, ſed prouidere etiam debebant, vt obſeruarentur: quod iis quoque per totam

(u) Conc. Chalced. c. XIX. (Tom. IV. p. 766.) *Τοὺς μὴ συνιόντας ἐπισκόπους ἐνδημοῦντας ταῖς ἑαυτῶν πόλεσι, καὶ ταῦτα, ἐν ὑγείᾳ διάγοντας, καὶ πάσης ἀπαραιτήτου καὶ ἀναγκαίας ἀσχολίας ὄντας ἐλευθέρους, ἀδελφικῶς ἐπιπλήττεσθαι.* Epiſcopi qui non conueniunt (ad ſynodum) reſident autem in ſuis ciuitatibus, & hoc, ſi in ſua incolumitate conſiſtunt, & ab omni inexcuſabili & neceſſario negotio liberi, fraterne reprehendantur.

Conc. Carth. IV. c. XXI. Vt Epiſcopus ad Synodum ire non ſine ſatis graui neceſſitate inhibeatur.

Theodoret. Ep. LXXXI. *Αἰτία οὐδεμία τῇ δοκούσῃ προσκεῖται τιμωρίᾳ, ἀλλ' ὅτι συνόδους ἐπισκοπικὰς συναθροίζω.* Cauſſa huic quæ videtur damnationi appoſita eſt nulla, niſi quod *Epiſcopales ſynodos congrego.* Ibid. *Καὶ ὑπήκουον τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι πειθόμενος, ὃς κινδυνεύειν παρακελεύεται τὸν καλούμενον εἰς σύνοδον, καὶ παραγίνεσθαι μὴ βουλόμενον.* Parebam autem vt eccleſiaſtico canoni obſequerer, *qui reum haberi iubet eum, qui ad ſynodum vocatus adeſſe noluerit.*

(w) Iuſtin. Nouell VI Epilog. *οἱ δὲ αὖθις καὶ αὐτοὶ προθήσουσί τε αὐτὰ κατὰ τὴν τῆς μητροπόλεως ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, τοῖς δὲ ὑφ' ἑαυτοὺς ἐπισκόποις φανερὰ ταῦτα καταστήσουσι.* Illi quoque (Metropolitani) rurſus etiam proponent ipſi et in metropolitana ſanctiſſima eccleſia, & conſtitutis ſub ſe epiſcopis hæc manifeſta faciant.

Nouell. XLII. Epilog. *Ἡ τοίνυν σὴ μακαριότης τὰ ὀρθῶς ἡμῖν παραστάντα φυλαττέτω τε καὶ εἰς ἔργον ἀγέτω, καταπέμπουσα αὐτὰ διὰ θεοφιλῶν αὐτῆς γραμμάτων πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτὴν τεταγμένοις μητροπολίταις· ὧν ἑκάστῳ γενήσεται φροντὶς ταῖς ὑπ' αὐτοὺς τεταγμέναις ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις ταῦτα ποιῆσαι φανερά.* Cuſtodiat itaque beatitudo tua, quæ recte admonita ſunt, & mittat ea per ſuas Deo dilectas literas omnibus ſanctiſſimis *Metropolitis*, ſub ipſa exiſtentibus, *quorum cuilibet cura erit, ipſa manifeſta facere* ſanctiſſimis eccleſiis ſub ipſis conſtitutis.

prouin-

prouinciam eundi & in neglectus, abusus & confusiones admissas inquirendi ius dabat. Metropolitanus hoc respectu a concilio *Antiocheno* [x] totius prouinciæ curam gerere dicitur. Hoc ipsum tamen potestatem ipsis haud concedebat sacris operandi in alius cuiusdam Episcopi ecclesia, aut tales actus administrandi, quos ipsi episcopi soli facere poterant: eiusmodi est presbyterorum ac diaconorum ordinatio, & id genus alia; quæ tamquam vnicuique episcopo propria ab eodem concilio reseruata sunt. Si quis autem omissi, aut turpiter neglecti officii reus exsisteret, Episcopus metropolis, consciis reliquis fratribus suis, curam sibi commissam testatam facere necesse habebat.

§. XIX.

Quinto: *Episcopis peregre abire sine Metropolitani sui litteris haud licebat.*

In *Africa* omnes Episcopi Primatem in eo singulariter colebant & obseruabant, vt, quum extraordinaria quadam occasione in extraneam regionem vocarentur, proficiscendi ab eo peterent veniam. Concilium *Carthaginense III.* [y] certo quodam canone statuit: *Vt Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis Episcopo suæ cuiusque prouinciæ, vt ab eo præcipue possint sumere formatam.* Non autem hoc in sola *Africa* moris erat, sed in aliis etiam locis eamdem regulam ac praxin deprehendas, adeo ad tempus vsque GREGORII MAGNI, qui in quadam epistola [z] quibusdam episcopis respectu ipsorum Metropolitani idem inculcat, vt nimirum vrgente quadam occasione sine eius venia & litteris non proficiscantur.

(x) Concil. Antioch. c. IX. *Τὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπυς εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας.* Episcopos qui sunt in vnaquaque prouincia scire oportet, *episcopum, qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius prouinciæ.*

(y) Conc. Carth. III. c. XXVIII. (Tom. II. p. 1169.)

(z) Gregor. M. lib. VII. Ep. VIII. Additur, quod ex nobis aliqui pro ecclesiæ suæ emergentibus caussis *transmarina petentes, sine prædicti Metropolitani sui cognitione vel epistolis,* sicut canonum ordo constituit, *audeant ambulare.* Hortamur ergo fraternitatem vestram, vt antiquam ecclesiarum vestrarum consuetudinem exsequentes tam de suscipienda paschali denuntiatione, quam etiam si quemquam vestrum pro caussis propriis, vbicumque compulerit ambulare necessitas, ab eodem Metropolitano vestro secundum indictam vobis regulam *petere cessionem debeatis.*

§. XX.

Sexto : *Metropolitanorum erat vacantis ſedis intra prouinciam ſuam curam agere.*

Metropolitanorum quoque erat, omnium vacantium ſedium, intra ſuam prouinciam gerere curam; negotia Eccleſiæ, quam diu ſedes aliqua vacaret, dirigere, reditus epiſcopales in tuto collocare, maturamque noui Epiſcopi procurare electionem. In *Africa* Primas plerumque cuidam ex propinquioribus epiſcopis in eiusmodi caſu vicariam epiſcopatus curam committebat, quem propterea Canones (vt obſeruauimus ſupra) *Interuentorem* [a] appellabant. Concilium *Reiense* [b] in *Gallia* ſedis vacantis adminiſtrationem ſimiliter vicino cuidam Epiſcopo, ſub inſpectione Metropolitani, tradit. Et Concilium *Valentinum* [c] in *Hiſpania* Metropolitanum auctoritate inſtruit puniendi eos, qui vacantis epiſcopatus reditibus quicquam ſuffurati fuerint, & mittendi adminiſtratorem, vſque dum nouus Epiſcopus electus ſit. Canone quodam Concilii *Chalcedonenſis* [d] redituum eccleſiaſticorum cura quæſtori Eccleſiæ, ſeu oe-

(a) Concil. Carth. V. c. VIII. (Tom. II. p. 1216.) Dare operam, vt intra annum eisdem epiſcopum prouideat, quod ſi neglexerit anno exemto, *interuentor* alius tribuatur.

(b) Concil. Reienſ. can. VI. Ne quis ad eam eccleſiam, quæ epiſcopum perdidiſſet, *niſi vicinæ eccleſiæ epiſcopus* exſequiarum tempore accederet; qui (viſitatoris vice) tamen ſtatim eccleſiæ ipſius curam directiſſime gereret, ne quid ante ordinationem diſcordantium in nouitatibus clericorum ſubuerſioni liceret. Itaque cum tale aliquid accidit, *vicinus vicinarum eccleſiarum* inſpectio, recenſio, deſcriptioque mandatur.

(c) Conc. Valent. c. II. Hoc etiam placuit, vt epiſcopo ab hoc ſæculo iubente Domino accerſito, clerici ab omni omnino ſupellectile, vel quæcumque ſunt in domo eccleſiæ, vel epiſcopi, in libris, in ſpeciebus, vtenſilibus, vaſculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re rapaces manus abſtineant, & nihil latronum more diripiant. Qui ſi nec canonum auctoritate prohibiti fuerint, omnia, quæ peruaſerint, *metropolitani*, vel omnium comprouincialium ſacerdotum *diſtrictione coacti, in priſtinum ſtatum reddere integra coguntur.* - - Dehinc ad *metropolitanum* notitia mox habita ordinatio vel deſcriptio deferatur: vt eius *electione tam perſona ordinandæ domus eccleſiaſticæ procuretur*, quæ vel conſuetis clericis ſtipendia expendat & creditarum ſibi rerum *metropolitano* congruis temporibus reddere poſſit rationem.

(d) Conc. Chalced. c. XXV. Ἐπειδή δέ τινες τῶν μητροπολιτῶν, - - ἀναβάλλονται τὰς χειροτονίας τῶν ἐπισκόπων· ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ἐντὸς τριῶν μηνῶν γίνεσθαι τὰς χειρο-

conomo committitur; cura autem profpiciendi intra tres menfes nouum fedi vacanti Epifcopum, Metropolitano demandatur.

§. XXI.

Septimo: *Metropolitanorum erat, tempus celebrandi Pafcha fupputare.*

Metropolitani etiam quotannis computationem celebrandi *Pafcha* recognofcere, de eoque fuffraganeos fuos reddere certiores debebant. Negotium quidem componendi cycli a Patribus *Nicænis* fpeciatim Epifcopo *Alexandrino* [e] datum fuit, quemadmodum *Leo* Papa aliique perhibent: & ipfe reliquas Ecclefias de hoc ipfo debebat facere certiores: fed vero quum non femper debita huius rei ratio haberetur, idcirco a cuiuslicet prouinciæ Metropolitano requirebatur, vt tempus præftitueret, totique illud prouinciæ fignificaret. Quemadmodum id *Ambrofium* [f] in prouincia *Mediolanenfi*, & Epifcopum *Carthaginenfem* [g] in prouincia *Africa* feciffe legimus: Et Concilia *Hifpanica* [h] Metropolitanis fuis præcipiunt, vt rem iftam prius de compacto agant, & tum cum comprouincialibus fuis Epifcopis communicent.

τονίας τῶν ἐπισκόπων. - - *τὴν μὲν τοι πρόσοδον τῆς χηρευούσης ἐκκλησίας σώαν φυλάττεσθαι παρὰ τῷ οἰκονόμῳ τῆς ἐκκλησίας.* Quoniam nonnulli *metropolitani*, - - *epifcoporum ordinationes* differunt, fanctæ fynodo placuit, vt intra tres menfes epifcoporum ordinationes fiant. - - Viduæ vero ecclefiæ reditum apud *ecclefiæ oeconomum* faluum cuftodiri.

(*e*) Leo Epift. LXXII. al. LXX. ad Marcian. Imperat. (Tom. IV. Conc. p. 886.) Petitionem de feftiuitate pafchali gaudeo ita a veftra pietate fufceptam, vt confeftim Nectarium agentem in rebus *Alexandriam* mitteret, de errore remouendo, quem fanctæ memoriæ *Theophili* conftitutio videtur inferre.

(*f*) Ambrof. Ep. LXXXIII. ad Epifcop per Aemyliam. †

(*g*) Conc. Carth. III. c. I. (Tom. II. p. 1167.) Placuit in principio, propter errorem, qui fæpe folet oboriri, vt omnes Africanæ prouinciæ epifcopi *obferuationem pafchalem ab Ecclefia Carthaginenfi* curent accipere. Can. XLI. Adiicimus etiam *de die pafchæ* mandatum, *vt de ecclefia* femper *Carthaginenfi inftruamur.*

(*h*) Concil. Bracar. II. c. IX. †
Concil Tolet. IV. c. V. Placuit, vt ante tres menfes Epiphaniorum *metropolitani facerdotes* literis *inuicem* fe inquirant: vt communi fcientia edocti, diem refurrectionis Chrifti & *comprouincialibus fuis infinuent*, & vno tempore celebrandum adnuntient.

§. XXII.

Quomodo Metropolitanorum poteſtas ſubſequentibus ſæculis aucta fuerit.

Recentiores quidem Canones [i] omnes per vniuerſam prouinciam Eccleſias conſecrandi priuilegium Metropolitano adſignant. Sed hoc cuiuslibet Epiſcopi in ſua ipſius diœceſi fuiſſe priuilegium, ſupra oſtendimus; & quum hæ res ad priuatam illius eccleſiam, non autem ad vniuerſam ſpectarent prouinciam, Metropolitanus vi canonis noni Concilii *Antiocheni* iis ſe implicare non minus, quam Presbyterorum & Diaconorum conſecrationem perficere, prohibebatur. Alii Canones [k] prouinciam omnem ritus ac diuini cultus cærimonias, in Eccleſia Metropolitana vſitatas, ſequi iubent: ſupra autem obſeruauimus, quemlibet Epiſcopum ſuæ ipſius diœceſi eas proſcribendi habuiſſe libertatem, nullo modo, quantum ad hanc rem attinet, circumſcriptam, niſi ab Synodo prouinciali ſecus eſſet conſtitutum.

§. XXIII.

Primas Alexandrinus maxima omnium poteſtate pollebat.

Ex his videre licet, quorumdam locorum Metropolitanos poteſtate aliis præſtitiſſe. Atqui heic notandum eſt, Primatem *Alexandrinum*, tum quod ad abſolutam eius poteſtatem, tum quod ad longe lateque ſe diffundentem iurisdictionem attinet, cæterorum omnium longe fuiſſe maximum. Non enim Metropolitanus erat vnius cuiusdam prouinciæ, ſed omnium pro-

(i) Gelaſ. Ep. I. c IV. †
Montan. Toletan. Ep. ad Palentinos ap. Blondel. Apol. p. 150.

(k) Concil. Gerundenſ. c. I. (Tom. IV. p. 1568.) De inſtitutione miſſarum, vt *quomodo in metropolitana eccleſia fuerit, ita* Dei nomine *in omni* Tarraconenſi *prouincia*, tam ipſius miſſæ ordo, quam pſallendi vel miniſtrandi *conſuetudo* ſeruetur.
Concil. Epaonenſ. c. XXVII. (Tom. IV. p. 1579.) Ad celebranda diuina officia ordinem, *quem Metropolitani tenent, prouinciales eorum obſeruare debebunt.*
Conc Toletan. XI. c. III. (Tom. VI. p. 546.) De his qui contra Apoſtoli volunt item circumferuntur omni vento doctrinæ, placuit huic ſancto concilio, vt metropolitanæ ſedis auctoritate coacti vniuscuiusque pontifices rectoresque eccleſiarum, vnum eumdemque in pſallendo teneant modum; quem in metropolitana ſede cognouerint inſtitutum; nec aliqua diuerſitate cuiusque ordinis vel officii a metropolitana ſe patiantur ſede disiungi.

vinci-

vinciarum *Aegypti*, *Libyæ* & *Pentapolis*, vbi ad minimum ſex amplæ prouinciæ reperiebantur, ex quibus ſæpe numero centum amplius Epiſcopi ad concilium prouinciale fuere euocati. ALEXANDER prope centum numero iam ante concilium *Nicænum* ad damnandum *Arium* [*l*] in vnum congregatos fuiſſe dicit. Et ATHANASIVS [*m*] de eodem numero Epiſcoporum, qui alio tempore congregati fuerint, loquitur: Speciatim in Concilio *Alexandrinæ* A. CCCXXXIX. habito, quod cauſſam ATHANASII poſt eius reditum ab exilio examinauit & approbauit, fere centum Epiſcopi, adeoque plures triginta, quam in *Libra Romana*, tantum ſexaginta nouem complexa adfuerunt. Neque vero Primatis *Alexandrini* poteſtas minor erat, quam iurisdictionis ipſius amplitudo. Nam non ſolum omnes ſuos Epiſcopos ſuffraganeos ordinabat, ſed Presbyteros etiam & Diaconos in omnibus Eccleſiis per vniuerſam regionem ordinandi habebat poteſtatem. BASNAGIVS [*n*] & LAVNOIVS eum ſolum ordinandi poteſtatem habuiſſe, eoque ſine ne quidem Presbyterum & Diaconum ordinari potuiſſe, contendunt. VALESIVS [*o*] eum pro arbitrio ſuo ordinare potuiſſe, non autem ſolum Presbyteros ac Diaconos ordinandi poteſtatem habuiſſe, exiſtimat. Sed vtracumque ſententia præualeat, magnum ſane erat priuilegium, & Epiſcopo *Alexandrino* prorſus peculiare: præter ipſum enim nullus alius Metropolitanus iſtam ſibi poteſtatem arrogauit.

(*l*) Alexand. Ep. Encycl. ap. Socrat. lib. I. c VI. ἐγγὺς ἑκατὸν ὄντων.

(*m*) Athan. Apol II. p. 720. (p. 187. edit. Pariſ. MDCXCVIII.) Ἐπίσκοποί εἰσιν ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ἐγγὺς ἑκατόν. In Aegypto, Lybia & Pentapoli epiſcopi ſunt *prope centum*.
Conc. Alexandr. Ep. Encycl. Conc. T. I. p. 533. †

(*n*) Baſnag. Exercit. in Baron p. 307. Patriarchæ fatentibus clariſſimis viris quibus concurrimus, illi ſunt, qui Metropolitanos exercentes Metropolitanorum, habent & ſibi ſubiectas plurimas Metropolitanas prouincias. Hac ex deſcriptione, ſi Nicænæ Synodi temporibus nulli erant in Alexandrini Epiſcopi ditione Metropolitani quibus præeſſet, vtique nil niſi Metropolitanum agebat. Nullos vero Nicænis temporibus apud Aegyptum fuiſſe Metropolitanos eo apparet, quod *creandorum & Presbyterorum & Epiſcoporum omnium facultas ſoli Epiſcopo Alexandrino competeret.*

(*o*) Valeſ. Obſeruat. in Socrat. lib. III. c. V. p. 190, ſqq.

§. XXIV.

Omnes Metropolitani appellati Apoſtolici, *& eorum ſedes* ſedes Apoſtolicæ.

Vnum adhuc de Metropolitanis obſeruandum eſt, nimirum quod olim honorifico nomine *Apoſtolici* dicti fuerint; id quod tunc non peculiaris Epiſcopi *Romani* titulus fuit. Ipſe enim SIRICIVS Papa omnibus Primatibus [p] hanc appellationem tribuit: & is eorum titulus eſſe durauit ad ætatem vſque ALCVINI, qui de Epiſcoporum electione verba faciens, *Cum Epiſcopus*, inquit [q], *ciuitatis fuerit defunctus, eligitur alius a Clero ſeu populo, fitque decretum ab illis, & veniunt ad APOSTOLICVM cum ſuo Electo*: vbi per *Apoſtolicum* non Papam, ſed cuiuslibet prouinciæ Primatem ſeu Metropolitanum intelligit, qui conſecrandi habebat ius atque poteſtatem.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM SEPTIMVM
DE PATRIARCHIS.

§. I.

Patriarchæ antiquitus vocati Archiepiſcopi.

PRoxime a Metropolitanis ſeu Primatibus ſequebantur *Patriarchæ*; ſiue, vt primum vocati ſunt, *Archiepiſcopi* & *Exarchi diœceſis*. Etſi enim nunc quidem Archiepiſcopus & Metropolitanus pro vno eodemque ſumuntur, nimirum pro vnius cuiusdam prouinciæ Primate: nomen tamen Archiepiſcopi antiquitus multo erat amplioris ſignificationis, & vix vlli dabatur, niſi cuius iurisdictio ſuper totam aliquam imperii diœceſin ſeſe extenderet, vt Epiſcopis *Romano*, *Alexandrino*, *Antiocheno* &c. Hoc ita ſe habuiſſe, ex quadam *nouella* IVSTINIANI perſpicue patet, in qua Epiſcopatum *Iuſtinianæ Primæ* in ſedem Patriarchalem erigens dicit: *Volumus, vt non ſolum Metropolitanus* [r] *ſed etiam Archiepiſcopus fiat.* Heic iſtorum nominum perſpicua fit

(p) Siric. Epiſt. IV. c. I. (Tom. II. Conc. p. 1029) Vt extra conſcientiam *ſedis Apoſtolicæ*, id eſt, Primatis, nemo audeat ordinare.

(q) Alcuin. de diuin. offic. c. XXXVI.

(r) Iuſtin. Nouell. XI.

diſtin-

diſtinctio, & Archiepiſcopus Primate ſuperior eſſe iudicatur. Hinc fit, vt poſt patriarchalis poteſtatis inſtitutionem nomen Archiepiſcoporum ſolis Patriarchis tribuatur. LIBERATVS [s] omnibus Patriarchis hunc titulum Archiepiſcoporum adſignat. Idem Concilium *Chalcedonenſe*, dum de Patriarchis *Romano* & *Conſtantinopolitano* [t] ſub nomine Archiepiſcoporum loquitur, frequenter facit.

§. II.

Et Exarchi diœceſis.

Hi ipſo alio nomine vocabantur *ἔξαρχοι τῆς διοικήσεως*, *Exarchi diœceſis*, ad diſtinguendum eos ab *ἐξάρχοις τῆς ἐπαρχίας*, ab *Exarchis vnius cuiusdam prouinciæ*, qui tantum Metropolitani erant. Ita *Domnus* Epiſcopus *Antiochenus* Exarchus orientalis diœceſis [u] a Conciliis *Antiocheno* & *Chalcedonenſi* nominatur; & *Theodorus* Epiſcopus *Epheſinus*, quum Concilio generali ſexto *Conſtantinopoli* celebrato ſubſcriberet, & Metropolitanum *Epheſinum* [w] & *Aſiaticæ diœceſis Exarchum* ipſe ſe appellabat:

(s) Liberat. Breuiar. c. XVII. (Tom. V. Conc. p. 766.) Nec prius hoc faceret, niſi ſuſciperet henoticon principis, & ſynodicas deſtinaret epiſtolas *Conſtantinopolitano Acario*, & *Simplicio Romano & cæteris Archiepiſcopis*.

(t) Concil. Chalced. Act. XVI. (Tom IV. p. 818.) Ἐκ τῶν πεπραγμένων καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως συνορῶμεν, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν, κατὰ τοὺς κανόνας τῷ τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι· χρῆναι δὲ τὸν ὁσιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης τῶν αὐτῶν πρεσβείων τῆς τιμῆς ἀπολαύειν. Ex his quæ geſta ſunt, & ab vnoquoque depoſita perpendimus, omnem quidem *primatum* & honorem præcipuum ſecundum canones *antiquæ Romæ* Dei amantiſſimo *Archiepiſcopo* conſeruari: oportere autem ſanctiſſimum *Archiepiſcopum* regiæ *Conſtantinopolis* nouæ Romæ eisdem *primatibus* honoris & ipſum dignum eſſe. Act. IV. ibid. p. 471. Συνᾴδει ἡ ἐπιστολὴ τοῦ ὁσιωτάτου καὶ θεοφιλεστάτου ἀρχιεπισκόπου Λέοντος τῷ συμβόλῳ τῷ ἐν Νικαίᾳ τριακοσίων δέκα ὀκτὼ ἁγίων πατέρων ἡμῶν. Epiſtola ſanctiſſimi & Deo amiciſſimi *Archiepiſcopi Leonis* conſonabit Symbolo CCCXVIII. SS. Patrum Nicænorum. conf. ſis ibid. p. 473. A p. 511. E. & paſſim. Canon. XXX. (p. 772.) ἄχρις ἂν χειροτονηθῇ ὁ τῆς Ἀλεξανδρείας Ἀρχιεπίσκοπος, donec ordinatus fuerit *Alexandrinus Archiepiſcopus*.

(u) Conc. Antioch. in Act. XIV. Conc. Chalcedon. (Tom. IV. p. 746.) διὰ τοῦτο πάλιν ὑπό τε τοῦ ἐξάρχου τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως κληθεὶς κ. τ. λ. propterea rurſus ab *exarcho* orientalis *diœceſis* euocatus &c.

(w) Concil. VI. Gen. Act. XVIII. (Tom. VI. Concil. p. 1079.) Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως, καὶ ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῶν διοικήσεως ὑπὲρ ἐμαυτοῦ καὶ τῆς ὑπ' ἐμὲ συνόδου ὁμοίως ὑπεσημηνάμην. Theodorus miſericordia Dei

ita etiam *Philalethes* Episcopus *Caesareensis* in *Cappadocia Exarchi dioecesis Ponticae* nomen ipse sibi tribuit. Vnde liquet, quod, quemadmodum *Exarchus prouinciae* est Metropolitanus, ita *Exarchus dioecesis* secundum antiquae Ecclesiae stilum, sit Patriarcha. Et ex hoc ipso sensum Canonis noni & decimi septimi Concilii *Chalcedonensis*, qui appellationem a Metropolitano ad Exarchum dioecesis permittunt, intelligimus.

§. III.

Salmasii *error circa primum nominis Patriarchae vsum.*

Quod ad nomen Patriarchae attinet, aliqua inter viros doctos est disceptatio, quo primum tempore id tamquam peculiaris quorumdam ecclesiae christianae Episcoporum titulus adhiberi coeperit. SALMASIVS [x] & alii quidam Episcopum *Alexandrinum* hunc titulum iam a tempore HADRIANI Imperatoris, saeculo secundo ineunte habuisse, existimant. Rationem huius adserti adferunt eam, quod Imperator in epistola quadam VOPISCO memorata de Patriarcha aliquo *Alexandrino* loquatur. At vero iste Patriarcha, de quo ibidem fit sermo, non Christianus aliquis, sed *Iudaicus* Patriarcha fuit; vti ex HADRIANI verbis & charactere, quem ei tribuit [y] facile, perspicias. Dicit enim, fuisse eum coactum ab aliis *Serapidem* adorare, ab aliis *Christum*: quod optime *Iudaici* cuiusdam Patriarchae characteri conuenit, qui neque Gentilium neque Christianorum agnoscens religionem, non minori vi ad adorandum Christum quam *Serapidem* compelli debuit; a Christiani autem Episcopi charactere hoc ipsum prorsus alienum est, quippe qui, etsi ad *Serapidis* adorationem eum compelli necesse fuit, libenti tamen

episcopus Ephesinorum metropoleos & primas (seu *Exarchus*) *Asianorum dioecesis* pro me & synodo, quae sub me est, similiter subsignaui.

(x) Salmas. de Primat. c. IV. p. 43. Si quis Patriarcha tum vocatus est, vt de *Episcopo Alexandrino* constat, quem Hadriani Imperatoris aeuo sic appellatum Epistola eius ostendit in Saturnini vita a Flauio Vopisco posita, non eam per illud tempus habuisse significationem certum est, quam habuit postea. Item Not. in Vopiscum.

(y) Hadrian. Epist. ap. Vospiscum Vit. Saturni. Illi, qui Serapin colunt, Christiani sunt: & deuoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Iudaeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non Aruspex, non Alipres. Ille ipse Patriarcha, quum Agyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur Christum.

animo

animo & sponte sua Christum adorasse, statuendus est. Accedit, quod Patriarcha, quo de loquitur Imperator, aliqua tantum occasione ex alia quadam terra in *Aegyptum* venerat; id quod de Episcopo *Alexandriæ*, fixam & perpetuam sedem illic habente, dici nequit; at in *Iudaici* Patriarchæ statum & conditionem exacte quadrat, qui *Tiberiade* in *Palæstina* residens non nisi casu & certis quibusdam temporibus in *Aegyptum* deuenit. Quibus & similibus rationibus alii ducti contra SALMASIVM concludunt, quemcunque intelligas, Christianum tamen Patriarcham, eum, de quo heic sermo sit, esse non posse. BARONIVS [z] Pontificem Gentilium seu *Aegypti* fuisse autumat. Sed eædem illæ rationes æque aduersus eius, atque istorum, valent opinionem. Summus enim *Aegypti* sacerdos in *Aegypto* degebat, nec ad *Serapidis* cultum cogi, quemadmodum hic Patriarcha, necesse habebat: Vt adeo *Iudaicus* Patriarcha nec alius vllus, fuerit oporteat, de quo HADRIANVS loquitur, quemadmodum BASNAGIVS [a] & PEARSONIVS cum aliis quibusdam animaduerterunt.

(z) Baron. Annal. Tom. II. an. CXII. p. 50. Nomen (Patriarchæ) antiquissimum est, tum a Iudæis tum etiam a *Gentilibus* vsurpatum, quod, sicut alia multa, in Ecclesiam feliciter transiit: non tantum enim Iudæi sed & *Aegyptii* vtebant it eo nomine atque primaria dignitate: nam & Herodotus, cum agit de sacris Aegyptiorum, *Patriarchas* illos nominat, qui principem locum in sacris tenent. Insuper vsus est eo nomine *Hadrianus* Imperator, Traiani successor, *in epistola ad Seruianum* Consulem &c.

(a) Basnag. Exercitat. Histor. p. 284. An ad Patriarchas Iudæos nec ne referendum sit Adriani Rescriptum, in quæstione positum est. Magnus ille Salmasius: *En*, inquit, *Episcopum Alexandrinum Hadriani temporibus Patriarcham appellatum. Non igitur tam recens est Patriarchæ nomen in Ecclesia Christiana, quam quidam videri volunt, quibus placet, nec Nicæni temporis ætate, tanto post Adrianum interuallo, vsitatum illud inter Christianos fuisse pro eo, qui toti diœcesi præerat, & diœceseos Exarchus dicebatur:* quæ viri eruditissimi hunc in locum adnotatio est. Verum, pace cinerum eius, in grauissimum errorem lapsus est. Non Alexandrinum Episcopum, sed Iudæorum Patriarcham designabat Adrianus, verbis adeo propriis & significantibus, vt mirum sit Cl. Salmasium ibi Christianum Episcopum vidisse. &c.

Pearson. Vindic. Ignat. Part. I. c. XI. ap. Coteler. Tom. II. p. 328. (edit. Cantab. P. I. p. 174. 175.) Miror cuiquam in mentem venire potuisse hæc de Episcopo Alexandrino dicta fuisse; quasi ille Aegyptum aliquando tantum peteret, & cum ibi esset, Christum colere cogeretur; præsertim *cum vtrumque Iudæorum Patriarchæ* ea ætate notissimo *tam probe conueniat. Iudæorum Patriarcham*

§. IV.

De Iudaicis *Patriarchis, eorum prima origine, duratione & existimatione.*

Hi *iudaici* Patriarchæ, a quibus, ex vnanimi virorum doctorum testimonio, christiani Patriarchæ nomina sua mutuati sunt, certi quidam inter *Iudæos* gubernatores fuerunt, paullo post *Hierosolymorum* deuastationem constituti; quorum vnus *Tiberiade*, alius *Babylone* resedit, qui inter *Iudæos* per imperium *Romanum* & *Persicum* dispersos rei gerendæ fuerunt capita. Horum ab antiquis scriptoribus ecclesiasticis, [*b*] ORIGENE, [*c*] EPIPHANIO, [*d*] CYRILLO HIEROSOLYMITANO, [*e*] THEODORETO & aliis compluribus crebra iniicitur mentio. Ingens eorum potestas

intelligo, qui in Palæstina viuebat, non qui Alexandriæ constitutus fuit, vt putabant Petitus & Petrus a Marca &c.

Suicer. Thesaur. Eccles. verbo πατριάρχης pag. 640. Hæc (Hadriani verba) non possunt intelligi neque de Episcopo Alexandrino, qui non necesse habuisset in Aegyptum venire, vtpote qui in ea suam habebat sedem; nec de vllo Christiano, qui ad adorandum Christum nulla vi fuisset adigendus, vtpote gnarus, ipsum Christianum nomen hæc a se flagitare: sed referri debent ad *Patriarcham Iudæorum* Tiberiade habitantem, qui ex æquo hostis erat & eorum qui Christum & qui Serapidem adorabant. Caue *Anc. Chur. Gov.* 153.

(*b*) Orig περὶ ἀρχῶν lib. IV. c. I. Dicunt, permanere adhuc principem ex genere Iudæ, illum videlicet qui est gentis eorum princeps, quem nominant *Patriarcham.*

(*c*) Epiph. Hær XXX. n. IV. ὁ δὲ πατριάρχης κατ' ἐκεῖνο καιροῦ Ἐλλὴλ τοὔνομα ἦν. - - ἐκ γένους δὲ Γαμαλιὴλ ἐτύγχανε, τοῦ παρ' αὐτοῖς γενομένου πατριάρχου. Erat tum *Patriarchæ* nomen Ellel - - - Is e stirpe Gamalielis originem traxerat, qui *Patriarchatum* apud illos tenuit Conf. n. VI. VII. &c.

(*d*) Cyrill. Catech XII. n. VII. pag 157. Εἰ ἔχουσι τὸν ἐκ γένους Ἰούδα, καὶ τοῦ Δαβὶδ, οὔπω ἦλθεν ὁ προσδοκώμενος· αἰσχύνομαι γὰρ λέγειν αὐτῶν παρ' αὐτοῖς νῦν πατριαρχῶν πράγματα, Si habent principem ex genere Iuda & Dauid, nondum venit ille exspectatus. Vereor enim illis obiicere recentia, de his quæ nunc apud illos vocantur, *Patriarcharum* instituta.

(*e*) Theodor. Dial I. (Tom IV p. 22. edit. Paris. MDCXLII.) ΕΡΑΝ. οἱ καλούμενοι οὖν τῶν Ἰουδαίων πατριάρχαι, οὐκ ἐκ τῆς Δαυιδικῆς ὑπάρχουσι συγγενείας; ΟΡΘ. Οὐδαμῶς. ΕΡΑΝ. Ἀλλὰ πόθεν ὁρμῶνται; ΟΡΘ. Ἐξ Ἡρώδου τοῦ ἀλλοφύλου, ὃς πατρόθεν μὲν Ἀσκαλωνίτης ἐτύγχανεν ὤν, μητρόθεν δὲ Ἰδουμαῖος· ἀλλ' ὅμως τε καὶ αὐτοὶ παντελῶς ἠφανίσθησαν καὶ χρόνος διελήλυθεν, ἐξ οὗ καὶ ἡ τούτων ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο. ERAN. Qui ergo *Iudæorum Patriarchæ* dicuntur, an ex Dauidica stirpe non sunt? ORTH Nequaquam. ERAN Vnde igitur orti sunt? ORTH. Ex Herode alienigena, qui paterna quidem origine Ascalonites fuit, materna vero Idumæus. Quamquam hi quoque omnino interierunt, & dudum est, ex quo horum quoque principatus finem cepit.

& digni-

& dignitas ad finem vſque ſæculi quarti durauit, circa quod „ tempus ipſorum ordo deſiit. THEODORETVS enim, diu ante ipſi- „ us tempus eorum gubernationem penitus abolitam fuiſſe, exſerte pronuntiat: Et lex quædam THEODOSII Iunioris A. CCCCXXIX. de iis tamquam exſtinctis loquitur [*f*].

§. V.

De Patriarchis inter Montaniſtas.

Circa idem tempus *Montaniſtæ* ſeu *Cataphrygiani* hæretici, certum hominum genus inter ſe habebant, quorum alios *Patriarchas*, *Cenones* alios, appellitabant; vtrique ipſorum Epiſcopis erant ſuperiores, &, prout videntur, ordo ab iis diſtinctus. Nam HIERONYMVS [*g*] vitio eis vertit, quod ordine Epiſcoporum, qui Apoſtolorum eſſent ſucceſſores, depreſſo, Patriarcharum & *Cenonum* inter ſe erexerint. Vnde viri quidam eruditi [*h*] colligunt, nomen *Patriarchæ*, quum HIERONYMVS aduerſus *Montaniſtas* ſcriberet, in Eccleſiam nondum fuiſſe adſumtum, etiamſi ipſa poteſtas ſub alio nomine adfuerit.

§. VI.

Nomen Patriarchæ primum a Socrate *&* *Concilio* Chalcedonenſi *vſurpatum.*

Nomen Patriarchæ publica Eccleſiæ auctoritate quibusdam Epiſcopis in Concilio *Chalcedonenſi* primum datum legimus, quippe quod [*i*] ſanctiſſimorum cuiusque diœceſeos Pa-

(*f*) Cod. Theod. lib. XVI. Tit VIII. de Iud. l. XXIX. p. 245. Iudæorum Primates, qui in vtriusque Palæſtinæ Synedriis nominantur, vel in aliis prouinciis degunt, *poſt exceſſum Patriarcharum* penſionis nomine ſuſcepere, cogantur exſoluere.

(*g*) Hieron. Ep. LIV. ad Marcell. adu. Montan. Tom II. p. 128 Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent: apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuza Phrygiæ *Patriarchas*: Secundos quos appellant *Cenones*: Atque ita in tertium, id eſt, pene vltimum locum Epiſcopi deuoluuntur.

(*h*) B[a]ſ[na]g. Exercit. Hiſtor. p. 285. Hinc colligi poſſit, priſcis temporibus nondum Epiſcopis inſignioribus affixum fuiſſe nomen *Patriarchæ*.

(*i*) Conc. Chalced. Act. II. (Tom. IV. p. 318) Εἰ δοκεῖ τῇ ὑμετέρᾳ εὐλαβείᾳ, οἱ ὁσιώτατοι πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ἐπιλεξάμενοι ἕνα ἢ δεύτερον τῆς ἰδίας ἑκάστου διοικήσεως, εἰς τὸ μέσον παρελθόντες καὶ κοινῇ περὶ τῆς πίστεως βουλευσάμενοι, τὰ συνδοκοῦντα φανερὰ πᾶσι καταστήσωσιν Si placet veſtræ reuerentiæ, ſanctiſſimi *Patriarchæ* ſingularum prouinciarum eligentes ſingulos aut binos ſuæ propriæ quisque prouinciæ, in medio tranſeuntes & communiter de fide tractantes, quæ complacita fuerint, omnibus manifeſta conſtituant.

triarcharum, speciatim *Leonis* Patriarchæ [*k*] magnæ *Romæ*, mentionem facit. RICHERIVS, qui de Conciliis curate scripsit, nominis istius originem inuestigando altius adscendere non potuit [*l*]. Inter priuatos auctores, qui Patriarcharum expresso nomine meminerunt, primus est SOCRATES, qui historiam suam circa A. CCCCXL. vndecim annis ante Concilium *Chalcedonense*, scripsit. Ex iis, quæ ipse memoriæ prodidit, patet, quod eo temporis interuallo, quod inter Concilium *Constantinopolitanum* Generale A. CCCLXXXI. habitum, & Concilium *Chalcedonense* intercessit, nomen Patriarchæ quibusdam eminentioribus in ecclesia Episcopis tribui cœperit. De Patribus enim *Constantinopolitanis* loquens, Patriarchas, prouinciarum diuisione facta, eos [*m*] constituisse dicit. VALESIVS [*n*] & CAVEVS [*o*] existimant, SOCRATEM non de veris & proprie dictis Patriarchis loqui, sed tantum de extraordinariis legatis, & a concilio ad tempus constitutis arbitris, quorum fuerit iudicare, quinam in diœcesibus, ipsis adsignatis, idonei essent, vt in ecclesiæ Catholicæ communionem reciperentur. Reliqui autem omnes proprio sensu eos accipiunt, quia hac ætate potestas Patriarchalis in omnibus Imperii *Romani* diœcesibus iam constituta erat.

§. VII.

Quatuor diuersæ opiniones de prima potestatis Patriarchalis origine.

Etsi autem nomen Patriarcharum non nisi circa tempus SOCRATIS in Ecclesia innotuit, potestas tamen ipsa, ex omnium testimonio, multo ante fuit; quamuis certam eius origini epocham atque diem statuere, non adeo sit facile. Sunt, qui eam altius, ab ipsa nimirum Apostolorum ætate arcessunt, & veluti

(*k*) Con. Chalced. Act III p. 395. Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ Θεοφιλεστάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ῥώμης Λέοντι κ. τ. λ. Sanctissimo & Dei amantissimo & vniuersali Archiepiscopo & *Patriarchæ* magnæ Romæ *Leoni* &c.

(*l*) Rich. Hist. Concil. Tom. I. c. II. n. XI. Nomen *Patriarcharum* primum, quod sciam, vsurpatum in Synodo Chalcedonensi.

(*m*) Socrat. H. E. lib. V. c. VIII. Πατριάρχας κατέστησαν, διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας.

(*n*) Vales. ad Socrat. lib. V. c. VIII. p. 60. b. Intelligit Socrates *non veros & ordinarios Patriarchas*, sed extraordinarios legatos, qui ad stabiliendam rectam fidem per singulas diœceses fuerant destinati. - - apparet eum *non de veris* atque ordinariis *Patriarchis* loquutum esse.

(*o*) Caue *Anc. Ch. Gov.* p. 147.

prima-

primatum Papæ *Romani* a *Petro* deriuant, vt BARONIVS [*p*] quem MARCA, VALESIVS, RICHERIVS, PAGIVS & SCHELSTRATVS, præcipui eius partis scriptores, sequuntur. Alii hoc merito reiiciunt, tamquam minus probata auctoritate fundatum, nec ex vllo genuino veteris ecclesiæ monumento, sed tantum ex spuriis primorum Paparum Epistolis demonstratum; primamque Patriarcharum originem post Apostolorum ætatem, paullo ante Concilium *Nicænum*, statuunt. Quæ SPALATENSIS [*q*] & BREREWOODI est opinio. Tertia opinio est BALZAMONIS [*r*] aliorumque recentiorũ *Græcorum*,

(*p*) Baron. Annal. Tom. I A. XXXIX. n XVI. Quamobrem vt a Petro peculiariter dici posit (quod tradunt omnes) fundatam esse ecclesiam Antiochenam: dicendum est, *Petrum primo erexisse seu instituisse sedem Patriarchalem Antiochenam.*
Petr. de Marca de Concord. Tom. I. lib. I. c. III. n. V. Etsi forma diuidendarum prouinciarum & metropoleon *ab Apostolis manauerit*, hæc tamen diuisio ab Episcopis, qui erant in maioribus vrbibus constituti, per incrementa variorum temporum aucta tandem vltimam dispositionem consecuta est. - Sane dissimulandum non est, eo canone (Conc. Nicæni) tres illos antistites Episcoporum (Romanum, Alexandrinum & Antiochenum) tantum vel ad summum metropolitanorum nomine censeri: qui sæculo sequenti in concilio Ephesino *Archiepiscoporum* titulo aucti, in concilio Constantinopolitano *Exarchorum dioeceseos* dignitate decorati, tandem in Concilio Chalcedonensi promiscue *Archiepiscopi, Exarchi*, & nouitia dictione *Patriarchæ* sunt appellati.
Valef. Obseruat. Eccles. lib. III. tot.
Richer. Histor Conc. Tom. I. c. I. n. XIV.
Anton. Pag. Critic. an. XXXVII. n. IX. In tribus maioribus imperii ciuitatibus institutæ sunt tres potissimæ dignitates ecclesiæ & præcipue *Sedes Patriarchicæ*. Nicænum Concilium antiquam consuetudinem *ab Apostolis ortam* seruari mandauit Can. VI. *Antiqua consuetudo seruetur &c.* vbi trium *sedium Patriarchalium* in præcipuis Imperii vrbibus auctoritas firmatur, *quam Leo I.* Epist. LIII. ad Anatolium *instituto Apostolorum Principis Petri adscribit*, & stabilem permanere præcipit.

(*q*) Marc. Anton. de Dominis de Republ. Part. I. lib. III. c. XII. n. XXI p. 335. Quid, quæso, Canoni VI. Nicæno edicendo occasionem dedit, nisi Patriarcharum isthæc ambitio, eorumque de Primatu controuersiæ & dissensiones? Quibus ita occurrit, vt singuli propriis limitibus coërcerentur, nec vnus in alterius regimen se inueheret &c.
Brerewood *of Patriar. Gov.* Q. I.

(*r*) Balzam. in Can. VI. Conc. Nic. Ὁ παρὼν κανὼν καὶ ὁ ζ. διορίζονται τοὺς δὲ πατριάρχας, δηλαδὴ τὸν Ῥώμης, τὸν Ἀλεξανδρείας, τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τὸν Ἱεροσολύμων (περὶ γὰρ τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐν ἑτέροις κανόσι διαληφθήσεται) καὶ τὰ παλαιὰ ἔθη τιμᾶσθαι, κ. τ. λ. Præsens & septimus canon statuunt quatuor Patriarchas, videlicet Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum (de

Patri-

Patriarchas videlicet primum a concilio *Nicano* esse institutos: & hæc sententia ab HIERONYMO videtur approbata. In epistola enim sua ad *Pammachium* contra errores scribens *Ioannis Hierosolymitani*, dicit, in concilio *Nicano* fuisse decretum, *vt Palæstinæ Metropolis Cæsarea* [*s*] *esset, & totius Orientis Antiochia.* Episcopum igitur *Hierosolymitanum* aut ad Episcopum *Cæsareensem*, tamquam proprium ipsius Metropolitanum, aut ad Episcopum *Antiochenum*, vtpote *Orientis* Metropolitanum appellare debere. At enim HIERONYMVS, si recte mentem eius capio, non vult dicere, (quemadmodum non nulli verba eius peruertunt) Patriarchas a Concilio *Nicano* demum esse constitutos: ita enim de Metropolitanis idem statuendum foret; quandoquidem idem de illis dicit, quos tamen pridem ante Concilium *Nicænum* in Ecclesia fuisse, nemo ignorat. Mens igitur ipsius hæc sit, oportet, quod & Metropolitani prouinciarum, & Metropolitani diœcesium iam ante Concilium *Nicænum* exstiterint, & quod confirmationem tantum & canonicam institutionem ab eo adepti fuerint. Et sane manifestum est, nihil his in rebus immutasse Patres *Nicænos*, sed antiqua Episcoporum præcipuarum vrbium iura, quæ consuetudinis auctoritate iam firmata inuenerint, tantum confirmasse. Verba enim, quibus vtuntur, [*t*] ita habent: *Antiqui mores seruentur, qui sunt in Aegypto, Libya & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoque & Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis prouinciis sua priuilegia ac suæ dignitates & auctoritates Ecclesiis seruentur.*

Ex quibus intelligimus perspicue, haud nouam vlli Episcopo potestatem datam, sed quam ex antiqua consuetudine & pra-

Constantinopolitano enim in aliis canonibus tractabitur) ex antiquis moribus honorari.

(*s*) Hieron. Ep. LXI. Tom II. p. 178. Ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur, vt Palæstinæ metropolis Cæsarea sit & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæsareensem Episcopum referre debuerat; - - Aut si procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potius litteræ dirigendæ.

(*t*) Concil. Nicæn. Can. VI. *Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον, πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις.*

xi iam habuerint, eam ipsis tantum esse confirmatam, vt adeo Patriarchæ aut consuetudine ante [.] Concilium *Nicænum* cœperint a Concilio demum confirmati, quæ HIERONYMI est opinio; aut alioqui non nisi postea introducti sint. Hanc postremam sententiam (non obstantibus iis, quæ dicit HIERONYMVS) LAVNOIVS [w], BASNAGIVS [x], BEVEREGIVS [y] & CAVEVS [z], viri celebratissimi, amplexi sunt, qui potestatem Patriarchalem Canone *Nicæno* haud confirmatam, nec in Ecclesia cognitam fuisse statuunt, nisi circa annum CCCLXXXI, vbi Concilium generale secundum *Constantinopoli* fuit celebratum.

§. VIII.

Opinio Spalatensis *&* Hieronymi *præferenda.*

In re adeo obscura & tantopere inter viros doctos controuersa non facile est ad diiudicandum, cuius a parte stet veritas. Certe potestas Patriarchalis non vno eodemque tempore vbique locorum constituta fuit. *Alexandriæ* & *Antiochiæ* omnium maturissime innotuit, & Episcopi quidem *Alexandrini* iurisdictioni ante Concilium *Nicænum* omnis *Aegyptus*, *Libya* & *Pentapolis* suberat, vti e Canone *Nicæno* patet. Hæc erat di-

(u) Du Pin. Bibliothec. Vol. II. pag. 252. (p. 553. edit. A. MDCXCII.) Canon ille (Nic. VI.) magnis Sedibus conseruat priuilegia sua, hoc est, ius quod habebant in multas prouincias, quod postea *ius Patriarchicum* seu Exarchicum vocitarunt. Hoc sensu comparationem instituit Ecclesiæ Romanæ cum Alexandrina, *vtraque tamquam Ecclesia Patriarchali spectata.*
It. de Antiq. Eccles. Disciplin. Dissert. I. Sect. XI. p. 37. seqq. Patriarchæ iidem olim fuerunt ac Exarchi seu Primates prouinciarum, atque hoc sensu antiquissima est illorum institutio. De his loquitur Concil. Nicænum c. VI. &c.

(w) Launoy de rect. Interpret. Can. VI, Conc. Nicæn.

(x) Basnag. Exercit. Histor. p. 307. Habet aliquid quæstionis, an ius Patriarchale a Patribus Nicænis fuerit agnitum? Hoc velint Petrus de Marca, Valesius, Antonius Pagy, Schelstratus, immo ipse Beueregius: quam longissime, nostro iudicio, abhorrentem a vero opinionem sequentibus argumentis impugnamus &c.

(y) Beuereg. Not. in Canon. II. Conc. Constant. p. 95. Balsamon ex præsenti canone recte hic obseruat, omnes prouinciarum metropolitanos olim & huius Concili temporibus, αὐτοκεφάλους sui iuris & per se suarum prouinciarum capita & nulli proin alii tanquam capiti subiectos. Hoc autem posito & concesso, quid fiet de illius aliorumque opinione contendentium, Patriarchas etiam a concilio Nicæno constitutos esse? Si omnes enim metropolitani fuerint αὐτοκέφαλοι & a suis Synodis ordinati, *omnis Patriarcharum potestas euanescit;* Et sic quidem se res habuit non modo Synodi Nicænæ sed & præsentis diebus &c.

(z) Caue *Anc. Ch. Gov.* c. II, & IV.

œceſis *Ægyptiacæ*, ſex amplas continens prouincias, quatuor in *Ægypto* ſitas, nimirum *Thebaidem*, *Arcadiam*, *Auguſtamnicam* & *Ægyptum* proprie dictam, *Libyam* inferiorem, & *Libyam* ſuperiorem, quæ eſt *Pentapolis*. Quæ prouinciæ omnes vti Præfecto *Auguſtali Ægypti* parebant, ita ſimiliter Epiſcopi *Alexandrini* iuriſdictioni erant ſubiectæ. Ita vt non tantum vniuſcuiuſdam prouinciæ, ſed ſex prouinciarum, vni diœceſi iunctarum, eſſet Metropolitanus. Iam vero diſputatur, an vllum eo tempore Metropolitanum ſibi ſubiectum habuerit? Si enim habuit, Concilii *Nicæni* tempore veri nominis Patriarcha fuit. Hoc certe poſſum dicere, EPIPHANIVM & SYNESIVM expreſſam Archiepiſcoporum & Metropolitanorum facere mentionem, qui Archiepiſcopo *Alexandrino Athanaſio* & *Alexandro*, iſtius anteceſſoris, memoria, qui ambo Concilio *Nicæno* interfuere, ſubiecti fuerunt. Vtrum vero Metropolitanos ſenſu proprio acceptos, an tantum Coadiutores Archiepiſcopi *Alexandrini* intelligat, ego quidem definire non auſim. Ipſa eorum loca recitabo, ampliore diſquiſitione curioſis ac eruditis lectoribus relicta. SYNESIVS [a] dicit, *magnum illum Athanaſium, cum exiguam adhuc orthodoxæ fidei ſcintillam, quæ in Ptolemaide eſſet, fouere & magis magisque accendere oporteret, Siderium, Epiſcopum Palæbiſcenſem, hominem maioribus rebus gerendis idoneum, eo commigrare iuſſiſſe, vt Metropolitanam Eccleſiam gubernaret.* Et EPIPHANIVS [b] de *Meletio*, ſchiſmatis *Meletiani* ante Concilium *Nicænum* auctore, loquens, *Is ipſe Meletius*, inquit, *Archiepiſcopus in Ægypto, & Alexandro ſubiectus, rem omnem* (de Ario) *ad Alexandri Archiepiſcopi aures detulit.* Hæc iis conſonant, quæ de ipſo alibi [c] dicit:

(a) Synes. Ep. LXVII. ad Theoph. p. 213. Τὸν πάνυ μέγαν Ἀθανάσιον συγχωρῆσαί τε τῷ καιρῷ, καὶ μετ' οὐ πολὺ δεῆσαν ἐν Πτολεμαΐδι, τὸν ζῶντα σμικρὸν ἔτι τῆς ὀρθοδοξίας σπινθῆρα θάλψαι τε καὶ ἐπὶ πλεῖον ἐξάψαι, τὸν ἄνδρα τοῦτον ὡς μείζοσι πράγμασιν ἐπιτήδειον ἐκεῖ διαβῆναι κελεῦσαι, τὴν μητροπολιτικὴν ἐκκλησίαν ἐπιτροπεύσοντα.

(b) Epiph. Hæreſ. LXIX n. III. Ἀνήνεγκεν εἰς τὰ ὦτα τοῦ ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξάνδρου ὁ ἀρχιεπίσκοπος Μελήτιος ὁ κατὰ τὴν Αἴγυπτον, ὑπὸ δὲ χεῖρα Ἀλεξάνδρου ἐδόκει εἶναι.

(c) Epiph. Hær. LXVIII n. I. Ἐδόκει δὲ καὶ ὁ Μελήτιος τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον προέχων καὶ δευτερεύων τῷ Πέτρῳ κατὰ τὴν ἀρχιεπισκοπήν, ὡς δι' ἀντιλήψεως αὐτοῦ χάριν, ὑπ' αὐτὸν δὲ ὢν καὶ ὑπ' αὐτὸν τὰ ἐκκλησιαστικὰ ἀναφέρων· τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ τὸν ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἀρχιεπίσκοπον πάσης τε Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος, Μαραιώτου τε καὶ Λιβύης, Ἀμμωνιακῆς, Μαραιώτιδός τε καὶ Πενταπόλεως, ἔχειν τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν.

dicit:

dicit: *Ille quidem*, (Meletius) *cæteris Ægypti Episcopis antecellens, secundum a Petro dignitatis locum obtinebat, vtpote illius adiutor: sed eidem tamen subiectus, & ad ipsum de caussis Ecclesiasticis referens. Hic enim mos est Alexandrinorum Episcoporum, vt per totam Aegyptum ac Thebaidem, Mareotidem, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem & Pentapolin Ecclesiastica negotia administrent.* Vt adeo, quemadmodum *Alexandrinus* Episcopus sex prouincias sibi subiectas habuit, ita etiam Metropolitanos seu Archiepiscopos, vt Archiepiscopum *Lycopolitanum* in *Thebaide*, Metropolitanum *Ptolemaidis* in *Pentapoli*, sibi subordinatos habuisse videatur. Et si hi proprie dicti Metropolitani fuere, ipse sub nomine Metropolitani totius diœcesis *Aegyptiacæ* Patriarcha fuerit, necesse est, quemadmodum isti suarum quisque prouinciarum Metropolitani erant; quod ipsum etiam HIERONYMVS de *Cæsarea* & *Antiochia* tradit, quod videlicet earum altera *Palæstinæ*, altera *Orientalis* diœcesis Metropolis fuerit; idque ex antiquo more, a Concilio *Nicæno* approbato atque confirmato.

§. IX.

Potestas Patriarchalis in tribus Conciliis generalibus, progressu temporis habitis, nempe Constantinopolitano, Ephesino *&* Chalcedonensi *stabilita.*

Quomodocumque autem hæc se habeant (nihil enim certi hac in re definio;) ætas insequuta grauia certe & vrgentia stabilitæ atque increscentis potestatis Patriarchalis nobis suppeditat argumenta. Concilium generale *Constantinopoli* [d] A. CCCLXXXI. celebratum, ad constituendos suos vnicuique diœcesi limites, hunc fecit Canonem: *Episcopi ad Ecclesias, quæ sunt vltra diœcesin suosque limites, ne accedant: sed secundum Canones Alexandriæ quidem Episcopus Aegyptum solam regat. Orientis autem Episcopi Orientem solum administrent, seruatis priui-*

(*d*) Conc Constant. c. II. (Tom. II. p. 948.) Τὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπυς, ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι, μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας· ἀλλὰ κατὰ τὺς κανόνας, τὸν μὲν Αλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αιγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν· τὺς δὲ τῆς ἀνατολῆς ἐπισκόπυς τὴν ἀνατολὴν μόνην διοικεῖν· Φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ Νίκαιαν πρεσβείων τῇ Αντιοχέων ἐκκλησίᾳ· καὶ τὺς τῆς Ασιανῆς διοικήσεως ἐπισκόπυς τὰ κατὰ τὴν Ασίαν μόνην οἰκονομεῖν· καὶ τὺς τῆς Ποντικῆς, τὰ τῆς Ποντικῆς μόνον· καὶ τὺς τῆς Θρᾴκης τὰ τῆς Θρᾳκικῆς μόνον οἰκονομεῖν.

legiis ac praeminentiis, quae sunt in Nicaeni Concilii Canonibus, Antiochenae Ecclesiae. Et Asianae Dioeceseos Episcopi, quae sunt in sola Asiana administrata: & Thraciae Episcopi Thraciam tantum regant, & Pontanae Pontanam THEODORETVS [e] de hoc Concilio loquens, *Dioeceses*, inquit, *distinxerunt, & sua unicuique dioecesi adsignarunt, aperte interdicentes ex altera quospiam dioecesi alteram inuadere.* Et SOCRATES [f] adhuc significantius: *Patriarchas constituerunt, prouinciarum diuisione facta, ita vt nullus Episcopus vltra propriam dioecesin alienas ecclesias inuaderet. Id enim antea propter persecutiones promiscue factum fuerat. At Nectarius quidem regiam vrbem & Thraciae prouincias sortitus est, Helladius vero, qui Caesareae Cappadociae post Basilium erat Episcopus, Ponticae dioecesis patriarchatum obtinuit* &c.

Quinquaginta circiter annis post, nimirum A. CCCCXXXI. Concilium tertium generale *Ephesi* habitum est, in quo Episcopum *Antiochenum* potestatem ordinandi in *Cypro* sibi arrogasse legimus: Concilium autem nullo eum iure hoc facere intelligens, in gratiam Episcoporum *Cypri* decretum faciebat, eosque a potestate *Antiocheni* exemtos declarabat [g]. *Habebunt*, inquiunt Patres, *ius suum intactum & inuiolatum, qui sanctis in Cypro Ecclesiis praesunt, secundum Canones sanctorum Patrum & veterem consuetudinem per se ipsos ordinationes religiosissimorum Episcoporum facientes*: Et addunt haec: *Istud etiam in aliis dioecesibus, & in omnibus prouinciis seruetur, vt nullus piissimorum Episco-*

(e) Theodor. Ep. LXXXVI. ad Flau. an. Tom. III. p. 963.) Τὰς διοικήσεις διέκριναν, καὶ ἑκάστῃ διοικήσει τὰ ἑαυτῆς ἀπένειμαν, ἄντικρυς ἀπαγορεύσαντες, ἐξ ἑκατέρας τινὰς διοικήσεως ἑτέρᾳ μὴ ἐπιέναι.

(f) Socrat. H. E. lib. V. c. VIII. Πατριάρχας καθίστησαν, διανειμάμενοι τὰς ἐπαρχίας, ὥστε τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ὑπερβαίνειν· τοῦτο γὰρ πρότερον διὰ τοὺς διωγμοὺς ἐγίνετο ἀδιαφόρως· καὶ κληροῦται Νεκτάριος μὲν τὴν μεγαλόπολιν καὶ τὴν Θρᾴκην· τῆς δὲ Ποντικῆς διοικήσεως Ἑλλάδιος, ὁ μετὰ Βασίλειον Καισαρείας τῆς Καππαδοκῶν ἐπίσκοπος.

(g) Concil. Eph. I. Act. VII. Decret. de Episc. Cypr (Tom III. p. 801.) ἕξουσι τὸ ἀνεπηρέαστον καὶ ἀβίαστον οἱ τῶν ἁγίων ἐκκλησιῶν τῶν κατὰ τὴν Κύπρον προεστῶτες, κατὰ τοὺς κανόνας τῶν ὁσίων πατέρων καὶ τὴν ἀρχαίαν συνήθειαν, δι' ἑαυτῶν τὰς χειροτονίας τῶν εὐλαβεστάτων ἐπισκόπων ποιούμενοι· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων διοικήσεων καὶ τῶν ἁπανταχῇ ἀπαρχιῶν παραφυλαχθήσεται, ὥστε μηδένα τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων ἐπαρχίαν, οὐκ οὖσαν ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ, ἤγουν τῶν πρὸ αὐτοῦ χεῖρα, καταλαμβάνειν.

pisco-

piſcoporum aliam prouinciam occupet, quæ antea & ab initio ſub ſua vel anteceſſorum ſuorum poteſtate non fuerit. Ex quibus patet planiſſime, Epiſcopum *Antiochenum* tum temporis diuerſas prouincias, ſiue integram aliquam diœceſim poteſtati ſuæ ſubiectam habuiſſe, quo in iure a Concilio confirmatus fuit, poteſtate in *Cyprum* prouinciam ei tantum abiudicata, quod ex antiquo iure ad ipſum haud pertineret.

Annis circiter duodeuiginti præterlapſis *Theodoſius* Iunior & *Valentinianus* A. CCCCXLIX Concilium ſecundum *Epheſi* coëgerunt. Et in Epiſtola, qua *Dioſcorum* Epiſcopum *Alexandrinum* eo euocabant, decem diœceſis ſuæ Metropolitanos [h] ſecum adducere iubebant. LIBERATVS hoc in *Breuiario* ſuo adnotauit, & epiſtola ipſa hodienum exſtat [i] in concilio *Chalcedonenſi*; vnde patet, bene multos eo tempore Metropolitanos in diœceſi *Aegyptiaca* Archiepiſcopi *Alexandrini* poteſtati fuiſſe ſubiectos. Vt adeo, etſi de prima poteſtatis Patriarchalis origine nondum inter omnes conuenit: nullum tamen amplius dubium ſit, quin tempore Conciliorum Generalium *Epheſini* ac *Chalcedonenſis* ſummum faſtigium conſcenderit.

§. X.

Patriarcharum poteſtas non prorſus eadem in omnibus Eccleſiis. Patriarchæ Conſtantinopolitano *peculiaria quædam fuerunt priuilegia.*

Proximum igitur eſt, vt in horum Patriarcharum iura ac priuilegia inquiramus. Atque heic bene notandum eſt, poteſtatem Patriarcharum non præciſe vnam eamdemque in omnibus Eccleſiis, ſed diuerſam fuiſſe pro diuerſa locorum ac regionum conſuetudine, vel prout regibus & conciliis maiora eis priuilegia concedere placuit. Patriarcha *Conſtantinopolitanus*, quando primum a Concilio generali ſecundo conſtitutus fuerat, vnicam tantum diœceſin *Thraciæ* ad exercendam iurisdicti-

(*h*) Liberat. Breuiar. c. XII. Imperator dirigens Sacram Dioſcoro in Alexandriam præcepit, vt cum decem Metropolitanis Epiſcopis, quos voluiſſet, ipſe eligeret, & veniret Epheſum.

(i) Conc. Chalced Act. I. (Tom. IV. Conc. p. 100.) Ἡ σὴ ὁσιότης σὺν ἑαυτῇ δέκα μεθ' εὐλαβεστάτους ἐπισκόπους τῶν ὑπὸ τὴν αὐτὴν διοίκησιν μητροπολίτας κ. τ. λ. Tua ſanctitas ſumtis ſecum decem reuerendiſſimis metropolitis epiſcopis, qui ſub tua degunt diœceſi &c.

onem ſuam, ſibi adſignatam [k] habebat: at proxime inſequuto æuo quaſi quidam Patriarcha ſuper Patriarchas, *Epheſinum* & *Cæſareenſem* in *Aſiatica* & *Pontica* diœceſibus, euaſit, idque ſine dubio iſtis duobus Exarchis primum ex aliqua in regiæ ciuitatis Exarchum obſeruantia libentiſſime permittentibus; quod poſteaquam in conſuetudinem abiit, deinde Canone Concilii *Chalcedonenſis* confirmatum fuit. Seſſione huius Concilii decima ſexta longa hac de re erat diſputatio, legatis Pontificis *Romani* acriter contra nitentibus: At vero cunctis duarum diœceſium *Aſianæ* & *Ponticæ* Metropolitanis, qui tum in Concilio aderant, vna cum *Thalaſſio*, Epiſcopo *Cæſareenſi* & diœceſis Ponticæ Exarcho vna voce declarantibus, Epiſcopum *Conſtantinopolitanum* ex longa conſuetudine ac præſcriptione priuilegium ordinandi Metropolitanos in his duabus diœceſibus non minus, quam in *Thracia* habuiſſe; decernebatur, ipſi hoc priuilegium, non obſtante Epiſcopi *Romani* interpellatione, conſeruari oportere [l]. Duobus etiam iſtius Concilii Canonibus appellationes [m] ab harum diœceſium Exarchis accipere ei permittitur, quod eius thronus in ciuitate eſſet regia. Et in eiusmodi earum diœceſium locis, quæ maximam partem in barbarorum erant poteſtate, per alium Canonem [n] auctoritate, omnes ordinandi Epiſcopos, inſtruitur, quod

(k) Concil. Conſtant. I. c. II. (Tom. II. p. 947.) Τὺς τῆς Θρᾴκης τὰ τῆς Θρακικῆς μόνον οἰκονομεῖν, Thraciæ epiſcopi Thraciam tantum regant.

(l) Concil. Chalced. Can XXVIII. (Tom. IV. p. 769.) Χρῆναι δὲ τὸν ὁσιώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς βασιλίδος Κωνςαντινȣπόλεως, νέας Ῥώμης, τῶν αὐτῶν πρεσβείων τῆς τιμῆς ἀπολαύειν, καὶ αὐτὸν ἐξ αὐθεντίας ἐξȣσίαν ἔχειν τȣ̃ χειροτονεῖν τὺς μητροπολίτας ἔν τε τῇ Ἀσιανῇ, καὶ Ποντικῇ καὶ Θρακικῇ ταῖς διοικήσεσι κ. τ. λ. Oportere autem ſanctiſſimum Archiepiſcopum regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ eisdem primatibus honoris & ipſum dignum eſſe, & poteſtatem habere ordinare metropolitas in Aſiana & Pontica & Thracica diœceſibus &c. conf. Act. XVI tot.

(m) Ibid. Can. IX. Εἰ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς βασιλευȣ́σης Κωνςαντινȣπόλεως θρόνον, καὶ ἐπ' αὐτῷ δικαζέσθω. Si cum ipſius prouinciæ metropolitano epiſcopus vel clericus controuerſiam habeat, diœceſis exarchum adeat, vel *imperialis vrbis Conſtantinopolis thronum, & apud eum litiget.* Ibid. c. XVII Εἴ δέ τις παρὰ τȣ̃ ἰδίȣ ἀδικεῖτο μητροπολίτȣ, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ διοικήσεως ἢ τῷ Κωνςαντινȣπόλεως θρόνῳ, δικαζέσθω, καθὰ προείρηται. Si quis iniuria adficiatur a proprio metropolitano apud exarchum diœceſis *vel Conſtantinopolitanam ſedem litiget*, ſicut prius dictum eſt.

(n) Concil. Chalced. c. XXVIII. Τὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπȣς τῶν προειρημένων

aliis

aliis in locis ſolius Metropolitani erat priuilegium. Theodoretus [*o*] animaduertit, ipſum *Chryſoſtomum* ante Concilium *Chalcedonenſe* hanc poteſtatem in iſtas tres diœceſes exercuiſſe. Dicit enim: *Neque hanc ille* (Chryſoſtomus) *prouidentiam gerebat in illa tantum ciuitate* (Conſtantinopoli); *ſed in Thracia etiam vniuerſa, quæ ſex in prouincias diuiſa eſt, & in Aſia tota, quæ ab vndecim Præſidibus regitur: quin & Ponticam quoque iisdem legibus ornauit, quæ pares numero cum Aſia rectores habet.* Non igitur poteſtatem Patriarchalem ex inualeſcente ſubinde *Conſtantinopolis* amplitudine metiri, ſed peculiaria quorumdam Patriarcharum priuilegia, quæ præ aliis habuerunt, a ſe inuicem diſtinguere debemus, qua ſola ratione poteſtatem cuiuslibet intelligere poſſumus.

§. XI.

Patriarcha Alexandrinus *itidem quædam priuilegia ſibi peculiaria habuit.*

Nam Patriarcha *Alexandrinus* itidem prærogatiuas quasdam habebat, quibus præter ipſum nemo alius fruebatur. Cuiusmodi erat ius electionem vniuſcuiuſque Epiſcopi per omnes diœceſis ſuæ prouincias approbandi, eumque conſecrandi. Hoc priuilegium ne quidem Patriarchæ *Conſtantinopolitano* datum erat. Concilium enim *Chalcedonenſe* in iisdem locis, vbi poteſtatem conſecrandi Metropolitanos per tres integras diœceſes ei concedit, priuilegium conſecrandi horum Metropolitanorum Epiſcopos ſuffraganeos ipſi abiudicat, iubetque [*p*] *vniuſcuiuſ-*

διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ἀπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας κ. τ. λ. Epiſcopi prædictorum diœceſium, quæ ſunt inter barbaros, *a* prædicto *throno* ſanctiſſimæ *Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ordinentur.* &c.

(*o*) Theodoret. H. E. lib. V. c. XXVIII. Ταύτην ἐποιεῖτο τὴν προμήθειαν οὐ μόνον ἐκείνης τῆς πόλεως, ἀλλὰ καὶ τῆς Θρᾴκης ἁπάσης, εἰς ἓξ δὲ αὕτη ἡγεμονίας διῄρηνται, καὶ τῆς Ἀσίας ὅλης, ὑπὸ ἕνδεκα δὲ καὶ αὕτη ἀρχόντων ἰθύνεται, καὶ μέν τοι καὶ τὴν Ποντικὴν τούτοις κατεκόσμει τοῖς νόμοις, ἰσαρίθμους δὲ καὶ αὕτη ἔχει τῆς Ἀσίας τοὺς ἡγουμένους.

(*p*) Concil. Chalced. Act. XVI. circ. fin. (Tom. IV. p. 817.) Τοὺς μέν τοι κατὰ πόλιν ὁσιωτάτους ἐπισκόπους χειροτονεῖσθαι παρὰ πάντων ἢ τῶν πλειόνων τῆς ἐπαρχίας ἐνλαβεσάτων, τὸ κῦρος ἔχοντος τοῦ μητροπολίτου, κατὰ τὸν κείμενον τῶν πατέρων κανόνα, καὶ μηδὲν ἐπικοινοῦντος ταῖς ἐκείνων χειροτονίαις τοῦ ὁσιωτάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως.

que

que ciuitatis episcopos ordinari ab omnibus, aut pluribus prouinciæ episcopis, potestatem habente Metropolitano secundum patrum regulas definitam, etiam nihil communicante in illorum ordinationibus archiepiscopo Constantinopolitano. Alius autem mos erat *Alexandriæ.* Episcopus enim *Alexandrinus*, cum esset adhuc tantum Metropolitanus, sex prouinciarum in diœcesi *Aegyptiaca* Episcopos omnes ordinabat, vnus & solus in omnibus istis prouinciis exsistens Metropolitanus: Non autem nisi eamdem habens diœcesin, cum ad Patriarchalem eueheretur dignitatem, antiquum Episcopos per sex prouincias ordinandi morem continuabat, nouos Metropolitanos hic illic constitutos nihil moratus. Et in hoc Patriarcha *Alexandrinus* ab aliis omnibus differebat. Nam in reliquis diœcesibus vniuersis ius Episcopos suos suffraganeos ordinandi habebant Metropolitani, quod heic Patriarcha tamquam vetustam potestatis suæ Metropolitanæ partem sibi ipsi reseruabat. Noui equidem virum quemdam eruditissimum [q] aliter sentire. *Episcopus*, inquit ille, *Alexandrinus detrimentum cepit, factus Patriarcha: tum enim secundum Ecclesiasticæ Politiæ constitutionem Episcoporum suffraganeorum ordinatio, ipsi antea in solidum propria, ad diuersos Metropolitanos ei subiectos, deuoluta erat.* Sed hoc inde adseritur, quod iura Patriarchalia vbique vna eademque fuisse supponuntur; quod autem ex exemplo, quod de *Constantinopoli* attuli, secus fuisse, apparet; Patriarchæ enim *Ephesinus* & *Cæsareensis* suos ipsorum Metropolitanos non ordinabant, sed omnes Episcopo *Constantinopolitano* subiecti erant. Et quod ad Patriarcham *Alexandrinum* attinet, e SYNESIO, qui ipse erat Metropolitanus *Ptolemaidis*, constat, non tantum Metropolitanorum, sed omnium etiam Episcoporum suffraganeorum ordinationem per integrum *Aegypti*, *Libyæ* & *Pentapolis* tractum ad ipsum solum spectasse. In epistola enim ad *Theophilum* scribens, se cum duobus aliis Episcopis *Olbiam* ad eligendum Episcopum profectum, & *Antoni-*

(q) Caue *Anc. Ch. Gov.* c. IV. p. 159. Verba eius (ab Auctore Binghamo citata) sic habent: *The Bishop of Alexandria was rather a loser by being made a Patriarch: For now according to the Constitution of Church-Policy, the Ordination of Suffragan Bishops, wich before belonged entirely to him, was devolved upon the several Metropolitans under him.*

um

um quemdam vnanimi populi consensu electum esse; addit [*r*] rem vnam adhuc deesse, omnium maxime necessariam, ipsius videlicet manum, qua electum Episcopum consecret. Quod ipsum indicat, Episcopum *Alexandrinum* antiquum ius suum omnes Episcopos dioecesis *Aegyptiacæ* consecrandi retinuisse.

§. XII.

Primum *Patriarcharum priuilegium erat, ordinare omnes diœcesium Metropolitanos, suam autem ipsorummet ordinationem recipere a Synodo diœcesis.*

In aliis dioecesibus Patriarcharum potestas in omnium Metropolitanorum, qui eis subiecti erant, ordinatione seu confirmatione conspiciebatur. Hoc ex antea citatis Concilii *Chalcedonensis* canonibus [*s*] & nonnullis *Iustiniani* Imperatoris Novellis patet; quarum aliqua [*t*] meminit, quod Episcopus *Constantinopolitanus* omnes Metropolitanos sibi subiectos ordinet; & alia quædam eamdem potestatem Patriarchæ *Iustinianæ Primæ* [*u*] confert, quod in isto loco Imperator hanc in lucem editus fuerat. Et hoc peculiare Patriarcharum fuisse priuilegium, porro cognoscitur ex quodam *Arabicorum* Canonum a *Turriano*, sub nomine Canonum *Nicænorum* publicatorum, qui inuenti fuere, posteaquam nomen Patriarcharum in Ecclesia

(*r*) Synes. Ep. LXXVI. ad Theoph. Ἑνὸς ἔτι δεῖ, τοῦ κυριωτάτου μέν τοι τῆς ἱερᾶς σου χειρός.

(*s*) Conc. Chalced. c. XXVIII. vid. not. (n) p. 246. Act. XVI. p. 798. Χειροτονεῖσθαι τοὺς μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. Ordinari autem metropolitas præfatarum diœcesium a *Constantinopolitano Archiepiscopo.*

(*t*) Iustin. Nouell. VII. c. I. -- μήτε τὰς ὑπὸ τὸν πατριαρχικὸν θρόνον τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεως καθεστώσας, ὧν τοὺς μητροπολίτας αὐτὸς χειροτονεῖ κ. τ. λ. - neque sub patriarchica sede huius felicissimæ ciuitatis (Constantinopolis) constitutas (ecclesias) *quarum metropolitas ipse ordinat* &c.

(*u*) Iustin. Nouell. CXXXI. c. III. Τὸν δὲ κατὰ καιρὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς πρώτης Ἰουστινιανῆς τῆς ἡμετέρας πατρίδος, ἔχειν ἀεὶ ὑπὸ τὴν οἰκείαν δικαιοδοσίαν τοὺς ἐπισκόπους τῶν ἐπαρχιῶν Δακίας μεδιτερρανέας καὶ Δακίας ῥιπενσίας, Τριβαλλέας, Δαρδανίας καὶ Μυσίας τῆς ἀνωτέρας, καὶ Παννονίας καὶ παρ' αὐτοῦ τούτους χειροτονεῖσθαι, αὐτὸν δὲ ὑπὸ τῆς οἰκείας συνόδου χειροτονεῖσθαι. Per tempus beatissimum primæ Iustinianæ patriæ nostræ archiepiscopum habere semper sub sua iurisdictione episcopos prouinciarum Daciæ mediterraneæ & Daciæ Ripensis & Priualis (al. Triballiæ) & Dardaniæ & Mysiæ superioris & Pannoniæ: Et ab eo hos ordinari, ipsum vero a proprio ordinari concilio.

satis innotuisset. Tricesimus sextus ex his Canonibus loquens de Catholico in *Aethiopia* [w], qui non erat Patriarcha sed Patriarchæ *Alexandrino* parebat, dicit: *Non ius habeat constituendi Archiepiscopos, vt habet Patriarcha; siquidem non habet Patriarchæ honorem & potestatem.*

Prærogatiua igitur erat Patriarcharum (si ab *Ephesino* & *Cæsareensi* discesseris) Metropolitanos ipsis subiectos ordinare: eos ipsos autem a Synodo omnium diœcesis suæ Episcoporum ordinari oportebat, quemadmodum Nouella *Iustiniani* modo adlegata [x] nobis tradit. Et hæc canonica Patriarcharum ordinatio vocabatur. Ita enim Concilium *Constantinopolitanum* in epistola sua synodica ad Episcopos *occidentales Flauiani*, Episcopi *Antiocheni* (qui, teste THEODORETO [y] omni *Orientali* diœcesi præerat,) ordinationem probat, quod non tantum ab Episcopis prouinciæ, sed etiam τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, totius *Orientalis diœcesis* [z] Episcopis in Synodo congregatis, ordinatus sit.

§. XIII.

Secundum *priuilegium erat, conuocare Synodos, in illisque præsidere.*

Præterea potestatem habebant Patriarchæ Metropolita-

(w) Conc. Nic. Arab. c. XXXVI.

(x) Nouell. CXXXI. vid. not. (u) pag. 249. Ipsum vero (Patriarcham) a proprio ordinari Concilio.

(y) Theod. H. E. lib. V. c. XXIII. Τῆς ἑῴας αἱ ἐκκλησίαι τῆς Φλαβιανοῦ προεδρίας ἀντέχονται· πρὸς δὲ τῇ ἑῴᾳ καὶ τὴν Ἀσιανὴν ἅπασαν καὶ τὴν Ποντικὴν, καὶ μήν τοι καὶ τὴν Θρᾳκικὴν κοινωνήσας ἔχει καὶ συνημμένας, καὶ τὸ Ἰλλυρικὸν δὲ ἅπαν ἐκεῖνον οἶδε τῶν κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐπισκόπων ἡγούμενον. Flauiano Episcopo adhærent orientales ecclesiæ: & cum orientali diœcesi Asiaticam quoque totam & Ponticam & Thracicam communione coniunctas habet: sed & Illyricum vniuersum eumdem agnoscit Orientalibus Episcopis præsidere.

(z) Concil. Constant. Ep. ad Occid. ap. Theod. H. E. lib. V. c. IX. Τῆς δὲ πρεσβυτάτης καὶ ὄντως ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, ἐν ᾗ πρώτῃ τὸ τίμιον τῶν Χριστιανῶν ἐχρημάτισεν ὄνομα, τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον Φλαβιανὸν οἵ τε τῆς ἐπαρχίας καὶ τῆς Ἀνατολικῆς διοικήσεως συνδραμόντες κανονικῶς ἐχειροτόνησαν, πάσης συμψηφούσης ἐκκλησίας, ὥσπερ διὰ μιᾶς φωνῆς τὸν ἄνδρα τιμησάσης. Antiquissimæ vereque Apostolicæ Antiochenæ in Syria Ecclesiæ, in qua primum venerandum Christianorum nomen auditum est, reuerendissimum & religiosissimum Episcopum Flauianum prouinciæ simul & diœcesis Orientalis conuenientes Episcopi canonice ordinarunt, tota Ecclesia consentiente, & quasi vna ore virum collaudante.

NOS

nos & omnes Episcopos suos ad Synodum diœceseos euocandi; quod priuilegium eodem fundatum erat Canone, qui Metropolitanis prouinciales cogendi Synodos in iisque præsidendi auctoritatem dederat. Quam enim Metropolitani habebant potestatem in Episcopos suos prouinciales, eamdem in Metropolitanos habebant Patriarchæ. Et hinc THEODORETVS [a] de sua ipsius *Antiochiam* versus ad Patriarchæ sui Synodos profectione loquens, ideo se illic comparuisse dicit, vt ecclesiastico canoni obsequeretur, qui reum haberi iubeat eum, qui ad Synodum vocatus adesse noluerit.

§. XIV.

Tertium *priuilegium erat, appellationem a Metropolitanis & Synodis prouincialibus accipere.*

Aliud Patriarcharum priuilegium erat, potestas accipiendi a Metropolitanis & Synodis prouincialibus appellationem, eorumque decreta, si minus iuste facta essent, abolendi: *Si quis*, inquit Concilium *Chalcedonense* [b] certo quodam Canone, *cum ipsius prouinciæ Metropolitano Episcopus vel Clericus controuersiam habeat, diœcesis Exarchum adeat*: Et alibi [c]: *Si quis iniuria adficiatur a proprio Metropolitano, apud Exarchum diœcesis, vel Constantinopolitanam sedem litiget.* Hi Canones in ciuilem legem adoptati, & Imperatorum edictis confirmati sunt. Vi enim Constitutionis cuiusdam *Iustinianeæ* [d] Patriarcha appellationem a Synodo prouinciali accipere & omnes caussas, legitimo modo ad ipsum relatas, decidere poterat: & ordinarius agendi modus inibi præscribitur, nimirum, vt nemo caussam suam ab initio ad Patriarcham deferat, sed prius ad Episcopum ciuitatis, in qua quis versetur, tum ad Metropolitanum Episcopum, postea ad regionis Synodum, & denique ad Patriarcham, contra cuius sententiam nullum locum appellationi

(a) Theodoret. Ep. LXXXI. Ὑπήκοον τῷ ἐκκλησιαστικῷ κανόνι πειθόμενος, ὃς κινδυνεύειν παρακελεύεται τὸν καλούμενον εἰς σύνοδον καὶ παραγίνεσθαι μὴ βουλόμενον.

(b) Concil. Chalced. Can. IX. (Tom. IV. p. 759.) Εἰ δὲ πρὸς τὸν τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτην ἐπίσκοπος ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλαμβανέτω τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως.

(c) Conc. Chalced. c. XVII. Εἰ δέ τις παρὰ τοῦ ἰδίου ἀδικοῖτο μητροπολίτου, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως, ἢ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω.

(d) Cod. Iustin. lib. I. Tit. IV. c. XXIX. vid. not. (p) p. 224.

relinquit. Idem aliis istius Imperatoris legibus [e] repetitur & confirmatur, quas heic nihil attinet recitare.

§. XV.

Quartum *priuilegium Patriarcharum erat, in Metropolitanos censura Ecclesiastica vti, nec non in eorum Episcopos suffraganeos, si Metropolitanos in exercenda aduersus hos ipsos hac censura negligentiores esse intelligerent.*

Quemadmodum Patriarchis appellationem a Metropolitanis suis accipere licebat, ita in eorum administrationem inquirendi, eosque corrigendi, & censuræ Ecclesiasticæ pœna adficiendi habebant potestatem, si hæreseos vel male administrati aut neglecti officii rei essent, quo nomine secundum Canones Censuræ Ecclesiasticæ obnoxii reddebantur. IVSTINIANVS expressam legem in hanc rem tulit, his verbis [f] conscriptam: *Quoties quidam sacerdotum, vel clericorum, vel abbatum, vel monachorum accusabuntur vel de fide, aut turpi vita, aut ob aliquid aliud contra sacros Canones admissum; siquidem Episcopus est is, qui accusatus est, eius Metropolitanus examinet ea quæ dicta sunt: Si vero Metropolitanus sit, eius beatissimus Archiepiscopus*, (hoc est

(e) Iust. Nouel. CXXIII c. XXII Εἴ τινες ὁσιώτατοι ἐπίσκοποι τῆς αὐτῆς συνόδου ἀμφισβήτησίν τινα πρὸς ἀλλήλους ἔχοιεν, εἴτε ὑπὲρ ἐκκλησιαστικοῦ δικαίου, εἴτε ὑπὲρ ἄλλων τινῶν πραγμάτων· πρότερον ὁ μητροπολίτης αὐτῶν μεθ' ἑτέρων δύο ἐκ τῆς ἰδίας συνόδου ἐπισκόπων, τὸ πρᾶγμα κρινέτω. καὶ εἰ μὴ ἐμμείνῃ ἑκάτερον μέρος τοῖς κεκριμένοις, τηνικαῦτα ὁ μακαριώτατος πατριάρχης ἐκείνης τῆς διοικήσεως μεταξὺ αὐτῶν ἀκροάσθω, κἀκεῖνα ὁριζέτω ἅπερ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς κανόσι καὶ τοῖς νόμοις συνᾴδει· οὐδενὸς μέρους κατὰ τῆς ψήφου ἀντιλέγειν δυναμένου. Si quis sanctissimorum Episcoporum eiusmodi synodi dubitationem aliquam ad inuicem habeat, siue pro ecclesiastico iure, siue pro aliis quibusdam rebus: prius metropolita eorum cum aliis de sua synodo episcopis caussam examinet & iudicet: & si non rata habuerit vtraque pars, quæ iudicata sunt, *tunc beatissimus Patriarcha diœceseos illius inter eos audiat, & illa determinet*, quæ ecclesiasticis canonibus & legibus consonant: *nulla parte eius sententiæ contradicere valente.*

(f) Iustin. Nouell. c. XXXVII. c V. Ὁσάκις ἂν τινες κατηγορηθεῖεν τῶν ἱερέων ἢ κληρικῶν ἢ ἡγουμένων, ἢ μοναχῶν, ἢ περὶ πίστεως, ἢ περὶ αἰσχροῦ βίου, ἢ ὡς παρὰ τοὺς θείους κανόνας τι διαπραττόμενοι, καὶ εἰ μὲν ἐπίσκοπος εἴη ὁ κατηγορούμενος τὸν τούτου μητροπολίτην ἐξετάζειν τὰ λεγόμενα· εἰ δὲ μητροπολίτης εἴη, τὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον ὑφ' ὃν τελεῖ.

Patri-

Patriarcha) *ſub quo degit.* Huius poteſtatis beneficio *Gerontium* [g] Metropolitanum *Nicomedienſem* abdicauit *Chryſoſtomus:* & *Atticus* controuerſiam inter *Theodoſium* & *Agapetum* [h] de throno *Synadorum* Metropolis *Phrygiæ Pacatianæ* inter ſe contendentes, decidit: Et facile foret, ex antiquis Conciliis multa alia id genus exempla adferre eorum, qui eamdem hanc in Metropolitanos exercuerunt poteſtatem.

Non ſuper Metropolitanos tantum, ſed ſuper eorum etiam Epiſcopos ſuffraganeos hæc poteſtas ſe ſe extendebat. Quamquam enim quiuis Epiſcopus prouincialis ab ſuo ipſius Metropolitano & ab Synodo prouinciali debebat iudicari: tamen ſi in exſequenda contra ſontes Canonum ſententia negligentius & remiſſius ſe gererent, Patriarchæ integrum erat, cauſſam ipſam recognoſcere, & Epiſcopo cuique intra ſuæ iurisdictionis limites conſtituto pœnam Cenſuræ Eccleſiaſticæ irrogare. Ita SOZOMENVS [i] de *Chryſoſtomo* memoriæ prodidit, eum, quum aliquando *Epheſum* viſendi cauſſa veniſſet, tredecim Epiſcopos, partim in *Lycia* & *Phrygia*, partim in ipſa *Aſia*, propter vendita ab eis ſacerdotia & corruptos mores alios Eccleſiis expuliſſe. Hoc factum eſt in Synodo ſeptuaginta Epiſcoporum *Epheſi* A. CCCCI. VT VALESIVS [k] & DV PINIVS E PAL-

(g) Sozom. H. E. lib. VIII. c. VI. Γερόντιον ἐξεώσατο τῆς Νικομηδέων ἐκκλησίας.

(h) Socrat. H. E. lib. VII. c. III. Ἀττικὸς τὸν Θεοδόσιον λόγῳ παρεμυθήσατο, πείσας ἀνεξικάκως τὸν ἡσύχιον βίον ἀσπάζεσθαι, προκρίνειν δὲ τὰ κοινὰ τῶν ἰδίων διδάξας· γράφει τε τῷ Ἀγαπητῷ ἔχεσθαι τῆς ἐπισκοπῆς, μηδὲν ἐκ τῆς Θεοδοσίου λύπης ἀνιαρὸν ὑφορώμενον. Atticus ipſum quidem Theodoſium verbis conſolatus eſt, monens, vt patienti animo quietum vitæ genus amplecteretur, & publica commoda priuatis rationibus anteferret. Agapeto vero ſcribit, vt Epiſcopatum retineat, nec moleſti quidquam ex offenſione Theodoſii ſibi euenturum ſuſpicetur.

(i) Sozom. H. E. lib. VIII. c. VI. Ὁ Ἰωάννης πυθόμενος ὑπὸ ἀναξίων τὰς ἐν Ἀσίᾳ καὶ πέριξ ἐκκλησίας ἐπιτροπεύεσθαι, καὶ τοὺς μὲν λήμμασι καὶ δωροδοκίαις, τοὺς δὲ χάριτι ὑπαγομένους τὰς ἱερωσύνας ἀπεμπωλεῖν, ἧκεν εἰς Ἔφεσον· καθελών τε δέκα καὶ τρεῖς ἐπισκόπους, τοὺς μὲν ἐν Λυκίᾳ καὶ Φρυγίᾳ, τοὺς δὲ ἐν αὐτῇ Ἀσίᾳ, ἑτέρους ἀντ' αὐτῶν κατέστησε. Ioannes, cum audiſſet Aſiæ & finitimarum prouinciarum Eccleſias ab indignis ſacerdotibus gubernari, & alios quidem donis ac muneribus, alios vero gratia corruptos, *ſacerdotia vendere*, Epheſum perrexit. Ac *tredecim epiſcopis depoſitis*, partim in Lycia & Phrygia, partim in ipſa Aſia, alios in eorum locum ſubſtituit.

(k) Valeſ. Not. in loc. p. 161. Chryſoſtomus in Aſiam profectus Synodum ſeptuaginta epiſcoporum Epheſi congregauit, in qua depoſiti ſunt *ſex Epiſcopi, non autem tredecim*, vt ait Sozomenus.

LVDIO adnotant, qui eiusdem rei facit mentionem, etiamsi de sex tantum Episcopis, ibi munere exutis, loquatur.

§. XVI.

Quintum *priuilegium Patriarcharum: Metropolitanos legatos suos poterant constituere.*

Patriarcha potestate pollebat, Metropolitanum in quamcumque dioeceseos suae partem tamquam curatorem suum delegandi, ad caussas Ecclesiasticas ipsius nomine audiendas & determinandas. Certe in dioecesi *Aegyptiaca*, vbi erat SYNESIVS, ita mos obtinebat. Nam in Epistola quadam sua [*l*] *Theophylo*, Patriarchae *Alexandrino* scribens, exponit, quam duram sibi demandarit prouinciam, quando per regiones hostilibus armis interclusas ad duos viuos *Libyae* vicinos *Palaebiscam* & *Hydracem* ad quamdam controuersiam, quae de euehendis his locis in sedes Episcopales orta sit, determinandam ipsum miserit. *Sed*, inquit ille, *mihi imposita necessitas est pro lege id habendi, quidquid thronus ille* (Alexandrinus) *statuerit.*

§. XVII.

Sextum *priuilegium Patriarcharum erat, quod a Metropolitanis suis in rebus magni alicuius momenti consuli debebant.*

Quemadmodum Metropolitani omnia faciebant, quae a Patriarchis secundum Canones eis iniungebantur: ita nihil eorum, quae magni essent momenti, sine ipsis peragebant; eadem ipsum obseruantia colentes, qua ipsi ab Episcopis suis suffraganeis ex praescripto Canonum colebantur. Hic mos certe in *Aegypto* obtinuit, quemadmodum ex noto aliquo loco, in Actis Concilii *Chalcedonensis* [*m*] obuio, patet, vbi legimus, quod,

Du Pin Biblioth. Vol. III. Vit. Chrysost. p. 14. Hoc miserando rerum concursu, Ephesini Episcopi & Clerus ad Chrysostomum confugiunt; rogant ad se veniat, res suas compositurus. Illuc ipse peruenit, desinente hieme anni CCCCI. Synodum conuocat; eo LXX Episcopi confluxere. *Sex Episcopos numeratae Antonino pecuniae, ad ordinationem obtinendam, reos peractos munere exuit.*

(*l*) Synes. Epist. LXVII. p. 208 sub init. Ἐγὼ καὶ βούλομαι καὶ ἀνάγκη μοι θεία, νόμον ἡγεῖσθαι πᾶν ὅ, τι ἂν ἐκεῖνος ὁ θρόνος θεσπίσῃ.

(*m*) Concil. Chalced. Act. IV. (Tom. IV p. 512. 513.) Ἴσασι πάντες οἱ ἁγιώτατοι ὑμῶν πατέρες, ὅτι ἐν ἅπασιν ἀναμένομεν τὴν γνώμην τοῦ παρ' ἡμῖν ὁσιωτάτου ἀρχιεπι-

quum

quum *Leonis* Papæ epiſtolæ contra *Eutychem* ab omnibus Epiſcopis in Concilio præſentibus ſubſcriberetur, Epiſcopi *Aegyptiorum* id tum facere detrectauerint, quod eo tempore non haberent Patriarcham, nec ipſis extra voluntatem Patriarchæ aliquid facere liceret, ſecundum regulam a Concilio *Nicæno* datam, quæ omnes diœceſis *Aegyptiacæ* Epiſcopos Archiepiſcopum *Alexandriæ* ſequi, & ſine eo nihil facere iubet. Ita ſe in Concilio excuſabant, & excuſatio eorum accipiebatur, fiebatque hoc in eorum gratiam decretum [*mm*]: *Quoniam religioſiſſimi Epiſcopi Aegypti, non vt catholicæ fidei aduerſantes, ſanctisſimi Archiepiſcopi Leonis epiſtolæ ſubſcribere diſtulerunt, ſed dicentes, in Aegyptiaca diœceſi hanc eſſe conſuetudinem; vt præter voluntatem & mandatum Epiſcopi nihil tale faciant, & petunt concedi ſibi dilationem vſque ad ordinationem futuri magnæ ciuitatis Alexandrinorum Archiepiſcopi: iuſtum nobis & humanum viſum eſt, vt ipſis in proprio habitu in imperiali vrbe manentibus remiſſio concedatur, donec ordinatus fuerit Alexandrinus Archiepiſcopus.* cætera.

σκόπε· καὶ παρακαλοῦμεν τὴν ὑμετέραν φιλανθρωπίαν, ἀναμεῖναι τὴν τοῦ ἡμετέρου προέδρου γνώμην· αὐτῷ γὰρ ἐν ἅπασιν ἀκολουθήσομεν· τοῦτο γὰρ καὶ οἱ ἐπὶ τῆς Νικαέων ἅγιοι πατέρες συναγηγερμένοι ἐκανόνισαν τινὴ ὥστε ἀκολουθεῖν πᾶσαν τὴν Αἰγυπτιακὴν διοίκησιν τῷ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ μηδὲν δίχα αὐτοῦ πράττεσθαι παρά τινος τῶν ὑπ᾽ αὐτὸν ἐπισκόπων. Sciunt omnes ſanctiſſimi Patres noſtri quia in omnibus exſpectamus ſententiam ſanctiſſimi noſtri archiepiſcopi; & petimus veſtram clementiam exſpectare præſidis noſtri ſententiam, quia eum in omnibus ſequemur. Nam & ſanctiſſimi patres qui in Nicæa congregati ſunt, trecenti decem & octo, hanc regulam dederunt, vt ſequatur omnis Aegyptiaca regio archiepiſcopum magni nominis ciuitatis Alexandriæ & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubiacente epiſcopo.

(*mm*) Concil. Chalced. Can. XXX. ex Act. IV. p. 772. ἐπειδὴ οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι τῆς Αἰγύπτου, οὐχ ὡς μαχόμενοι τῇ καθολικῇ πίστει, ὑπογράψαι τῇ ἐπιστολῇ τοῦ ὁσιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Λέοντος ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀνεβάλλοντο, ἀλλὰ φάσκοντες, ἔθος εἶναι ἐν τῇ Αἰγυπτιακῇ διοικήσει, παρὰ γνώμην καὶ διατύπωσιν τοῦ ἀρχιεπισκόπου μηδὲν τοιοῦτον ποιεῖν, καὶ ἀξιοῦσιν ἐνδοθῆναι αὐτοῖς ἄχρι τῆς χειροτονίας τοῦ ἐσομένου τῆς τῶν Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως ἀρχιεπισκόπου, εὔλογον ἡμῖν ἐφάνη καὶ φιλάνθρωπον, ὥστε αὐτοῖς μένουσιν ἐπὶ τοῦ οἰκείου σχήματος, ἐν τῇ βασιλευούσῃ πόλει, ἔνδοσιν παρασχεθῆναι, ἄχρις ἂν χειροτονηθῇ ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων ἀρχιεπίσκοπος.

§. XVIII.

§. XVIII.

Septimum *Patriarcharum priuilegium erat, communicare cum Metropolitanis istiusmodi leges Imperiales, quæ ad Ecclesiam attinebant &c.*

Patriarcharum erat & ecclesiasticas & ciuiles leges, quæ ad Ecclesiam attinebant, publicare, atque prouidere, vt omnibus diœcesis suæ ecclesiis innotescerent. Methodus a *Iustiniano* Imperatore in Epilogo ad *Nouellam* sextam his verbis [*n*] præscribitur: *Sanctissimi Patriarchæ vniuscuiusque diœcesis hæc proponant in Ecclesiis sub se constitutis, & manifesta faciant Deo amabilibus Metropolitis, quæ a nobis constituta sunt. Illi quoque rursus etiam proponant ipsi ea in Metropolitana sanctissima Ecclesia & constitutis sub se Episcopis hæc manifesta faciant: illorum vero singuli in propria Ecclesia hæc proponant, vt nullus nostræ reipublicæ ignoret, quæ a nobis ad honorem & ad augmentum magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi disposita sunt.* Vide sis etiam Nouellam XLII, ad *Menam* Patriarcham *Constantinopolitanum* directam, iisdemque fere verbis desinentem [*nn*].

§. XIX.

Octauum *priuilegium: Grandis culpæ reorum absolutio Patriarchæ reseruabatur.*

Aliud priuilegium in diœcesi *Alexandrina* obseruat SYNE-

(*n*) Iustin. Nouell. VI. Epilog. Οἱ μὲν οὖν ἁγιώτατοι πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ταῦτα προθήσουσιν ἐν ταῖς ὑφ' ἑαυτοὺς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, δῆλα δὲ ποιήσουσι τοῖς θεοφιλεστάτοις μητροπολίταις τὰ παρ' ἡμῶν διατεταγμένα· οἱ δὲ αὖθις καὶ αὐτοὶ προθήσουσί τε αὐτὰ κατὰ τὴν τῆς μητροπόλεως ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, τοῖς δὲ ἐφ' ἑαυτοὺς ἐπισκόποις φανερὰ ταῦτα καταστήσουσι· κἀκείνων δὲ ἕκαστος ἐν τῇ οἰκείᾳ ἐκκλησίᾳ ταῦτα προθήσει· ὥστε μηδένα τῶν τῆς ἡμετέρας πολιτείας ἀγνοεῖν τὰ παρ' ἡμῶν εἰς τιμήν τε καὶ αὔξησιν τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διατετυπωμένα.

(*nn*) Ἡ τοίνυν σὴ μακαριότης τὰ ὀρθῶς ἡμῖν παραστάντα φυλαττέτω τε καὶ εἰς ἔργον ἀγέτω, καταπέμπουσα αὐτὰ διὰ θεοφιλῶν αὐτῆς γραμμάτων, πᾶσι τοῖς ὑπ' αὐτὴν τεταγμένοις ὁσιωτάτοις μητροπολίταις· ὧν ἑκάστῳ γενήσεται φροντὶς ταῖς ὑπ' αὐτοὺς τεταγμέναις ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις ταῦτα ποιῆσαι φανερά· ὥστε μηδένα τῶν πάντων διαλαθεῖν τά τε τῇ ἀρχιερωσύνῃ δόξαντα, τάτε ὑπὸ τῆς βασιλείας κεκυρωμένα. Custodiat itaque beatitudo tua, quæ recte adnotata sunt, & mittat ipsa per suas Deo dilectas litteras omnibus sanctissimis Metropolitis sub ipsa exsistentibus, quorum cuilibet cura erit ipsa manifesta facere sanctissimis ecclesiis sub ipsis ordinatis, vt neminem ex omnibus lateant, quæ sacerdotio visa sunt & ab imperio confirmata.

SIVS

SIVS, quod nimirum in exercenda disciplina ecclesiastica in magni alicuius & grauem apud omnes offensionem habentis criminis reum singularis Patriarchæ ratio habebatur, absolutione istius huius sapientiæ ac prudentiæ reseruata. Quemadmodum huius rei exemplum in *Lamponiano* Presbytero exhibet, quem iniuriarum *Iasoni*, Sympresbytero suo illatarum, conuictum ab Ecclesiæ communione separabat. *Quamquam*, inquit [o], *ex animi pœnitentia lacrymas fudit, & supplex eum populus condonari sibi petiit, ego tamen in iis perseueraui, quæ semel decreueram: soluendi porro ius & auctoritatem ad Pontificiam sedem reieci: Vnum hoc ergo mihi sumsi; Si Lamponiano fatalis necessitas immineret, & præstituta mortis dies adesse videretur; tum omnibus, qui eo tempore adessent, Presbyteris concessi, vt eum communioni restituerent. Nemo enim, quantum in me erit, Ecclesiasticis vinculis obstrictus moriatur. Si conualuerit, rursus iisdem pœnis teneatur, atque a diuina humanissimaque anima tua indulgentiæ tesseram exspectet.* At vero an Patriarchæ in vnaquaque diœcesi a Metropolitanis suis eodem obseruantiæ genere culti fuerint, nondum quidem licuit obseruare.

§. XX.

Nonum *priuilegium erat, quod celebriores Patriarchæ alii ab aliis non dependerent.*

Vltimum Patriarcharum priuilegium erat, quod initio eius essent dignitatis, nec alius ab alio dependeret. Loquor iam de iis, quemadmodum ex prima eorum fuerunt institutione: Nam insequutis temporibus Concilia atque Imperatores multa de eorum institutis immutarunt. Primis temporibus ex viri cuiusdam docti [p] supputatione tredecim aut quatuordecim in Ecclesia Patriarchæ exstiterunt, hoc est, vnus in qualibet cuiusuis diœcesis Imperii *Romani* metropoli. Nimirum Patriarcha *Alexan-*

(o) Synes. Ep. LXVII. p. 215. Καί τοι καὶ δάκρυον ἐκ μετανοίας ἀφῆκε, καὶ δῆμος ἱκέτης αὐτὸν ἐξητήσατο· ἀλλ' ἐγὼ τοῖς δεδογμένοις ἐνεκαρτέρησα, τοῦ δὲ λῦσαι τὴν αὐθεντίαν εἰς τὴν ἱερατικὴν καθέδραν ἀνέπεμψα· τοσοῦτον δὲ ἐμαυτῷ συνεχώρησα, εἰ προσπελάσειε Λαμπωνιανῷ τὸ χρεὼν, καὶ ἡ κυρία παρεῖναι δόξειε, πᾶσιν ἐφῆκα τοῖς τότε παρεσομένοις πρεσβυτέροις, κοινωνίας αὐτῷ μεταδοῦναι· μηδεὶς γὰρ ἀποθάνοι δεδεμένος ἐμοί· ἀναῤῥωσθεὶς δὲ, πάλιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ὑπόδικος ἔστω καὶ παρὰ τῆς θεσπεσίας σου καὶ φιλανθρώπου ψυχῆς περιμενέτω τῆς συγγνώμης τὸ σύνθημα.

(p) Brerewood *Patriarch. Gov.* Q. I.

drinus ſuper diœceſin *Aegyptiacam*, Patriarcha *Antiochenus* ſuper diœceſin *Orientalem*, Patriarcha *Epheſinus* ſuper diœceſin *Aſianam*, Patriarcha *Cæſareenſis Cappadociæ* ſuper diœceſin *Ponticam*; *Theſſalonicenſis* ſuper *Macedoniam* ſeu *Illyricum Orientale*, *Sirmienſis* ſuper *Illyricum Occidentale*, *Romanus* ſuper *præfecturam Romanam*, *Mediolanenſis* ſuper diœceſin *Italicam*, *Carthaginenſis* ſuper *Africam*, *Lugdunenſis* ſuper *Galliam*, *Toletanus* ſuper *Hiſpaniam*, *Eboracenſis* ſuper diœceſin *Britannicam*. Horum plerique, ſi non omnes, veri nominis erant Patriarchæ, nec alius ab alio dependebat, vſque dum *Romanus* vſurpatione, & *Conſtantinopolitanus* legum beneficio in vicinos quosdam ſuos, qui iis ſe ſe ſubiiciebant, poteſtatem ſibi conciliarent. De antiqua Eccleſiarum *Britannicarum* nec non *Africanæ* & *Italicæ* diœceſis libertate, earumque diuturna cum Romano Epiſcopo contentione, antequam ad obſequium ſibi præſtandum eas potuit perducere, diuerſi Eccleſiæ Anglicanæ eruditi ſcriptores [q] hanc materiam dedita opera adgreſſi, fuſius expoſuerunt. Id tantum hoc loco adnotare lubet, Patriarchas *Orientales*, *Alexandrinum*, *Antiochenum*, *Epheſinum*, *Cæſareenſem* & *Conſtantinopolitanum* numquam *Romano* ſubiectos, ſed antiquam libertatem, quam Canones eis indulſerant, ſemper tuitos fuiſſe. Quamquam enim *Cæſareenſis* & *Epheſinus* Patriarchæ *Conſtantinopolitano* ſubordinati erant, & ab illis ad hunc appellare quisque poterat; appellatio tamen locum non habebat vlterius [r], quam ad Concilium generale. Vnde patet, Patriarchas præſtantiores alios ab aliis non dependiſſe.

§. XXI.

Patriarcha Conſtantinopolitanus *titulo* Oecumenici *ſeu* Vniuerſalis *dignatus fuit, & Eccleſia eius caput Eccleſiarum appellata.*

Patriarcha *Conſtantinopolitanus* titulum honorificum *Oecumenici* ſeu *Vniuerſalis* Patriarchæ gerebat, ei quidem, vt probabile eſt, ampliſſimæ ipſius iuriſdictionis intuitu datum. Ita IVSTINIANVS *Menam*, *Epiphanium*, & *Anthemium* Archiepiſcopos

(q) Brerewood *Patriarch. Gov.* Q. II. & III. Caue *Anc. Ch. Gov.* c. V.

(r) Vide ſis teſtimonia ſupra §. XIV. p. 251. 252. allegata.

& Vni-

& Vniuersales Patriarchas in diuersis suis Rescriptis [*s*] nominat; & *Leo* eumdem titulum Archiepiscopi Vniuersalis Patriarchæ in decem legibus [*t*], continuata consecutione se se excipientibus, *Stephano* tribuit. Vt adeo non tam noui res exempli sit, vti *Gregorius* Papa quidem autumauit, Patriarcham *Constantinopolitanum* tunc appellari Episcopum Oecumenicum: nam iste titulus iam multis annis ante, ab ipsius IVSTINIANI inde tempore legitime ei datus fuerat; & insigniter isti historici falluntur, qui istam appellationem ætate *Gregorii* I. demum subortam esse, dictitant, quippe quæ ad minimum integrum sæculum ante in vsu fuit. At enim vero IVSTINIANVS in alio quodam Rescripto plus vltra progreditur, & verbis expressis [*u*] dicit, quod *Constantinopolitana* Ecclesia omnium aliarum sit caput. Quod tantumdem est, quantum *Romæ* vllum vmquam indulsit Concilium, hoc est Primatus in propria eius diœcesi & honoris prærogatiua, quod ea esset imperii metropolis. Paria priuilegia *Constantinopoli* ex eadem ratione data fuere, quod esset *Roma* noua & sedes Imperatoris, quemadmodum Concilia *Constantinopolitanum* [*w*] & *Chalcedonense* cum aliis quibusdam

(*s*) Vide Iustin. Nouell VII. Αὐτοκράτωρ καῖσαρ Φλάβιος Ἰουστινιανὸς Αὔγουστος, Επιφανίῳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεως, καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Imperator Iustinianus Augustus *Epiphanio* sanctiss. & beatiss. *Archiepiscopo* felicis huius ciuitatis & *oecumenico Patriarchæ*. Nouell XVI. Ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Ανθεμίῳ τῷ θειοτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Nouell. XLII. Ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Μήνᾳ τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ.

(*t*) Leo Imperat. Constit. Nouell. II. Ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Στεφάνῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Idem Imperator *Stephano* sanctiss. Constant. Archiepiscopo & *Patriarchæ vniuersali*. Sic etiam Nouell. III - - XII.

(*u*) Iustin. Cod. Lib. I. Tit. II. c. XXIV. Ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησία πασῶν τῶν ἄλλων ἐστὶ κεφαλή.

(*w*) Concil. Constantin. c. III. (Tom. II p. 947.) Τὸν μὲν τοι Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. Constantinopolitanus episcopus habeat priores honoris partes post Romanum episcopum, eo quod sit ipsa noua Roma.

Conc Chalced. c. XXIIX. (Tom. IV. p. 769.) Καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα· καὶ τῷ αὐτῷ σκοπῷ κινούμενοι οἱ ρν'. θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς νέας Ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, εὐλόγως κρίναντες, τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ

 id ex-

id exprimunt. Ita vt haberent priuilegia honoris & priuilegia poteſtatis; quorum iſta his duabus ſedibus propria; hæc autem magnam partem reliquis Patriarchalibus Eccleſiis omnibus communia erant, ſi ab *Epheſina* & *Cæſareenſi* diſceſſeris, quæ, quemadmodum ſæpius iam dixi, ſecundum leges *Conſtantinopolitanæ* erant ſubordinatæ.

§. XXII.

De Patriarchis ſubordinatis, quo loco habiti fuerint in Eccleſia, & quod non mere titulares Patriarchæ fuerint.

Scire forte non nulli cupiunt, quam auctoritatem hi Patriarchæ habuerint in Eccleſia, poſteaquam reliquis ſubeſſe iuſſi ſint. Sunt, qui eos a Concilio *Chalcedonenſi* ad Metropolitanorum conditionem reductos eſſe dicunt; ſed falluntur opinione: nam I. retinuerunt nomen *Exarchorum diœceſis*, atque ita omnibus Conciliis ſubſcripſerunt. Ita Concilio ſexto generali *Theodorus* ſubſcribens Metropolitanum *Epheſinum* & *diœceſis Aſianæ Exarchum* [x]; & *Philalethes* Metropolitanum *Cæſareen-*

πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν. Etenim antiquæ Romæ throno, quod vrbs illa imperaret, iure patres priuilegia tribuerunt. Et eadem conſideratione moti centum quinquaginta Dei amantiſſimi epiſcopi, ſanctiſſimo nouæ Romæ throno æqualia priuilegia tribuerunt, recte iudicantes, vrbem quæ & imperio & ſanatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſima regina Roma priuilegiis fruatur, etiam in rebus eccleſiaſticis, non ſecus ac illam, extolli ac magni fieri, ſecundam poſt illam exſiſtentem.

Concil Trullan. c. XXXVI. ὁρίζομεν, ὥστε τὸν Κωνσταντινουπόλεως θρόνον τῶν ἴσων ἀπολαύειν πρεσβείων τοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης θρόνου, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκεῖνον μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δεύτερον μετ' ἐκεῖνον ὑπάρχοντα. Decernimus, vt thronus Conſtantinopolitanus æqualia priuilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat & in eccleſiaſticis, vt ille, rebus magni fiat, vt qui ſit ſecundus poſt illum.

Iuſtin Nouell. CXXXI. c. II. Θεσπίζομεν --- τὸν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πάππαν πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων· τὸν δὲ μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεως τῆς νέας Ῥώμης δευτέραν τάξιν ἐπέχειν. Sancimus --- ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum: beatiſſimum autem archiepiſcopum Conſtantinopoleos Romæ nouæ, ſecundum habere locum.

(x) Concil VI Gen Act. XVIII. (Tom. VI. p. 1058.) Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως τῆς Ἀσιανῶν ἐπαρχίας τῷδε τῷ προσφωνητικῷ ὁμοίως ὑπέγραψα. Theodorus miſericordia Dei *epiſcopus Epheſiorum metropolis Aſianæ prouinciæ* huic proſphonetico ſimiliter ſubſcripſi.

ſem

ſem & *Ponticæ Diœceſis Exarchum* ſe nominauit. II. In Conciliis generalibus ſedebant ac ſuffragia ferebant proximi a quinque excellentioribus Patriarchis, *Romano, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno* & *Hieroſolymitano*, qui Canonum beneficio [*y*] reliquis omnibus præſidebant. Poſt hoſce præ omnibus Metropolitanis *Epheſinus* & *Cæſareenſis* Epiſcopi locum occupabant, vti ex ſubſcriptionibus Concilii generalis quarti & ſexti [*z*] videre eſt. III. Poteſtatem recipiendi appellationem a Metropolitanis habebant, quod ex iisdem Concilii *Chalcedonenſis* Canonibus, qui [*a*] Patriarchæ *Conſtantinopolitano* poteſtatem accipiendi ab illis appellationem concedit, manifeſtum eſt. Vt adeo non mere titulares Patriarchæ fuerint, vt quidem ſubſequentibus temporibus, ſed poteſtatem æque ac nomen habuerint; ſolo iure ordinandi Metropolitanos & accipiendi vltimam appellationem excepto. Sed quamdiu hi aliive ſuam poteſtatem retinuerint, non eſt mei inſtituti, pluribus heic diſquirere.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM OCTAVVM
DE ΑΥΤΟΚΕΦΑΛΟΙΣ.

§. I.

Omnes Metropolitani antiquitus vocati Ἀυτοκέφαλοι.

INter alios titulos certis quibusdam Epiſcopis olim datos frequenter occurrit nomen, quo Ἀυτοκέφαλοι, hoc eſt, abſoluta & omni ſubiectione immuni libertate gaudentes Epiſcopi appellabantur: Non erat hoc nomen certo cuidam Epiſcoporum generi proprium, ſed diuerſis ex diuerſis rationibus datum. Principio enim, antequam Patriarchæ conſtituerentur, omnes Metro-

(*y*) Concil. Trullan. c. XXXVI. conf. not. (w) & add. μεθ' ὃν ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως ἀριθμείσθω θρόνος· εἶτα ὁ τῆς Ἀντιοχέων· καὶ μετὰ τοῦτον ὁ τῆς Ἱεροσολυμιτῶν πόλεως. Poſt quem (Conſtantinopolitanum) magnæ Alexandrinorum ciuitatis numeretur thronus: deinde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſolymitanæ ciuitatis.

(*z*) Concil. Chalced. Act. I. (Tom. IV. p. 318.) Act. III. p. 449. Concil. VI. Gen. Act XVIII. (Tom. VI. p 1058.)

(*a*) Conc. Chalced. Can. IX. & XVII. vid. ſupra §. X. not. (m) pag. 246.

politani erant *αὐτοκέφαλοι*, omnia in ſuis ipſorum prouinciis cum Epiſcopis ſuis prouincialibus adminiſtrantes, & nemini niſi Synodo ad reddendam rationem obnoxii, idque in caſu hæreſeos, aut grandis alicuius criminis contra religionem & canones Eccleſiæ deſignati.

§. II.

Quidam Metropolitani independentes poſt poteſtatis Patriarchalis inſtitutionem, exempli gratia in Cypro, Iberia, Armenia *& in Eccleſiis* Britanniæ.

Quinimmo ipſis etiam Patriarchis iam conſtitutis quidam Metropolitani in omni ſubiectione libera vitæ ratione perſeuerabant, ordinationem ſuam ab ſua ipſorum Synodo prouinciali, non ab vllo Patriarcha accipientes; omnes controverſias in Synodis ſuis dirimentes, a quibus illic non ad ſuperiorem quempiam iudicem niſi ad Concilium aliquod generale, prouocari licebat. BALSAMON his *αὐτοκεφάλοις* Metropolitanos *Bulgariæ* [*b*], *Cypri* & *Iberiæ* adnumerat. Et hæc obſeruatio vtique vera eſt de duobus poſterioribus, qui tantum Metropolitani fuerunt, neque tamen ab vlla Patriarchali aut alia quapiam poteſtate ſuperiore dependerunt. Quamuis enim epiſcopus *Antiochenus*, Epiſcopos Cypri ordinandi ius ſibi competere, in Concilio *Epheſino* dictitaret, Concilium tamen cauſſa audita ius illud quæſitum ei abiudicabat, facto decreto [*c*], quod, quum Epiſcopo *Antiocheno* numquam mos fuerit Epiſcopos *Cypri* ordinare, Epiſcopi *Cyprii* ius ſuum ſartum tectum retinere, & ſecundum Canonem & morem antiquum ipſi Epiſcopos inter ſe ordinare debeant. Et hoc deinde in Concilio *Trullano* [*d*] repetitum & confirmatum fuit, & id

(*b*) Balſam. in Conc. Conſtant. c. II. Εἰ *δὲ καὶ ἑτέρας ἐκκλησίας αὐτοκεφάλους εὑρίσκεις, ὡς τῆς Βουλγαρίας, τὴν Κύπρου, τὴν Ἰβηρίας, μὴ θαυμάσῃς.* Si alias etiam eccleſias inueneris quæ principales & per ſe ſint capita, vt Bulgariam, Cyprum, Iberiam, ne mireris.

(*c*) Conc. Epheſ Act. VII. (Tom. III. p. 801) vid. §. IX. not. (g) pag. 244.

(*d*) Concil. Trullan. c. XXXIX. (Tom. VI. p. 1159) Τοῦ *ἀδελφοῦ καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ τῆς Κυπρίων νήσου προέδρου ἅμα τῷ οἰκείῳ λαῷ ἐπὶ τὴν Ἑλλησπόντιον ἐπαρχίαν, διά τε τὰς βαρβαρικὰς ἐφόδους, διά τε τὸ τῆς ἐθνικῆς ἐλευθερωθῆναι δουλείας, καὶ καθαρῶς τοῖς σκήπτροις τοῦ χριστιανικωτάτου κράτους ὑποταγῆναι, τῆς εἰρημένης μεταστάντος νήσου προνοίᾳ τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ, καὶ μόχθῳ τοῦ φιλοχρίστου καὶ εὐσεβοῦς*

quidem

quidem posteaquam *Cypri* incolæ ob Barbarorum incursiones in aliam regionem erant eiecti.

Alii [*e*] idem priuilegium Ecclesiis *Iberiæ*, quam nunc quidem *Georgiam* communiter vocant, datum fuisse animaduertunt, quod nimirum nec Patriarchæ *Constantinopolitano*, nec vlli vmquam alii subiectæ fuerint; sed omnes earum Episcopi, numero duodeuiginti, absolutum obsequium suo ipsorum Metropolitano præstiterint, a nullo alio superiore dependentes.

Eadem ratio Ecclesiarum *Armeniæ*, tempore PHOTII, fuit, quemadmodum ex vetusta aliqua *græca Episcopatuum Notitia*, a PETRO *de* MARCA [*f*] citata apparet, quas *αὐτοκεφάλους*, nec sedi *Constantinopolitanæ* subiectas, sed summa libertate donatas fuisse dicit, ideo quod *Gregorius Armeniensis* primus earum Apostolus fuerit.

Eadem libertate Ecclesiæ *Britannicæ* antiquis temporibus, ante *Augustini* Monachi aduentum in hanc insulam, gauisæ sunt, quum septem Episcopi *Britannici*, qui tunc quidem supererant, Archiepiscopo *Caërlegionis* parerent, & ipso superiorem in spiritualibus agnoscerent neminem. *Dionothus* enim eruditus Abbas *Banchoriensis* [*g*] omnium Ecclesiarum *Britannicarum*

ἡμῶν βασιλέως, συνορῶμεν, ὥστε ἀκαινοτόμητα φυλαχθῆναι τὰ παρὰ τῶν ἐν Ἐφέσῳ τὸ πρότερον συνελθόντων θεοφόρων πατέρων τῷ θρόνῳ τοῦ προγεγραμμένου ἀνδρὸς παρασχεθέντα προνόμια --- κ. τ. λ. Cum frater & comminister noster Ioannes insulæ Cypri præsul, vna cum suo populo in Hellesponticam prouinciam & propter barbaricas incursiones, & vt a gentilium seruitute liberarentur, & Christianissimæ potentiæ sceptris pure subiicerentur, a prædicta insula emigrauerit, clementis Dei prouidentia & pii Deique amantis imperatoris nostri labore, constituimus, vt *citra vllam innouationem seruentur, quæ a diuinis patribus, qui Ephesi primum conuenerunt, prædicti viri throno priuilegia concessa sunt* &c.

(*e*) Brerewood *Enquir.* c. XVIII. Chytræus de Statu Ecclesiæ &c.

(*f*) Marca de Primat. II. XXVII p. 122. (p. 27. edit. Franc of. MDCCVIII.) Χρὴ εἰδέναι, ὅτι αὐτὴ αὐτοκέφαλός ἐστι, μὴ τελοῦσα ὑπὸ ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον, Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σ'. Scire oportet hanc prouinciam esse sui iuris minimeque subditam apostolicæ sedi, (Constantinopolitanæ scilicet) sed honorari tamen intuitu sancti Gregorii Armeniæ Episcopi, & præesse ducentis vrbibus & castris.

(*g*) Henr. Spelman. Conc. Britan. Tom. I. p. 108. vbi ista responsio Banchoriensis ex Cambro-Britannico idiomate in Latinum versa sic habet: *Notum sit & absque dubitatione vobis, quod nos omnes sumus & quilibet nostrum obedien-*

nomine

nomine *Augustino* isti petenti subiectionem Ecclesiæ *Romanæ*, libere profitebatur, nullũ obsequii genus Pontifici *Romano* ab ipsis deberi, nisi quo pios quoslibet Christianos prosequerentur, vt nimirum pro dignitatis suæ quemque gradu integre diligerent: aliam præter hanc ipsam obedientiam ei, quem ille Papam appellarit, deberi, se prorsus ignorare &c. Subesse autem se gubernationi Episcopi *Caërlegionis* super *Osca*, qui post Deum ipsos inspectet.

§. III.

Tertium genus αὐτοκεφάλων *istiusmodi erant Episcopi, qui nulli Metropolitano, sed soli Patriarchæ diœcesis, subiecti erant.*

Præter eos, quos recensuimus, tertium adhuc genus αὐτοκεφάλων erat, qui Episcopi erant nulli Metropolitano subiecti, sed proxime sub Patriarcha diœcesis constituti, qui Metropolitani loco ipsis erat. Ita exempli caussa, antiqua *Notitia* ab LEVNCLAVIO [*h*] publicata, per diuersas Patriarchatus seu amplioris diœcesis *Constantinopolitanæ* prouincias triginti nouem istiusmodi Episcopos recenset: Quæ autem a BEVEREGIO [*i*] edita est, quadraginta vnum supputat, & *Notitia* apud CAROLVM a SANCTO PAVLO [*k*] numerum ad quadraginta sex auctum exhibet. Episcopus *Hierosolymitanus* [*l*] in Patriarchatu suo viginti quin-

te; & subditi ecclesiæ Dei & Papæ Romæ & vnicuique vero & pio Christiano ad amandum vnumquemque in suo gradu in perfecta caritate & ad iuuandum vnumquemque eorum verbo & facto fore filios Dei: & aliam obedientiam, quam istam non scio debitam ei, quem vos nominatis esse Patrem Patrum, vindicari & postulari, & istam obedientiam nos sumus parati dare & soluere ei & cuique Christiano continuo. Præterea nos sumus sub gubernatione Episcopi Caërlegionis super Osca, qui est ad superuidendum sub Deo super nobis ad faciendum nos seruare viam spiritualem.

(*h*) Leunclau. Ius. Græc. Rom. Tom. I. lib. II. p. 88. I. Bizya. II. Leontopolis. III. Maronea. IV. Germia. V. Arcadiapolis. VI. Parium. VII Miletus. VIII. Præconesus. IX. Selybria. X. Cius. XI. Apros. XII. Cypsella. XIII. Nice. XIV. Neapolis. XV. Selga. XVI. Cherson. XVII. Messana. XVIII. Garella. XIX. Brysis. XX. Dercos. XXI. Carabizya. XXII. Lemnus. XXIII. Leucas. XXIV. Misthea. XXV. Cudræ. XXVI. Soteropolis. XXVII. Pedachthoa. XXVIII. Gerina. XXIX. Bosporus. XXX. Cotradis. XXXI. Eroina. XXXII. Carpathus. XXXIII. Mesembria. XXXIV. Gotthia. XXXV. Sugdaia. XXXVI. Phullæ. XXXVII. Aegina. XXXVIII. Pharsolia. XXXIX. Matracha.

(*i*) Beuereg. Pand. Tom. II. Not. in Can. XXXVI. Conc. Trullan. p. 136.

(*k*) Car. a S. Paulo Append. ad Geogr. p. 8. 9. 10.

(*l*) Nilus Doxopatrius ap. le Moyne Varia Sacra Tom. I. (p. 232.) Ἔχει δὲ καὶ αὐ-

que

que istiusmodi Episcopatus habuisse dicitur, & Episcopus *Antiochenus* sedecim, quemadmodum NILVS DOXOPATRIVS, sæculi vndecimi scriptor, memoriæ prodidit. Quo autem tempore hoc genus Episcopatuum αὐτοκεφάλων in Ecclesia primum constitutum sit, id quidem incertum est. Prima enim & vetustissima relatio, quæ de iis nobis data est, habetur in LEONIS SAPIENTIS Imperatoris *Notitia*, sæculo nono scripta, in qua *Archiepiscopatus* & in quibusdam aliis *sedes Metropolitanæ* appellantur, quamquam vtrumque nomen titulare tantum erat, quia nullos sub se Episcopos suffraganeos habebant.

§. IV.

Quartum genus αὐτοκεφάλων. Valesii *error emendatur*.

VALESIVS alius cuiusdam αὐτοκεφάλων generis meminit, qui a nullo cæterorum omnium dependerint: Quemadmodum nullos Suffraganeos sibi subiectos habuerint, ita eos nec vllum siue Metropolitanum, siue Patriarcham, siue alium quemcumque se superiorem agnouisse. Huius generis Episcopum *Hierosolymitanum* [*m*], priusquam ad dignitatem Patriarchalem euectus fuerit, fuisse, antumat. Enimuero in hoc exemplo manifeste fallitur, & contradicit HIERONYMO, qui Episcopum *Hierosolymitanum* Episcopo *Cæsareensi*, tamquam Metropolitano *Palæstinæ*, & Episcopo *Antiocheno* tamquam totius *Orientis* Metropolitano subiectum fuisse, diserte adfirmat, quemadmodum capite proxime præcedenti a nobis adnotatum est. Quod si istiusmodi quidam Episcopi, de quibus ille loquitur, re vera exstiterunt, tales fuerint oportet, qualis Episcopus *Tomidis* in *Scythia*, qui, vt SOZOMENVS [*n*] notat, vnus vniuersæ istius pro-

τοκεφάλυς ἐπισκοπὰς εἴκοσι πέντε, μὴ ἐχέσας ὑφ' ἑαυτὰς ἐπίσκοπον, ὑπόκεινται δὲ τῷ θρόνῳ Ἱεροσολύμων· α. τὴν Διοσπόλεως ἤτοι Γεοργία πόλεως, κ. τ. λ. Habet præterea & Archiepiscopatus, nemini obnoxios, viginti quinque nullis Episcopatibus nobiles, & qui subiacent throno Hierosolymitano. 1. Diospolim siue Georgiopolim. &c.

(*m*) Vales. Not. in Euseb. lib. V. c. XXIII. Hierosolymorum Episcopis honor semper est habitus, vtpote Apostolicæ Ecclesiæ, quæ primum Episcopum habuisset. Itaque quodam honoris priuilegio fruebantur eius sedis Episcopi, *nec Cæsareensi Episcopo subiacebant, sed erant* αὐτοκέφαλοι. Vid. supra cap XVII. §. VII.

(*n*) Sozom. lib. VI. c. XXI. Μητρόπολις δὲ ἐστι Τόμις -- εἰσέτι δὲ καὶ νῦν ἔθος παλαιὸν ἐνθάδε κρατεῖ, τῦ παντὸς ἔθνυς ἕνα τὰς ἐκκλησίας ἐπισκοπεῖν. Hæc autem provincia metropolim habet Tomes - - Porro vetus illic consuetudo etiam-

vinciæ ecclesias regebat: vt ita nec vllum Suffraganeum se inferiorem, nec Metropolitanum superiorem habuerit, necesse sit. Sed istiusmodi exempla rariora sunt, & vix aliud quoddam exemplum simile in vniuersa historia ecclesiastica deprehendas.

Ita expositionem de primitiuæ Ecclesiæ Episcopis absoluimus ostendimusque, quænam distinctio inter eos in externa Ecclesiæ politia fuerit: iam ad secundi ordinis Clericorum, hoc est, Presbyterorum considerationem progredimur.

LIBRI SECVNDI
CAPVT DECIMVM NONVM
DE PRESBYTERIS.

§. I.
Nominis Presbyteri *significatio.*

NOmen Presbyteri est vox adsumta ex græca veteris testamenti translatione, vbi communiter *rectores* seu gubernatores significat, estque, (notante HIERONYMO [*a*]) nomen officii & dignitatis, non nudum ætatis viri cuiusdam indicium: Seniores enim non ætatis, sed meritorum & sapientiæ intuitu eligebantur. Ita vt, quemadmodum Senator apud Romanos & *an Alderman* lingua nostra *Anglicana* istiusmodi officii & conditionis hominem, sine vllo ætatis eius respectu, denotat; ita Presbyter seu Senior in Ecclesia Christiana est is, qui ad certum officium ordinatus & propter animi dotes & merita, non propter ætatem, auctoritate instructus certas muneris istius, in quo constitutus est, partes administrat.

§. II.
Apostoli & Episcopi quandoque Presbyteri vocati.

Et hoc lato amploque sensu Episcopos in Nouo Testamento non numquam Presbyteros nuncupari, apud omnes in con-

num manet, vt totius prouinciæ ecclesias vnus tantum regat Episcopus. Ibid. lib. VII. c. XIX. *ἀμέλει Σκύθαι πολλαὶ πόλεις ὄντες, ἕνα πάντες ἐπίσκοπον ἔχουσι.* Certe in prouincia Scythia, quamuis multæ vrbes sunt, *vnus est omnium Episcopus.*

(*a*) Hieron. in Iesa. III. Tom. V. In Scripturis sanctis Presbyteros *merito & sapientia eligi non ætate.*

fesso

feſſo eſt: neque enim ipſi Apoſtoli hanc appellationem repudiant. Ab altera parte multorum doctorum virorum, tam veterum [*b*] quam recentiorum [*c*] eſt ſententia, quod Presbyteri quandoque vocati fuerint Epiſcopi, cum Epiſcopi proprie tales aliis nominibus, ſummi Sacerdotes, & Apoſtoli &c. appellarentur; de quibus in præcedentium capitum aliquo ſpeci-

(*b*) Chryſoſtom. Hom. I. in Philipp. I. (p. 8. edit. Francof.) Οἱ πρεσβύτεροι τὸ παλαιὸν ἐκαλοῦντο ἐπίσκοποι καὶ διάκονοι τοῦ χριστοῦ, καὶ οἱ ἐπίσκοποι, πρεσβύτεροι. Antiquitus ipſi etiam *Presbyteri vocabantur Epiſcopi* & diaconi Chriſti, & *Epiſcopi Presbyteri*. item Homil. XI. in 1 Timoth. III. (Tom. VI. p. 469.) vid. cap. III. §. V. not. (w) p. 89.
Theodoret. in Phil. I, 1. ἐπισκόπους δὲ τοὺς πρεσβυτέρους καλεῖ· ἀμφότερα γὰρ εἶχον κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν τὰ ὀνόματα. *Epiſcopos appellat Presbyteros:* vtrumque enim nomen habebant illo tempore.
Id. in Phil. II, 25. Πολλὰ καὶ τούτου κατορθώματα διεξῆλθεν, οὐκ ἀδελφὸν μόνον ἀλλὰ καὶ συνεργὸν, καὶ συστρατιώτην ἀποκαλέσας· Ἀπόστολον δὲ αὐτὸν κέκληκεν αὐτῶν, ὡς τὴν ἐπιμέλειαν αὐτῶν ἐμπεπιστευμένον, ὡς εἶναι δῆλον, ὅτι ὑπὸ τοῦτον ἐτέλουν οἱ ἐν τῷ προοιμίῳ κληθέντες ἐπίσκοποι, τοῦ πρεσβυτέρου δηλονότι τὴν τάξιν πληροῦντες. Multa de hoc (Epaphrodito) præclara dixit, quem non ſolum fratrem ſed etiam cooperarium & commilitonem appellauit. Eum autem ipſorum *Apoſtolum* vocauit, vt cui eſſet illorum cura concredita. Vt clarum ſit ſub eo fuiſſe eos, qui in principio dicti ſunt *Epiſcopi*, *Presbyterorum* ſcilicet *in ordine conſtituti*.
Id. in 1 Tim. III, 1. ἐπίσκοπον δὲ ἐνταῦθα τὸν πρεσβύτερον λέγει. Hic autem *Epiſcopum* appellat *Presbyterum*.
Ambroſiaſt. in Eph. IV, 11. Timotheum *Presbyterum* a ſe creatum *Epiſcopum vocat*, quia *primum Presbyteri epiſcopi appellabantur*.
Hieron. ad Tit. I. (Tom IX. p. 197. edit Francof.) Hæc propterea, vt oſtenderemus apud veteres *eoſdem fuiſſe Presbyteros quos & Epiſcopos*. Id. Ep. LXXXIII. ad Ocean. (Tom. II. p. 215 a.) Apud veteres *iidem Epiſcopi & Presbyteri*. Id. Ep. LXXXV. ad Euagr. (ibid. p. 220. b) Cum Apoſtolus perſpicue doceat, *eoſdem Presbyteros, quos Epiſcopos*. &c.
(*c*) Vſſer Diſſert. in Ignat. c. XIIX. p. 232. ap. Coteler. (fol. CXXXVII. edit. Oxon. MDCXLIV.) In Epheſina certe eccleſia, ipſis Apoſtolis adhuc ſuperſtitibus & *plures fuiſſe Presbyteros* & præſediſſe eis vnum, quem eccleſiæ illius Angelum Seruator, *Epiſcopum primitiuæ eccleſiæ Patres* (in quibus primas tenet Ignatius) *appellarunt*, iam dudum a *Io. Rainoldo* noſtro eſt obſeruatum. It. Orig. of Biſh. & Metrop. p. 55.
Coteler. Not in Ignat. Ep. ad Magneſ. n. I (Tom. I. p. 17.) Ex eo, quod primis Eccleſiæ temporibus nomina *Epiſcopus & Presbyter communia erant primo & ſecundo ordini ſacerdotum*, in Epiſtolis autem Ignatianis ſemper Epiſcopi appellantur, qui ſunt ſacerdotes ſummi, Presbyteri vero, qui ſunt minores ſacerdotes, argumentum palmarium contra earum epiſtolarum veritatem & antiquitatem ducere ſe putant &c.

atim loquuti euicimus, quod, qui istorum nominum vnam eamdemque naturam fuisse contendunt, inde non concludant, quod ipsorum etiam officiorum vna eademque ratio fuerit, sed Episcopos & Presbyteros distinctos a se inuicem ordines fuisse, largiantur.

§. III.

Presbyterorum proprie sic dictorum origo.

Stricto igitur sensu, nimirum pro secundi ordinis Clericis, si accipimus Presbyteros, primum in eorum originem, par est, inquiramus. HAMMONDVS [d] vir eruditus, singularem hac in re fouet opinionem. Statuit enim, nomen Presbyterorum eo tempore, quo scripta Apostolica consignata sint, ad Episcopos præcipue, si non vnice, spectasse, neque alicunde constare, alterutrum ex his duobus ordinibus tunc fuisse institutum, etsi paullo post, antequam Epistolæ IGNATII scriptæ sint, vtrumque in omnes ecclesias introductum esse, existimat. Testimonia, quibus nititur, e CLEMENTE ROMANO & EPIPHANIO petita sunt, in quibusdam Ecclesiis primum Episcopos & Diaconos sine vllis Presbyteris fuisse, perhibentibus. Ego vero id inde non sequi existimo, vt in omnibus Ecclesiis ita fuerit: Neque EPIPHANIVS id adserit, sed contrarium docet, quod videlicet, quemadmodum in quibusdam Ecclesiis tantum Episcopi & Diaconi, ita in aliis tantum Presbyteri & Diaconi fuerint; & quod in amplis & populosis Ecclesiis Apostoli Episcopos, Presbyteros & Diaconos constituerint; vt *Ephesi*, vbi *Timotheus* fuerit Episcopus, habens Presbyteros sibi subiectos: quod EPIPHANIVS ex Scriptura probat. *Quod* [e], inquit, *non idem esse possit cum Episcopo Presbyter, diuinus Apostoli sermo declarat, quo quisnam Episcopus, quisue Presbyter sit, intelligitur. Nam ad Timotheum Episco-*

(*d*) Hammond. *Annot. on Act. XI, 30.* (edit. Latin. Io. Clerici Tom. I. p. 327. 328. 329.)

(*e*) Epiph. Hæres. LXXV. Aerian. n. V. Καὶ ὅτι μὲν οὐ δύναται ταυτὸν εἶναι, διδάσκει ὁ θεῖος λόγος τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου, τίς μέν ἐστιν ἐπίσκοπος, τίς δὲ ἐστὶ πρεσβύτερος, ὡς λέγει Τιμοθέῳ, ἐπισκόπῳ ὄντι, Πρεσβύτερον μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα. τί ἔχει πρᾶγμα, ἐπίσκοπον πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήττειν εἰ μὴ ἦν ὑπὲρ τὸν πρεσβύτερον ἔχων τὴν ἐξουσίαν; ὡς καὶ πάλιν λέγει, κατὰ πρεσβυτέρου μὴ ταχέως κατηγορίαν δέχου, εἰ μή τι ἐπὶ δύο καὶ τριῶν μαρτύρων· καὶ οὐκ εἶπέ τινι τῶν πρεσβυτέρων, μὴ δέξῃ κατηγορίαν κατὰ ἐπισκόπου, οὐδὲ ἔγραψε περὶ τῶν πρεσβυτέρων, τινὰ μὴ ἐπιπλήττειν ἐπισκόπῳ.

pisco-

piscopum scribens ita loquitur : Presbyterum ne obiurges, sed hortare velut Patrem. Quid autem attinebat Episcopo vetare, vt ne Presbyterum obiurgaret, nisi maiorem ipso potestatem obtineret? Quare deinceps admonet : Aduersus Presbyterum cito accusationem ne admiseris, nisi duobus tribusue testibus. Non alicui ex Presbyteris praecepit, vt accusationem contra Episcopum non admitteret : aut Episcopum non obiurgaret. Hoc manifesto arguit in omnibus istis amplis ac populosis Ecclesiis, cuiusmodi *Ephesina* erat, secundum EPIPHANIVM, omnes tres ordines, videlicet Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum ab Apostolis fuisse institutos; quamquam minoribus Ecclesiis diuersa ratione ministri primum suffecti fuerunt, nimirum quibusdam soli Presbyteri ac Diaconi, antequam Episcopi in iis constituerentur, & aliis soli Episcopi & Diaconi sine vllis Presbyteris. Nam non omnes Ecclesiae in prima sua fundatione illico eosdem vniuersos Ministros Ecclesiasticos habuere, sed progrediente tempore eos nactae sunt, quemadmodum PEARSONIVS Episcopus [*f*] ad eumdem locum EPIPHANII obseruauit.

§. IV.

Presbyterorum potestas & priuilegia.

Quum igitur tam Presbyteros quam Episcopos in Ecclesia ab Apostolis initio constitutos esse, fatendum nobis sit, pergimus nunc disquisituri, quaenam potestas & priuilegia ipsorum ordini propria fuerint. Et heic quidem rem in pauca conferre nobis licebit, quod iam ostendimus [*ff*], quae officia vi potestatis suae ordinariae obire potuerint, & quod omnia fecerint, tamquam ab Episcopo suo in totum dependentes, eique tamquam supremo Ecclesiae ministro subiecti : Baptizare, concionari, sacram Eucharistiam consecrare atque administrare &c. poterant, Episcopo absente vel praesente, si ipse eis negotium id faciendi auctoritatemque dabat, quemadmodum supra animaduertimus. Poenitentes etiam in Ecclesiae communionem recipere, eisque absolutionem impertire absente Episcopo pote-

(*f*) Pearson Vindic. Ignat. Part. II c. XIII. p. 412 apud Cotel. (p. 181. edit. Cantabrig.) In aliquibus ecclesiis ab origine fuisse Presbyteros, nondum constitutis Episcopis: in aliquibus Episcopos, nondum additis presbyteris.

(*ff*) Vide sis cap. III. supra.

rant : & quidam etiam poteſtatem ſimiliter confirmandi, neceſſitate vrgente, non tamen ſine accepto mandato, eos habuiſſe, exiſtimant. Sed hæc duo momenta ſpeciatim conſiderabuntur atque diſcutientur poſthac, vbi de *diſciplina* & *confirmatione* tractandum erit. Hoc loco porro notandum eſt, quo honore atque obſeruantia culti fuerint, dum coniunctim cum Epiſcopo ſuo peregerunt omnia, qui vix aliquid in Eccleſiæ adminiſtratione ac gubernatione ſine notitia, conſenſu & amica Presbyterorum ſuorum opitulatione facere inſtituit.

§. V.

Presbyteris cum Epiſcopo ſedere in thronis licebat.

Hinc Presbyteris vna cum Epiſcopo ſedere in Eccleſia licebat, (quod priuilegium Diaconis non erat conceſſum:) ipſorumque ſellæ, perinde vt Epiſcopi, throni titulo dignabantur, hoc tantum cum diſcrimine, vt huius ſedes, *thronus celſus* eſſet, iſtorum autem ſellæ *throni ſecundi* dicerentur. GREGORIVS NAZIANZENVS [g] ad hoc adludens, vbi de ſua ipſius ordinatione in Presbyterum loquitur, a parente, qui ipſum ordinarat, ſe collocatum fuiſſe dicit in ſecundis ſedibus. Et in ſomnio de templo *Anaſtaſiæ* [h] hunc in modum diuerſos Eccleſiæ ordines repræſentat : Videbar mihi Epiſcopum videre me ſedentem in alta ſede, & Presbyteros, hoc eſt, gregis Chriſtiani duces, vtrimque ſedentes ſellis demiſſis, Diaconos autem ſtantes apud

(g) Gregor. Nazian. de Vita p. 6 κάμπτει βιαίως εἰς θρόνους τοὺς δευτέρους.

(h) Id. in Somnium de templo Anaſtaſiæ Tom II. p. 78.

Ἕζεσθαι δοκέεσκον ὑψίθρονος, οὐχ ὑπέροφρυς,
    Οὐδὲ γὰρ οὐδ' ὄναρ ποτ' ἀγηνορίην.
Οἱ δέ μοι ἀμφοτέρωθεν ὑφεδριόωντο γεραιοὶ,
    Ποίμνης ἡγεμόνες, ἔκκριτος ἡλικίη.
Οἱ δ' ἄρ' ὑποδρηστῆρες ἐν εἵμασι παμφανόωσιν
    Ἕστασαν ἀγγελικῆς εἰκόνες ἀγλαΐης.
Sede alta, haud alta conſidere mente videbar,
    Nam neque per ſomnum mente ſuperbus eram,
Presbyterique graues *ſellis vtrimque ſedebant*
    Demiſſis, ætas lecta ducesque gregis.
Veſtibus in niueis at ſtabat turba miniſtra
    Splendorem referens agminis Angelici.

Id. Orat. XX. de laudib. Baſilii p. 340. Ἐντεῦθεν αὐτοῦ περιῆν καὶ τὸ κράτος τῆς ἐκκλησίας, εἰ καὶ τῆς καθέδρας εἶχε τὰ δεύτερα. Ex quo hoc conſequebatur, vt etiamſi *cathedra inferior eſſet*, Eccleſiæ tamen imperium obtineret.

hoſce.

hoſce. Inde intelligere poſſumus, quid ſibi velit CONSTANTINVS in epiſtola ſua [i] ad *Chriſtum* Epiſcopum *Syracuſanum*, quando ad Concilium *Arelatenſe* eum euocans duos ex *throno ſecundo*, hoc eſt, duos Presbyteros, adducere ſecum iubet: & quid EVSEBIVS intelligat, quando in oratione ſua [k] Panegyrica de ædificatione templorum *Paulino Tyriorum* Epiſcopo dicta, ipſum thronis altiſſimis in honorem præſidentium templum exornaſſe, adfirmat. Per quos manifeſtum eſt, Presbyterorum non minus quam Epiſcoporum thronos eum intelligere: Vtrique enim ſuper ſellas plebis exaltati erant. Quid? quod tum nomen tum res eo quidem tempore tam vſitata erat, vt AERIVS inde argumentum [l] necteret, quo nullum diſcrimen inter Epiſcopos & Presbyteros intercedere, ſed dignitate pares eos eſſe, probare adlaborabat: *Epiſcopus*, inquiebat, *in throno ſedet: ſedet & Presbyter.* Quod argumentum licet ficulneum tantum ſit, & ad id probandum, quod ipſe intendit, haud faciat, perſpicue tamen, hunc morem & praxin tunc in Eccleſia obtinuiſſe oſtendit: neque vlla recentiorum Auctorum habenda eſt ratio, qui non dubitant dicere, quod Presbyteris in conſpectu Epiſcoporum ſuorum ſedere non licuerit; quod ipſum ex Actis & Canonibus [m] omnium fere Conciliorum & plerorumque veterum Scriptorum monumentis confutatur, vtpote in quibus nihil occurrit frequentius, quam iſtæ phraſes: *Conſeſſus Presbyterorum*, & *ſedere in Presbyterio*, quæ iſtam conſuetudinem ac privilegia, de quibus iam nobis ſermo eſt, produnt.

(i) Ap. Euſeb. lib. X. c. V. *συζεύξας σεαυτῷ καὶ δύο γέ τινας τῶν ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου, οὓς ἂν σὺ αὐτὸς ἐπιλέξασθαι κρίνῃς.* Adiunctis tibi duobus *ſecundi ordinis*, quos tu eligendos putaueris.

(k) Euſeb. lib. X. c. IV. p. 312. *ἀλλὰ γὰρ ὧδε καὶ τὸν νεὼν ἐπιτελέσας, θρόνοις τε τοῖς ἀνωτάτω εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν - - κοσμήσας.*

(l) Epiph. Hæreſ. LXXV. Aërian. n. III. *καθίζεται ὁ ἐπίσκοπος ἐπὶ τοῦ θρόνου, καθίζεται καὶ ὁ πρεσβύτερος.*

(m) Conc. Carth. IV. c. XXXIV. (Tom. II. p. 1203) Vt Epiſcopus quolibet loco ſedens *Stare Presbyterum non patiatur.* c. XXXV. Vt epiſcopus in eccleſia *in conſeſſu Presbyterorum* ſublimior ſedeat.
Euſeb. lib. V. c. XX. *Καὶ δύναμαι διαμαρτύρεσθαι ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ, ὅτι εἴ τι τοιοῦτον ἀκηκόει ἐκεῖνος ὁ μακάριος καὶ ἀποστολικὸς πρεσβύτερος, ἀνακράξας ἂν καὶ ἐμφράξας τὰ ὦτα αὐτοῦ καὶ κατὰ τὸ σύνηθες εἰπών· ὦ καλὲ Θεὲ, εἰς οἵους με καιροὺς τετήρηκας, ἵνα τούτων ἀνέχωμαι· πεφεύγει ἂν καὶ τὸν τόπον, ἐν ᾧ καθεζόμενος*

§. VI

§. VI.

Consessus ipsorum semicirculi formam repræsentans: vnde ipsi Corona Presbyterii *dicti.*

Porro de ratione sedendi notandum est, quod ad vtrumque Episcopi latus sedentes figuram Semicirculi repræsentauerint; id quod ab Auctore [*n*] *Constitutionum* sub CLEMENTIS ROMANI nomine & a GREGORIO NAZIANZENO aliisque describitur. Vnde, sicut thronus Episcopi vocatur *thronus medius*, aut *sedes media* apud THEODORETVM [*o*] & in *Constitutionibus*: ita eamdem ob rationem IGNATIVS [*p*] & *Constitutiones* [*q*] Presbyteros *spiritualem Coronam* seu *Circulum Presbyterii*, & *Coronam Ecclesiæ* nuncupant: nisi istas locutiones metaphoricas esse statuas, qui-

ἱερῶς τῶν τοιέτων ἀκηκόει λόγων. Et in conspectu Dei adfirmare possum, beatum illum & Apostolicum *Presbyterum*, si quid eiusmodi vmquam audiisset, exclamaturum continuo & obturatis auribus dicturum fuisse, prout ipsi moris erat: Deus bone, quæ me in tempora reseruasti! Atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans seu *sedens*, eiusmodi sermones audiisset.

Origen. Hom. II in Cantic. (Tom I. p. 577. edit. Basil. MDLVII.) Vidit & sedem puerorum eius, Ecclesiasticum puto ordinem dicit, qui in episcopatus vel *presbyterii sedibus* habentur.

Concil. Laodic. c LVI (Tom. I. Conc. p. 1505.) Ὅτι ἐ δεῖ πρεσβυτέρες πρὸ τῆς εἰσόδε τῦ ἐπισκόπε εἰσιέναι καὶ καθίζεσθαι ἐν τῷ βήματι, ἀλλὰ μετὰ τῦ ἐπισκόπε εἰσιέναι. Quod non oportet Presbyteros ante Episcopi introitum sacrum tribunal ingredi & *sedere in tribunali*, sed cum episcopo ingredi &c.

Constit. Apost lib. II. c. LVII. Κείσθω μέσος ὁ τῦ ἐπισκόπε θρόνος· παρ᾽ ἑκάτερα δὲ αὐτῦ καθεζέσθω τὸ πρεσβυτέριον. Sit solium Episcopi in medio positum & *ex vtroque eius latere sedeant Presbyteri.*

Conc. Ancyr. c. XVIII. Ἐὰν μὴ τινὲς βέλοιντο εἰς τὸ πρεσβυτέριον καθίζεσθαι, κ. τ. λ. Si velint *in Presbyterio residere* &c.

(*n*) Constit. Ap. lib. II. c. LVII. verba modo citata.

(*o*) Theod. Hist. lib. V. c. III Εἰ δὲ ὁ μέσος θῶκος τὴν ἔριν γεννᾷ, ἐγὼ καὶ ταύτην ἐξελάται πειράτομαι. Quod si *cathedra in medio* posita contentionem facit, eam ego auferre conabor.

(*p*) Ignat. Ep. ad Magnes. n. XIII. Μετὰ τῦ ἀξιοπρεπεστάτε ἐπισκόπε ὑμῶν καὶ ἀξιοπλόκε πνευματικῦ στεφάνε τῦ πρεσβυτερίε ὑμῶν. Cum dignissimo episcopo vestro & digne contexta spirituali corona Presbyterii vestri.

(*q*) Constit. lib. II. c. XXVIII. Τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὡς ἂν κάμνωσι περὶ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον, διπλῆ καὶ αὐτοῖς ἀφοριζέσθω ἡ μοῖρα εἰς χάριν τῶν τῦ Κυρίε ἀποστόλων· ὧν καὶ τὸν τόπον φυλάσσεσιν ὡς σύμβελος τῦ ἐπισκόπε καὶ τῆς ἐκκλησίας στέφανος. Presbyteris autem, si adsidue in studio docendi verbum Dei laboraverint, seponatur etiam dupla portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tamquam consiliarii episcopi & *ecclesiæ corona.*

bus

bus tantum denotare voluerint, quod Presbyteri vna cum Episcopo suo gloria Ecclesiæ existant.

§. VII.

Presbyteri Senatus ecclesiasticus, seu Concilium ecclesiæ dicti, cum quibus Episcopus communicabat omnia & consultabat.

Hic honos eis intuitu ipsorum auctoritatis in Ecclesia exhibebatur, in qua tamquam Senatus aliquis Ecclesiasticus seu Concilium pro Episcopo spectabantur, qui rem nullam magni alicuius momenti sine eorum consultatione atque consensu faciebat, vt ita maius pondus maioremque auctoritatem iis omnibus conciliaret, quæ publico Ecclesiæ nomine decernebantur. Quam ob caussam CHRYSOSTOMVS [r] & SYNESIVS [s] *Synedrium Presbyterorum*; & CYPRIANVS [t] *Cleri sacrum venerandumque Consessum*; HIERONYMVS [u] & alii [w] *Senatum Ecclesiæ* & *Senatum Christi*; ORIGENES [x] & Auctor *Constitutionum* [y] *Consilia-*

(r) Chrysost. de Sacerdot. Lib. III. c. XV. Εἰς πολλὰ σχίζονται μέρη καὶ οὔτε πρὸς ἀλλήλους, οὔτε πρὸς αὐτὸν τὸν λαχόντα τὴν ἐπισκοπὴν, τὸ τῶν πρεσβυτέρων συνέδριον ὁμογνωμονοῦν ἴδοι τις ἄν. Hos omnes in multas factiones scindi, neque inter se consentire, neque cum eo, cui forte Episcopatus delatus sit, *Presbyterorum congregationem* conuenire videas.

(s) Synes. Ep. LXVII. ad Theoph. p. 209. ἐλέγετο τοίνυν καὶ ἐν συνεδρίῳ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ δημοσίᾳ κ. τ. λ. Igitur & *in consessu Presbyterorum* & vulgo ferebant &c.

(t) Cyprian. Ep. LV. al. LIX. ad Cornel. (p. 86. edit. Paris MDCLXVI.) Quid superest, quam vt Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus ac Domini altare remouentibus in *Cleri nostri sacrum venerandumque consessum* simulacra atque idola cum aris suis transeant.

Conc. Carth. IV. c. XXXV. Episcopus in *consessu Presbyterorum* sublimior sedeat &c.

(u) Hieron. in Iesa. III. Tom. V. p. 16. Et nos habemus in Ecclesia *senatum nostrum cœtum Presbyterorum*.

(w) Pius Ep. II ad Iust. Vienn. Salutat te *senatus* pauper *Christi* apud Romam constitutus.

(x) Orig. in Matth. (citante Pearsonio apud Coteler. Tom. II. p. 321.) βουλὴν ἐκκλησίας θεοῦ βουλῇ τῇ καθ' ἑκάστην πόλιν συνεξετάζων, *senatum ecclesiæ* Dei senatui in qualibet ciuitate constituto comparans.

Pearson. Vindic. Ignat. ibid. Hi autem βουλευταὶ Christiani sane fuerunt Presbyteri.

(y) Constit. Apost. lib. II. c. XXVIII. Σύμβουλοι ἐπισκόπου - - συνέδριον καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας. Consiliarii episcopi - - consilium & senatus ecclesiæ,

rios Episcopi & *Concilium Ecclesiæ* eos appellitant: quod quamvis Episcopus princeps & caput huius Senatus Ecclesiastici exsisteret, & sine eo ordinarie fieri posset nihil; ipse tamen nullam actionem publicam, quæ ad gubernationem vel disciplinam Ecclesiæ spectaret, sine eorum conscientia & præsidio, suscipere solebat.

§. VIII.

Testimonia quædam Ignatii *&* Cypriani *de potestate & prærogatiuis, quibus Presbyteri vna cum Episcopo gaudebant.*

Prima sæcula diuinæ huius inter Episcopum & Presbyteros harmoniæ firmissima documenta suppeditant: Quisquis enim CYPRIANI scripta inspicit, *Romæ* atque *Carthagine*, vbi duæ maximæ inter Occidentales Ecclesias erant, ita omnia coniunctim peracta esse, facile intelliget. Episcopus ipsiusque Clerus communi [z] res consilio ponderabant, siue de ordinandis Clericis ageretur; (CYPRIANVS enim ne quidem Hypodiaconum aut Lectorem sine eorum consensu ordinare volebat) siue de exercenda disciplina Ecclesiastica, & recipiendis Pœnitentibus, CYPRIANVS omnia communi consensu se agere [a] declarabat. Atque ita CORNELIVS eodem tempore *Romæ* faciebat: *Maximo* enim & reliquis Confessoribus, qui a *Nouatiani* steterant parte, redeuntibus, & errore suo agnito in communionem Ecclesiæ recipi cupientibus, *Cornelius* commodare nolebat ante, quam Presbyterio conuocato de eorum sententia & consensu [b] ipsi constaret, vt ita ex communi omnium decreto posset agere. CYPRIANVS in diuersis aliis Epistolis [c] de eodem honore, quem Presbyteris suis deferat, loquitur, & alio loco [d] spe-

(z) Cypr. Ep. XXXIII. al. XXXVIII. In ordinationibus clericis solemus *vos* ante *consulere* & mores ac merita singulorum *communi consilio ponderare*.

(a) Id Ep. VI. al. XIV. Vt ea quæ circa ecclesiæ gubernaculum vtilitas communis exposuit, tractare simul & plurimorum consilio examinata limare possemus.

(b) Cornel. Ep. XLVI. al. XLIX. ad Cypr. Omni actu ad me perlato, placuit *contrahi Presbyterium* - - vt firmato *consilio*, quid circa personam eorum obseruari deberet, *consensu omnium* statueretur.

(c) Cypr. Ep. XXIV. al. XXIX. ad Cler. tot. Ep. XXXII. ad Cler. De cæteris quæ agenda erant, sicut & collegis meis plurimis scripsi, plenius *consilio communi tractabimus*, quando conuenire in vnum permittente Domino cœperimus.

(d) Cypr. Ep. VI. al. XIV. Quando a primordio episcopatus mei statuerim, *nihil si-*

ciali-

cialius adhuc eis exponit, a primordio Epiſcopatus ſui ſe induxiſſe animum, nihil ſine eorum conſilio atque conſenſu plebis agere. EPIPHANIVS eumdem morem *Epheſi* in condemnatione *Noetii* obſeruat. Primo enim coram Presbyterorum conſeſſu productum [*e*], deinde vero ab iisdem Eccleſia eiectum eſſe, dicit. Ex quo ad minimum hoc intelligitur, quod Epiſcopus & Presbyteri eius in hac cenſura Eccleſiaſtica coniunctim egerint. Similiter de prima eiectione *Arii* loquens *Alexander*, inquit, *Epiſcopus Alexandriæ* [*f*] *habito Presbyterorum ac quorumdam Epiſcoporum, qui aderant, conuentu, de eo quæſtionem habet, ac diligenter examinat. Tum veritati cedere detrectantem eiicit ex Eccleſia.* COTELERIVS in adnotationibus ſuis ad *Conſtitutiones* ex antiquo quodam Manuſcripto narrationem aliquam de forma depoſitionis *Arii* [*g*] publicauit, quæ lucem huic rei poteſt adfundere. Nam exinde pateſcit, quod quum *Alexander* litteras ſuas circulares contra *Arium* omnibus reliquis Epiſcopis mitteret, primum omnes Presbyteros ac Diaconos *Alexandrinos* & eos, qui de *Mareota* erant, arceſſiuerit, quo tum quæ ſcriptis mandata ſint, cognoſcerent, tum ſuum in iis conſenſum demonſtrarent, itemque *Arii* depoſitioni ſuffragarentur. Vnde condiſcimus, quod etſi muneris abdicatio proprium Epiſcopi erat opus, tamen vt ea maiori cum cærimonia fieret, conſenſus tum Presbyterorum tum Diaconorum ad eam neceſſarius fuerit. Idem illud in condemnatione *Origenis* obſeruatum fuit. In Concilio *Alexandrino*, quod ciuitate eum expulit, Epiſcopi & Presbyteri adfuerunt, decernentes, *Alexandria* eum eiiciendum, nec illi permittendum, vt ibi vel doceret, vel habitaret, quemadmodum PAMPHILVS [*h*] in libro ſecundo Apo-

ne conſilio veſtro & ſine conſenſu plebis, mea priuata ſententia gerere: ſed quum ad vos per Dei gratiam venero - - - in commune tractabimus.

(*e*) Epiphan. Hæreſ. LVII. n. I. ἐπὶ πρεσβυτερίῳ ἀγόμενος. Ibid. οἱ αὐτοὶ πρεσβύτεροι ἐξέωσαν αὐτὸν τῆς ἐκκλησίας.

(*f*) Epiph. Hær. LXIX. n. III Συγκαλεῖται τὸ πρεσβυτέριον ὁ Ἀλέξανδρος καὶ ἄλλους τινὰς ἐπισκόπους παρόντας, ἀνέτασιν τούτου ποιεῖται καὶ ἀνάκρισιν· ὡς δὲ οὐκ ἐπείθη τῇ ἀληθείᾳ, ἐξεῶσεν αὐτὸν τῆς ἐκκλησίας.

(*g*) Depoſitio Arii ap. Coteler. Not. in Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. XXVIII. Ἵνα καὶ τὰ νῦν γραφόμενα γνῶτε, τὴν δὲ ἐν τούτοις συμφωνίαν ἑαυτῶν ἐπιδείξησθε καὶ τῇ καθαιρέσει τῶν περὶ Ἄρειον σύμψηφοι γένησθε.

(*h*) Pamphil. Apol. ap. Phot. Cod. CXVIII. p. 298. Σύνοδος ἀθροίζεται ἐπισκόπων καὶ

logiæ ſuæ pro ORIGENE, cuius fragmenta quædam in PHOTIO conſeruata exſtant, refert. In Concilio *Romæ* contra *Nouatum* congregato ſexaginta Epiſcopi, Presbyteri [*i*] vero ac Diaconi multo plures conuenerant. Concilium *Antiochenum* primum contra *Paulum Samoſatenſem* habitum itidem [*k*] Presbyteris & Diaconis conſtitit; Nomen alicuius ex iſtis *Malchion* [*kk*] Presbyteri *Antiocheni* etiamnum in Epiſtolæ Synodicæ inſcriptione inter Epiſcoporum nomina legitur.

Ex quibus omnibus patet, antiquum Presbyterorum fuiſſe priuilegium, cum Epiſcopis in Conſiſtorialibus ac Prouincialibus eorum Conciliis ſedere atque deliberare. Et ſi paullo altius adſcenderis, res ſemper ad eumdem modum in Eccleſia inde ab origine tractatas deprehendes; quemadmodum ex IGNATIO apparet, cuius ſcripta, (vt vir quidam doctus obſeruat [*l*]), tantumdem pro Presbyterorum dignitate, quantum pro Epiſcoporum prærogatiua loquuntur. Neque vllus ex antiquis Auctoribus tot ac tanta Presbyterii præconia, quanta quidem ille, adnotauit. Quam ob cauſſam, qui pro Presbyterorum honore atque auctoritate maxime militant, IGNATIVM optimum poteſtatis atque exiſtimationis eorum adſertorem atque defenſorem par eſt agnoſcant. Semper enim Epiſcopos & Presby-

τινῶν πρεσβυτέρων κατ' Ὠριγένους. Synodus epiſcoporum & quorumdam Presbyterorum aduerſus Origenem habetur.

(*i*) Euſeb. lib. VI c. XLIII. Ἐφ' ᾧ συνόδου μεγίστης ἐπὶ Ῥώμης συγκροτηθείσης, ἑξήκοντα μὲν τὸν ἀριθμὸν ἐπισκόπων, πλειόνων δὲ ἔτι μᾶλλον πρεσβυτέρων τε καὶ διακόνων κ. τ. λ.

(*k*) Euſeb. lib. VII. c. XXVIII. Μυρίους τε ἄλλους οὐκ ἂν ἀποχρήσαι τις ἅμα πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις τῆς αὐτῆς ἕνεκεν αἰτίας ἐν τῇ προειρημένῃ πόλει τηνικάδε συγκροτηθέντας ἀπαριθμούμενος. Sexcentos quoque alios, qui vna cum *Presbyteris* & Diaconis eo confluxerant, nequaquam difficile fuerit recenſere.

(*kk*) Euſeb. ibid. c. XXX Ελενος καὶ Ὑμέναιος καὶ Θεόφιλος, καὶ Θεότεκνος, καὶ Μάξιμος, Πρόκλος, Νικόμας καὶ Αἰλιανός, καὶ Παῦλος καὶ Βώλανος, καὶ Πρωτογένης, καὶ Ἱέραξ καὶ Εὐτύχιος, καὶ Θεόδωρος, Μαλχίων, καὶ Λούκιος

(*l*) Pearſon Vindic. Ignat. Part. II. c. XVI. p. 428. ap. Coteler. (p. 221. edit. Cantabrig. MDCLXXII.) Si quid ego hac in re intelligo, quicumque Presbyteriali dignitati auctoritatique maxime ſtudent, non habent ſuæ exiſtimationis firmius aut ſolidius fundamentum, quam epiſtolas S. Ignatii noſtri: neque enim in vllo vere antiquo Scriptore extra has epiſtolas tot ac tanta Presbyteriatus præconia inuenient, neque illius ordinis honorem ſine Epiſcopatus prærogatiua vllibi conſtitutum reperient.

teros

teros, tamquam Ecclesiæ præsidentes, coniungit, istos quidem loco Dei & Iesu Christi, hos autem tamquam magnum Dei Concilium loco Apostolorum constituens. Ita in Epistola sua ad *Ephesios* [m] hortatur eos, *vt subiecti sint Episcopo & Presbyterio:* Et in Epistola ad *Magnesianos* [n] *Scotionem* laudat, *quod subditus sit Episcopo vt gratiæ Dei, & Presbyterio vt legi Iesu Christi.* Et post paullo in eadem epistola *de Episcopo* tamquam *præsidente* [o] *Dei loco, & Presbyteris loco senatus Apostolici* loquitur. Ita in Epistola ad *Trallianos* [p] iubet eos *Presbyterio subditos esse, vt Apostolis Iesu Christi:* & iterum [q] *Reuereantur*, inquit, *Presbyteros vt consessum Dei & vt coniunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur.* Diuersa eiusdem ponderis loca in Epistolis suis ad *Polycarpum* & ad Ecclesiam [r] *Smyrnæorum* videri possunt.

§. IX.

Presbyterorum potestas sæculo quarto paullulum imminuta quibusdam videtur.

Et profecto omnes ipsius Epistolæ adeo plenæ sunt magnorum elogiorum, quibus Presbyteros tamquam cum Episcopis in senatu Ecclesiastico coniunctim agentes, ornat, vt eruditus noster PEARSONIVS, qui has Epistolas nouissime defendit, inde concludat, potestatem ac priuilegia Presbyterorum secundo sæculo, in quo vixit IGNATIVS, multo maiora, quam sæculo quarto, fuisse, quippe qua tempestate eam vbique, etiam *Alexandriæ*, vbi maxime floruerat, aliquantum collapsam atque imminutam esse credit. Atque hinc harum Epistolarum vetu-

(m) Ignat. ad Ephes. n. II. ὑποτασσόμενοι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ πρεσβυτερίῳ.

(n) Ep. ad Magnes. n. II. ὅτι ὑποτάσσεται τῷ ἐπισκόπῳ ὡς χάριτι Θεοῦ καὶ πρεσβυτερίῳ ὡς νόμῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

(o) Epist. ad Magnes. n. VI. Προκαθημένου ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων.

(p) Ep. ad Trall. n. II. ὑποτάσσεσθε τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ.

(q) Ibid. n. III. ἐντρεπέσθωσαν τοὺς πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον Θεοῦ καὶ ὡς σύνδεσμον ἀποστόλων· χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται.

(r) Epist. ad Polyc. n. VI. Ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις, διακόνοις κ. τ. λ. Deuouear ego pro iis, qui subditi sunt episcopis, presbyteris, diaconis &c.

Ep. ad Smyrn. n. VIII. Ἀκολουθεῖτε τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις, sequimini *Presbyterium* vt Apostolos.

ſtatem deducit, easque ab ipſo IGNATIO exaratas eſſe demonſtrat, quod nemo ex quarti ſæculi ſcriptoribus Presbyterium tantis laudibus cumulaturus, aut tanta auctoritate poteſtateque armaturus [s] fuiſſet. Non diſputabo hac de re, nec operoſius diſquiram, quid diſcriminis inter Presbyterorum poteſtatem duorum iſtorum ſæculorum interceſſerit, ſed tantum lectori, quænam priuilegia quarto adhuc ſæculo iis ſuperfuerint, repræſentabo.

§. X.

Adhuc tamen ad iungendas cum Epiſcopo manus in ordinatione Presbyterorum admiſſi fuerunt.

Neque vero heic quis ire inficias poteſt, iſthoc ſæculo in ordinatione Presbyteri cuiusdam omnibus Presbyteris, qui præſentes fuerint, manus ei imponere non tantum licuiſſe, ſed ad hoc ipſum faciendum eos etiam obligatos fuiſſe. In Eccleſiis *Africanis* hunc morem obtinuiſſe, poſitum eſt extra controuerſiam: In Concilio enim *Carthaginenſi* quarto [t] Canon reperitur, qui his diſertis verbis illud iniungit: ***Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.*** Et hoc admodum probabiliter vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo fuit. In Conſtitutionibus enim Eccleſiæ *Alexandrinæ* [u] lex eiusdem argumenti habetur. In Eccleſia latina decretum Concilii *Carthaginenſis* videtur etiam inualuiſſe, quod a GRATIANO [w] aliisque conlectoribus inter leges Eccleſiaſticas relatum eſt, vnde & in noſtra Eccleſia *Anglicana* obſeruari cœpit, & in hunc vſque

(s) Pearſon. Vindic. Ignat. Part. II. c. XVI. p. 418. ap. Coteler. (p. 220. 221. edit. Cantabrig.) Nemo tam ſeris eccleſiæ temporibus - - Presbyterium tot laudibus cumulaſſet, *tanta auctoritate armaſſet*, cuius poteſtas ea tempeſtate etiam Alexandriæ, vbi maxime floruerat, tantopere imminuta eſt.

(t) Conc. Carth. IV. c. III.

(u) Eccl. Alex. Conſtit. c. VI. ap. Beuereg. Not. in Can. Apoſt. c. II. Cum vult Epiſcopus *ordinare Presbyterum*, manum ſuam capiti eius imponat, *ſimulque omnes Presbyteri iſtud tangant.*

(w) Gratian. Diſt. XXIII. c. VIII. Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant. Ivo Part. VI. c. XII.

diem

diem obſeruatur. Nonnulli quidem antiqui Canones [x] dicunt, Presbyterum ab vno tantum Epiſcopo ordinari oportere: ſed hoc non eo valet, vt Presbyteri adſiſtere prohibeantur, ſed tantum, vt diſcrimen aliquod inter ordinationem Epiſcopi & Presbyteri ſtatuatur. Ordinatio enim Epiſcopi legitimo modo fieri non poterat ſine tribus Epiſcopis, in rei ſocietatem cum Metropolitano coëuntibus; Presbyter autem ab vno tantum Epiſcopo, ſine vllo alius cuiusdam auxilio ordinari poterat, niſi quod de ipſius Presbyteris quidam ei ſe ſe iungerent. Et hanc ſæculi quarti praxin fuiſſe manifeſtum eſt.

§. XI.

In Senatu etiam eccleſiaſtico vna cum Epiſcopis ſuis ſedendi gaudebant priuilegio.

Porro ex iſtius æui monumentis planum eſt, Presbyteros adhuc cum Epiſcopis ſuis in ſenatu eccleſiaſtico ſedendi habuiſſe priuilegium. Nam *Siricius* Papa hoc ſæculo exeunte eumdem in modum ſe gerebat, quemadmodum ante eum ſe geſſerat *Cornelius.* In eo enim quum eſſet, vt *Ioviani* errores condemnaret, primum conuocabat [y] Presbyteros, communicatoque cum hiſce conſilio ipſius doctrinas examinabat, & tum Diaconis & reliquo Clero conſentientibus Eccleſia eum eiiciebat. Eamdem quoque rationem *Syneſius* Epiſcopus *Ptolemaidis* contra *Andronicum*, impium ac in Deum contumelioſum Præfectum Pentapolis inibat. Hic primum horrenda eius crimina coram Eccleſiæ ſuo ſenatu enarrabat, & deinde ipſis conſentientibus ſententiam eiiciendi eum ex Eccleſia pronuntiabat, quod ipſe propterea ab [z] Synedrio *Ptolemaidis* factum eſſe

(x) Can. Apoſt. c. II. Πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου χειροτονείσθω, Presbyter ab vno Epiſcopo ordinetur.
Conc. Carth. III. c. XLV. (Tom. II. Conc. p. 1176.) *Epiſcopus vnus* eſſe poteſt, *per quem* dignatione diuina *Presbyteri* multi *conſtitui* poſſunt.

(y) Siric. Ep. II. ad Eccleſ. Mediol. (Tom. II. Concil. p. 1024.) *Facto Presbyterio* conſtitit doctrinæ noſtræ, id eſt, chriſtianæ legi eſſe contraria - - vnde omnium noſtrorum tam *Presbyterorum* & Diaconorum quam totius Cleri vnam ſcitote fuiſſe ſententiam, vt Iouinianus, Auxentius &c. in perpetuum damnati extra Eccleſiam remanerent.

(z) Syneſ. Ep. LVII. p. 190. (edit. Pariſ. p. 201.) Νυνὶ δὲ οἷς τὸ συνέδριον μετῆλθε τὴν Ἀνδρονίκου μανίαν ἀκούσατε. Iam quibusnam poenis *de conſilii ſententia* in Andronici furorem ſit animaduerſum, attendite.

dicit

dicit in litteris circularibus, quibus de eiectione eius alias Ecclesias faciebat certiores. BARONIVS quidem & plerique Conciliorum editores hunc conuentum ex errore synodis prouincialibus adnumerant: Enimuero ex SYNESIO luculenter patet, fuisse modo priuatum Ecclesiæ *Ptolemaidis* conuentum: Expressis enim verbis [*a*] dicit, *Ptolemaidis* Ecclesiam ad omnes vbique terrarum sorores suas Ecclesias hæc decernenda censuisse, easque rogandas, vt *Andronicum* eodem loco habere, nec decretum suum velut a paupere exiguæ vrbis Ecclesia factum contemnere velint. Quod quidem cum priuati concilii ratione egregie conuenit, non autem secundum prouincialis Concilii stilum dictum est.

§. XII.

Nec non in Conciliis prouincialibus.

Neque tamen hæc eo dicuntur, vt negetur Presbyteris in Conciliis prouincialibus sedere licuisse: Manifestissima enim documenta suppetunt, sæculo quarto & postea hoc eos priuilegio fruitos esse. Concilio *Illiberritano*, quod ineunte sæculo quarto celebratum est, haud minus triginta sex Presbyteri [*b*] vna cum Episcopis interfuerunt, testantibus id diserte Concilii istius Actis. Concilium primum *Arelatense* a CONSTANTINO conuocatum itidem diuersos habuit Presbyteros, quorum plerorumque nomina etsi cum nominibus plurimorum Episcoporum, qui ducenti fuere, perdita sunt, quindecim tamen Presbyterorum nomina [*c*] adhuc supersunt. Et dignum obseruatu est, quod in CONSTANTINI *Tractoriis*, seu litteris inuitatoriis Presbyteri non minus quam Episcopi ad concilium coire mandato Imperiali iubeantur; si ex vno illo exemplo, quod in antiquo monumento apud EVSEBIVM superest, de reliquis omnibus iudicare licuerit: videmus enim ibi in Epistola, ad *Chrestum Sy-*

(*a*) Synes. Ep. LVIII p. 199. (edit. Par. p. 203) Ἡ Πτολεμαΐδος ἐκκλησία τάδε πρὸς ἁπανταχοῦ γῆς ἑαυτῆς ἀδελφὰς διατάττεται. Et paullo post: Εἰ δέ τις ὡς μικροπολίτιν ἀποσκυβαλίσει τὴν ἐκκλησίαν, καὶ δέξεται τοὺς ἀποκηρύκτους αὐτῆς, ὡς οὐκ ἀνάγκη τῇ πένητι πείθεσθαι κ. τ. λ.

(*b*) Concil. Eliber. Prooem. (Tom. I. p. 969) *Residentibus* etiam *viginti & sex* (triginta & sex in editione Mendosæ) *presbyteris*, adstantibus diaconibus & plebe episcopi dixerunt.

(*c*) Concil. Arelat. I. in catalogo eorum, qui concilio interfuerunt. In edit. Crab. male vocatur Secundum.

racusa-

racusarum Episcopum acciendum missa, ipsum duos ex secundo throno [*d*] secum adducere iuberi; quæ phrasis, vti diximus supra, duos denotat Presbyteros. Vt ita hinc pateat, Presbyteros tunc cum Episcopis suis in Concilio sedendi habuisse priuilegium, & id quidem ex dicto Imperiali. In IVSTELLI *Bibliotheca Iuris Canonici* tria quatuorue Concilia *Romana* memorantur, in quibus Presbyterorum, tamquam sedentium & suffragia ferentium cum Episcopis, speciatim fit mentio. In Concilio sub *Hilario* A. CCCCLXI. congregato Presbyteri *Romani* omnes simul cum Episcopis sederunt [*e*], Diaconis quidem adstantibus. Ita rursus in Concilio sub *Felice* A. CCCCLXXXVII. habito [*f*], nomina septuaginta sex Presbyterorum recensentur, qui cum Episcopis sederint, Diaconis, vt antea, eis adstantibus. Et Concilio sub *Symmacho* A. CCCCIC. sexaginta septem Presbyteri & Diaconi sex iisdem prorsus [*g*] verborum formulis, quemadmodum Episcopi, subscripserunt. In alio Concilio sub eodem *Symmacho* A. DII. Presbyteri triginta sex [*h*] nominantur, qui in eo sederunt. Et in Concilio sub *Gregorio* II. A. DCCXV. Episcopi, Presbyteri & Diaconi omnes eodem modo [*i*] decretis ab ipsis omnibus coniunctim promulgatis subscripserunt.

Similia exempla in primo Concilio *Toletano* [*k*] & *Bracarensi* secundo [*l*] occurrunt, vbi obseruare etiam licuerit discrimen inter Presbyteros & Diaconos statutum; quod nimirum Presbyteri semper vt sedentes vna cum Episcopis suis, Diaconi autem

(*d*) Euseb. lib. X. c. V. Συζεύξας σεαυτῷ καὶ δύο γέ τινας τῶν ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου.

(*e*) Conc. Rom. ap. Iustell Tom I. p. 250. *Residentibus* etiam *vniuersis Presbyteris*, adstantibus quoque Diaconibus.

(*f*) Ibidem. *Ex Presbyteris* Rustico, Laurentio &c.

(*g*) Ibid. p 259. *Subscripserunt Presbyteri* numero LXVII Cælius Laurentius *Archipresbyter* tituli Praxedis *hic subscripsi* & consensi synodalibus constitutis atque in hac me profiteor manere sententia &c

(*h*) Ibid. p. 261. *Residentibus etiam Presbyteris*, Proiectitio, Martino *&c.* Adstantibus quoque Diaconis

(*i*) Ibid. p. 234 *Sisinnius Presbyter* huic constituto a nobis promulgato *subscripsi*. *Petrus Archidiaconus* huic constituto a nobis promulgato *subscripsi*.

(*k*) Concil. Tolet. I. (Tom. II. p. 1223) Conuenientibus Episcopis in Ecclesia - - *Considentibus Presbyteris*, adstantibus Diaconis &c.

(*l*) Concil. Bracar. II. (Tom. V. p. 836) Considentibus simul Episcopis, *præsentibus quoque Presbyteris* adstantibusque Ministris vel vniuerso Clero.

tantummodo vt ſtantes, eisque miniſtrantes repræſentantur. Quibus omnibus non obſtantibus CELLOTIVS *Loiolita*, & quidam iſtius ſocietatis alii non dubitant adſerere, Presbyteris numquam permiſſum fuiſſe cum Epiſcopis conſidere in ipſorum Conciliis. BELLARMINVS [*m*] eo vſque non progreditur, ſed tantum ſuffragium deciſiuum ipſis abiudicat: Qua in adſertione non tantum omnes in vniuerſum ſcriptores [*n*] Proteſtantes, ſed HABERTVM [*o*] etiam aliosque eruditos *Gallicanæ* libertatis [*p*] adſertores, ipſius alioquin religioni addictos, ſibi aduerſantes habet. Vt adeo apud omnes ſcriptores, præiudicatis opinionibus liberos, & curioſos antiquitatis ſcrutatores in confeſſo ſit, quod Presbyteri cum Epiſcopis in Conciliis prouincialibus ſedendi ac deliberandi habuerint libertatem.

§. XIII.

Similiter in Conciliis generalibus.

Quod autem ad Concilia generalia ſeu vniuerſalia attinet, ſunt ex ſcriptoribus Proteſtantibus, qui dubitare videntur, an Presbyteris antiquitus in illis ſedere permiſſum fuerit. Vir quidam eruditus [*q*] de noſtra Eccleſia *Anglicana*, numquam antea dicit auditum, ſacerdotes in Conciliis œcumenicis ſediſſe, nimirum ante Concilium *Lateranenſe* ſub *Calliſto* II. A. cIↄ cxxiii habitum, cui Abbates Iↄc interfuerunt. Sed non video, quamobrem Concilium primum *Arelatenſe* pro generali concilio habendum non ſit, ſi alioquin Epiſcoporum vndiquaque confluentium multitudo illud poſſit efficere: Ducenti enim Epiſcopi illic præſentes fuerunt; & vt animaduertimus antea, di-

(*m*) Bellarm. de Concil. lib. I. c. XV. Cæteri numquam ſunt admiſſi, niſi ad conſultandum, excepto Concilio Baſileenſi, vbi Presbyteri admiſſi ſunt ad ſuffragium deciſiuum, ſed perperam & contra morem omnis antiquitatis.

(*n*) Morton. Apol Cathol. Part. II. lib. IV. c. VIII. Whitaker de Concil. Quæſt. III.

(*o*) Habert. Not. in lib. Pontif. Græcor p. 175. At ſententiam non ferebant nec ſubſcribebant, dicet aliquis? Itane vero? per ſingula ire nihil neceſſe eſt, ſed quædam luſtranda ſunt. In eodem Concilio Chalcedonenſi *Philippus Presbyter* eccleſiæ CP. *fert ſententiam*. In concilio ſeptimo Oecumenico *Leo Presbyter* ita ſubſcribit: *Λέων χάριτι Χριστῦ πρεσβύτερος τῆς ἁγιωτάτης τῦ Θεῦ καθολικῆς μεγάλης ἐκκλησίας.* *Leo* gratia Chriſti *Presbyter* ſanctiſſimæ Dei Catholicæ magnæ Eccleſiæ, id eſt, Conſtantinopolitanæ. *Plurimi* poſtea Archimandritæ & Hegumeni vt *Presbyteri ſubſcribunt* &c.

(*p*) Ranchin *Review of the Council of* Trent, lib. I. c VIII.

(*q*) *Biſhop* Burnets *Vindication of the Ordination* &c. Pref. p. 32.

verſi

verſi Presbyteri vna cum ipſis venire iuſſi ſunt. Sed quidquid huius ſit, Concilium *Conſtantinopolitanum* A. CCCLXXXI. celebratum ab omnibus pro generali Concilio habetur, (licet tantum CL. Epiſcopi ei interfuerint): atqui ibi tres etiam Presbyteros vna cum Epiſcopis [*r*] ſubſcribentes deprehendimus. HABERTVS [*ſ*], vir doctus, diuerſa alia exempla ex Concilio *Chalcedonenſi*, ſecundo Concilio *Nicæno*, octauo contra *Photium* conuocato, aliisque adfert. Ex quibus omnibus & quæ heic allegata ſunt, colligi oportet, Presbyteros in Conciliis etiam generalibus ſedendi ac ſuffragandi priuilegium antiquitus habuiſſe.

§. XIV.

De titulis honoris, quos Presbyteris æque ac Epiſcopis dederunt, & quid diſcriminis heic inter eos, ſi vtrisque applicati fuerint, interceſſerit.

Iſtæ Presbyterorum prærogatiuæ, quarum beneficio in tot caſibus coniunctim cum Epiſcopis agere poterant, magnam illis auctoritatem atque exiſtimationem in Eccleſia conciliabant: adeo vt multi honoris tituli, quibus Epiſcopi ſalutabantur, cum aliqua duntaxat variatione etiam Presbyteris tribuerentur. Hinc vocati Πρόεδροι a SYNESIO [*t*] & EVSEBIO; Προεστῶτες a NAZIANZENO [*u*] & BASILIO; Προστάται a CHRYSOSTO-

(*r*) Conc. Conſtantin. Tom. II. p 957. Tyrannus *Presbyter* Amorii. Auxanon *Presbyter* Apameæ. Helladius *Presbyter* Commanenſis.

(*ſ*) Habert Not. in Pontific. p. 175 vid. not. (o). p. 281.

(*t*) Syneſ. Epiſt. XII. (p. 171. edit. Pariſ MDCLXVI.) *Ἀλλὰ καὶ διὰ πάσης εὐφήμου μνήμης ἄγε τὸν ἱερὸν ἐκεῖνον, καὶ θεοφιλῆ πρεσβύτην τὸν ἀποδείξαντά σε πρόεδρον δήμου.* Sed & plena prædicationis memoria proſequere ſacrum illum & Deo carum ſenem, qui te populo *præfecit*.
Euſeb. lib X. c. IV. †

(*u*) Gregor. Nazianz. Orat. I. (p. 6. edit. Pariſ. MDCXXX.) *οὐ γὰρ οὕτως οὔτε δευσοποιοῦ βαφῆς μεταλαμβάνει ῥαδίως ὕφασμα, οὔτε δυσωδίας ἢ τοῦ ἐναντίου τὸ πλησιάσαι, οὔτε νοσερά τις οὕτως εὐκόλως ἀναχεῖται εἰς τὸν ἀέρα καὶ διὰ τοῦ ἀέρος ὁμιλεῖ τοῖς ζώοις ἀτμὶς (ὃ δὴ λοιμὸς ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται) ὡς φιλεῖ τάχιστα τῆς τοῦ προεστῶτος κακίας ἀναπίμπλασθαι τὸ ὑπήκοον, καὶ πολλῷ γε ῥᾶον, ἢ τοῦ ἐναντίου τῆς ἀρετῆς.* Neque enim indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum aut ſuauem odorem res admotæ ita facile contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facile in aërem diffunditur, ac per aërem animantia occupat (quod quidem peſtis & eſt & appellatur) quam ſubditi *Antiſtitis* improbitate celerrime impleri ſolent, & quidem multo facilius, quam virtute.

MO [w] & NAZIANZENO similiter: quæ nomina latinis titulis, quibus *Præpositi* & *Antistites* salutantur, respondent, significantque *Præsides* seu *Duces* & *Gubernatores* populi. Scio equidem, quosdam viros doctos [x] sentire, quod a nullo antiquo scriptore Presbyter *Antistes* dicatur. Sed hoc adsertum sensu commodo accipi debet: alias enim cum veritate haud congrueret. Nam HILARIVS SARDVS [y] loquens de Presbyteris, aduersus quos Episcopum non deceat accusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus, diserte eos *Antistites Dei* appellat. Idem etiam Auctor [z] *Quæstionum Vet. & Nou. Testamenti* sub nomine AVGVSTINI facit. Et quamlibet in Epistolis CYPRIANI per *Præpositos* plerumque intelligantur Episcopi, non semper tamen hoc fit: Presbyteri enim *Romani* scribentes [a] ad Clerum *Carthaginensem* semetipsos vocant *Præpositos*, & CELERINVS [b] in Epistola sua ad *Lucianum* eodem titulo eos insignit. SIDONIVS autem APOLLINARIS [c] hanc materiam recte proponit, quando nos do-

Basil. Reg. Moral. LXX. c. XXXVI (p. 401. Tom. II. Edit. Paris.) Ὅτι δεῖ τὸν προεστῶτα τοῦ λόγου μετὰ περισκέψεως καὶ δοκιμασίας πολλῆς, κατὰ σκοπὸν τῆς πρὸς Θεὸν εὐαρεστήσεως, ἕκαστον ποιεῖν τε καὶ λέγειν. Quod qui aliis in Ecclesia *præpositus* est, is ad singula quæ facit, dicitue, diligentem adhibere circumspectionem & maturam iudicium debet.

(w) Chrysf. Hom. XI. in 1 Tim. IV. (T. VI. ed. Francof. p. 469.) οὐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν καὶ ἐπισκόπων· καὶ γὰρ καὶ αὐτοὶ διδασκαλίαν εἰσὶν ἀναδεδεγμένοι καὶ προστασίαν τῆς ἐκκλησίας. Inter Episcopum atque Presbyterum interest ferme nihil. Quippe & Presbyteris Ecclesiæ cura (*præfectura*) commissa est.

Nazian. Orat. I. p. 37. ψυχῶν προστασίαν δέξασθαι, ἢ μεσιτείαν Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων (τοῦτο γὰρ ἴσως ὁ ἱερεύς) οὐκ ἀσφαλὲς εἶναι γινώσκω, Animarum curam & *imperium* suscipere, ac mediatorem inter Deum & homines agere (hoc enim fortasse sacerdos est) minime tutum esse censeo.

(x) Beuereg. Not. in Conc. Ancyran. Neque enim Presbyter vmquam *Antistes* dicitur.

(y) Ambros. al. Hilar. Comm. in 1 Tim. V. Huius ordinis sublimis honor est; huiusmodi enim Vicarii sunt Christi: idcirco non facile de hac persona accusatio debet admitti. Incredibile enim debet videri, istum qui *Dei Antistes* est, criminose versatum.

(z) Aug. Quæst. Vet. & Nou. Testam. cap. CI. Propter quod *Antistites Dei* sunt, in domo Dei & in honore Christi cum dignitate consistunt.

(a) Ep. III. al. VIII. ap. Cyprian. Cum incumbat nobis, qui videmur *Præpositi* esse, & vice Pastoris custodire gregem.

(b) Celerin. Ep. XXI. ap. Cyprian. Præceperunt eos *Præpositi* tantisper sic esse, donec Episcopus constituatur.

(c) Sidon. Apol. lib. IV. Ep. XI. *Antistes fuit ordine in secundo*, fratrem fasce leuans Episcopali.

cet

cet diſtinguere inter *Antiſtites primi*, & inter *Antiſtites ſecundi ordinis*: quæ diſtinctio, quotieſcumque Presbyteri appellantur Antiſtites, etiamſi non expreſſe addatur, ſemper tamen ſubintelligenda eſt. Quocirca nimis frigide argumentatur BLONDELLVS, vbi ab hac nominum ac titulorum communitate vult inferre, Epiſcopos & Presbyteros vnum eumdemque fuiſſe Ordinem. Quod æque ex appellatione *ſacerdotum*, quæ adeo frequenter apud antiquos ſcriptores occurrit, &, quemadmodum obſeruat CYPRIANVS [*d*], communem Epiſcoporum ac Presbyterorum honorem denotat, inferri poſſet: quamquam, vti ſupra de Epiſcoporum titulis loquentes diximus, ſi qua erat de Epiſcopis paullo accuratius & diſtinctius loquendi occaſio, proprio iis titulo *Summi Sacerdotes*, ab inferioris ordinis ſacerdotibus eos diſtinguendi cauſſa, dicebantur. Quibus heic ego tantum addam teſtimonium OPTATI, qui [*e*] Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos ſacerdotes, eorumque officium ſacerdotium nuncupat, hoc tamen cum diſcrimine, vt Diaconi in tertio tantum gradu ſacerdotii, & Presbyteri in ſecundo gradu conſtituti, Epiſcopi autem *Apices* & *Principes* omnium ei audiant. Ex quibus liquido patet, quod, ſi nuda nominum communitas vnam eamdemque officiorum naturam indicat, æque inde concludi poſſit, Epiſcopos & Diaconos, vel Presbyteros & Diaconos vnum eumdemque eſſe ordinem, quod communibus ſacerdotum ac ſacerdotii titulis perfruantur.

§. XV.

Quo ſenſu Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ab Optato *vocentur ſacerdotes.*

Quod ſi hoc loco diſquiramus, cur OPTATVS omnibus tribus Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordinibus titulum ſacerdotii adſignet, plana & obuia eſt reſponſio: quia

(*d*) Cyprian Ep. LVIII. al. LXI. ad Luc. p 145. (p. 93. edit. Pariſ. MDCLXVI.) Cum Epiſcopo Presbyteri ſacerdotali honore coniuncti.

(*e*) Optat. lib. I. p. 39. Quid commemorem Diaconos in tertio? Quid *Presbyteros in ſecundo ſacerdotio* conſtitutos. Ipſi *Apices & Principes* omnium aliqui Epiſcopi illis temporibus - - Inſtrumenta diuinæ legis impie tradiderunt. Conf. Hieronym. Ep. XXVII. vbi Presbyteros vocat *ſecundi ordinis ſacerdotes* (NB. p. 118 b. Tom. I Edit. Francof. ſic lego: Aderant Hieroſolymorum & aliarum vrbium Epiſcopi & *Sacerdotum inferioris gradus* ac Leuitarum innumerabilis multitudo.

videlicet omnes tres ordines ſuo quisque modo, diuerſo licet gradu, ſacerdotium participant. Quod non, vt ſibi quidam falſo perſuadent, poteſtas eſt offerendi Corpus & Sanguinem Chriſti, tamquam ſacrificium propitiatorium pro viuis ac mortuis: (huiusmodi enim ſacerdotii Chriſtiani notio in nullo antiquo Auctore vel Rituali occurrit): ſed in poteſtate ſacras ſeu ad Deum pertinentes res publice ex præſcripto diuino operandi conſiſtit. Cuius poteſtatis vt diuerſæ ſunt partes, ita quoad eas, ex opinione OPTATI, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi participant, in ſacerdotio ipſo ſuam quisque partem capit. Ita pars officii ſacerdotis erat, offerre Deo ſacrificium precum, laudis, atque gratiarum actionis populi, vtpote qui os & interpres eorum erat, & apud Deum deprecari pro iis debebat; alia officii pars erat, Dei nomine populo benedicere, ſpeciatim in admittendo ipſos per ſpiritualem regenerationem ſeu Baptiſmum ad remiſſionis peccatorum beneficium atque priuilegium. Quam ob cauſſam non nemo ex recentioribus eruditis ſcriptoribus [f] OPTATO plane conſentit, Diaconos infimi gradus ſacerdotes eſſe ſtatuens. Acceſſit ad hæc poteſtas offerendi Deo ſuper altari ſacrificia populi; hoc eſt, quemadmodum MEDVS [g] aliique interpretantur, primum oblationes panis & vini eucharisticas ad Deum, vtpote iſtarum rerum creatarum Dominum agnoſcendum, deinde ſacrificia precum & gratiarum actionis in commemorationem cruenti ſacrificii Chriſti in cruce, in pane & vino myſtice repræſentati; quæ vniuerſa actio ſacra rationale & incruentum Chriſtianorum ſacrificium, vel ſacrificium altaris plerumque vocabatur. Iam vero Diaconis (vt capite proxime ſequenti videbimus) has oblationes ſuper altari offerre, numquam permiſſum, ſed hoc ipſum peculiaris ſemper Presbyterialis officii ratio fuit: vnde Presbyteri in ſuperioris gradus ſacerdotio conſtituti habebantur. Alia quædam officii ſacerdotis actio erat, mentem ac voluntatem Dei populo interpretari; ipſiusque nomine ſolemnem eis benedictionem, & intercedente peccatorum confeſſione ac reſipiſcentia, miniſterialem abſolutionem, ſeu peccatorum remiſſionem impertire: quæ functiones quum ad ordinarium Presbyterorum munus ſpectarent, maius adhuc

(f) Hick's *Diſcourſe of the Chriſtian Prieſthood* c. II. §. V. p. 33.

(g) Mede Chriſt. Sacrific. c. II. p. 356. Hick's ibid. p. 49. cum pluribus aliis ab eo citatis.

ius

ius ad ſacerdotium eis conciliabant. Omnes iſtas functiones & non nullas alias Epiſcopi [*gg*] quoque poterant adminiſtrare, e. g. conſecrationem ſeu benedictionem eorum, qui Miniſterio deſtinati erant &c. quæ vna cum ſpirituali iurisdictione ſeu poteſtate, qua inſtructi, tamquam Vicarii Chriſti, Eccleſiam moderabantur atque gubernabant, ad altiorem adhuc in ſacerdotio Chriſtiano gradum iuſtum eis titulum concedebant. Vnde, quemadmodum antea notauimus, ***Primi Sacerdotes***, ***Summi ſacerdotes***, ***Principes ſacerdotum*** & ***Pontifices Maximi*** dicebantur. Noui equidem, ALBASPINAEVM & diuerſos alios Eccleſiæ ***Romanæ*** [*h*] ſcriptores diſtinguere inter officium Prælati & Sacerdotis in Epiſcopo, quæ diſtinctio excogitata eſt, vt peculiaribus eorum hypotheſibus inſeruiat; e. g. I. Quod Epiſcopus qua Sacerdos a Presbytero prorſus non differat; II. Quod Epiſcopus & Presbyter vnum tantum Ordinem ſacerdotalem conſtituant; & III. Quod notio propria & differentia ſpecifica Ordinis ſacerdotalis ſit poteſtas offerendi corpus & ſanguinem Chriſti, tanquam ſacrificium propitiatorium pro viuis & mortuis. Quæ omnia perſpicuæ Antiquitatis menti aduerſantur, quippe quæ eiusmodi ſpecificam ordinis ſacerdotalis differentiam & characterem ignorat, nec ſomniauit vnquam, Epiſcopos & Presbyteros reſpectu ſacerdotii vnum tantum eſſe ordinem; ſed potius de iis ſemper loquitur, tanquam diſtinctis ordinibus, eorumque diſtinctionem in diuerſæ poteſtatis ſacerdotalis perfruitione collocat; Presbyteros tantum ***ſecundum*** ordinem & ***ſecundum*** ſacerdotium, Epiſcopos autem ***primum*** ordinem & ***primum*** ſacertodium conſtituens; & ſimul adſerens Epiſcopi actus iuridicos eſſe etiam ſacerdotales ſeu actus ad ſuperiorem Chriſtiani ſacerdotii gradum pertinentes

(*gg*) Epiphanius Hær. LXXIX. n. III. vocat ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον.

(*h*) Bellarm. de Cleric. lib. I. c. XI. Theologi ſolum conſiderant ordines, vt ſe habent ad ſacrificium, quomodo (vt diximus) Epiſcopus & Presbyter: Lector & Cantor non diſtinguuntur, Canoniſtæ autem conſiderant ordines, vt Hierarchiam conſtituunt, & *ideirco recte diſtinguunt Epiſcopum a Presbytero.* Petr. Caniſ. Catech. de Sacram. Ord. §. IV. Quamquam quod ad Ordinis ſacramentum, ac ſacrificandi auctoritatem attinet, diſcrimen inter Epiſcopos & ſacerdotes non ſit, tamen ſunt illi ſacerdotibus multo excellentiores, *ſi Eccleſiæ gubernandæ*, ſi paſcendarum animarum ius, tum baptizatos confirmandi & Clericos ordinandi poteſtatem conſideremus.

nentes ipſorumque ordini peculiares. CYPRIANVS [*i*] eiusmodi actus *ſacerdotii vigorem* dicere non dubitat, loquens de poteſtate ac iuriſdictione, quam habebat tanquam ſacerdos Dei, nimirum puniendi Presbyteros & Diaconos ſibi ſubordinatos; quos actus ille improprie ſacerdotii ſui vigorem dixiſſet, ſi eius iurisdictio & ſacerdotium duæ inter ſe diſtinctæ poteſtates in ipſo fuiſſent. Hæc eo ſemel valere poſſunt, vt lectorem contra ſubtilem *Romanenſium* diſtinctionem præmuniamus & cum de natura tum de diuerſis chriſtiani ſacerdotii gradibus ſuccincte erudiamus.

§. XVI.

Cur ſacerdotes dicantur Mediatores inter Deum & homines.

Datur aliud adhuc nomen, græcis ſcriptoribus maxime familiare, vbi de chriſtianis ſacerdotibus loquuntur, quod explanare vtile fuerit. Hoc ipſum nomen eſt Μεσῖται, *Mediatores inter Deum & homines*, titulus ab Auctore *Conſtitutionum* [*k*] nec non ORIGINE, CHRYSOSTOMO, BASILIO, ISIDORO PELVSIOTA aliisque compluribus, quorum teſtimonia à COTELERIO [*l*] collecta ſunt, iis adſignatus. Scriptores *Latini* rarius hoc vocabulo vtuntur: Præter HIERONYMVM enim, qui illud vſurparit, COTELERIVS inuenire potuit neminem. AVGVSTINVS adeo ab eius vſu abhorruit, vt tanquam intolerabile quid [*m*] in *Parmeniano Donatiſta* condemnauerit, quod Epiſcopum inter Deum & populum mediatorem eſſe dixerat. Et certo quodam ſenſu nefas omnino eſt dicere, quod ſit alius quiſpiam mediator præter vnum, Hominem videlicet Chriſtum Ieſum. Sed græci Patres ſano ſenſu eam vocem adhibuerunt, non pro veri nominis mediatore,

(*i*) Cyprian. Ep. XIV. edit. Pariſ. p. 27. (Epiſt. XX. edit. Amſtelod. p. 199.) Presbyteris & Diaconibus non defuit *ſacerdotii vigor*.

(*k*) Conſtitut. Apoſt. lib. II. c. XXV. Ὑμεῖς τοῖς ἐν ὑμῖν λαϊκοῖς ἐστε προφῆται, ἄρχοντες, καὶ ἡγούμενοι, καὶ βασιλεῖς, οἱ μεσῖται Θεοῦ καὶ πιστῶν αὐτοῦ. Vos (ſacerdotes) eſtis veſtris laicis prophetæ, principes, duces, reges, *mediatores Dei & fidelium eius.*

(*l*) Coteler. Not. ibid. p. 237. Ita ſæpe ſancti Patres &c.

(*m*) Auguſtin. contr. Parmen lib. II. c. VIII. Si Ioannes diceret - - Mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis veſtris (*ſicut Parmenianus quodam loco poſuit Epiſcopum mediatorem inter populum & Deum*) quis eum ferret bonorum atque fidelium Chriſtianorum?

diatore, ſeu *mediatore redemtionis*, qui ſua ipſius merita coram Deo in aliorum gratiam adleget, ſed tantum pro *mediatore miniſterialis deprecationis*, quo ſenſu quidam [n] ex Veteribus Moſen *mediatorem* a Paulo Gal. III, 19. appellatum eſſe, exiſtimant, quia internuntius erat, ad Dei mentem populo & populi deſiderium ac propoſitum Deo rurſus enarrandum conſtitutus. Et hoc quidem commodo ſenſu, apud omnes [o] in confeſſo eſt, ſacerdotes Chriſtianorum etiam *mediatores* dici poſſe, vtpote qui populi deuota deſideria ad Deum & Dei voluntatem ac beneficia ad populum deferre iuſſi ſunt.

§. XVII.

Antiquus modus & ratio ordinandi Presbyteros.

Hactenus de diuerſis Presbyterorum officiis ac appellationibus loquuti, de modo & ratione eos ordinandi, vbi poteſtate ſua indui atque diuerſas functiones ſuæ partis obeundi auctoritatem nanciſci ſolebant, ſtrictim agamus, neceſſe eſt. Notum eſt, antiquam ordinationis formam in ſola manuum impoſitione & precum huic conſecrationis actui accommodatarum recitatione conſtitiſſe. Ita præſcripta eſt in Canone [p] Concilii *Carthaginenſis* ſupra citato, & in Auctore ſub nomine

(n) Baſil. de Spir. S. c. XIV. Τὸν μεσίτην Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων δι' ἑαυτοῦ ποτε προανετύπου ἐν τῇ τοῦ νόμου διακονίᾳ· οὐ γὰρ τοῦ πνεύματος τύπος ἦν Μωσῆς, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν τῷ λαῷ μεσιτεύων· ἐδόθη γὰρ νόμος διαταγεὶς δι' ἀγγέλων ἐν χειρὶ μεσίτου (δηλαδὴ τοῦ Μωσέως) κατὰ τὴν πρόκλησιν τοῦ λαοῦ λέγοντος· λάλησον σύ, φησι, πρὸς ἡμᾶς, καὶ μὴ λαλείτω πρὸς ἡμᾶς ὁ Θεός· ὥστε ἡ εἰς αὐτὸν πίστις ἐπὶ τὸν Κύριον ἀναφέρεται, τὸν μεσίτην Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, τὸν εἰπόντα· εἰ ἐπιστεύετε Μωσεῖ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί. Tum enim is, qui *medius intercedit* inter Deum & homines, per Moſen præſignabatur in miniſterio legis. Neque enim Spiritus figura fuit Moſes, qui inter Deum & populum interceſſit. Data eſt enim lex diſpoſita per Angelos, in manu *mediatoris*, videlicet Moſis, iuxta adhortationem populi dicentis, Loquere tu nobis & non loquatur nobis Deus. Itaque fides, quæ erat in Moſen ad Dominum refertur, qui mediator eſt inter Deum & homines, qui dixit: Si crederetis Moſi, crederetis vtique & mihi.
Theodoret. Com. in Gal. III, 19 Ἐτέθη δὲ ἀγγέλων ὑπουργούντων καὶ τῇ τούτου θέσει Μωυσέως διακονοῦντος, αὐτὸν γὰρ μεσίτην ἐκάλεσε. Lata eſt autem (lex) adminiſtrantibus Angelis & ad eam ferendam Moſe deſeruiente. *Ipſum* enim *mediatorem appellauit.*

(o) Vide *Dr.* Potter, *Ch. Gov.* c. V. p. 251. Coteler. Not. in Conſtit. lib. II. c. XXV. Solus Chriſtus, aiunt Theologi, mediator eſt naturæ ac redemtionis, *Sacerdotes* autem *mediatores ſunt miniſterii & interceſſionis.*

(p) Concil. Carthag. IV. c. III. citat. ſupra §. X. pag 278.

DIONYSIVS [q] qui hoc modo eum repræſentat: Dicit ille, Sacerdotem vtroque poplite ante altare flexo in capite habere dextram Epiſcopi, & hoc modo ab illo Epiſcopo, qui eum conſecret, ſanctis inuocationibus conſecrari, & deinde ſignum crucis ei imprimi, & cunctos præſentes Eccleſiaſticos, vna cum Epiſcopo conſecrante, ipſum conſalutare. Auctor *Conſtitutionum* [r] ſimiliter de impoſitione manuum & precatione loquitur, nullius præterea rei faciens mentionem. Vnde non ſine ratione concludere potuerimus, quod verba, quæ Eccleſia *Romana* maxime neceſſariam & eſſentialem partem ordinationis ſacerdotis facit, nimirum: *Recipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo & celebrandi Miſſam tam pro viuis quam pro mortuis* in nulla antiqua Conſecrationis forma reperiantur. Non nemo ex ipſorummet ſcriptoribus, MORINVS, poſt diligentiſſime factam huius rei diſquiſitionem, ne vllam quidem formam per nongentos annos continuos inuenire potuit, in qua iſtorum verborum facta ſit mentio; & de aliis cærimoniis, quas antiquis quibusdam addiderunt, alii docti iſtius Eccleſiæ ſcriptores ingenue fatentur, quod nouæ ſint. HABERTVS [s] contra *Catum-*

(q) Dionyſ. de Eccleſ Hierarch. c. V. part II. p 364. Ὁ ἱερεὺς ἄμφω τὼ πόδε κλίνας ἔμπροσθεν τοῦ θείου θυσιαστηρίου, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν ἱεραρχικὴν δεξιὰν, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ πρὸς τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου ταῖς ἱεροποιοῖς ἐπικλήσεσιν ἁγιάζεται κ. τ. λ.

(r) Conſtit. Apoſt. lib VIII. c. XVI. Πρεσβύτερον χειροτονῶν ὦ ἐπίσκοπε, τὴν χεῖρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιτίθεις αὐτὸς, τοῦ πρεσβυτερίου παρεστῶτός σοι καὶ τῶν διακόνων, καὶ εὐχόμενος λέγε κ. τ. λ. Cum Presbyterum ordinas, o Epiſcope, *impone ipſe manum capiti presbyteri*, aſſiſtantibus tibi Presbyteris & Diaconis & faciendo precationem dic &c. Vide *Biſhop* Burnet *of Ordination* p. 24. vbi citat Morinum.

(s) Habert. Obſeruat. in Pontif. Græc. p. 356. Si nulla eſſet vnctionis ex oleo vel ex chriſmate mentio in Ordine Romano; nulla in Pontificali; nulla in eorum monumentis, qui ex profeſſo de ritibus Ordinationum ſcripſere: nulla præterea huiuſce cærimoniæ in vſu Eccleſiæ Romanæ tradux atque ſuperſtes conſuetudo: Illam dubio procul, in Ordinatione tam Pontificum quam Sacerdotum Latinorum vſurpatam, nemo niſi diuinatione quadam temeraria & cæca profiteri poſſet. Tale vero quidpiam occurrit circa Vnctionem in Eccleſia græca; libri ſiquidem omnes Rituales, Euchologia vulgo appellant, nullam commemorant, nedum vero præſcribunt, in vtraque Ordinatione Epiſcopi & Sacerdotis, vnctionem. Euchologia dico, vel antiquiſſima, & illa litteris priſcis ac vncialibus exarata. Quod ſi ad antiquiora prouocetur: In S. Dionyſii, Areopagita ne ſit, at profecto vetus eſt ſcriptor, Eccleſiaſtica Hierarchia, deſcribuntur ſatis accurate cærimoniæ trinæ illius Ordinationis Hierarchiæ, Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi ſeu Pontificis, vel vſque ad genuflexionis diſcrimen: de vnctione ne

ſpiritum

firium probat, quod vnctio materialis res noua, nec vmquam in antiqua ordinatione adhibita sit, quemadmodum nec in hunc vsque diem in Ecclesia *Græca* obtinet. Vt adeo GREGORIVS NAZIANZENVS [t] & alii, vbi de vnctione loquuntur, de spirituali vnctione Spiritus Sancti mystice loqui censendi sint. CABASSVTIVS [u] idem obseruat de more tradendi sacra vasa in manus eius, qui ordinatus fuerit, quod etiamsi non nulli pro eius vetustate acriter pugnent, reuera tamen posterioribus temporibus introductus sit: & MORINVM pro eadem sententia adlegat. Vt ita ostendendæ harum rerum nouitati diutius immorari non necesse habeam, vtpote quæ tam euidenter tum istorum doctorum virorum confessione tum omnium ritualium codicum silentio demonstrata est. Vnum autem est, quod lector cognoscere forsan aueat, nimirum qua verborum forma precatio, in consecratione adhiberi solita, concepta fuerit? Ad quod respondeo, quemadmodum supra de Episcopis dixi, non exstitisse tunc istiusmodi vniuersalem formulam, sed vnumquemque Episcopum, quum libertatem condendi sibi peculiarem liturgiam habuerit, tali formula vsum fuisse, quam suæ ipsiusmet Ecclesiæ accommodam iudicauerit, quandoquidem perinde erat, vt Vir quidam doctus [w] animaduertit, quam quis formam adhiberet, dummodo substantia benedictionis ipsa conseruaretur. Vnica formula, quæ adhuc superest, in *Constitutionibus* exstat, cuius verba, quia lector substantiam benedictionis inde perspicere potest, huc transcribam, quæ ita habent [x]: *Ipse nunc*,

Syllaba quidem: sicut neque apud S. Maximum antiquum illius Scholiasten, qui verba formæ, quæ deerant, suppleuit, neque apud Pachymeræ paraphrasim quidquam simile reperitur &c. per tot. num. II.

(t) Nazian. Orat. V. p. 136. διὰ τοῦτο χρίεις τὸν ἀρχιερέα, idcirco me Pontificem *vngis*.

(u) Cabassut. Notit. Concil. c. XLIIII. † (NB. Edit. III. Lugdun. MDCCII. quæ ad manus est, non habet capita, erroneam puto esse allegationem.) fr. Vol. 2. pag. 446.

(w) *Bishop* Burnet *Vindication of the Ordination* &c. p. 15.

(x) Constit. Apost. lib. VIII. c. XVI. Αὐτὸς δὲ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τοῦτον τὸν ψήφῳ καὶ κρίσει τοῦ κλήρου παντὸς εἰς πρεσβυτέριον ἐπιδοθέντα, καὶ ἔμπλησον αὐτὸν πνεῦμα χάριτος καὶ συμβουλίας τοῦ ἀντιλαμβάνεσθαι καὶ κυβερνᾷν τὸν λαόν σου ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ὃν τρόπον ἐπεῖδες ἐπὶ λαὸν ἐκλογῆς σου καὶ προσέταξας Μωσεῖ αἱρεῖσθαι πρεσβυτέρους, οὓς ἐνέπλησας πνεύματος· καὶ νῦν κύριε παράσχου ἀνελλιπῶς τηρῶν ἐν ἡμῖν τὸ πνεῦμα τῆς χάριτός σου· ὅπως πλησθεὶς ἐνεργημάτων ἰατικῶν καὶ λόγου δι-

Domine, respice hunc famulum tuum suffragio & iudicio totius Cleri Ordini Presbyterorum adscriptum, impleque eum spiritu gratiæ & consilii ad opitulandum populo tuo, ad eumque corde mundo gubernandum: sicut respexisti populum tuum electum, & sicut Moysem seniores eligere iussisti, quos Spiritu impleuisti. Et nunc, Domine, præsta seruans in nobis Spiritum gratiæ tuæ non deficientem, vt plenus operationibus ad sanandum aptis, & sermone ad docendum idoneo, populum tuum mansuete erudiat & seruiat tibi sincere, cum mente pura & anima volente; ac pro populo tuo sacra rite sine vitio operetur per Christum tuum, cum quo tibi gloria, honor, cultus & Sancto Spiritui in sæcula Amen. Circa quæ obseruare licet, tunc quidem temporis non creditum fuisse necessarium, vt omnia aut certa quædam officia speciatim exprimerentur, sed sacerdoti consecrato gratiam, qua ad officia rite facienda idoneus redderetur, a Deo generatim exorari consueuisse. Et hoc ipsum vna cum solemni manuum impositione ad Consecrationis formam sufficere credebatur. Quod ego hoc loco in eorum institutionem moneo, qui hodiernas ordinandi formulas primitiuis illis in omnibus circumstantiis conuenire existimant; cum tamen, si MORINVS vera dicat, verba ista, quæ nunc quidem maxime in vsu sunt, nimirum, *Accipe Spiritum Sanctum*, haud quadringentis amplius annis in libro rituali Pontificio *Romano* locum habuerint. Quod cum obseruatione Viri cuiusdam docti [y] bene congruit, dicentis, quod Ecclesia catholica numquam vniformes ordinationis ritus sanciuerit, sed hoc particularium Ecclesiarum libertati semper relictum sit; adeoque Ecclesia *Anglicana* faciendi aut mutandi ordinationis formulas potestatem habeat tantam, quantam vlla vmquam habuerit.

§. XVIII.

De Archipresbyteris.

Finem huic capiti de Presbyteris imponerem, nisi de *Archipresbyteris* & *Senioribus Ecclesiæ*, quorum in scriptoribus antiquis hic illic fit mentio, non nulla addi oportere crederem.

διακηκοῦ ἐν πραότητι παιδεύῃ σου τὸν λαόν· καὶ δουλεύῃ σοι εἰλικρινῶς ἐν καθαρᾷ διανοίᾳ καὶ ψυχῇ θελούσῃ· καὶ τὰς ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἱερουργίας ἀμώμους ἐκτελῇ διὰ τοῦ χριστοῦ σου· μεθ᾽ οὗ σοι δόξα, τιμὴ καὶ σέβας καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν.

(y) *Bishop* Burnet *Vindication of the Ordination* p. 35.

HIERO-

Hieronymvs de Archipresbyteris loquens [z] vnum tantum in ſingulis Eccleſiis fuiſſe, ſtatuere videtur; & forte is ipſe primus eſt, qui eorum fecit mentionem. Poſt ipſum socrates [a] de *Petro* Presbytero *Alexandrino* loquitur, quem sozomenvs [b] Archipresbyterum appellat. Et liberatvs [c] cuiusdam *Proterii* eiusdem Eccleſiæ Archipresbyteri meminit. Ex quo etiam diſcere quodam modo poſſumus, quænam Archipresbyteri functio & quo loco ipſe habitus fuerit. Non erat ſemper ſenior Eccleſiæ Presbyter, quemadmodum nonnulli opinantur; ſed ex Presbyterorum collegio ad arbitrium Epiſcopi electus. Nam liberatvs diſertis verbis dicit, quod *Dioſcorus* Epiſcopus *Proterium* Archipresbyterum Eccleſiæ conſtituerit: quod indicat, non ob ætatis prærogatiuam, ſed ex Epiſcopi voluntate eum hoc officium obtinuiſſe. Et quod ad officium eius attinet, manifeſtum ex liberato eſt, in eo id ipſum conſtitiſſe, vt proxime poſt Epiſcopum Eccleſiæ præeſſet, tamquam collegii Presbyterialis caput, & eorum omnium, qui ad Eccleſiam pertinerent, abſente Epiſcopo curam gereret; quemadmodum *Proterius Dioſcoro* in Concilio *Chalcedonenſi* commorante, illud feciſſe dicitur. Et propterea quidam [d] non ſine ratione exiſtimant, hos *Archipresbyteros* eiusdem fere cum *Anglicanis* noſtris eccleſiarum cathedralium Decanis eſſe indolis, quemadmodum Presbyterorum Collegium Capitulum conſtituat. Sed toto cælo errant, qui [e] hos *Archipresbyteros* cum *Presbyteris Car-*

(z) Hieron. Ep. IV. ad Ruſtic. Singuli eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi.

(a) Socrat. lib VI. c. IX. Πέτρος τις πρωτοπρεσβύτερος ἦν τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐκκλησίας. Petrus quidam fuit Alexandrinæ Eccleſiæ *Protopresbyter*, ſeu Archipresbyter.

(b) Sozom. lib. VIII. c. XII. Ἐπητιᾶτο Θεόφιλος τὸν τότε ἀρχιπρεσβύτερον - - ὁ δὲ Πέτρος, τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα αὐτῷ κ. τ. λ. Obiurgauit Theophilus eum, qui tunc erat Archipresbyter - - At Petrus, id enim nomen erat Archipresbytero &c.

(c) Liberat. Breuiar. c. XIV. (Tom. V. Conc. p 763) Cum ſuper hoc multa dubitatio proceſſi ſſet, volentibus ciuibus neminem penitus ordinare, ne adulteri viderentur (Dioſcoro quippe viuente) nouiſſime in Proterium vniuerſorum ſententia declinauit, vtique cui & Dioſcorus commendauit Eccleſiam, *qui & eum Archipresbyterum fecerat*. In edit. Crab. male legitur *Archiepiſcopum*.

(d) Stillingfl. Irenic. Part II. c. VII. p. 358.

(e) Onuphr. Interpr. Vocum Eccleſ.
Salmaſ. de Primat. c 4. p. 10. Non ſolum Romæ, ſed etiam in aliis olim vrbibus *Cardinales Diaconi*, & *Presbyteri Cardinales* appellati, qui primi in ſuo ordine eſſent.

dinalibus confundunt. Istud enim nomen recentioris ætatis est, nec in vllo genuino scriptore ante GREGORII MAGNI tempora obvium. Nam Concilium *Romanum*, cuius solius auctoritatem ad probandam multo maiorem huius nominis vetustatem adlegat BELLARMINVS [*f*], merum figmentum est. Accedit, quod in eadem ecclesia vel ciuitate multi fuerint Cardinales Presbyteri, at vnus tantum Archipresbyter. Ita vt quæcunque demum prima Cardinalium Presbyterorum origo fuerit; (siue ita vocati sint, quod in quibusdam Ecclesiis principalibus, in quibus baptismus administrari poterat, & quas propterea *Ecclesias vel titulos Cardinales* nominarunt, vt BELLARMINVS existimat, constituti fuerint; siue quod, vt alii [*g*] opinantur, vbi numerus Presbyterorum in amplis & populosis vrbibus tantopere auctus erat, vt Episcopo ad gubernandam Ecclesiam se se commode iungere non possent, quidam ex reliquis tanquam præcipui electi fuerint, vt Episcopis instar Concilii essent, vnde *Cardinales Presbyteri* dicti; quæ disputatio est, in quam vlterius haud descendo, vel quidquam in ea definio): quæcunque, inquam, eorum origo vel nominis ratio fuerit, eos tamen non vnum idemque cum primitiuæ Ecclesiæ Archipresbyteris fuisse, certum est.

§. XIX.

De Senioribus Ecclesiasticis. Quod hi ipsi non Seniores ex plebe fuerint, eo sensu, quo hodie ista appellatio accipitur.

Quod ad *Seniores Ecclesiæ* attinet, erant genus quoddam Seniorum, qui quidem non de Clero erant, ad quos tamen Ecclesiæ etiam cura quodammodo spectabat. Nomen illud apud OPTATVM & AVGVSTINVM frequenter occurrit, a quibus officii istorum naturam facile possumus condiscere. OPTATVS dicit [*h*], *Mensurium* Episcopum *Carthaginensem*, vbi ecclesiam suam tempore persecutionis *Diocletianeæ* relinquere coactus fuerit, Ecclesiæ

(*f*) Bellarm. de Cleric. lib. I. c. XVI. Caluinus ante Gregorii tempora dicit se non legisse nomen Cardinalium: At in Concilio Romano sub Syluestro can. VI. legimus septem fuisse Diaconos cardinales in Romana Ecclesia, præcessit autem Syluester Gregorium annis fere trecentis, neque tamen tunc primum cœpit hoc nomen &c.

(*g*) Stillingfl. ibid.

(*h*) Optat. lib. I. p. 41. (p. 19. edit. Par.)

clesiæ ornamenta & vasa *fidelibus Senioribus* commendasse. Ad quod ALBASPINAEVS [*i*] adnotat, quod præter Ecclesiasticos & Clericos quidam ex *plebe seniores & probatæ vitæ* res Ecclesiæ *curauerint.* Ad calcem Operum OPTATI liber habetur, qui inscribitur *Purgatio Felicis & Cæciliani,* in quo diuersæ exstant epistolæ de eodem nomine mentionem facientes, vt *Fortis* [*k*] cuiusdam & *Purpurii* & alius Auctoris anonymi. AVGVSTINVS epistolam quamdam [*l*] Ecclesiæ suæ *Hipponensi* hoc modo inscripsit: *Clero, Senioribus, & vniuersæ Plebi*: & multis aliis in locis [*m*] horum *Seniorum* in aliis etiam Ecclesiis mentionem facit.

Vnde non nulli [*n*] concludunt, fuisse hos Seniores regentes eo quidem sensu, quo hodie vocabulum istud acceptatur. Cum tamen, quemadmodum ingeniosus Auctor [*o*] *Submissæ Remonstrationis* in huius *Remonstrationis suæ Defensione* recte obseruat, isti primitiuæ Ecclesiæ Seniores prorsus alius generis fuerint. Eorum aliqui erant Optimates, Viri præcipui seu Magistratus loci, tales quos in *Anglia* ab antiqua illa Seniorum appellatione vocamus *Aldermen.* Tales erant, quos Concilium *Cabarsissitanum Donatistarum* AVGVSTINO memoratum [*p*]

(*i*) Albaspin. Not. in Optat. p. 123. Præter Ecclesiasticos & Clericos quidam ex *Plebe seniores* & probatæ vitæ res Ecclesiæ curabant.

(*k*) Gesta Purgat. Cæcil. & Fel. p. 268. ex Epist. Fortis: Omnes vos Episcopi, Presbyteri, Diacones, *Seniores*, scitis &c. Ibid. ex Ep. Purpurii: Adhibete Conclericos & *seniores plebis* Ecclesiasticos viros, & inquirant diligenter, quæ sint istæ dissensiones. Ibid. Clericis & *senioribus* Cirthensium in Domino æternam salutem.

(*l*) Augustin. Ep. CXXXVII. Dilectissimis fratribus, Clero, *senioribus* & vniuersæ plebi ecclesiæ Hipponensis, cui seruio in dilectione Christi, Augustinus in Domino salutem.

(*m*) Id. contr. Crescon. lib. III. c. XXIX. (Tom. VII. p. 177. edit. Froben.) Siluanus a Girtha traditor est & fur rerum pauperum, quod omnes vos Episcopi Presbyteri & Diacones & *Seniores* scitis. Cap. LVI. Peregrinus Presbyter & *Seniores* ecclesiæ Musticanæ regionis tale desiderium prosequuntur.

(*n*) Smectymn *Answer to the Remonstrance* p 74.

(*o*) Hamon l'Estrange *Defence of the Remonstrance* p. 74.

(*p*) Aug. Conc. II. in Psalm. XXXVI. p. 120 (p. 101. Tom. VIII. edit. Froben) Cum incestos contra legem decretaque omnium sacerdotum communioni sanctæ adiungeret, cumque obsistente maxima parte plebis, etiam *seniorum nobilissimorum* litteris conueniretur, vt per se corrigeret, quod admiserat, sua temeritate possessus emendare contemsit.

Senio-

Seniores Nobilissimos, & vnum ex Conciliis [q] *Carthaginensibus* adhuc significantius *Magistratus vel Seniores locorum* appellat; quos Episcopi sibi adiungere debebant, quum Donatistas convenirent. Ita HAMMONDVS [r] ex HENRICO SPELMANNO aliisque scriptoribus nostris *Saxonibus* obseruat, Reges *Saxonum* in *Anglia* antiquitus eumdem *Aldermannorum*, *Presbyterorum* & *Seniorum* titulum gessisse. Quemadmodum in versione Bibliorum *Saxonica* vocabulum *Principes* communiter *Aldermen* reddiderunt. Et huius generis quidam ex *Senioribus Ecclesiæ*, quorum iam facta est mentio, fuerunt, quorum consilio auxilioque Episcopi in multis rebus Ecclesiæ, momentum aliquod habentibus, sine dubio vsi sunt. Cæteri magis proprie sic dicti *Seniores Ecclesiastici* ii fuerunt, quibus vasa, thesauros & externa Ecclesiæ negotia crediderunt, & cum nostris *Church-Wardens*, *Vestrymen*, *Stewards*, hoc est Aedituis, præcipuis conuentus in sacrario membris & redituum Ecclesiæ curatoribus, comparari possunt, qui aliquam rerum Ecclesiæ curam gerebant, in gubernatione Ecclesiæ vel disciplinæ eius exercitio veluti Seniores regentes haud occupati. *Seniores ex Plebe* Diaconis superiores; *Seniores* autem *Ecclesiæ* ipsis inferiores erant: id quod porro euincit, quod non eo sensu Seniores ex Plebe fuerint, quo hodie esse intelliguntur. Sed satis de hisce. Ad tertii ordinis Clericorum in Ecclesia, qui Diaconorum est, considerationem nunc progredimur.

LIBRI SECVNDI
CAPVT VICESIMVM
DE DIACONIS.

§. I.

Diaconi semper pro vno ex tribus sacris ordinibus Ecclesiæ habiti.

NOmen Διάκονος in Nouo Testamento quandoque pro eo vsurpatur, qui cultui Dei ministrat: Quo latiore sensu

(q) Conc. Carth. A. CCCCIII. in Conc. African. c. LVIII. & in Cod. Can. Eccl. African c. XCI. Debere vnumquemque nostrum in ciuitate sua per se conuenire Donatistarum Præpositos, aut adiungere sibi vicinum Collegam, vt pariter eos in singulis quibusque ciuitatibus vel locis per magistratus vel seniores locorum conueniant.

(r) Hammond. Differt. IV. contr. Blondel. c. XIX. n. I.

non

nonnunqam Episcopos & Presbyteros, non in Nouo [*a*] tantum Testamento, verum in Scriptorum etiam ecclesiasticorum [*b*] monumentis Diaconos vocari deprehendimus. Heic autem strictiore sensu pro tertio Clericorum in primitiua Ecclesia ordine accipimus. Qua de re cum agere instituimus, primo loco ostendendum est, quid de eorum origine veteres senserint. Concilium in *Trullo* singularem hac de re fouet sententiam, quando per septem Diaconos, de quibus in *Apostolorum Actis* sermo fit, non eiusmodi intelligendos esse adserit, qui [*c*] divino cultui aut sacris mysteriis, sed qui mensis ministrent & curam habeant pauperum. Enim vero hoc ab vniuersali omnis antiquitatis relatione alienum est. IGNATIVS [*d*] expressis verbis eos mysteriorum Iesu Christi ministros appellat, additque non ciborum & potuum ministros, sed Ecclesiæ Dei ministros esse. Alio loco [*e*] de ipsis loquitur tamquam ministris Iesu Christi, eosque cum Episcopis & Presbyteris populo dicit præsidere: *Moneo*, inquit, *vt vnanimes in Deo omnia facere studeatis; præsidente Episcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco consistorii Apostolorum, & Diaconis dulcissimis mihi, quibus creditum est ministerium Christi Iesu.* Et multis in locis aliis [*f*] popu-

(*a*) Act. I, 25. 2 Cor. VI, 4. 2 Tim. IV, 5. 1 Cor. III, 5. Ephes. III, 7.

(*b*) Athanas. contr. Gent. † (NB. vaga, & sine dubio erronea citatio, semel atque iterum longam istam orationem integram perlegi, nec quidquam huc spectans inuenire potui.)

Chrysostom. Hom. I. in Philipp. c. I. (p. 7. edit. Francof.) Τότε τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι, καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. Tunc nomina adhuc erant communia, atque *ipse* etiam *Episcopus vocabatur Diaconus.*

(*c*) Conc. Trull. c. XVI. Ἡμεῖς τῷ ἀποστολικῷ ῥητῷ τὸν νοῦν ἐφαρμόσαντες τῶν πατέρων, εὑρομεν, ὡς ὁ λόγος αὐτοῖς οὐ περὶ τῶν τοῖς μυστηρίοις διακονουμένων ἦν ἀνδρῶν, ἀλλὰ περὶ τῆς ἐν ταῖς χρείαις τῶν τραπεζῶν ὑπουργίας. Nos quum dicto Apostolico Patrum mentem adaptassemus, inuenimus eos esse locutos non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in vsum mensarum adhibebatur.

(*d*) Ignat. ad Trall. n. II. Δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτῶν εἰσὶν διάκονοι, ἀλλ᾽ ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται.

(*e*) Ignat. Ep. ad Magnes. n. VI. Παραινῶ ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράττειν, προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ.

(*f*) Ignat. ad Polyc. n. VI. Ἀντίψυχον ἐγὼ τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις, διακόνοις. Trall. n. III. Ὁμοίως πάντες ἐντρεπέσθωσαν τοὺς διακόνους ὡς Ἰησοῦν Χριστόν.

lum adhortatur, vt iis ſubditi ſint, & eos reuereantur, vt Ieſum Chriſtum, hoc eſt, vt miniſtros cultui eius intentos. CYPRIANVS [g] eodem modo de ipſis loquitur, vocans eos *Epiſcopatus* & *Eccleſiæ miniſtros*, eorumque originem referens ad iſtum locum in *Actis Apoſtolorum*, de quo Concilium *Trullanum* diſputat, eo ipſo tempore, quo eos ad altaris miniſterium vocatos eſſe [h], adſerit. TERTVLLIANVS [i] tantum abeſt, vt eos ciborum & potuum miniſtros duntaxat eſſe, exiſtimet, vt potius eosdem ipſis cum Epiſcopis ac Presbyteris honorificos titulos adſignet, eosque Laicorum duces & ſuo etiam modo paſtores ac inſpectores gregis Chriſti eſſe pronuntiet. Ita etiam HIERONYMVS, etſi interdum ex moroſiore animi adfectu contemtim de iis loquitur [k], *menſarum* & *viduarum miniſtros* eos nuncupando; aliis tamen in locis [l] reuerentius eos tractat, eumdem eis tribuens honorificum titulum, quem TERTVLLIANVS tribuit, & ducibus populi eos adnumerans. Superiore capite §. XIV. oſtendimus, OPTATVM [m] tantam de eis habuiſſe opinionem, vt officium eorum ſacerdotio proximum iudicauerit. Et AVGVSTINVS in eadem fuiſſe ſententia videtur: in epiſtola enim quadam ſua [n] *Præſidium* Conſacerdotem vocat, quem tamen HIERONYMVS proxime ſequenti epiſtola [o] Diaconum appellat.

(g) Cypr. Ep. LXV. al. III. *Diaconos* poſt adſcenſionem Domini in cælos Apoſtoli ſibi conſtituerunt *epiſcopatus ſui* & *eccleſiæ miniſtros*.

(h) Cyprian. Ep. LXVIII. al. LXVII. ad Pleb. Legion. & Aſtur. p. 172. (p. 114. edit. Pariſ. MDCLXVI.) Ne quis *ad altaris miniſterium* vel ad ſacerdotalem locum indignus obreperet.

(i) Tertull. de Fuga c. XI. Quum ipſi auctores, id eſt, ipſi Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit?

(k) Hieron. Ep. LXXXV. ad Euagr. (Tom. II. p. 220.) Quid patitur *menſarum* & *viduarum miniſter*, vt ſupra eos ſe tumidus efferat, ad quorum preces Chriſti corpus ſanguisque conficitur.
Id. Comment. Ezech. XLVIII.

(l) Id. Comment. in Mich. VII. Nolite credere in *ducibus*, non in Epiſcopo, non in Presbytero, non in *Diacono*.

(m) Optat. lib. I. vid. ſupr. Cap. XIX. §. XIV. not. (e) pag. 285.

(n) Auguſt. Ep. XVI. Domino beatiſſimo & merito venerando fratri & *conſacerdoti Præſidio*, Auguſtinus in Domino ſalutem.

(o) Hieron. Ep. XVII. inter Epiſt. Auguſtin. Nunc quoque per ſanctum fratrem meum *Præſidium diaconum* obſecro primum, vt memineris mei.

§. II.

§. II.

Non tamen vniuerſaliter vocati Sacerdotes, ſed Miniſtri & Leuitæ.

Verum tamen ne hic lectoribus meis imponere videar, animaduertendum mihi eſt, quod nomen Sacerdotum non generatim Diaconis datum ab iis ſit, qui pro ſacro eos ordine habuerunt; ſed quod plerumque a Sacerdotibus nomine Miniſtrorum ac Leuitarum diſtincti fuerint. Ita HIERONYMVS [p] a Sacerdotibus ſecundi ordinis, hoc eſt Presbyteris, Leuitarum appellatione eos diſtinguit. Auctor *Quaeſtionum* [q] *in Vetus & Nouum Teſtamentum* ſub nomine AVGVSTINI, & HILARIVS SARDVS [r] ſub nomine AMBROSII Sacerdotes vmquam eos dictos eſſe, exſerte negant. Et SALVIANVS [ſ] quamuis diuinarum rerum adminiſtratione eos fungi agnoſceret, eodem tamen nomine Levitas eos appellat, idque ideo, vt a Sacerdotibus diſtinguat. Atque ita in conciliis [t] nomina *Sacerdos* & *Leuita* frequenter vſurpantur, tanquam tituli, Presbyteros ac Diaconos a ſe invicem peculiariter diſtinguentes. Concilium *Carthaginenſe* quartum [u] magis perſpicue hac de re loquitur, *Diaconus*, inquiens, *non ad Sacerdotium, ſed ad Miniſterium conſecratur.* Et hinc Canones eos quandoque Ὑπηρέτας & *Miniſtros*, non Eccleſiæ tantum ſed & Epiſcoporum ac Presbyterorum nuncupant, quemadmodum e Concilio *Nicæno* [w], & *Cartha-*

(p) Hieron Ep. XXVII. Epiſcopi, & Sacerdotis inferioris gradus ac *Leuitarum* innumerabilis multitudo.

(q) Aug. Quæſt Vet. & Nou. Teſtam. Tom. IV. Q. XLVI. Numquid Diaconus poteſt vicem gerere *ſacerdotis?* - - Sacerdotis vicem agere non poteſt, *qui non eſt ſacerdos.*

(r) Hilar. Com. in Eph. IV. *Euangeliſtæ Diaconi ſunt*, ſicut fuit Philippus, quamvis *non ſint ſacerdotes.*

(ſ) Saluian. ad Eccleſ. Cathol. lib. II. p. 394. (p. 70. Edit. Rittershuſ. MDCXXIII.) Et poſt hæc parum eſt ſucceſſionibus eorum (Apoſtolorum) id eſt *Leuitis* ac ſacerdotibus facta diuinarum rerum adminiſtratione fungentibus, ſi ipſi tantum diuites fuerint.

(t) Concil. Turon. I. Can. I. (Tom. IV. p. 1050.) *Sacerdotes ac Leuitæ* diuino mancipati altario.

(u) Concil. Carth. IV. c. IV.

(w) Concil. Nicæn. c. XVIII. Ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσὶ, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι. Diaconi intra ſuas menſuras permaneant: ſcientes quod ſunt quidem *epiſcopi miniſtri*, presbyteris vero minores.

ginensi IV. [x] multisque aliis videre est. Vnde Viri quidam docti [y] contra OPTATVM & AVGVSTINVM concludunt, quod Diaconis numquam licuerit esse sacerdotibus: dum alii [z] cum OPTATO inter diuersos Sacerdotii gradus distinguunt existimantes, quod licet Diaconi non absolute dicantur sacerdotes, quia hic proprius Episcoporum & Presbyterorum, quibus ministrare eos oportebat, titulus fuerit; Diaconi tamen interdum eiusmodi officiis functi sint, quae ad inferioris gradus sacerdotium ius iis ipsis conciliarint.

Re ita ab vtraque parte dextre ob oculos repraesentata, intelligentibus lectoribus ipsis diiudicandum relinquo, vtra opinio validissimis rationibus gaudere eis videatur: ego interim de Diaconorum ordinatione & diuersis officiis, nec non de legibus ac regulis, ad eorum ordinem attinentibus, non nihil dicere adgredior.

§. III.

Ob hanc caussam Episcopus ad eorum ordinationem vllum de Presbyteris sibi adsciscere haud tenebatur.

Diaconi cuiusdam ordinatio a Presbyteri ordinatione,

(x) Concil. Carth. IV. c. XXXVII. Diaconus ita se Presbyteri, vt Episcopi, ministrum esse cognoscat.
Vid. Concil. Illiberrit. in titulo can. XVIII. (Tom. I. Conc. p. 968.) De sacerdotibus & *ministris*, si moechauerunt. ibid. Can. XXXIII. De episcopis & *ministris*, vt ab vxoribus se abstineant.
Con. Turon. I. c. I. *Sacerdotes* vel *Ministri* Ecclesiae.

(y) Felli Not. in Cypr. Ep. XVIII. Caute heic legendus est Rigaltius, dum ait, *esse in Diaconatu sacerdotium*. Quarcumque necessitas cogit, etiam illa defendit, sed tantisper dum incubuerit. Nota est historia ap. Euseb. lib. VI. c. XLIV. Eucharistiae per puerum Serapioni transmissae: nemo tamen dixerit, fas esse pueris sacra illa mysteria distribuere &c.
Habert. Not. in Pontific. p. 125. Duplex est in Ecclesia munus a Christo catholico Sacerdote, vt vocat Tertullianus, institutum, τὸ ἱερατεύειν, *res sacras operari*, καὶ τὸ ἄρχειν, & *gubernare* seu *regere*: vt optime distinguunt sancti Patres: hoc ad *Episcopos & ad Sacerdotes* sub Episcopis constitutos: illud ad sacerdotes spectat; nec ad Episcopos nisi quatenus Sacerdotes, quum Episcopus esse non possit, quin primo Sacerdos: *Diaconus* vero, aut hypodiaconus, aut lector, aut laicus, *offerre sacrificium non potest*.

(z) Rigalt. Not. in Cypr. Ep. XII. Est aliud in Diaconatu sacerdotium. Sic Epist. XIV. p. 27. *Item Presbyteris & Diaconibus non defuit sacerdotii vigor*. At diaconos poenitentibus manum imponere, sola necessitatis ratio admittit, nempe si vrgeat exitus, & Presbyter repertus non fuerit.
Dr. Hicks Disc. of Priesthood, p. 335.

tum

tum ratione modi, quo perficiebatur, tum ratione beneficiorum ac potestatis, quæ per eam eis conferebantur, diuersa erat. In ordinatione enim Presbyteri, vt supra ostensum est, reliqui Presbyteri, qui præsentes erant, vna cum Episcopo manus suas ei imponere debebant: Ordinatio autem Diaconi a solo Episcopo peragi poterat, *quia*, vt Concilium *Carthaginense* [a] id exprimit, *non ad Sacerdotium, sed ad Ministerium consecrabatur.* Hæc munia in formula Ordinationis, quæ adhuc in *Constitutionibus* superest, particulatim haud memorantur, sed Episcopus heic in genere precatur, vt [b] „Deus velit ostendere faciem suam super hunc seruum suum electum ad Ministerium, & implere eum Spiritu Sancto & virtute, sicut impleuerit *Stephanum* Protomartyrem; & concedere ei, vt ministerio sibi commisso ad voluntatem ipsius Domini constanter extra querelam & crimen ministrato, maiore deinceps gradu dignus habeatur, &c. Quænam igitur peculiaria Diaconorum fuerint officia, non ex formulis Ecclesiasticis, sed ex aliis Scriptoribus, oportet condisci.

§. IV.

Diaconorum officium erat; Primo: vasorum Altaris curam gerere.

Heic primo loco deprehendimus maxime ordinarium & communissimum Diaconorum officium fuisse, Episcopo & Presbyteris in officio altaris subseruire atque ministrare. Sanctæ mensæ & omnium ornamentorum ac vasorum ad eam pertinentium curam habere eos oportebat. Auctor sub nomine AVGVSTINI [c] huius rei mentionem facit tanquam communis

(a) Conc. Carth. IV. c. IV. Diaconus quum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad sacerdotium sed ad ministerium consecratur.

(b) Constit. Apost. lib. VIII. c. XIIX. *Κύριε, ἐπίφανον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τοῦτον τὸν προχειριζόμενόν σοι εἰς διακονίαν, καὶ πλῆσον αὐτὸν πνεύματος ἁγίου καὶ δυνάμεως· ὡς ἔπλησας Στέφανον τὸν μάρτυρα καὶ μιμητὴν τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ σου· καὶ καταξίωσον αὐτὸν εὐαρέστως λειτουργήσαντα τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ διακονίαν ἀτρέπτως, ἀμέμπτως, ἀνεγκλήτως, μείζονος ἀξιωθῆναι βαθμοῦ κ. τ. λ.*

(c) Aug. Quæst. Vet. & N. Testam. Tom. IV. c. VI. Vt autem non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit Clericorum. Nam vtique & altare portarent & vasa eius & aquam in manus funderent sacerdoti, sicut videmus per omnes ecclesias.

Diaconorum officii per omnes Ecclesias, exceptis maioribus Ecclesiis, cuiusmodi *Romana* fuit, vbi quum multitudo inferiorum Clericorum esset, ad eorum quosdam hoc officium deuoluebatur: In aliis autem Ecclesiis hoc Diaconorum erat officium, vbi inferior, Clerus Hypodiaconi &c. secretarium intrare, aut tempore diuini cultus vllum vas sacrum contingere legibus prohibebantur, vt ex diuersis antiquorum Conciliorum Canonibus [d] videre licet.

§. V.

Secundo: *Recipere dona populi eaque offerre Sacerdoti, ac nomina offerentium recitare.*

Alia officii Diaconorum pars erat accipere oblationes seu dona populi eaque sacerdoti offerre, qui Deo super altari ea offerebat: quo facto Diaconus offerentium nomina publice recitabat; & hæc recitatio communiter dicebatur *offerre nomina*, quemadmodum ex CYPRIANO liquet, qui [e] hac de re tamquam parte sacræ communicationis sui temporis loquitur; quod etiam a RIGALTIO [f] aliisque adnotatum est: qua de consuetu-

(d) Conc. Agathens. c. LXVI. Non oportet in sacratos ministros licentiam habere, in Secretarium (quod Græci Diaconicon appellant) ingredi & contingere vasa Dominica.

Conc. Laodic. c. XXI. (Tom. I. Conc. p. 1499.) Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ, καὶ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν. Quod non oportet *ministros* locum habere in diaconico & dominica vasa contingere.

Not. Balsam. in h. l. Ὑπηρέται λέγονται οἱ ὑποδιάκονοι. Ministri dicuntur Subdiaconi. Zonar. Ὑπηρέτας τοὺς ὑποδιακόνους λέγει, οὓς οὐ χρὴ, φησὶν ὁ κανὼν, χώραν ἔχειν ἐν τῷ διακονικῷ κ. τ. λ. Ministros heic Hypodiaconos nominat, quos quidem Canon in Diaconico locum habere negat oportere.

(e) Cypr. Ep. IX. al. XVI. p. 37. (p. 21. edit. Par.) ad communicationem admittuntur & *offertur nomen eorum*, nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo & Clero imposita Eucharistia illis datur.

(f) Rigalt. Not. in Cypr. Ep. LX. *Subditi nomina singulorum*) Non frustra, nec superuacue. Nam in sacrificiis orationum *offerebantur nomina* eorum, qui ad hoc opus tam necessarium promte ac libenter operati erant.

Bona Rer. Liturgic. lib. II. c. VIII. n. VII. p. m. 393. Inquirendum, quid sit huiusmodi nominum oblatio seu recitatio. Quidam putant, hoc nihil aliud fuisse, quam pro illis orare, illorumque meminisse in orationibus seu publicis seu priuatis. Vere tamen alicuius nomen offerre idem erat, ac ipsum in sancto sacrificio recitare & enuntiare; qui ritus manifeste colligitur ex epistola decima, (nona) Cypriani aduersus Presbyteros, qua lapsos nondum peracta pœnitentia ad consortium fidelium & ad oblationem ac perceptionem Eucharistiæ admitte-

dine

dine deinceps pluribus acturi sumus, vbi de antiquo Ecclesiæ cultu verba facere instituemus. In præsenti obseruamus tantum, quod hæc recitatio nominum eorum, qui dona sua offerebant, officii Diaconorum pars fuerit, vti ex HIERONYMO [g] manifestum est, qui, *Multos*, inquit, *conspicimus, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, vt de multis parua pauperibus tribuant, & in suis sceleribus glorientur, publiceque Diaconus in Ecclesia recitet offerentium Nomina: Tantum offert ille, tantum ille pollicitus est, placentque sibi ad plausum populi torquente conscientia.* Sunt quidam, qui eiusmodi consuetudinem in Ecclesia, qualis hæc publica ac specialis nominum eorum, qui in Ecclesia offerebant, recitatio erat, obtinuisse, adeoque hanc officii Diaconorum partem fuisse, negant: at vero HIERONYMI testimonium satis firmo documento esse, existimo, quippe quod aliter exponi non potest, vt sensus inde tolerabilis resultet. Quam ob caussam hoc ipsum partem officii Diaconorum fuisse dixi, etiamsi id quorumdam doctorum Virorum sententiæ aduersari non ignorem.

§. VI.

Tertio: *Euangelium in quibusdam Ecclesiis legere.*

In quibusdam, at non in omnibus Ecclesiis Diaconi tum in Eucharistiæ sumtione tum ante eam, Euangelium lectitabant. Auctor *Constitutionum Apostolicarum* omnes Scripturæ partes alias lectoribus adsignat, Euangelium autem a solo [h] Presbytero vel Diacono legi iubet. HIERONYMVS [i] id functionis Diaconorum partem fuisse, indicat; atque id etiam Concilium *Vasense* adfirmat, quod Diaconis auctoritatem concedit, absente Presbytero legendi veterum Patrum homilias, hanc huius mandati adferens rationem [k]: *Si digni sunt Diaconi, quæ Christus in Euangelio loquutus est legere, quare indigni iudicentur sanctorum Patrum Expositiones publice recitare?* Ex quo intelligitur

bant: *Ad communicationem*, inquit, *admittuntur, & offertur nomen eorum &c.*

(g) Hieron. Comment. in Ezech. XVIII. p. 537.

(h) Constit. Apost. lib. II. c. LVII. Μετὰ ταῦτα διάκονος ἢ πρεσβύτερος ἀναγινωσκέτω τὰ εὐαγγέλια.

(i) Hieron. Epist. LVII. ad Sabin. *Euangelium* Christi quasi *Diaconus lectitabas.*

(k) Concil. Vasens. II. c. II. (Tom. IV. p. 1680.)

in Ec-

in Ecclesiis Occidentalibus hanc ordinariam Diaconorum fuisse functionem. In aliis autem Ecclesiis alius mos erat: Nam, obseruante SOZOMENO, *Alexandriæ* solus Archidiaconus Euangelia legebat, in aliis Ecclesiis Diaconi, in aliis soli Sacerdotes, & in aliis Ecclesiis, cum festi dies maiores celebrarentur, ipse Episcopus legebat, vt *Constantinopoli* in festo, quod vocant, *Paschatis.* In Ecclesiis *Africanis* tempore CYPRIANI Lectoribus Euangelia non minus quam ceteras sacræ scripturæ partes legere licebat, vt ex quadam CYPRIANI epistola apparet, vbi de *Celerino* Confessore, quem Lectorem ordinauerat, loquens, dicit [*l*]: *Quid aliud, quam super pulpitum, id est, super tribunal Ecclesiæ* (sic eo tempore Lectoris pulpitum appellabant) *oportebat imponi, vt loci altioris celebritate subnixus* -- -- *legat præcepta & Euangelia Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur.* Vt adeo hoc non solorum Diaconorum vbique & semper, sed tantum in quibusdam Ecclesiis & certis temporibus, peculiare officium fuisse, statuendum sit.

§. VII.

Quarto: *Consecrata Panis & Vini elementa populo porrigere in Eucharistia.*

Sed magis proprium eorum erat officium, Episcopo ac Presbyteris in administratione sacræ *Eucharistiæ* succurrere: vbi Elementa præsenti populo porrigebant, & absentibus etiam perferebant, quemdmodum IVSTINVS MARTYR [*m*] in *Apologia* sua *secunda* perhibet. Auctor *Constitutionum* [*n*] similiter describens antiqui cultus rationem, totam istam actionem ab Episcopo & Diacono fieri iubet: *Episcopus*, inquiens, *tribuit oblationem dicens: Corpus Christi, & qui accipit, dicat, Amen. Diaconus vero retineat calicem; & tribuens aliis dicat, sanguis Christi, calix vitæ, & qui bibit, dicat, Amen.* In hoc ipso Auctor sub

(*l*) Cyprian. Ep. XXXIV. al. XXXIX.

(*m*) Iustin. Mart Apol. II. p. 97. οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. Qui apud nos vocantur *diaconi* atque *ministri*, *distribuunt* vnicuique præsentium, *vt participent* eum, in quo gratiæ actæ sunt, *panem*, *vinum* & aquam, & ad absentes perferunt.

(*n*) Constit. Apost. lib. VIII. c. XIII. Ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν λέγων· σῶμα Χριστοῦ· καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω ἀμήν· ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω· αἷμα Χριστοῦ, ποτήριον ζωῆς· καὶ ὁ πίνων λεγέτω· Ἀμήν.

nomine

nomine AVGVSTINI [*o*] Diaconorum officium præcipue constitisse adserit. Attamen hoc eorum ordini non adeo proprium erat, sed a voluntate & permissione Episcopi & Presbyterorum pendebat, si præsentes essent, quemadmodum expressis verbis in quibusdam veteribus Conciliis [*p*] cautum fuit, quæ Diaconis Eucharistiam, præsente quodam Presbytero, erogare interdicunt, nisi exigat necessitas, & ipse id faciendi veniam habeat. Atque hinc absurdum atque minime conueniens Presbytero habebatur, adsidere & sacramentum e manibus Diaconi recipere, vti non numquam factum est, sed Concilium *Nicænum* [*q*] seuero Canone hoc fieri vetuit. Vt adeo Diaconi *Eucharistiam* non consecrandi, sed tantum distribuendi, idque non Episcopo vel Presbyteris, sed plebi tantum habuerint libertatem. Hæc tamen eorum actio quandoque oblatio vocata fuit, vt in CYPRIANO [*r*] & in Concilio *Ancyrano* [*s*], quod Diaconis quibusdam sub censura Ecclesiastica constitutis panem vel calicem offerre interdicit, quod facere alioquin Diaconis licebat.

(*o*) Aug Quæst. Vet. & Nou. Test. cap. CI. Diaconi ordo est accipere a Sacerdote & *sic dare plebi.*

(*p*) Concil. Carth. IV. c. XXXVIII. Diaconus, præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.

(*q*) Conc. Nicæn. c. XVIII. (Tom. II. p. 37.) Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην σύνοδον, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι, τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν· ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ· κἀκεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν διακόνων καὶ πρὸ τῶν ἐπισκόπων τῆς εὐχαριστίας ἅπτονται· ταῦτα μὲν οὖν ἅπαντα περιῃρήσθω. κ. τ. λ. Peruenit ad sanctum synodum, quod in nonnullis locis & ciuitatibus diaconi dant Presbyteris eucharistiam, quod nec canon neque consuetudo tradit, *vt, qui offerendi potestatem non habent*, iis qui offerunt, dent corpus Christi. Iam vero illud etiam cognitum est, quod iam quidam ex diaconis etiam ante episcopos eucharistiam attingant. Hæc ergo omnia auferantur &c.

(*r*) Cyprian. de Lapsis p. 132. Solemnibus adimpletis calicem Diaconus *offerre* præsentibus cœpit.

(*s*) Conc. Ancyr. c. II. (Tom. I. p. 1455.) Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τε τοῦ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν ἢ κηρύσσειν. Diaconi similiter qui immolauerint, honorem quidem habeant: *cessare* vero ab omni sacro ministerio siue *a pane* siue a *calice offerendo*, vel prædicando.

§. VIII.

Non autem ipsis permissum erat ea consecrare super altari.

Noui equidem doctos quosdam Viros [t] huius Concilii verba aliter prorsus interpretari. Per *oblationem* illi *consecrationem* intelligunt, atque inde concludunt, Diaconos antiquis temporibus sacram Eucharistiam, absentibus quidem Presbyteris, consecrandi potestatem ordinarie habuisse. Sed hæc conclusio ex istis verbis deduci commode non potest, quæ potius duplicem admittunt constructionem. Aut enim significare possunt, quod Diaconi offerant plebis oblationes sacerdoti, quæ pars eorum officii erat, vt ostendimus antea, atque ita PETAVIVS [u] & HABERTVS ea intelligunt: Aut CYPRIANI verbis exponi possunt, qui mentem suam multo clarius explicat, quando id ipsum consecrati panis & vini oblationem nuncupat; qui maxime natiuus sensus esse videtur; & a quibusdam posteri-

(t) Hospin. Histor. Sacram. lib. II. c. I. p. 23. In Synodo Ancyrana sancitum legimus in hunc modum: *Diaconi, qui immolauerunt* (nimirum in persecutione) *honorem quidem habeant* &c. Illo ergo adhuc tempore Diaconi Eucharistiam administrabant. Refert etiam Theodoretus, vt supra quoque adnotauimus lib. IV. H. E. c XII. *quum Valens Imp. Arrianus omnes* sacerdotes suis sedibus eiiceret, *Eusebium Episcopum Samosatenum militari habitu omnia illa loca percurrisse & clam Presbyteros & DIACONOS ordinasse, NE PLEBS SACRAMENTIS CARERET.* Has autem Diaconorum partes postea multa decreta resciderunt & antiquarunt. Nam in Concilio Arelatensi apud Gallos celebrato, constituitur, ne Diaconi omnino Sacramentum administrent &c.

(u) Petau. Diatrib. de Potest. Consecrandi c. III. Tom. IV. p. 211.
Habert. in Pontif. Part. IX. Obseruat. II. p. 190. *Panem vel calicem offerre.* Sed quid hoc? offerre idem ne heic ac consecrare? Multum abest, siquidem duplici functione Diaconi, Panem vel Calicem attingendo vtrumque offerre absque consecratione, dici potuerunt; vno quidem modo Laicis vtrumque porrigendo, quod quidem *offerre* dicitur S. Cypriano libro de Lapsis, vti apte suo more, nuper adnotauit Dion. Petauius. Sed hunc modum nunc prætermissum velim: Alter mihi modus etiam in Petauium antequam inciderem, semper arrisit: *quo nempe Diaconus offerre dicitur Panem vel Calicem, non consecrando, sed vtrumque sacerdoti consecraturo repræsentando:* quod eo aptius ἀναφέρειν dicitur, quo certe Diaconus ex manibus populi munera illa primum susceperat, ad sacerdotem vel Episcopum referenda, vel ei vna cum sacerdotibus in vsum Eucharistiæ consecrationis, quod æquum erat, excepturo eadem, exhibebat.

orum temporum doctis [w] ſcriptoribus reliquis interpretationibus vniuerſis præfertur. Quomodo autem cumque res ſe habeat, nulla cauſſa ſuppetit, quamobrem ea verba id dicere velle credamus, quod Diaconis poteſtas conſecrandi conceſſa fuerit. Concilium enim *Nicænum*, quod non multo poſt Concilium *Ancyranum* habitum eſt, Diaconos poteſtatem offerendi habuiſſe, exſerte [x] negat; hoc nimirum ſenſu, quo offerre ſignificat, *conſecrare*: Eo enim ſenſu officium Presbyteris proprium erat. Non nulli quidem Diaconi circa iſtud tempus ita offerre ſibi ſumſerunt; at Concilium *Arelatenſe*, quod eodem anno cum *Ancyrano* celebratum eſt, præſumtionem & regulæ eorum transgreſſionem interpretatur & ea propter nouum [y] Canonem ad eos reſtringendos condidit. HILARIVS idoneus praxis Eccleſiaſticæ ſui temporis teſtis nobis confirmat, non potuiſſe ibi eſſe ſacrificium ſiue conſecrationem ſine Presbytero [z]. Et HIERONYMVS idem dicit [a], nimirum ſolos Presbyteros precibus ſuis panem & vinum conſecrare & corpus ac ſanguinem Chriſti conficere. Quamobrem de HILARIO quodam Diacono loquens, negat eum poſſe conſecrare [b] *Euchariſtiam*, quod ſit tantum Diaconus. Huius rei ratio erat, quia ſacra *Euchariſtia* pro primo Chriſtianorum ſacrificio & pro præcipuo quodam Chriſtiani Sacerdotii officio habebatur. Et quum Di-

(w) Suicer. Theſaur. p. 871. Calicem & panem in ſacra euchariſtia miniſtrabant populo (Diaconi) Patet hoc ex Iuſtini M. Apol II. p. 162. οἱ καλούμενοι &c. (vid. §. VII. not. (m) pag. 304.) Cyprian. Serm de Lapſis: *vbi ſolemnibus adimpletis calicem offerre diaconus præſentibus cœpit.* Idem colligitur ex Can. II. Ancyrano; ibi enim de Diaconis immolantibus, poſtea autem reluctantibus, decernitur, πεπαῦσθαι δὲ αὐτοὺς &c. (§. VII. not. (s) p. 305.) Ergo ante lapſum hoc faciebant.

(x) Concil. Nic. c. XVIII. Τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, qui offerendi poteſtatem non habent.

(y) Conc. Arelat. I. c. XV. de Diaconibus, quos cognouimus multis locis *offerre, placuit minime fieri debere.*

(z) Hilar. Fragm. p. 129. Sacrificii opus ſine Presbytero eſſe non potuit.

(a) Hieron. Ep. LXXXV. ad Euagr. Quid patitur menſarum & viduarum miniſter, vt ſupra *eos* tumidus ſe offerat, *ad quorum preces Chriſti corpus & ſanguis conficitur?*

(b) Id. Dialog. contr. Lucif. p. 145. Hilarius cum Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſoluſque vt putat turba ſit mundi: *neque euchariſtiam conficere poteſt Epiſcopos & Presbyteros non habens &c.*

aconi generatim pro ſacerdotibus non agnoſcerentur, aut de infimo tantum ſacerdotii gradu eſſent, ideo hoc ſacrificium ſuper altari offerre ſeu conſecrare non poterant. Hæc ratio ab Auctore *Conſtitutionum* [c] & Auctore ſub nomine AVGVSTINI & diuerſis aliis data eſt.

Eſt autem in AMBROSIO locus quidam, qui videtur innuere, quod ſæculo tertio Diaconi *Romæ* poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam habuerint. De *Laurentio* enim Diacono verba faciens, *Sixtum* Epiſcopum ſuum, quum mortem Chriſti cauſſa ſubiret, hoc modo compellantem ipſe introducit: *Quo, ſacerdos ſancte, ſine Diacono properas? Numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueueras. Quid in me ergo diſplicuit, Pater? Cui commiſiſti Dominici ſanguinis* [d] *Conſecrationem, cui conſummandorum conſortium ſacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas?* BARONIVS hac difficultate ita eſt irretitus, vt textui corruptionem ſubeſſe & loco *Conſecrationem Diſpenſationem* [e] legi oportere dicat. Et quidam AMBROSII Editores tam inuerecundæ ac perfrictæ frontis fuere, vt hanc correctionem ſine vllo fundamento ipſi textui inſerere haud dubitarint: Id quod BONA [f] & HABERTVS ingenue damnant, quod contra omnem vt MSCtorum, ita etiam priorum Editionum fidem militet, nec

(c) Conſtit. Apoſt lib VIII. c. XXVIII. *Διάκονος οὐκ εὐλογεῖ· οὐ δίδωσιν εὐλογίαν, λαμβάνει δὲ παρὰ ἐπισκόπου· οὐ βαπτίζει· οὐ προσφέρει· τοῦ δὲ ἐπισκόπου προσενεγκόντος ἢ τοῦ πρεσβυτέρου αὐτὸς ἐπιδίδωσι τῷ λαῷ, οὐχ ὡς ἱερεύς, ἀλλ' ὡς διακονούμενος ἱερεῦσι.* Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem; accipit vero ab Epiſcopo & Presbytero. Non baptizat; *non offert*; oblatione vero ab Epiſcopo aut Presbytero facta *ipſe Diaconus dat populo, non tamquam ſacerdos*, ſed tanquam qui miniſtrat ſacerdotibus.

Aug. Quæſtion. Vet. & Nou. Teſtam. Q. XLVI. Qui non fuit ſacerdos, quomodo vicem agere poterat ſacerdotis? *Numquid Diaconus poteſt vicem agere ſacerdotis?* Præfectus etenim poteſt agere vicem præfecti, & prætor prætoris: non tamen priuatus poteſt vicem agere poteſtatis alicuius: quanto magis ſacerdotis vicem agere non poteſt, qui non eſt ſacerdos?

(d) Ambroſ. de offic. lib. I. c. XLI.

(e) Baron. A. CCLXI. n. VII. - - cui commiſiſti Dominici ſanguinis *diſpenſationem*; &c.

(f) Bona Rer. Liturgic. lib. I. c. XXV. n. IV. Hoc item ſenſu dixiſſe exiſtimo Sixto Pontifici Laurentium Diaconum apud Ambroſium lib I. offic. c. XLI. *Experire certe, vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis conſecrationem.* Sic enim ſcriptum eſt in antiquis codicibus tam editis quam

vlla

vlla ratio ex verborum difficultate peti possit. Nam vocabulum *Consecratio* hoc loco non significat sacramentalem Elementorum Consecrationem per preces in altari, quæ ab ipso Episcopo perficiebatur, vt e contextu euidenter apparet, vbi Episcopus numquam sacrificium sine ministro seu Diacono offerre dicitur: itaque Consecratio, Diacono commissa, alius generis sit oportet: Non poterat enim ille, præsente Episcopo, & eodem tempore, quo ipse Episcopus consecrabat, elementa in altari consecrare; poterat autem ipsi subuenire, seu vt illic exprimitur, consummandorum sacramentorum consortium cum eo habere, hoc est, calicem cum consueta verborum formula populo exhibere; quod ex more loquendi istis temporibus vsitato *Ministerialis Consecratio*, vel *Sacramenti consummatio* dicebatur: quandoquidem ad sanctum eucharistiæ sacramentum accedentes sanguine Christi hoc ipso consecrabantur, atq; ita consummabantur, seu sacramenti sub vtraque specie, pane nimirum ex manibus Episcopi, calice autem ex manibus Diaconi sumto, perfecte participes reddebantur. Hæc manifesto illa est consecratio, qua de heic sermo est, & quæ ad calicis exhibitionem plebi a Diacono factam tantum spectat, quod vsitatum eorum officium erat: adeoque hinc concludi non potest, quemadmodum quidem HOSPINIANVS & GROTIVS [g] volunt, quod Diaconis eucharistiam in altari consecrare licuerit.

§. IX.

Quinto: *Diaconi in quibusdam locis baptizare poterant.*

Quod autem ad alterum sacramentum, baptismum, attinet, magis patet, quod in quibusdam casibus eum administrare soli potuerint. Quamuis enim Auctor *Constitutionum* [h],

MSCtis, non *dispensationem*, vt in vulgatis libris correctum est. Huic autem lectioni nullatenus formidandæ aut corrigendæ, sed omnino restituendæ fauet contextus, nam sequitur, *cui consummandorum* &c.

Habert. Not. in Pontific. Græc. p. 191. Scio Cardinalem Baronium legere *dispensationem*. Sed verum est, veterum exemplaria, veteres editiones *Consecrationem* habere.

(g) Vid Grot. de Cœnæ Administratione vbi Pastore non sunt. Citatus & confutatus a Petauio

(h) Constit. Apost. lib. VIII. c. XXXVIII. *Διάκονος ὐ βαπτίζει, ὐ προσφέρει*, *Diaconus non baptizat*, non offert.

Diaconum nec baptizare nec offerre dicat: & EPIPHANIVS [i] generatim adfirmet, quod Diaconis solis numquam vllius sacramenti administratio commissa sit: tamen ex aliis scriptoribus manifestum est, quod hanc potestatem ad minimum in quibusdam locis, sibi collatam habuerint. TERTVLLIANVS [k] idem iis ius cum Presbyteris, hoc est baptizandi libertatem permittente Episcopo, tribuit. Et HIERONYMVS [l] idem priuilegium eis adsignat. Concilium *Illiberritanum* [m] itidem de hoc iure plane loquitur, quando dicit: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Hoc manifesto indicat, Diaconos baptizandi ius in istis Ecclesiis habuisse, quibus præfuerunt. Ita cum CYRILLVS [n] *Catechumenos* suos instruit, quemadmodum sese gerere debeant, si in ciuitatem aut vicum ad Episcopum, Presbyterum vel Diaconum baptismum recipiendi caussa venerint; commode inde concludi potest, Diaconos in pagis baptizandi potestatem habuisse. Loquor nunc solum de ordinaria eorum potestate. In casibus enim extraordinariis non solum Diaconi, sed inferiores etiam Clerici & Laici in primitiua Ecclesia baptizare poterant, vti suo loco ostendetur.

§. X.

Sexto: *Diaconorum erat, plebem ad preces adhortari.*

Aliud Diaconorum officium erat, populum in publicæ deuotionis suæ exercitio in Ecclesia monere atque instruere. Quem in finem certis quibusdam & notis verborum formulis vti solebant,

(i) Epiphan. Hæres. LXXIX. Collyrid. n. IV. Καὶ γὰρ οὔτε Διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιστεύθησάν τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα. *Neque Diaconis* quidem ipsis *vllum* in ecclesiastico ordine *Sacramentum perficere conceditur;* sed hoc duntaxat, vt eorum, quæ perficiuntur, ministri sint.

(k) Tertull. de Bapt. c. XVII. Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri *&* *Diaconi*, non tamen sine Episcopi auctoritate *&c.*

(l) Hieron. Dial. contr. Lucif. c. IV. p. 139. Inde venit, vt sine iussione Episcopi, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.

(m) Concil. Illiberrit. c. LXXVII.

(n) Cyrill. Catechef. XVII. n. XVII. Κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ βαπτίσματος, ὅταν προσέλθῃς ἐπὶ τῶν ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων, κ. τ. λ. *Tempore baptismatis cum ad* Episcopum accedis, aut Presbyterum, aut Diaconum &c.

bant, vt significarent, quando quæque diuini cultus pars inciperet, populumque ad attentionem excitarent: item vt Catechumenis indicarent, quando accedere & preces facere & rursus abire deberent; in quibusdam etiam precationibus ipsa verba coram eis repetebant, vt eos, quomodo precandum esset, condocerent. Hæc omnia *Græci* per τὸ κηρύττειν, *Latini* autem per τὸ *prædicare* exprimebant; quæ verba non ordinarie *concionari* seu *verbum diuinum adnuntiare* significant, vt quidam ea perperam interpretantur, sed officio κήρυκος seu *Præconis* in concione quadam *fungi*: Vnde SYNESIVS [o] & quidam alii Diaconos ἱεροκήρυκας *sacros Ecclesiæ præcones* appellant, quippe qui concionem monebant, quomodo omnia suo quoduis ordine fieri oporteret. Hoc significatu verbum κηρύξαι, in antiquis libris ritualibus & canonibus frequenter occurrit. Exempli caussa in *Constitutionibus* [p] *Apostolicis*, Diaconus, finito Episcopi sermone, cunctis consurgentibus, ex alto loco proclamare iubetur: *ne quis adsit audientium*, *ne quis infidelium*. Deinde silentio facto, iubetur dicere: *Orate Catechumeni*, & *omnes fideles attente pro ipsis orent*: & simul exemplum præire populo, quemadmodum pro eis orare debeant. Quæ precandi formula tum in *Constitutionibus* [q] tum in CHRYSOSTOMO [r] videri potest. Postea Diaconus similiter *Energumenos*, *Competentes* & *Pœnitentes*, suo quemque ordine compellare, eosque vna cum populo ad precandum exhortari debebat, his vtens verbis: Ἐκτενῶς πάντες ὑπὲρ αὐτῶν δεηθῶμεν, *intente pro eis precemur*. Et quum Diaconus hos omnes solemni proclamatione ἀπολύεσθε, προέλθετε, *Ite*, *Missa est*, dimisisset, Fideles iterum adhortabatur, vt

(o) Synes. Ep LXVII p 224. (p. 209. edit. Paris. MDCXXXIII.) Κατασιγασάντων δὲ τῶν ἱεροκηρύκων, εἰς θρῆνον αὐτοῖς ἀπετελεύτησεν ἡ βοή. Indicto a *sacris præconibus* silentio, vox illis in planctum desiit.
Chrysostom. Hom. XVII. in Hebr. IX. (Tom. VI. p. 484 edit. Francof.) ἵστηκε καὶ νῦν ὁ παρ' ἡμῖν κῆρυξ - - - ὅταν εἴπῃ, τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις κ τ λ. Stat nunc quoque, qui est apud nos *præco* - - quando dicit: Sancta Sanctis! &c.

(p) Constit. Apost. lib. VIII. c. V. Πληρώσαντος αὐτοῦ τὸν τῆς διδασκαλίας λόγον ... ἀναστάντων ἁπάντων ὁ διάκονος ἐφ' ὑψηλοῦ τινος ἀνελθὼν κηρυττέτω· μή τις τῶν ἀκροωμένων· μή τις τῶν ἀπίστων· καὶ ἡσυχίας γενομένης λεγέτω· εὔξασθε οἱ κατηχούμενοι, καὶ πάντες οἱ πιστοὶ κατὰ διάνοιαν ὑπὲρ αὐτῶν προσευχέσθωσαν.

(q) Ibid. c. VI. tot.

(r) Chrysostom. Hom. II. in 1 Corinth. (Tom. V. p. 316. 317. sqq.)

pro ſe ipſis & vniuerſo Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatu orarent, eumque in finem aliam precandi formulam [s] eis recitabat: & hæc ipſa formula vocabatur Diaconi προσφώνησις ſeu *exhortatio ad orandum*, ad diſtinguendum eam ab Epiſcopi ἐπικλήσει, quæ precationis formula erat, qua Deum compellabat, quum Diaconi compellatio ad populum eſſet directa. Quam ob cauſſam hæc dicebatur προσφώνησις & κηρύξαι, *adhortatio*, qua populus ad orandum excitabatur, addita inſtitutione, pro quo ſpeciatim orandum eis eſſet. Hoc *Latinis* dicebatur *Oratio* & *Prædicatio*, quemadmodum ex Concilio quarto *Toletano* [t] videre eſt, quod vocabulum *orare* per *prædicare* explicat, & vtrumque vocabulum de Diaconi functione accipit. Et hinc vnum ex ornamentis Diaconi (vt & illud hac occaſione notemus) ab eodem Concilio appellatur *Orarium*, quod eo tamquam peculiari ſigno, quo fratres ſuos ex Clero de precibus faciendis admonebat, vtebatur. Ex his omnibus intelligere poterimus, quid SOCRATES velit, quando dicit, *Athanaſium* [u] Diaconos ſuos iuſſiſſe κηρύξαι εὐχὴν, *ad orandum cohortari*; & quomodo controuerſum Concilii *Ancyrani* Canonem interpretari debeamus, qui de quibusdam Diaconis in idololatriam prolapſis loquens, eos ab omni ſacro miniſterio ceſſare oportere, neque amplius [w] κηρύσσειν iubet: quod quidam interpretes de verbi divini prædicatione, alii autem [x] verius de hac Diacona-

(s) Conſtit. Apoſtol. lib. VIII. c. X. tot.

(t) Conc. Toletan. IV. c. XL. (Tom. V. p. 1716.) Vnum Orarium oportet Leuitam geſtare in ſiniſtro humero, propter quod *orat*, id eſt, *prædicat*.

(u) Socrat. lib. II. c. XI. προστάξας διακόνῳ κηρύξαι εὐχήν, mandat Diacono, *vt orationem populo indicat*.

(w) Concil. Ancyr. c. II. πεπαῦσθαι αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τοῦ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀναφέρειν, ἢ κηρύσσειν. Ipſos (Diaconos) ab omni ſacerdotali miniſterio ceſſare, & panem vel calicem offerendi, vel *prædicandi*.

(x) Habert. Pontific. p. 203. Eo canone (Ancyr. II.) κηρύσσειν *concionari*, quod vulgo *prædicare* dicimus, minime ſignificat, ſed *pronuntiare*, *annuntiare* ea, de quibus vno aut altero verbo populum inter ſacra admonebat Diaconus, vt κήρυξ *præco* eccleſiæ, vel Epiſcopi aut Presbyteri ſacrificantis.
Beuereg. Not. in Conc. Ancyr. c. II. Hic obſeruetur diſcrimen inter Presbyterorum & Diaconorum officia. In primo enim canone Presbyteros quidem προσφέρειν καὶ ὁμιλεῖν, in præſenti autem Diaconos ἀναφέρειν, καὶ κηρύσσειν dictum eſt: vt igitur ἀναφέρειν a προσφέρειν, ſic etiam κηρύσσειν ab ὁμιλεῖν diſtinguatur neceſſe eſt. Cum ὁμιλεῖν igitur iſto loco *concionari*, ſiue ſermonem habere ſignificet; κηρύσσειν hoc loco, de Diaconis dictum, nihil aliud denotare videtur, quam

lis

lis officii parte intelligunt, quæ in hoc consistebat, vt Diaconus κῆρυξ seu sacer congregationis præco esset.

§. XI.

Septimo: *Diaconis permittente Episcopo concionari licebat.*

Si quæras, an Diaconi potestatem aliquam concionandi coram populo habuerint? idem respondeo, ac ad quæstionem de baptismo: Habebant vtique concionandi potestatem, permittente & mandante Episcopo, at sine eius auctoritate non habebant. Auctor sub nomine AMBROSII [y] Diaconos eo tempore concionatos esse, diserte negat; etiamsi initio omnes Diaconos *Euangelistas*, vt *Philippus* & *Stephanus* erant, fuisse autumet. Supra ostendimus, nec ipsos Presbyteros multis in locis verbum diuinum prædicandi habuisse potestatem præsente Episcopo, nisi ex speciali eius mandato; adeoque idem de Diaconis multo aptius concludi potest. BLONDELLVS [z] & BARONIVS existimant, CHRYSOSTOMVM elegantissimos istos sermones de

quod proprie significat, *præconis* scilicet *officio fungi*. Hoc enim in sacris celebrandis Diacono olim incubuit, alta nimirum voce & præconis instar varios ritus & ordinem per totam liturgiam moderari, & significare quid & quando a fidelibus aut catechumenis orandum erat.

Suicer. Thesaur. Eccles. Tom. II. p. 99. Κηρύσσειν --- Diaconis tributum, non significat *verbum prædicare*, sed illud declarat ministerium, quo dato Oratorii signo, actionum sacrarum ritus & ordinem moderabantur.

(y) Ambros. Comm. in Ephes. IV. Nunc neque Diaconi in populo *prædicant*, neque Clerici vel Laici baptizant.

(z) Blondel. Apol. p. 57.

Baron. an. CCCLXXXVI. n. LV. p. 542. Cum primum vero Presbyter designatus est, primam omnium ad populum habuisse dicitur homiliam, cuius est exordium: Num vero sunt, quæ nobis acciderunt &c.] At nihil ibi de Presbyteratu, sed de suscepta tantum docendi populi functione: quam quidem non ante hunc annum auspicatum fuisse, ex eo exploratum redditur; dum ipse in vna illorum orationum, quas habuit ad populum Antiochenum de imminente clade ob statuas ignominia adfectas (quod certum est contigisse post sequentem annum) expresse testatur, se iam in docendi munere biennium agere, sunt hæc eius verba: *Ecce secundum hunc annum habeo vestræ disserens caritati* &c.]

Quamobrem in eam sententiam ire compellimur, vt quæ reperiuntur scriptæ orationes *ab ipso, cum diaconus* esset, nempe superius recensitæ aduersus Gentiles, Iudæos atque Hæreticos, & de Anathemate, *eas speciali indulgentia & iussione Flauiani pro concione dixerit*; cessasse vero postea vsque ad Presbyteratum.

incomprehensibili Dei Natura, *de Anathemate* &c. habuiſſe, quum adhuc eſſet tantummodo Diaconus. Alii autem [*a*] probabilius exiſtimant, quod hi non ſint ſermones, quos in Eccleſia recitauerit, ſed tantum diſcurſus, quos aliis occaſionibus compoſuerit; & quod primum ſermonem, quum Presbyter ordinatus ſit, habuerit eum, qui adhuc in Volum. IV. Op. p. 953. exſtat. Enim vero ſi vnquam concionatus eſt, adhuc Diaconus exiſtens, non eſt dubium, quin id fecerit *Meletio* Epiſcopo ſuo permittente: Quemadmodum PHILOSTORGIVS [*b*] dicit, *Leontium* Epiſcopum *Arianum Antiochiæ* permiſiſſe *Aëtio*, Diacono ſuo, vt eccleſiaſtica dogmata publice in eccleſia doceret. *Ephrem Syrus* aliud forte huius rei exemplum dare poteſt: Non enim niſi Diaconus Eccleſiæ *Edeſſenæ* fuit, PHOTIVS [*c*] tamen perhibet, quod diuerſas homilias ſeu ſermones, eosque tam excellentes, compoſuerit, vt poſt eius mortem in alias linguas translati, & in quibusdam Eccleſiis proxime poſt lectionem ſcripturæ ſacræ prælecti fuerint, quemadmodum HIERONYMVS [*d*] tradit. Non nullis in locis, vti in eccleſiis *Gallicanis*, Diaconi ab ipſis Conciliis habebant auctoritatem legendi iſtiusmodi homilias coram populo ſermonis loco, ſi forte Presbyter ægrotaret nec ſer-

(*a*) Caue Hiſt. Litter. Vol. I. p. 253. (Edit. Londin. MDCLXXXVIII.) Diaconus conſtitutus ad ſcribendum ſe adiunxit, librosque *aduerſus Iudæos*, *Gentiles*, *Anomæos*, *de Sacerdotio*, *de Prouidentia ad Stagirium monachum*, aliosque aliquot edidit. Exacto in Diaconatu quinquennio a Flauiano (nam falſus eſt Socrates, qui ab Euagrio factum refert) anno CCCLXXXVI. Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter factus eſt; *quo tempore primam concionem habuit*, quæ exſtat Tom. IV. p. 953.

(*b*) Philoſtorg. lib. III. c. XVII. *Λεόντιος - - εἰς διακονίαν τὸν μαθητὴν προχειρίζεται καὶ διδάσκειν ἐν ἐκκλησίᾳ, τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπιτρέπει δόγματα.* Leontius - - diſcipulum ſuum ad diaconatus gradum euexit eique permiſit, vt eccleſiaſtica dogmata publice in Eccleſia doceret.

(*c*) Phot. Cod. CXCVI. p. 512. *Λόγοι ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα.* Sermones vndequinquaginta. Ibid. p. 516. *Ἀλλὰ καὶ πλεῖστα τοῦ ἀνδρὸς μεταβληθέντα πρὸς τὴν ἑλλάδα συντάγματα φέρεται πλήρη χάριτος καὶ δυνάμεως.* Alia quoque plurima ſancti viri in græcam conuerſa linguam opuſcula circumferuntur, dicendi vi ac venuſtate referta.

(*d*) Hieron. de Script. c. CXV. Efræm, Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus, multa Syro ſermone compoſuit, & ad tantam venit claritudinem, vt poſt lectionem Scripturarum publice in quibusdam eccleſiis eius ſcripta recitentur.

monem

monem habere posset: quemadmodum ex lege, in concilio *Valensi* [e] hac occasione lata, apparet. Sed hoc ex necessitate fiebat atque permissione. Vt adeo Diaconi ista Ecclesiæ ætate (secundum dilucidam expositionem, quam de hac re postea dedit VIGILIVS [f]) concinari potuisse videantur, si nimirum ab Episcopo veniam habuerint; præsumtio autem contra consuetudinem & canonem fuerit, si sine eius permissu id factum esset.

§. XII.

Octauo: *Pœnitentes etiam vrgente extrema necessitate in gremium Ecclesiæ recipere: & in extraordinariis quibusdam casibus inferiorum ordinum Clericis officium ad tempus abrogare.*

Atque ita etiam cum Diaconis respectu potestatis recipiendi Pœnitentes, eisque peccatorum veniam impertiendi comparatum erat. Ordinarie hoc ipsum ad Episcopi, tamquam supremi Ecclesiæ ministri, spectabat prærogatiuam; adeoque rarius id Presbyteris, numquam autem Diaconis, permittebatur, si ab extremæ necessitatis casu discesseris, quando nimirum nec Episcopus nec Presbyter quispiam, qui id faceret, præsto erat. Hoc in casu Diaconi, tamquam speciales Episcopi delegati, quandoque auctoritate pollebant imponendi cui manus, quod signum receptionis erat. Ita cum Pœnitentibus, quorum CYPRIANVS meminit, & quos Martyres litteris suis Ecclesiæ fauori commendauerant, actum fuit: *Si*, inquit ille [g], *incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata præsentia nostra, apud Presbyterum quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesin facere delicti sui possint; vt manu eis in pœnitentia imposita veniant ad Dominum cum pace.* Heic

(e) Conc. Vasenso III. c. II. (Tom. IV p. 1680.) Si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non potuerit prædicare, SS. *Patrum Homiliæ a Diaconibus recitentur.*

(f) Vigil. Ep. ad Rustic. & Sebastian. (Tom. V. Conc. p. 554.) Adiecistis etiam exsecranda superbia, quæ nec legantur, nec sine sui Pontificis iussione aliquando Ordinis vestri homines præsumserunt, auctoritatem vobis Prædicationis contra omnem consuetudinem vel canones vindicare.

(g) Cypr. Ep. XIII. al. XVIII. ad Cler.

obſeruatu dignum eſt, nulli, qui Diacono inferior ſit, negotium dari hoc officium conficiendi; neque Diaconis ipſis id faciendi concedi auctoritatem, niſi tamquam Epiſcopi delegatis, idque in extremo neceſſitatis caſu, quando videlicet Presbyter, qui Pœnitentem animam agentem in gratiam reciperet, reperiri nullus poterat.

Admodum videtur probabile, quod ſimili in caſu, hoc eſt abſoluta neceſſitate exigente, in Eccleſiis quibusdam *Græcis* poteſtatem habuerint inferiores Clericos ad tempus ab officio prohibendi. Quod e verbis Auctoris *Conſtitutionum* [*h*] colligi poteſt, vbi dicit: *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem & Cantorem & Diaconiſſam, ſi hoc facere opus ſit abſente Presbytero. Hypodiacono non licet excommunicare Lectorem, aut Cantorem, aut Diaconiſſam aut Clericum aut Laicum: Miniſtri enim ſunt Diaconorum.* Hæc erat poteſtas tum quidem Diaconis in caſibus extraordinariis conceſſa, & priuilegium peculiare, quo nullus ex inferiore Clero poterat perfrui.

§. XIII.

Nono: *Diaconi in Conciliis generalibus Epiſcopis ſuis miniſtrare & interdum eos repræſentare debebant.*

Inter extraordinaria Diaconorum officia etiam referri poteſt, quod interdum ab ipſorum Epiſcopis delegati fuerint, vt in Conciliis generalibus ipſorum vices explerent & procurarent negotia. Ordinarium eorum illic officium erat Epiſcopis ſuis famulari & ſcribas ac diſputatores agere &c. prout ab ipſis mandatum acceperant; qua in functione in Conciliis antiquis eos vt plurimum offendimus. Duplici autem ratione tunc inferiores habebantur Presbyteris. Primo quidem Presbyteri ordinarie vt ſedentes cum Epiſcopis ſuis nobis repræſentantur, Diaconis cum vniuerſa plebe adſtantibus. Deinde Presbyteris quandoque ſuffragia licebat ferre, vt ſupra demonſtrauimus; ſed nullum exemplum, quod ego quidem ſcio, ſuppetit, quo idem priuilegium ad Diaconos ſpectaſſe, demonſtrari poſ-

(*h*) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. XXVIII. Διάκονος ἀφορίζει ὑποδιάκονον, ἀναγνώστην ψάλτην, διακόνισσαν· ἐὰν ᾖ τι τοιοῦτον, μὴ παρόντος πρεσβυτέρου· ὑποδιακόνῳ οὐκ ἔξεστιν ἀφορίσαι, οὔτε μὴν ἀναγνώστην, οὔτε ψάλτην, οὔτε διακόνισσαν, οὔτε κληρικὸν, ἢ λαϊκόν· ὑπηρέται γάρ εἰσι διακόνων.

ri possit. Hoc tantum relatum legimus, Episcopos, si adesse ipsi non potuerint, Diaconos suos delegasse, vt ipsos repræsentarent. Tum quidem sedebant atque suffragia ferebant, non vt Diaconi, sed vt procuratores loco Episcoporum, a quibus missi fuerant. Cuius rei tot exempla in Conciliorum monumentis occurrunt, vt lectoribus vel vnum ex illis adferre haud necesse sit. Qui vero exempla videre auet, is CHRISTIANVM LVPVM in notis ad Canonem Concilii *Trullani* septimum consulat, vbi discrimen aliquod inter sessionem & suffragationem Diaconorum in Conciliis *Orientalibus* & *Occidentalibus* obseruat. In conciliis *Orientalibus*, si Diaconus Metropolitanum aut Patriarcham repræsentaret, eo ipso loco sedebat atque subscribebat, quo ipse Metropolitanus vel Patriarcha, si adfuisset, sessurus fuisset atque subscripturus; in *Occidentalibus* autem Conciliis alius mos erat: Ibi enim Diaconi post omnes Episcopos, non eorum loco, quorum procuratores erant, suffragia ferebant.

Sic in Conciliis generalibus fiebat. In prouincialibus autem & consistorialibus Synodis Diaconi æque ac Presbyteri suo ipsorummet nomine suffragia ferendi non numquam habebant libertatem. Cuius rei multa exempla lector videre, si velit, potest in Conciliis *Romanis* sub SYMMACHO & GREGORIO secundo, a IVSTELLO [i] in *Bibliotheca* sua *Iuris Canonici* publicatis, & in Conciliorum Tomo IV. vbi primum Episcopi, deinde Presbyteri, & postea Diaconi, suo quisque nomine subscripserunt. Et qui hac in re curiosi exsistunt, plura alia huiusmodi exempla reperire ipsi poterunt.

§. XIV.

Decimo: *Diaconi potestatem habebant reprehendendi atque corrigendi eos, qui in Ecclesia inordinate sese gerebant.*

Duo adhuc de Diaconorum officio in conuentibus ecclesiasticis obseruanda sunt. Primum quidem, quod quemadmodum homines instituere debebant, quomodo sese quemque in cultu diuino gerere oporteret; ita potestatem habuerint eos, qui minus decenter se gerebant, corrigendi atque castigandi. *Constitutiones*, quæ Apostolis tribuuntur, eiusmodi functionum,

(i) Vid. supra c. XIX. §. XII. pag. 281.

quales istæ sunt, tamquam ad Diaconorum officium spectantium, mentionem faciunt. *Si quis repertus fuerit, qui sedeat loco non decenti, increpetur* [*k*] *a Diacono, tamquam a nauclero: traducaturque in locum, qui eum deceat.* Et post paullo [*l*]: *Diaconus speculetur populum, ne quis murmure obstrepat, dormitet aut rideat, aut nutus faciat. Oportet enim stare in Ecclesia sapienter, sobrie, vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis.* Hoc ex CHRYSOSTOMO etiam manifestum est, qui de iis, qui irreuerenter sese in Ecclesia gerunt, loquens, vicinos iubet eos obiurgare, & si hoc ferre nolint, Diaconum [*m*] aduocare, ut officium suum erga illos exsequatur. Memoratu dignam historiam huic rei apprime conuenientem de *Cæciliano* Archidiacono *Carthaginensi* refert OPTATVS, quod, quum *Lucillam*, fœminam diuitem, vbi sacram cœnam sumebat, aliquid indecore facere obseruaret; (ante enim, quam Panem & Vinum acciperet, os nescio cuius sic crediti martyris osculari solita erat); hoc nomine officii sui inductus ratione eam [*n*] reprehenderit: quo ipso illa tantopere sit commota, vt postea, quam ille electus esset Episcopus, ab eius communione sese cum aliis quibusdam factiosa separarit; eiusque ordinationem vitiosam caussata eo rem deduxerit, vt *Maiorinus* eius in locum fuerit ordinatus: & hanc vnam e præcipuis schismatis *Donatistarum* caussis fuisse,

(*k*) Constit. Apost. lib II. c. LVII. Εἰ δέ τις εὑρεθῇ παρὰ τόπον καθεζόμενος, ἐπιπλησσέσθω ὑπὸ τοῦ διακόνου ὡς πρῳρέως, καὶ εἰς τὸν καθήκοντα αὐτῷ τόπον μεταγέσθω. Ibid. Ὁμοίως ὁ διάκονος ἐπισκοπείτω τὸν λαὸν, ὅπως μή τις ψιθυρίσῃ ἢ νυστάξῃ ἢ γελάσῃ ἢ νεύσῃ· χρὴ γὰρ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐπιστημόνως, καὶ νηφαλίως, καὶ ἐγρηγορότως ἑστάναι, ἐντεταμένην ἔχοντας τὴν ἀκοὴν ἐπὶ τὸν τοῦ κυρίου λόγον.

(*l*) Ibid. ὁ διάκονος ἐπισκοπείτω τὸν λαὸν &c.

(*m*) Chrysostom. Hom. XXIV, in Act. (Tom. III. p. 229.) Κεῖνται πάντες νέοι ψυχροὶ καὶ γέροντες· καθάρματα μᾶλλον οἱ νέοι, γελῶντες, ἀνακαγχάζοντες διαλεγόμενοι· καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ἤκουσα γινόμενον· καὶ ἀλλήλους σκώπτοντες ἐπὶ γόνατα κείμενοι. σὺ παρέστηκας ὁ νέος ἢ ὁ πρεσβύτης ἐπίπληξον, ἂν ἴδῃς· ἐγκάλεσον σφοδρότερον· οὐκ ἀνεχόμενον, τὸν διάκονον κάλεσον. κ. τ. λ. Iacent omnes adolescentes frigidi ac senes, purgamenta magis quam adolescentes, rident, subsannant, cauillantur. Etenim & hoc fieri audiui, & mutuum se incessunt scommatis geniculantes. Tu autem si adsistis iuuenis vel senex, & stupenda vides, increpa acriter: si non fert, *voca Diaconum* &c.

(*n*) Optat. lib. I. p. 40. (p. 18. edit. Paris.) Quum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritalem cibum & potum os nescio cuius martyris, si tamen martyris, libare dicebatur &c.

OPTA-

OPTATVS animaduertit dicitque, ſchiſma illo tempore confuſæ mulieris iracundiam peperiſſe, quæ condonare non potuerit Diacono, qui eam in eccleſia corripuerit. Forte aliqui id, quod *Cæcilianus* fecit, ſuperioris officii, vti nunc quidem Archidiaconi plerumque ſunt, virtute eum feciſſe, exiſtimauerint. Enim vero proxime ſequenti Capite oſtendemus, quod Archidiaconi olim ſemper ex ordine Diaconorum nec de vllo alio gradu fuerint. Et ex iam dictis apparet, hoc, quod *Cæcilianus* fecit, non ex peculiari poteſtate, qua tamquam Archidiaconus fruitus ſit, ſed ex ordinaria poteſtate corripiendi male ſe gerentes, quam cum reliquis omnibus Diaconis Eccleſiæ communem habebat, profectum fuiſſe.

§. XV.

Vndecimo: *Diaconi olim omnia inferiorum ordinum Eccleſiæ officia faciebant.*

Alterum, quod de Diaconorum officio adhuc habeo monere, eſt, quod ante inſtitutos ordines Eccleſiæ inferiores (qui non eodem in omnibus eccleſiis tempore, nec forte in vlla eccleſia ante duo priora ſæcula, orti ſunt, vt deinceps oſtendetur) Diaconi iſtiusmodi officia omnia, quæ ſequentibus ſæculis his ordinibus commiſſa ſunt, explere debuerint; qualia ſunt officia Lectorum, Hypodiaconorum, Exorciſtarum, Catechiſtarum, Ianitorum & ſimilium. Ita EPIPHANIVS [o] ab initio omnia officia eccleſiaſtica ab Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis peracta eſſe, adeoque nullam eccleſiam ſine Diacono fuiſſe obſeruat. Ita certe IGNATII ætate cum Eccleſia comparatum erat, qui de nullo vmquam ordine loquitur, qui Diaconorum ordine ſit inferior: Sed *ſine his*, inquit, *Eccleſia* [p] *non vocatur.* Vt adeo omnia officia inferiora a Diaconis fieri oportuerit. Immo vero in ipſis poſterioribus ſæculis diuerſa officia inferiora ſæpenumero vni eidemque viro commiſſa eſſe legimus, forte vt onus numeroſiorem alendi clerum in paruis eccleſiis detrectarent. Ita EVSEBIVS *Romanum* Martyrem [q] & Diaconum & Exor-

(o) Epiph. Hæreſ. LXXV. Aerian. n. V. *ἄνευ δὲ διακόνου ἐπίσκοπον ἀδύνατον εἶναι.* Sine Diacono Epiſcopus eſſe non poteſt.

(p) Ignat. ad Trallian. n. III. *χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται.*

(q) Euſeb. de Martyr. Palæſtin. c. II. *Μνήμης δ' ἄξια τυγχάνει καὶ τὰ περὶ Ῥωμανὸν ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἡμέρας ἀποτελεσθέντα· παλαιστὸς γὰρ οὗτος ὢν, διάκο-*

ciſtam

ciſtam in Eccleſia *Cæſareenſi* fuiſſe, auctor eſt. Et *Procopius* Martyr tres ſimul functiones in Eccleſia *Scythopolitana* habuit: Eodem enim tempore Lector fuit, Interpres & Exorciſta; vti ex Actis Martyrii [r] eius, a VALESIO publicatis, conſtat. Iam vero vterque ineunte ſæculo quarto perſecutionis *Diocletianeæ* tempore pro Chriſtianæ religionis profeſſione mortem ſubiit. Et integrum ſæculum poſt, ſi Auctori ſub nomine AVGVSTINI [s] credere fas eſt, deprehendimus, quod, ſi ab iſtiusmodi diuitibus & magnis eccleſiis, qualis *Romana* erat, ingentem Clericorum complexa multitudinem, diſceſſeris, omnia inferiora officia a Diaconis adhuc peracta ſint. In eccleſiis *Græcis* illi ſemper erant πυλωϱοὶ ſeu *ianitores*, cum fieret oblatio & ſacra celebraretur euchariſtia, vti ex *Conſtitutionibus* [t] *Apoſtolicis* videre eſt, vbi dicitur: *Diaconi ſtent ad iannas, quibus viri in templum ingrediuntur, & Hypodiaconi ad ianuas, quibus mulieres, ne quis egrediatur, nec aperiatur tempore oblationis, quamvis ſit aliquis fidelis,* Hæc præcipua antiquitus Diaconorum erant in conuentibus eccleſiaſticis officia.

§. XVI.

Duodecimo: *Diaconi erant Epiſcoporum* Subeleemoſynarii *ſeu ſtipis erogandæ curatores vicarii.*

Præterea autem duorum triumue aliorum officiorum, ad quæ adminiſtranda ab Epiſcopis extra eccleſiam Diaconi adhiberi ſolebant, mentio iniicienda eſt. Eorum primum erat, vt tamquam Epiſcoporum *Subeleemoſynarii* ſeu vicarii ſtipis erogandæ, curatores orphanorum, viduarum, virginum, detentorum in cuſtodia Martyrum, & omnium pauperum ac infirmorum, qui aliquo nomine ex publicis Eccleſiæ reditibus alebantur, curam gererent. Diaconi ſpeciatim in iſtorum o-

νός τε καὶ ἐπορκιστὴς τῆς ἐν καισαρείᾳ παροικίας. Sed & commemoratione digna ſunt in primis, quæ circa *Romanum* Martyrem eodem die Antiochiæ geſta ſunt. Hic enim genere Palæſtinus, *Caſareenſis eccleſiæ diaconus & exorciſta.*

(r) Acta Procop. apud Valeſ. in Euſeb. de Martyr. Palæſtin. c. I. Ibi Eccleſiæ tria miniſteria præbebat. Vnum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione ſermonis, & tertium aduerſus Dæmonas manus impoſitione conſumnians.

(s) Auguſt. Quæſt. Vet. & Nou. Teſtam. cap. CI. ſupra citat. §. IV. not. (c) p. 301.

(t) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. XI. *οἱ δὲ διάκονοι ἱστάσθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας· καὶ οἱ ὑποδιάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν· ὅπως μήτις ἐξέλθῃ, μήτε ἀνοιχθῇ ἡ θύρα κἂν πιστός τις ᾖ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναφορᾶς.*

mnium inopiam atque indigentiam inquirere, de ea ad Episcopum referre, illisque eleemosynas, quas ab ipso in eorum recreationem atque miseriæ leuamentum acceperant, diribere debebant. Archidiaconus quidem Episcopi quasi erat thesaurarius, sed Diaconi vniuersi eius dispensatores, qui eleemosynas Ecclesiæ indigentibus distribuebant. Id quod e diuersis locis [u] CYPRIANI, DIONYSII ALEXANDRINI [w] & Auctoris [x] *Constitutionum* intelligitur, qui de hoc officio indiscriminatim loquuntur, omnibusque Diaconis id commune fuisse, dicunt. Speciatim in *Constitutionibus* Diaconi officium ita describitur, vt si quem sciat inopia premi, admoneat prius Episcopum, & sic conscio Episcopo suppeditet eius indigentiæ; clam autem Episcopo nihil faciat, ne eum de iniuria adflictorum insimulet, eique in probrum cedat, & murmuratio contra ipsum excitetur.

(u) Cyprian. Ep. XLIX. al. LII. ad Cornel. Nicostratum vero Diacono sanctæ administrationis amisso, Ecclesiasticis pecuniis sacrilega fraude subtractis, viduarum ac pupillorum depositis negatis, non tam in Africam venire voluisse quam conscientia rapinarum ac criminum nefandorum illinc ab vrbe fugisse.

(w) Dionys ap. Euseb. l. VII. c. XI. Διάκονοι δὲ οἱ μετὰ τοὺς ἐν τῇ νόσῳ τελευτήσαντας ὑπολειφθέντες, Φαῦστος, Εὐσέβιος, Χαιρήμων· Εὐσέβιος ὃν ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς ἐνεδυνάμωσε καὶ παρεσκεύασε τὰς ὑπηρεσίας τῶν ἐν ταῖς φυλακαῖς γενομένων ὁμολογητῶν ἐναγωνίως ἀποπληροῦν, καὶ τὰς τῶν σωμάτων περιστολὰς τῶν τελείων καὶ μακαρίων μαρτύρων οὐκ ἀκινδύνως ἐκτελεῖν. Diaconi vero post illos, qui morbo consumti sunt, superstites: Faustus, Eusebius, Chæremon. Eusebius, inquam, quem Deus iam inde ab initio roborauit, impulitque, *vt confessoribus in custodia positis ministeria strenue exhiberet*; vtque consummatorum ac beatorum Martyrum cadauera non sine capitis sui periculo sepeliret.

(x) Constit. Apost. lib. II. c XXXI. Μηδὲν ποιείτω τὸ σύνολον ἄνευ ἐπισκόπου, μηδὲ τινι διδότω τι ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης· ἐὰν γὰρ ὡς θλιβομένῳ τινὸς λάθρα τοῦ ἐπισκόπου διδῷ τινι, εἰς λοιδορίαν τοῦ ἐπισκόπου δώσει. Nihil prorsus sine Episcopo faciat (Diaconus) neque vlli quippiam sine illo conscio & auctore tribuat; etenim si clam episcopo *dederit egenti* & calamitoso, erit probro Episcopo, eumque de iniuria adflictorum insimulat. c. XXXII. Εἰ οὖν γινώσκεις, ὦ διάκονε, θλιβόμενόν τινα, ὑπομνήσας τὸν ἐπίσκοπον, οὕτω δίδου. *Si quem* ergo diacone, *scis inopia premi*, admonito prius Episcopo, *suppedita ei*. Lib. III. c. XIX. Εἰ κύριος ἡμῶν καὶ ὁ διδάσκαλος οὕτως ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, πῶς ἂν ὑμεῖς ἐπαισχυνθήσεσθε τοῦτο ποιῆσαι τοῖς ἀδυνάτοις καὶ ἀσθενέσι τῶν ἀδελφῶν; Si Dominus noster idemque Magister sic se ipse humiliter abiecit, quomodo pudebit vos hoc facere fratribus infirmis & imbecillis? Ibid. χρὴ οὖν ὑμᾶς τοὺς διακόνους ἐπισκέπτεσθαι πάντας τοὺς δεομένους ἐπισκέψεως, καὶ περὶ τῶν θλιβομένων ἀναγγέλλετε τῷ ἐπισκόπῳ ὑμῶν. Oportet igitur, vt vos diaconi omnes visitetis, quibus visitationis opus est, & de calamitosis & adflictis nuntiate episcopo vestro.

§. XVII.

Decimo tertio: *Diaconorum erat de criminibus populi Episcopo nuntiare.*

Aliud Diaconorum officium hoc intuitu erat, in vitam & mores populi inquirere: deque eiusmodi malis, quibus pro ordinaria sibi concessa potestate mederi ipsimet non poterant, ad Episcopum referre, vt ipse pro suprema sua auctoritate illis mederetur. *Diaconus*, inquit *Constitutionum* [y] liber, *de re omni ad Episcopum referat, vt* CHRISTVS *ad Patrem. Verum quaecunque potest, moderetur per se, sicut Christus potestatem creandi & prouidendi a Patre accepit: Quae vero maiora sunt, Episcopus iudicet.*

§. XVIII.

Hinc Diaconi frequenter vocati Episcoporum Oculi, ipsorum Os, Angeli, Prophetae &c.

Hanc ob caussam Diaconi communiter Episcopi *Oculi* & *Aures*, *Os*, *Dextra* & *Cor* ipsius vocabantur: quod eorum ministerio omnia videbat, omniumque hominum actiones cognoscebat, perinde ac si suis ipse oculis vidisset, suisque ipse auribus audisset. Per eos ad gregem suum sua mittebat mandata & edicta, quo intuitu os ipsius & cor erant: per eos calamitosorum indigentiae succurrebat, atque ita dextra eius manus erant. Hi tituli frequenter in *Constitutionibus* [z] *Apostolicis* & in Auctore Epistolae [a] ad *Iacobum* occurrunt. Et ISIDORVS PELVSIOTA in allusione ad eos *Lucio* [b] Archidiacono scri-

(y) Constit. Apost. lib II. c XLIV. Πάντα μὲν ὁ διάκονος τῷ ἐπισκόπῳ ἀναφερέτω ὡς ὁ χριστὸς τῷ πατρί· ἀλλ' ὅσα δύναται, εὐθυνέτω δι' ἑαυτοῦ λαβὼν παρὰ τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἐξουσίαν, ὡς ὁ κύριος παρὰ τοῦ πατρὸς τὸ δημιουργεῖν, καὶ τὸ προνοεῖν· τὰ δ' ὑπέρογκα ὁ ἐπίσκοπος κρινέτω.

(z) Constit. Ap. lib. II. c. XLIV. Ἔστω ὁ διάκονος τοῦ ἐπισκόπου ἀκοὴ καὶ ὀφθαλμὸς, καὶ στόμα, καρδία τε, καὶ ψυχή. Sit diaconus Episcopi *auris* & *oculus*, & item *os*, *cor* & *anima*. Ibid. lib III. c. XIX. Ψυχὴ αὐτοῦ καὶ αἴσθησις εἶναι ὀφείλετε. Debetis (vos diaconi) esse ei (episcopo) *anima* & *sensus*.

(a) Clem. Ep. ad Iacob. (Tom. I. Conc. p. 86.) *Diaconi* Ecclesiae tamquam *oculi* sunt *Episcopi*.

(b) Isidor. Pelus. lib. I. Ep. XXIX. Εἰ ὀφθαλμοὶ ἐπισκόπου τυγχάνουσιν οἱ τοῦ σεπτοῦ θυσιαστηρίου διάκονοι, σὺ ὁ τούτων κατὰ συγχώρησιν Θεοῦ ἄρχεις, ὅλος ὀφθαλμὸς ὀφείλεις ὑπάρχειν. Si venerandi altaris *diaconi Episcopi oculi* sunt, profecto cum tu Dei permissu ipsis praesis, *totus oculus* esse debes.

bens,

bens, Ecclesiæque vtens phrasi dicit, debere ipsum totum esse oculum, quandoquidem Diaconi essent Episcopi oculi. Auctor *Constitutionum* [c] similiter Episcopi *Angelos* ac *Prophetas* eos appellat, quia erant ii, quibus ille præcipue tamquam internunciis siue ad suum ipsius populum siue ad extraneas ecclesias vtebatur. Eo enim tempore Episcopi nihil nisi per os & dextram cuiuspiam de Clericis suis faciebant.

§. XIX.

Diaconorum numerus, Ecclesiæ necessitate exigente, adaugebatur.

Itaque quum tanta esset negotiorum, ad Diaconi officium spectantium, multitudo & varietas, diuersos in eadem Ecclesia Diaconos habere consueuerunt. In quibusdam Ecclesiis, ad imitationem Ecclesiæ *Hierosolymitanæ*, præcise septem erant. Concilium *Neocæsareense* [d] hoc ipsum Canone stabiliuit, quod Diaconi septem esse debeant, etiamsi sit magna ciuitas, ideo quod hoc regulæ in *Actis Apostolorum* datæ respondeat. Et Ecclesia *Romana* tum ante tum post hoc Concilium hoc ipsum etiam tamquam legem obligantem videtur spectasse. Ex Epistola enim CORNELII [e] sæculo tertio medio scripta, paret, tum quidem septem tantum Diaconos in Ecclesia Romana fuisse, vt vt eodem tempore quadraginta sex ibi essent Presbyteri. Et PRVDENTIVS tempore *Sixti*, A. CCLXI. eamdem rationem fuisse indicat. Loquens enim de *Laurentio* Diacono appellat eum primum e septem viris [f] qui stant ad aram proximi, intelligens septem Ecclesiæ Diaconos. Quid? Quod isthæc consuetudo sæculo quarto & quinto adhuc durauit, quemadmodum e

(c) Constit. Apost. lib. II. c. XXX. ὥσπερ ὁ υἱὸς ἄγγελός ἐστι καὶ προφήτης τοῦ πατρὸς, οὕτω καὶ ὁ διάκονος ἄγγελος καὶ προφήτης ἐστὶ τοῦ ἐπισκόπου. Vt Filius est angelus & propheta Patris: sic *Diaconus angelus & propheta Episcopi.*

(d) Conc. Neocæsar. c. XV. (Tom. I. Conc. p. 1484.) Διάκονοι ἑπτὰ ὀφείλουσιν εἶναι, κατὰ τὸν κανόνα κἂν πάνυ μεγάλη ᾖ ἡ πόλις· πεισθήσῃ δὲ ἀπὸ τῆς βίβλου τῶν πράξεων.

(e) Cornel. ad Fab. ap. Euseb. lib. VI. c. XLIII. Ignorabat vnum Episcopum esse oportere in ecclesia Catholica, in qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset) Presbyteros quidem esse sex & quadraginta, *septem* autem *diaconos.*

(f) Prudent. Hymn. de S. Laurent. (v. 37. 38. p. 95. edit. Cellar. Haliens.)

SOZOMENO [*g*], & HILARIO SARDO [*h*], Diacono *Romano*, qui sub nomine AMBROSII scripsit, discimus. Sed *apud alios*, inquit SOZOMENVS [*hh*], *haud quaquam definitus est numerus Diaconorum.* Et certum est, ita *Alexandriæ* obtinuisse atque *Constantinopoli.* Etsi enim vnus ex scriptoribus vitæ S. *Marci*, a PEARSONIO [*i*] citatis, dicit, *Marcum* septem tantum Diaconos *Alexandriæ* ordinasse, sequentibus tamen temporibus plures ibi fuerunt. *Alexander* enim in epistola quadam circulari [*k*] nouem Diaconos nominat, quos vna cum *Ario* ob opiniones ipsorum hæreticas ab Ecclesia semouit; & probabile est, fuisse ibi plures alios, qui in recta sententia persliterunt. Nam in formula ipsius condemnationis, a COTELERIO [*l*] publicata, Diaconi Catholici *Alexandriæ* & *Mareotidis* memorantur, vt qui in condemnando *Ario* cum Episcopo suo se coniunxerint. Et quod ad Ecclesiam attinet *Constantinopolitanam*, Diaconorum numerus tantus erat, vt in quadam IVSTINIANI Constitutione Nouella [*m*] eos ad cen-

(*g*) Sozom. lib. VII c. XIX. Διάκονοι παρὰ Ῥωμαίοις εἰσέτι νῦν ϰ πλείους, εἰσὶν ἑπτά. Apud *Romanos Diaconi* non plures sunt hactenus quam *septem*.

(*h*) Ambros. Com. in 1 Tim. III. p. 995. Nunc autem *septem Diaconos* esse oportet, aliquantos Presbyteros, vt bini sint per Ecclesias & vnus in ciuitate Episcopus.

(*hh*) Sozom. l. c. παρὰ δὲ τοῖς ἄλλοις ἀδιάφορος ὁ τούτων ἀριθμός.

(*i*) Vit. S. Marci ap. Pearson. Vindic. Ignat. Part. I. c. XI. p. 329. apud Coteler. (p. 152. Edit Cantabr.) B. Marcus Anizanum Alexandriæ ordinauit Episcopum & tres Presbyteros & *septem Diaconos*.

(*k*) Alex. Ep. Encycl. ap. Theod. lib. I. c. IV. sub fin. Εἰσὶ δὲ οἱ ἀναθεματισθέντες αἱρεσιῶται, ἀπὸ πρεσβυτέρων μὲν Ἄρειος· ἀπὸ διακόνων δὲ Ἀχιλλᾶς, Εὐζώϊος, Ἀειθαλὴς, Λούκιος, Σαρμάτης, Ἰούλιος, Μηνᾶς, Ἄρειος ἕτερος, καὶ Ἑλλάδιος. Hæreticorum qui anathemate damnati fuerunt, hæc sunt nomina. Ex Presbyteris quidem Arius; *ex Diaconis* vero Achillas, Euzoius, Aithalas, Lucius, Sarmates, Iulius, Mena, Arius alter & Helladius.

(*l*) Coteler. Not. in Constit. Apost. lib. VIII. c. XXVIII. Ἀλέξανδρος πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις Ἀλεξανδρείας καὶ Μαρεώτου παρὼν παροῦσιν ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς ἐν Κυρίῳ χαίρειν. Εἰ καὶ φθάσαντες ὑπεγράψατε, οἷς ἐπέστειλα τοῖς περὶ Ἄρειον κ. τ. λ. Alexander Presbyteris & *Diaconis* Alexandriæ atque Mareotæ præsens præsentibus dilectis fratribus in Domino salutem. Licet iam *subscripseritis* illis quæ ad Arium & Arianos misi &c.

(*m*) Iustin. Nouell. III. c. I. ὥστε θεσπίζομεν, μὴ περαιτέρω μὲν ἑξήκοντα πρεσβυτέρων κατὰ τὴν ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν εἶναι· διακόνους δὲ ἄρρενας ἑκατὸν, τεσσαράκοντα δὲ θηλείας. Quapropter sancimus non vltra sexaginta quidem Presbyteros in sanctissima maiore ecclesia esse, *diaconos* autem *masculos centum*, & quadraginta feminas.

tum

tum in ministerium magnæ illius Ecclesiæ & trium aliarum redactos deprehendamus. Vt adeo planum sit atque euidens, quod Diaconorum numerus, prout Ecclesiæ necessitas requisivit, adauctus, & contraria hac in re solius Ecclesiæ *Romana* praxis, plane singularis fuerit.

§. XX.

De ætate, quam habere debebant Diaconi, antequam ordinarentur.

Non loquor heic de proprietatibus, quæ in Diaconis requirebantur, quia generatim eædem erant, quæ in Episcopis requirebantur & Presbyteris, deque iis postea dicetur: quod ad ætatem eorum attinet, non nihil erat discriminis, quod hoc loco notandum est. Episcopi & Presbyteri, quemadmodum supra obseruauimus, ordinarie consecrari non poterant ante tricesimum ætatis annum, Diaconos autem anno vicesimo quinto, & non ante licebat ordinare. Hic terminus a lege tum ciuili tum canonica fixus est, vti e Nouellis IVSTINIANI [*n*], Conciliis [*o*] *Agathensi*, *Carthaginensi*, *Trullano* aliisque compluribus liquet. Et hæc ipsa regula curate obseruata fuit. Etsi enim Episcopos deprehendimus, ante hanc ætatem ordinatos, hi ipsi tamen (vt ostendimus supra) numquam Diaconi, sed de Laicis statim Episcopi ordinati fuerunt: sed inter hos, qui Diaconi ordinati sunt, vix vnius cuiusdam in vniuersa historia ecclesiastica exemplum inuenias, qui ante vicesimum quintum ætatis annum ordinatus sit.

(*n*) Iustin. Nouell. CXXIII. c. XIII. *Πρεσβύτερον ἐλάττοντα τῶν τριάκοντα ἐνιαυτῶν γίνεσθαι οὐκ ἐπιτρέπομεν, ἀλλ' οὐδὲ διάκονον ἢ ὑποδιάκονον ἥττοντα τῶν εἰκοσιπέντε.* Presbyterum minorem triginta quinque annorum fieri non permittimus: sed *neque diaconum* aut subdiaconum *minorem viginti quinque.*

(*o*) Concil. Agath. c. XVI. (Tom. IV Conc. p. 1386.) Episcopus benedictionem diaconatus minoribus quam *viginti quinque* annorum penitus non committat.

Conc. Carth. III. c. IV. (Tom. II. p. 1167.) Placuit, vt *ante viginti quinque annos ætatis nec diaconi ordinentur*, nec virgines consecrentur.

Conc. Trull. c. XIV. (Tom. VI. Conc. p. 1150.) *ὁμοίως μήτε διάκονος πρὸ τῶν εἴκοσι πέντε ἐτῶν χειροτονείσθω.* Similiter *nec diaconus ante viginti annos* ordinetur.

Concil. Toletan. IV. c. XX. (Tom. V. p. 1711.) A *viginti & quinque annis ætatis Leuitæ* consecrentur.

§. XVI.

De reuerentia, quam Diaconi Presbyteris exhibuerunt, & quæ Diaconis contra ab inferioribus Clericis exhibita fuit.

Quod vltimo loco de Diaconis obseruare iuuat, magnus est ille honor atque reuerentia, quam Presbyteris æque ac Episcopis exhibere debuerunt. Supra demonstrauimus, Presbyteris suos in Ecclesia fuisse thronos, in quibus vna cum Episcopis sederunt: Diaconi autem eiusmodi priuilegium non habebant, sed semper vt adstantes eis repræsentantur. Ita Auctor [p] *Constitutionum* & GREGORIVS [q] NAZIANZENVS hoc eos ordine locant, nempe: Episcopus sedebat in medio throno, Presbyteri, ad vtrumque eius latus sedebant, Diaconi adstabant. Concilium *Nicænum* expressis verbis [r] cauet, ne Diaconi inter Presbyteros considerant in Ecclesia. Et ex HIERONYMO [s] & Auctore sub nomine AVGVSTINI [t] constat, quod, etsi Diaconi *Romani* cæteris omnibus potentiores euaserant, sedere tamen in Ecclesia sibi non sumserint. Immo vero quidam canones plus vltra progrediuntur, dum [u] Diaconis præsente quodam Presbytero, quocumque demum loco id fuerit, sedere interdicunt, nisi ipse illis permiserit.

Similem honorem Presbyteris diuersis occasionibus aliis

(p) Constit. Apost. lib. II. c. LVII. Κείσθω μέσος ὁ τοῦ ἐπισκόπου θρόνος, παρ' ἑκάτερα δὲ αὐτοῦ καθεζέσθω τὸ πρεσβυτέριον, καὶ οἱ διάκονοι παρεστώτωσαν. Sit solium episcopi in medio positum & ex vtroque eius latere sedeant presbyteri & *adsient diaconi.*

(q) Gregor. Nazian. Somn. de Eccles. Anastas. vid. supr. cap. XIX. §. V not. (h) p. 270.

(r) Concil. Nic. c. XVIII. (Tom. II p. 38.) Ἀλλὰ μηδὲ καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις. Sed *nec* in medio quidem Presbyterorum *liceat diaconis sedere.*

(s) Hieron. Ep. LXXXV. ad Euagr. In Ecclesia Romæ Presbyteri sedent & *stant Diaconi.*

(t) Aug. Quæst. Vet. & Nov. Test. c. CI Quamquam Romanæ Ecclesiæ Diaconi modice inuerecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt.

(u) Concil. Laodic. c. XX. (Tom. I, p. 1500.) Ὅτι οὐ δεῖ διάκονον ἔμπροσθεν πρεσβυτέρου καθίζεσθαι, ἀλλὰ μετὰ κελεύσεως τοῦ πρεσβυτέρου καθίζεσθαι. Quod *non oporret diaconum ante Presbyterum sedere*, sed sedere cum iussione presbyteri. Conc. Carth. IV. c. XXXIX. Vt Diaconus quolibet loco iubente Presbytero sedeat.

exhi-

exhibere, ipsisque non minus quam Episcopo in omnium officiorum diuinorum administratione ministrare debebant; quorum nullum a Diacono, præsente Presbytero, nisi peculiaris id suasisset ratio, peragi poterat, quemadmodum superius obseruauimus. Immo Diacono ne quidem in domesticis conuiuiis benedictionem præsente Presbytero dare licebat: vti ex epistola HIERONYMI [x] ad EVAGRIVM videre est, vbi Diaconos *Romanos* paullo acrius increpat, quod illud facere sibi sumserint.

Verum tamen quemadmodum canones Diaconos ad honorem ac reuerentiam Presbyteris præstandam obligarunt; ita vt ab inferiore Clero distinguerentur, omnes inferiores ordines eundem ipsis honorem exhibere iussi sunt. Concilium *Laodicenum* eodem canone, quo Diaconum, præsente nec iubente Presbytero, sedere vetat, statim subiungit, Diaconum simili ratione ab Hypodiaconis & reliquo Clero omni honorari oportere. Et Concilium *Agathense* [y] canonem iisdem verbis repetit. In memoriam Lectori heic reuocamus, quod supra obseruauimus, habuisse nimirum Diaconos in quibusdam Ecclesiis potestatem absentibus Presbyteris inferiores clericos pœna ecclesiastica adficiendi. HIERONYMVS [z] etiam videtur dicere, quod eorum reditus largiores fuerint, quam Presbyterorum, qui eos non numquam importuniores atque elatiores reddiderunt. Præter hæc omnia Diaconorum ordo magnæ erat existimationis, quod Archidiaconi tum quidem semper de hoc ordine erant, & plerumque magnam in Ecclesia habebant auctoritatem; quorum de potestate ac priuilegiis, quum paullo specialius dicere necesse sit, capite sequenti distincte acturi sumus.

(x) Hieron. Ep LXXXV. ad Euagr. Licet increbescentibus vitiis inter Presbyteros absente Episcopo sedere Diaconum viderim: Et in domesticis conuiuiis, benedictiones Presbyteris dare. al. benedictiones coram Presbyteris dare.

(y) Concil. Agath. c. LXV. (Tom. IV. p. 1394.) Non oportet Diaconem sedere præsente Presbytero, sed ex *iussione Presbyteri sedeat*. Similiter autem honorificetur Diaconus a ministris inferioribus & omnibus clericis.

(z) Hieron. Ep. LXXXV. ad Euagr. Presbyter nouerit se *lucris minorem*, sacerdotio esse maiorem. Id Com. in Ezech. c. XLVIII. Vltra sacerdotes, hoc est Presbyteros intumescunt: & *dignitatem* non merito, sed *diuitiis* æstimant.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT VICESIMVM PRIMVM
DE ARCHIDIACONIS.

§. I.
Archidiaconi antiquitus eiusdem cum Diaconis Ordinis fuerunt.

QVamquam Archidiaconi his posterioribus sæculis vt plurimum de Presbyterorum fuerunt ordine, antiquis tamen temporibus non nisi Diaconi erant: quod ex iis Scriptoribus evidenter patet, qui primam de iis relationem nobis tradunt. HIERONYMVS [a] auctor est, Archidiaconum ex Diaconis electum, & principem Diaconum in quauis Ecclesia fuisse, perinde ac Archipresbyter princeps fuit Presbyter; & in singulis ecclesiis vnum tantummodo exstitisse. *Cæcilianum* OPTATVS [b] Archidiaconum *Carthaginensem* appellat, erat tamen Diaconus solum, vsque dum Episcopus consecraretur, vt supra dictum est. Vnde factum, vt ipse *Cæcilianus* diceret, vt si ipse non legitime esset ordinatus Episcopus, quemadmodum *Donatistæ* dicerent [c], tamquam Diaconum tantummodo se tractarent. Certum est, *Laurentium* Archidiaconum *Romanum* non nisi Diaconum fuisse principem, seu primum e septem viris, qui stabant ad altare proximi & ministrabant, vti PRVDENTIVS [d] loquitur. Ex quibus testimoniis planum est atque perspicuum, quod hisce temporibus Archidiaconus semper vnus e Diaconorum ordine exstiterit.

§. II.
Ab Episcopo electi & non ob ætatis prærogatiuam constituti.

Enim vero quomodo Archidiaconus ad hunc honorem

(a) Hieron. Ep. LXXXV. ad Euagr. Aut *Diaconi eligant de se*, quem industrium nouerint, & *Archidiaconum* vocent. Id. Ep. IV. ad Rustic. Singuli ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, *singuli Archidiaconi.*

(b) Optat. lib. I. p. 40. (p. 19. edit. Paris.) Quum correptionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset &c.

(c) Optat. ibid. Iterum a Cæciliano mandatum est, vt si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tantum adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum.

(d) Prud. Hymn. de S. Laur. v. 36. 37. p. 95. edit. Cellar.

Hic *primus* e septem viris,
Qui stant ad aram proximi.

perue-

peruenerit, & qua ratione hoc officium ei demandatum sit, de eo quidem inter viros non nullos eruditos aliqua est controversia. SALMASIVS [e] & alii quidam existimant, initio eum non nisi seniorem Diaconum fuisse, etiamsi succedente tempore hoc officium electiuum euasisse, concedant. HABERTVS [f] illud semper electiuum, & in Episcopi libertate atque arbitrio positum fuisse putat, de Diaconis quempiam nominare, quem ad hoc officium idoneum iudicaret. Ita cum ATHANASIO actum fuisse, ex iis quodammodo intelligitur, quæ de ipso refert [g] THEODORETVS, quod licet ætate esset paullo iunior, ordinis tamen Diaconorum princeps factus sit. Hoc enim VALESIO iudice, ab Episcopo eum electum atque iis, qui ætate ipsum antecesserunt, prælatum fuisse indicat. HIERONYMVS loco ante citato, in constituendo Archidiacono non ætatis rationem habitam, sed de cæteris eum electum fuisse, perspicue adserit: tantummodo eligendi potestatem Diaconis videtur tribuere :| sed vero si quid commercii hac in re habuerunt, sub Episcopi directione id habuisse censendi sunt, quippe qui in quibusdam canonibus iubetur sibi Archidiaconum eligere & seniorem ordinarie cæteris præferre, si huic officio vere idoneus exsisteret: sin minus, alium quemdam eligere debebat, quem ad officia ecclesiastica obeunda [h] prouinciamque sibi concreditam recte administrandam omnium maxime idoneum iudicaret.

(e) Salmas. de Primat p. 8 Cum *primum Diaconum* aut *primum Presbyterum* legimus in antiquorum scriptis, de eo intelligendum, *qui ordinationis tempore prior est.* - - Ex primo Episcopo *Archiepiscopus* exiit electione, qui olim primatum habuisset ætatis ac πρωτογενεσίας merito. *Sic etiam facti Archidiaconi.* Suic. Thes. Eccles. Tom. I. p. 531. Qui olim fuerint *Archidiaconi*, docet Cl. Salmasius de Primatu Papæ p. 8. 9. &c.

(f) Habert. Pontifical. Obseru. VI. p. 206. Sole clarius efficimus, *Archidiaconum electione*, non vero tempore, dignitate, non antiquitate Diaconis prolatum & præfectum.

(g) Theod. lib I. c. XXVI. Ανὴρ παιδιόθεν μὴν τοῖς θείοις μαθήμασιν ἐντραφεὶς· ἐν ἑκάστῃ δὲ τάξει τῶν ἐκκλησιαστικῶν χορῶν γενόμενος ἀξιάγαστος· - - συνῆν δὲ Αλεξάνδρῳ τῷ πάνυ, νεὸς μὲν ὢν τὴν ἡλικίαν, τοῦ χοροῦ δὲ τῶν διακόνων ἡγούμενος. Vir a puero diuinis litteris innutritus & in singulis Ecclesiastici ordinis gradibus summa cum admiratione versatus. - - Versabatur autem in comitatu eximii Alexandri, ætate iuuenis ipse quidem, sed *Princeps ordinis.*

(h) Conc. Agath. c. XXIII. (Tom. IV. p. 1387.) Si officium Archidiaconatus propter simpliciorem naturam implere aut expedire nequiuerit, ille loci sui nomen teneat, & ordinationi Ecclesiæ, quam Episcopus elegerit, præponatur.

§. III.

Plerumque tantæ erant existimationis & potestatis, vt Episcoporum successores eligerentur.

Officium Archidiaconi magnum semper honorem atque dignitatem habuit: perpetuus enim Episcopi minister erat & adiutor; & post Episcopum vniuersæ Ecclesiæ oculi in ipsum conuersi erant. Quo ipso id lucrifacere solebat, vt præ ipsis Presbyteris Episcopi sui successor eligeretur. Cuius rei diuersa exempla, *Athanasius*, *Cæcilianus* & alii complures adferri possent. Et hæc, reor, caussa est, quamobrem HIERONYMVS Archidiaconum iniuria se ipsum [i] dicat adficere, si Presbyter ordinetur: probabiliter quod hoc ipso commodum suum in Ecclesia perderet, nec ad ampliorem dignitatem prouehi posset. Ita in Ecclesia *Romana* obtinuisse, firmiter possumus concludere, si quidem id, quod EVLOGIVS, scriptor *græcus* apud PHOTIVM, dicit, vero est consentaneum: quod *Romæ* nimirum lex [k], fuerit, vt Archidiaconus successor Episcopi eligeretur, & quod idcirco *Cornelius* Nouatianum ordinauerit Presbyterum, vt priuilegiis & spe succedendi eum priuaret. Sed prægnans, fateor, caussa est de veritate huius relationis dubitandi, tum quod de eiusmodi lege in Ecclesia *Latina* nihil legimus; tum quod hic Auctor manifesto errat, quando *Cornelium Nouatianum* Presbyterum ordinasse dicit, qui diu ante Presbyter & probabiliter numquam vel Archidiaconus vel Diaconus, sed ex Laico statim Presbyter consecratus fuit, quemadmodum ex CYPRIANI [l] & CORNELII [m] epistolis tacite eo respicientibus colligi potest. Sed tamen

(i) Hieron. Com. in Ezech. c. XLVIII. Certe qui *primus* fuerit *ministrorum*; quia per singula concionatur in populos, & a Pontificis latere non recedit, *iniuriam putat, si Presbyter ordinetur.*

(k) Eulog ap. Phot. Cod. CLXXXII. Τὸν ἀρχιδιάκονον ἐνενόμιστο διάδοχον τοῦ ἀρχιερατεύοντος καθίστασθαι Archidiaconum succedere summo sacerdoti statutum erat.

(l) Cyp. Ep. LII. al. LV. ad Antonian. *Non* iste (Cornelius) *ad Episcopatum subito peruenit*, sed per omnia ecclesiastica officia promotus & in diuinis administrationibus Dominum sæpe promeritus ad sacerdotis sublime fastigium cunctis religionis gradibus adscendit.

(m) Concil. Ep. ad Fabian. ap. Euseb. lib. VI c. XLIII: Quum egregius ille vir (Nouatus) ecclesiam Dei reliquisset, in qua post susceptum baptismum Presbyteri gra-

men

men ſi EVLOGIVS per legem nihil amplius quam conſuetudinem intelligit: forte id potuit eſſe conſuetudinis *Romæ*, quemadmodum & aliis quibusdam in locis, vt Archidiaconos Epiſcoporum ſucceſſores crearint: quum poteſtas ipſorum ac priuilegia, vt dixi, communiter mirificam ipſis occaſionem in beneuolentiam tum Clericorum, tum plebis ſeſe inſinuandi ſuppeditarent.

§. IV.

Officia Archidiaconi. Primo: *Epiſcopo ad aram miniſtrare.*

Quod ad officium Archidiaconi attinet, proximus ſemper Epiſcopi erat miniſter atque pediſſequus: *A latere Pontificis non receſſit*, vt HIERONYMI phraſi vtar, ſemper ad ſubueniendum ei paratus. Speciatim ad altare, Epiſcopo ſacris operante, ſolita Diaconi officia peragebat, de quibus proxime præcedenti capite diximus. Auctori *Conſtitutionum* dicitur ὁ παρεςὼς τῷ ἀρχιερεῖ *Diaconus qui Epiſcopo adſiſtebat* atque incipiente Euchariſtiæ celebratione proclamabat: *Nemo* [n] *contra aliquem, nemo in ſimulatione accedat.* Illius erat calicem miniſtrare populo, vbi Epiſcopus Euchariſtiam celebrans panem ante eum diſtribuerat, quemadmodum ex iis diſcimus, quæ de *Laurentio* Archidiacono *Romano* [o] narrat AMBROSIVS. Ipſius etiam tamquam vicarii Epiſcopi erat ea, quæ ad Clericos inferiores ſpectabant, eorumque miniſteria atque officia in Eccleſia diſponere: exempli cauſſa, quis ad orandum adhortari, quis eorum ianuas cuſtodire, quis in templo obambulare & plebis mores obſeruare; quis Lectorum, Acolythorum, Hypodiaconorum eo tempore, quo loco & ſtatione, officium perficere deberet. Hæc enim non præciſe ordinata, ſed in Epiſcopi arbitrio poſita erant, vt pro lubitu inſtitueret; id quod plerumque per Archidiaconum faciebat: cuius inde mandata & iuſſa, in quibusdam antiquioribus Conciliis *ordinationes* & *ordinatio Eccleſiæ* [p] quandoque

dum fuerat conſequutus, idque per gratiam Epiſcopi, qui manus illi imponens eum ad Presbyterorum ordinem euexit.

(n) Conſtit. Apoſt. lib. II. c. LVII. *Μήτις κατά τινος· μήτις ἐν ὑποκρίσει.*

(o) Ambroſ. de Offic. lib. I. c. XLI. citat cap. XX. §. VIII. (d) p. 308.

(p) Vid. Concil. Agath. c. XXIII. conf. §. II. not. (h) p. 329.
Iſidor. Hiſpal. Ep. ad Ludifred. ap. Gratian. Diſtinct. XXV. c. I. §. XI. *Ordinatio* veſtiendi altaris &c. Sollicitudo parochiarum & *ordinatio* & iurgia ad eius pertinent curam.

appellantur. Vnde appellationem *Ordinarius*, quæ posterioribus temporis Archidiaconis adſignata eſt, ortam eſſe, exiſtimo.

§. V.

Secundo: *Epiſcopo in diſpenſandis Eccleſiæ reditibus ſuccurrere.*

Epiſcopo in diſpenſandis Eccleſiæ reditibus operam ſuam iungebat, & ſub Epiſcopo præcipuam gerebat curam pauperum, orphanorum, viduarum &c. quibus omnibus ſuæ cuique portiones ab ipſo adſignabantur, & per manus Diaconorum, qui ſub eo erant, reddebantur. Concilium *Carthaginenſe* quartum [*q*] huius partis officii Archidiaconalis mentionem inicit, quando præcipit: *Vt Epiſcopus gubernationem viduarum, pupillorum ac peregrinorum non per ſe ipſum, ſed per Archipresbyterum aut per Archidiaconum agat.* Hoc intuitu PRVDENTIVS [*r*] officia *Laurentii*, quem Archidiaconum *Romæ* fuiſſe dicit, deſcribens inter alia theſauri eccleſiaſtici claues, & curam diſpenſandarum oblationum populi ei adſignat. Et ob eamdem cauſſam tum ille ipſe tum AMBROSIVS [*s*] aliique martyrii eius ſcriptores perhibent, præfectum ethnicum ei imperaſſe, vt theſauros fidei ipſius concreditos ſibi extraderet: quod quum ſe facturum promiſiſſet, paullo poſt pauperibus, claudis, cæcis, infirmis adductis, dixiſſe fertur, has eſſe diuitias, quas cuſtodiendas accepiſſet, hiſce enim opes Eccleſiæ ſe expendiſſe. AVGVSTINVS hoc ſuum officium fuiſſe dicit, quoad Archidiaconus Eccleſiæ fuerit.

(*q*) Conc. Carth. IV. c. XVII. (Tom. II. p. 1201.)

(*r*) Prud. Hymn. de S. Laur. v. 39-44. p. 95. edit. Cellar.

Leuita ſublimis gradu,
Et cæteris præſtantior
Clauſtris ſacrorum præerat
Cæleſtis arcanum domus
Fid s gubernans *clauibus*
Votasque diſpenſans opes.

(*s*) Ambroſ. de Offic. lib. II. c. XXVIII. Tale aurum ſanctus Martyr Laurentius Domino reſeruauit, a quo quum quærerentur theſauri Eccleſiæ, promiſit demonſtraturum ſe. Sequenti die pauperes duxit. Interrogatus vbi eſſent theſauri, quos promiſerat, oſtendit pauperes, dicens: *Hi ſunt theſauri Eccleſiæ.*
Aug. Serm. CXI. de Diuerſis. Sanctus Laurentius Archidiaconus fuit: Opes Eccleſiæ ab illo Perſecutore quærebantur. conf. Id. de diuerſ. Serm. CXXIII.

Hinc

Hinc PAVLINVS [t] Archidiaconum *arcæ custodem* nuncupat: quia, etsi reliqui Diaconi distribuere pecunias & suam cuique portionem reddere debebant, ipse tamen præcipuus eorum administrator erat & director, ab eoque tamquam ecclesiastici thesauri custode iussa accipiebant. Hinc est, quod *Donatistæ* inter alia *Cæcilianum* criminabantur, prohibuisse eum dictitantes, quo minus Diaconi martyribus in custodia vllum vitæ subsidium [u] adferrent. Quam criminationem hoc ipso fundatam fuisse oportet, quod ex officio, tamquam Archidiaconus, martyribus alimenta prospicere debuit; quod eum non tantum neglexisse, sed auctoritate sua etiam eo abusum fuisse caussabantur, vt iis, qui imperio ipsius subfuerint, ea illis ministrare interdixerit.

§. VI.

Tertio: *Concionibus habendis ipsum subleuare.*

Alia officii eius pars erat, Episcopi loco non numquam concionari. Quemadmodum enim Diaconus quisque consentiente Episcopo concionandi habebat auctoritatem, ita Archidiaconus omnium Diaconorum eminentissimus, frequenter ad hoc officium præstandum seligebatur, si quidem verba HIERONYMI supra ad §. III. not. [i] adducta, *Primus ministrorum per singula concionatur in populos*, ita fas est intelligere. Vocabulum enim *singula* tam ad tempora quam ad loca referri potest. Quod si vero quis existimet, concionari hoc loco nihil amplius significare, quam *prædicare* & κηρύσσειν, hoc est officium sacri præconis in congregatione explere, non refragabor; hoc tantum dico, quod HIERONYMVS loquens de re quapiam, qua Archidiaconi populi studia & gratiam sibi conciliarint, potius officium concionandi, quam aliud quidpiam intelligere videatur.

(t) Paulin. de mirac. S. Martin. lib. IV. Bibl. Patr. Tom. VIII. p. 865. (p. 1034. edit. MDLXXXIX.) Protinus adstanti *Diacono*, quem more priorum Antistes sanctæ *custodem* legerat *arcæ*, Imperat &c.

(u) August. Breuic. Collat. III. c. XIV. (Tom. VII. Edit. Froben. p. 391. fin. 392.) Recitatum est a Donatistis Concilium ferme septuaginta Episcoporum contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, vbi eum absentem damnauerunt, quod ad eos venire noluerit, tamquam a traditoribus ordinatus, & *quia cum esset diaconus victum adferri martyribus in custodia constitutis prohibuisse, dicebatur.*

§. VII.

Quarto : *Ordinandis inferioribus Clericis.*

Archidiaconus Episcopum ordinandis inferioribus Clericis Hypodiaconis, Acoluthis, cæteris plerumque subleuabat. Officium eius in hoc negotio speciatim descriptum legimus in diuersis concilii quarti *Carthaginensis* [w] canonibus, qui rationem commonstrant, quomodo inferiores Clericos oporteat ordinari ; nimirum, non per impositionem manuum, quæ tantum ad superiores spectabat ordines, sed ita, vt vasa quædam sacra Ecclesiæ e manibus partim Episcopi partim Archidiaconi acciperent. Vt vnum duntaxat exemplum ordinationis Acolythi adferamus, dicit Canon ; *Acolythus quum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & vrceolum vacuum adsuggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi.*

§. VIII.

Quinto : *Archidiaconus potestatem habebat Diaconos & inferiores Clericos, non autem Presbyteros, pœna ecclesiastica adficiendi.*

Archidiaconus potestate etiam donatus erat reliquos Diaconos & inferiores Clericos Ecclesiæ puniendi. Ita certe in quibusdam Ecclesiis obtinuisse, ex loco quodam in Actis Concilii *Chalcedonensis* liquido apparet, vbi *Ibas* Episcopus *Edessæ* de *Mara* quodam Ecclesiæ suæ Diacono loquens, eum sacris arcitum esse dicit non a se, sed ab Archidiacono suo, qui [x]

(w) Conc. Carth. IV. c. V. (Tom II. p. 1200.) Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de episcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum. *De manu* vero *Archidiaconi vrceolum cum aqua & mantila & manutergium.* c. VI. Acolythus &c. vid. in textu. c. IX. Ostiarius cum ordinatur, postquam *ab Archidiacono* instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conuersari, *ad suggestionem Archidiaconi* tradat ei Episcopus claues ecclesiæ de altario dicens : Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recludantur.

(x) Conc. Chalced. Act. X. (Tom. IV. p. 653.) *ὁ θεοσεβέστατος ἐπίσκοπος Ἴβας εἶπε - - - Μάρας κατὰ τὸ ἀληθὲς ἀκοινώνητός ἐστι τῷ ἰδίῳ ἀρχιδιακόνῳ, οὐδὲ γάρ ἐμοί ἐστιν ἀκοινώνητος· ἐπειδὴ ὕβρισε πρεσβύτερον, διὰ τοῦτο ἀκοινώνητον αὐτὸν ἐποίησε.* Religiosissimus Episcopus Ibas dixit : - - *Maras* secundum veritatem *excommunicatus est a proprio archidiacono*, (non enim a me excommunicatus est) quoniam iniuriam fecit Presbytero, ob hoc eum a communione suspendit.

propter

propter crimen in Presbyterum quemdam admissum, sacra communione ei interdixerit.

An vero Archidiaconus vllam in Presbyteros potestatem habuerit, de eo viri docti disputant. SALMASIVS [y] & post eum eruditus SVICERVS [z] ipsum Archipresbyterum in Ecclesia *Romana* ei subiectum fuisse, non dubitant adfirmare. CVIACIVS & alii quidam a BALVZIO [a] citati vlterius progrediuntur, ita in omnibus Ecclesiis obtinuisse, dictitantes. Enim vero ne vllum quidem istiusmodi potestatis vestigium in vllo antiquo Scriptore vel Concilio inuenias: sed omnis istius erroris origo corruptioni cuidam in GRATIANI Decreto & in Decretalibus GREGORII Noni debetur, qui citant verba ad marginem adlegata [b] alter quidem quasi ex ISIDORO HISPALENSI, alter vero e Concilio *Toletano*, rati inde probari posse, quod Archipresbyter Archidiacono subiectus esse debeat: cum tamen ex BALVZII & *Romanorum* Correctorum confessione istiusmodi verba in epistola ISIDORI numquam inventa sint; & GARSIAS LOAISA ea in vllo genuino Concilii *Toletani* decreto exstare, neget. Vt ita omnis huius rei fides sit penes GRATIANVM & eos, qui Decretales compilarunt, quorum vero testimonia in rebus ad antiquitatem attinentibus exiguum momentum trahunt, si non meliora documenta, quam nudam eorum adsertionem, habeant. Non negauerim tamen, GRATIANI memoria sic fuisse, quemadmodum ipse dicit; eius enim ætate Archidiaconos e Presbyterorum ordine electos fuisse, probabile est; quamquam, quo demum tempore id fieri cœperit, non ita facile definiri potest. Hoc certum omnino est, sæculis aliquot ante GRATIANVM consuetudinem iam fuisse immutatam. Nam sæculo nono ad minimum aliqui Archidiaconi de Presbyterorum erant ordine; quemad-

(y) Salmas. de Primat. c. I. p. 9. lin. pen. In Romana Ecclesia vicarius fuit (Archidiaconus) Episcopi, & *Archipresbyterum etiam sub se habebat*: quod mirum, cum Presbyteros Diaconis maiores fuisse notum sit.

(z) Suicer. Thesaur. Tom. I. p. 533. vbi iste Salmasii locus adlegatur.

(a) Baluz. Not. ad Gratian. Distinct. XXV c. I. p. 455.

(b) Grat. Distinct. XXV. c. I. ex Epist. Isidor. Hispal. ad Ludifred. (p. 415. edit. Colon. MDCXVIII.) *Archipresbyter* vero se esse *sub Archidiacono*, eiusque praeceptis sicut Episcopi sui sciat obedire.
In Gregorii Decretal. lib. I. Tit. XXIV. de officio Archipresb. c. II. eadem verba citantur ex Concilio Toletano.

modum

modum ex HINCMARI *Capitulis* [c], ad *Guntharium* & *Odelhardum*, duos ex ipsius Archidiaconis, quos Presbyteros Archidiaconos appellat, directis, apparet. Et satis idonea caussa suppetit arbitrandi, quod tempore GRATIANI Archidiaconi vniuersi ex Presbyterorum collegio fuerint. Vnde mirum haud est, quod GRATIANI ætate in Archipresbyteros potestatem habuisse dicantur, quod istius æui lingua nihil amplius quam Decanos rurales significat, in quos Archidiaconi in hunc vsque diem potestate gaudent. Ex quibus lectores poterunt iudicare, quam exigua adeo fides illis habenda sit scriptoribus, qui antiquiorum temporum consuetudines ex sui temporis praxi metiuntur, & quæcunque regulis ac moribus suæ ætatis conueniunt, ea vetustatis nomine venditant.

§. IX.

De nomine ἀπαντητὴς, Circumlustrator, *& num Archidiaconi vllam potestatem in vniuersam diœcesin habuerint.*

Sed vt ad primitiuæ Ecclesiæ Archidiaconos redeamus, vnum adhuc est, de quo disputari potest: Vtrum videlicet Archidiaconorum potestas super omnem diœcesin olim sese extenderit, an in Ecclesia ciuitatis seu matre fuerit terminata. Medio æuo sine controuersia in vniuersam diœcesin habuerunt potestatem. Nam ISIDORVS HISPALENSIS, qui sæculo nono ineunte vixit, vbi de Archidiaconi officio agit, *sollicitudo quoque*, inquit [d], *Parochitanorum* (al. *Parochiarum*) hoc est Diaconorum & inferiorum Clericorum *& ordinatio & iurgia ad eius pertinent curam: Pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti: ipse inquirit parochias cum iussione Episcopi, & ornamenta vel res basilicarum parochitanorum* (al. *parochiarum*) *& libertatum ecclesiasticarum Episcopo idem refert.* HABERTVS [e] Archidiaconos eamdem potestatem iam sæculis aliquot ante habuisse existimat, idque probaturus locum adfert e Concilio *Chalcedonensi*,

(c) Hincmar. Capitula Archidiaconibus Presbyteris data Tom. VIII. Conc. p. 591.

(d) Isidor. Ep. ad Ludifred. & ap. Gratian. Distinct. XXV. c. I.

(e) Habert. in Pontific. Part. IX. obseruat. VI. p. 209. Sollicitudo & ordinatio paræciarum ad Archidiaconum spectat, ait Isidorus, quod maxime in Diaconum Apantitam cadit, de quo in Actis Concilii Chalcedonensis in libello Samuelis & aliorum Presbyterorum Edessæ, Ἀβραάμιος διάκονος ἀπαντητὴς τῆς ἡμετέρας ἐκκλησίας, *Abraamius Diaconus occursor nostræ Ecclesiæ.*

nensi, vbi in ſcripto quodam [*f*] a Presbyteris *Edeſſenis* aduerſus *Ibam* ipſorum Epiſcopum exhibito, *Abraamius* Diaconus eccleſiæ in omnibus latinis eius verſionibus vocatur *Diaconus Apantita*, qua appellatione HABERTVS putat vniuerſalem Eccleſiæ inſpectorem deſignari. Sed vero duæ planæ rationes contra hanc ſententiam militant, quas mirum eſt perſpicacem alioquin HABERTVM non vidiſſe: I. Quod *Abraamius* non erat Archidiaconus, ſed priuatus tantum Eccleſiæ Diaconus: nam eodem loco alius cuiusdam Archidiaconi fit mentio, qui quum *Ibas* in eo eſſet, vt *Abraamium* ordinaret epiſcopum *Patenæ*, interpellarit atque impedierit, quo minus id faceret, ideo quod artis magicæ nomine cenſuræ eccleſiaſticæ ſubfuiſſet, neque vllam Eccleſiæ ſatisfactionem præſtitiſſet. Et quamquam *Ibas* Archidiaconum munere deiiciendi occaſionem arripuiſſe dicitur, tamen ne verbo quidem indicatur, quod *Ibas Abraamium* in iſtius locum ſurrogauerit; quod ſi feciſſet, aliud ſine dubio accuſationis caput contra eum coram Concilio ſuppeditaſſet. II. Textus græcus authenticus in editione LABBEI non habet: διάκονος ἀπαντητὴς, vt HABERTVS legit, ſed tantum διάκονος ἀπ' αὐτῆς τῆς ἡμετέρης ἐκκλησίας, *Diaconus ipſius eccleſiæ noſtræ Edeſſæ*: & quamquis ἀπαντητὴς in margine poſitum ſit, non tamen pro variante lectione, ſed tantum Editoris coniectura id habendum eſt, quæ, mea quidem ſententia, non ſatis idoneum fundamentum eſt, quo eiusmodi adſertum ſuperſtruatur, niſi aliud quoddam argumentum ſeu teſtimonium in medium proferatur. Quocirca de poteſtate Archidiaconorum, quam antiquis temporibus habuerint, nihil definio, ſed prudentis lectoris ampliori inueſtigationi & deciſioni illud ipſum relinquo.

§. X.

De nomine Cor-epiſcopi, *cur illud Archidiacono datum fuerit.*

Alius nominis mentionem facit VALESIVS, quod Archidiaconis interdum datum eſſe, putat, nimirum nomen *Cor-epiſcopi*; quam in rem verba cuiusdam IOANNIS ABBATIS [*g*] in libro de

(*f*) Concil. Chalced. Act. X. (Tom. IV. p. 650. n. XVI.)

(*g*) Io. Abbas ap. Valeſ, Not, in Theodoret. lib. I, c. XXVI. Huius rei nouitas dum

transportatione vel mutatione S. Chorepiscopis scripto, citat. Hoc ipsum primo intuitu quasi corruptio quædam nominis *Chorepiscopi* videri potest, quod veterum Chorepiscoporum potestas posterioribus temporibus in Archidiaconorum abiit potestatem: at enim vero si consideremus, omnes diaconos antiquis temporibus appellatos fuisse Episcopi oculos, ipsius aures, os & cor, quemadmodum vltimo capite §. XIX. obseruatum fuit, valde probabile est, Archidiaconum his titulis speciatim fuisse dignatum: adeoque *Cor Episcopi* vocatum; quod ad significandam eius mentem & voluntatem populo adhibitus fuit: quemadmodum *Oculus Episcopi* non tantum in antiquis Scriptoribus [h], sed in *Decretalibus* etiam [i], & Concilio *Tridentino* [k], nominatur, quia erat Episcopi oculus ad dioecesin sub eo inspectandam.

§. XI.

Virorum doctorum opiniones de prima nominis ac officii Archidiaconalis origine.

Fuerint forte porro, qui primam nominis ac officii Archidiaconorum in Ecclesia originem scire cupiant: sed hæc res tanta inuoluta est obscuritate, vt certi quid de ea statuere non adeo facile possimus. HABERTVS & alii quidam [l] Scriptores

ad notitiam supra memorati Pontificis peruenisset, morarum impatiens mox in crastinum ad hoc inspectandum fere unum ex tribus cum Archidiacono majore, quem *Cor-Episcopi* dicunt, Pontifex direxit.

(h) Isidor. Pelus. lib. I. Ep. XXIX. vid. c. XX. §. XIIX. not. (b) p. 322.

(i) Decretal. lib. I. Tit. XXIII. c. VII. §. IV. In epistola B. Clementis Papæ præd. nostr. *Oculus Episcopi Archidiaconus* appellatur, vt loco Episcopi per Episcoporum prospiciens, quæ corrigenda viderit corrigat & emendet: nisi adeo fuerint ardua negotia, quæ absque maioris sui præsentia nequeant terminari.

(k) Concil. Trid. Sess. XXIV. c. XII. de Reformat. Archidiaconi etiam, qui *oculi* dicuntur Episcopi &c.

(l) Habert. Not. in Pontific. obseruat. VI. p. 207. Quæsierit a me aliquis, quam antiqua esset Archidiaconi nomenclatura: nam de re constat tam antiquam esse quam est ipsa Diaconorum institutio, vnde S. *Stephanum Archidiaconum* vocat Menologium. Nomen vero Archidiaconi apud antiquius Concilium Nicæno reperire non esset, si vera esset codex Arabicorum Canonum editionis Alphonsi Pisan. & Turriani PP. Soc. Iesu in cuius canonibus frequentissima fit mentio Archidiaconi &c. - - Antiquioris non est mihi notæ auctor, apud quem Archidiaconi nomen legerim, sancto Hieronymo &c.

Baron. a. XXXIV. n. CCLXXXV. Quod Lucas recensendo singulorum septem Diaconorum nomina, primum ordine ponat Stephanum; S. Augustinus ex eo accidisse putatur, quod *primatum gereret inter Diaconos*: vnde hæc ait: *Inter*

Roma-

Romanenses hoc officium eiusdem antiquitatis esse iudicant cum ipsis Diaconis, ab ipsa Apostolorum constitutione id deriuantes *Stephanumque* primum ecclesiæ Archidiaconum facientes. Alii autem maiori cum ratione [*m*] illud ex sæculo tantum tertio deducunt, & tamquam materiam controuersam aliis diiudicandam relinquunt, an non eiusmodi quid, cuiusmodi est officium Archidiaconi, tempore CORNELII Episcopi *Romani* sæculo tertio medio fuerit. Hoc certum est, CORNELIVM in epistola sua ad FABIVM, in qua Clericorum *Romanorum* catalogum [*n*] nectit, etiamsi de Diaconis, Hypodiaconis, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus & Ostiariis loquatur, Archidiaconi speciatim nullam facere mentionem. Neque CYPRIANVS hoc nomine vnquam vsus est. Sed tamen ante huius sæculi finem CÆCILIANVS hunc titulum habuisse creditur, quod OPTATVS ita eum nuncupat, & nomen istud apud HIERONYMVM & alios scriptores sæculi quarti, in quo vixit HIERONYMVS, frequenter occurrit. BARONIVS quidem AVGVSTINI vrget testimonium ad probandum, quod *Stephanus* proprie fuerit Archidiaconus: Ab AVGVSTINO enim *Primicerium Diaconorum* eum nominari dicit. Qui vero AVGVSTINVM inspicere voluerit, e vestigio eius aberrationem deprehendet. Non enim ibi legitur *Primicerius Diaconorum*, sed *Primicerius* [*o*] *Martyrum*, hoc est Protomartyr, vt nobis vulgo audit, quia primus fuit eorum, qui Christi caussa mortem subiere. Atque hinc lector ὡς ἐν παρόδῳ obseruare potest, quod vocabula *Primicerius* & *Primus* non semper potestatis ac iurisdictionis excellentiam, sed temporis tantum siue honoris ac dignitatis prærogatiuam, loci vel externi ordinis intuitu, denotent. Quo sensu idem AVGVSTINVS [*p*] alibi *Stephanus*, inquit, *inter Diaconos illos nominatus*

Diaconos nominatus primus, sicut inter Apostolos Petrus, idemque *primicerius Diaconorum & Archidiaconus*, vt a Luciano & aliis nonnullis tam Græcis quam Latinis appellatus habetur.

(*m*) Fell. Not in Cypr. Ep. LII. al. XLIX. ad Cornel Priorius ait: *Non vno crimine hæreseos laborasse videtur hic Nicostratus, qui mihi Archidiaconus fuisse videtur, cui etiam creditæ erant opes & pecuniæ Ecclesiæ, verum metu iudicii ob rapinam & sacrilegium in Africam Nouatum sequutus est.* Dispiciendum, vtrum Nicostrati sæculo obtinuerit Archidiaconatus munus.

(*n*) Cornel. Ep. ad Fab ap. Euseb. lib. VI. c. XLIII.

(*o*) Aug. Serm. I. de Sanctis Tom. X. Hodie celebramus natalem, quo *Primicerius Martyrum* migrauit ex mundo.

(*p*) August. Serm. XCIV. de Diuersis.

tus primus, ſicut inter Apoſtolos Petrus. Qui primatus vtrique, ſine vlla iurisdictionis adſignatione poteſt indulgeri. HABERTVS porro ad teſtimonium *græci Menologii* prouocat, quod *Stephano* titulum Archidiaconi tribuit: at vero ex iſtiusmodi libris id ſufficienter demonſtrari nequit, quod recentioris ætatis ſunt, & de rebus antiquis loquuntur lingua & verbis ſui temporis vtentes: quam ob cauſſam exigua eorum ratio habenda eſt, niſi conſonis quorumdam antiquorum auctorum teſtimoniis muniti fuerint: ex quibus tamen in hoc caſu nullus eſt, qui vel ex transuerſo huic adſerto vllum documentum ſuppeditet. Ab altera tamen parte opinio SALMASII [q] non minus reiicienda eſt, qui officium Archidiaconi HIERONYMI ætate in Eccleſia fuiſſe negat, etiamſi tum temporis in vnaquaqe eccleſia Epiſcopum, Archipresbyterum & Archidiaconum plerumque fuiſſe, ipſe HIERONYMVS [r] expreſſis verbis teſtetur. Sed hæc vſitata iſtius auctoris in libro *de Primatu* methodus eſt, vt parodoxa ex ſuo ingenio conficta pro antiqua hiſtoria venditet, & de levibus coniecturis certa quæque ſtatuat; & id quidem ſæpenumero contra planiſſimam antiquorum monimentorum fidem, quemadmodum ex hoc caſu, de quo nunc agimus & aliis compluribus, quorum in hoc opuſculo nactus ſubinde occaſionem memini, apparet. Optandum eſſet, vt auctor ille, qui de argumento admodum vtili ſcripſit, paullo accuratius in enarrando clericorum primitiuæ eccleſiæ ſtatu fuiſſet; & dum Papæ *Romani* primatum demolitum iuit, de quibusdam aliis ordinibus multo antiquioribus in Eccleſia minus confuſe egiſſet.

(q) Salmaſ. de Primat. c. I. p. 8 Hieronymus in Epiſtola ad Euagrium: *Nam & Alexandriæ a Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in exceiſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant; quomodo ſi exercitus imperatorem, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium nouerint, & Archidiaconum vocent.* Apparet nondum tunc *Archidiaconi* officium ac dignitatem in Eccleſia fuiſſe. Presbyteri, inquit, e ſuo numero eligebant, quem in excelſiori gradu locabant & Epiſcopum nominabant. Quod eodem modo fit, ac ſi Diaconi de ſe eligerent, quem induſtrium noſſent, & *Archidiaconum* vocarent. &c.

(r) Hieron. Ep. IV. ad Ruſtic. cit. ad §. I. not. (a) p. 328.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT VICESIMVM SECVNDVM
DE DIACONISSIS.
§. I.
Diaconissæ antiquis temporibus appellatæ Διάκονοι, Πρεσβύτιδες, Viduæ, Ministræ.

POstquam de Diaconis & Archidiaconis loquuti sumus, restat, vt hoc loco de *Diaconissis* non nihil dicamus, quia earum officium atque ministerium magni vsus fuit in ecclesia primitiua. Earum quædam in sacris litteris fit mentio, vnde earum officium ab Apostolorum tempore ortum esse apparet. PAVLVS *Phœben* appellat διάκονον Ecclesiæ *Cenchreensis* Rom. XVI, 1. Vox græca διάκονος respondet latinæ *Ministra*, quod nomen iis datum est in epistola PLINII [s], quæ de Christianis loquitur. TERTVLLIANVS [t] & quidam alii *Viduas* eas earumque officium *Viduatum* nuncupant, quod plerumque e viduis Ecclesiæ eligebantur. Eamdem ob caussam EPIPHANIO [u] & Concilio *Laodiceno* [w] πρεσβύτιδες, *viduæ seniores*, dicuntur, quia non nisi tales in officium istud cooptabantur.

(s) Plin. lib. X. Ep. XCVII. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ *ministræ* dicebantur, quid esset veri & per tormenta quærere.

(t) Tertull. lib. I. ad Vxor. c. VII. Quantum detrahant fidei, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina ecclesiæ & præscriptio Apostoli declarat, *cum digamos non sinit præsidere, cum viduam adlegi in ordinem, nisi vniuiram, non concedit.* -- Sacerdotium *viduitatis* & cælibatium est apud nationes.

It. de veland. Virginib. c. IX. citat. seq. not. (x).

Epiphan. Hæres. LXXIX. n. IV. Παρατηρητέον δὲ, ὅτι ἄχρι διακονισσῶν μόνον τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἐπεδεήθη τάγμα, χήρας τε ὠνόμασε, καὶ τούτων τὰς ἔτι γεραιτέρας πρεσβύτιδας· οὐδαμοῦ δὲ πρεσβυτερίδας ἢ ἱερίσσας προσέταξε. Illud vero diligenter obseruandum est, solum *Diaconissarum* officium ad Ecclesiasticum ordinem necessarium fuisse; ac *viduas* quidem nominatim expressas & inter illas, quæ anus essent *Presbytidas* vocatas, numquam Presbyteridas aut Sacerdotissas esse factas.

Ignat. Ep. ad Smyrn. n. XIII. vid. infra not. (y).

(u) Epiphan. Hæres. LXXIX. n. IV. vid. not. anteced. (t).

(w) Concil. Laodic. c. XI. (Tom. I. Conc. p. 1497.) Περὶ τοῦ, μὴ δεῖν τὰς λεγομένας πρεσβύτιδας, ἤτοι προκαθημένας ἐν ἐκκλησίᾳ καθίστασθαι. Non oportet eas, quæ dicuntur Presbyteræ & Præsidentes, in ecclesiis constitui.

§. II.

Diaconissas vi legum quarundam viduas esse oportebat.

Secundum enim vetustas quasdam leges in vnaquaque, quæ in hunc ordinem recipienda erat, hæc quatuor requirebantur. I. Debebat esse vidua. II. Debebat esse vidua, quæ liberos enixa fuerat. III. Vidua μονόγαμος seu vni tantum viro nupta. IV. Vidua ætate iam grandior, quadraginta vel sexaginta annos nata. Enimvero istæ regulæ omnes patiebantur exceptionem. TERTVLLIANI æuo Diaconissæ ex viduarum numero eligebantur, ita vt quum aliquando certa quædam virgo natu paullo minor Diaconissa facta esset, de hoc ipso [*x*] tamquam prodigio & monstro in Ecclesia loquatur. Sunt tamen inter viros doctos, qui virgines etiam IGNATII ætate Diaconissas factas esse, statuunt: quod IGNATIVS in epistola ad *Smyrnæos* [*y*] virgines, dictas viduas hoc est Diaconissas, salutet, quemadmodum COTELERIVS & VOSSIVS id recte interpretantur, Virgines enim alio sensu congruo viduæ appellari nequeunt. Nonnulli putant vocabulum *virgines* lectionem esse corruptam, quæ in textum irrepserit; sed huius coniecturæ nulla est ratio, non enim solus IGNATIVS de virginibus Diaconissis loquitur. EPIPHANIVS [*z*] ætate sua quasdam virgines, quasdam viduas semel nuptas, fuisse dicit. Auctor *Constitutionum* [*a*] idem testatur, *Diaconissa*, inquiens, *eligatur virgo pudica: sin autem non fuerit virgo, sit saltem vidua, quæ vni nupserit & fidelis atque honorata sit.* Et ex IVSTINIANI *Nouellis* [*b*] quandam legem habet quod Diaconissæ ex alterutro ordine eligi debeant. Consequenter Ecclesiam tam virgines quam viduas ad hoc officium

(*x*) Tertull. de veland. Virgin. c. IX. Scio alicubi *virginem in viduatu* ab annis nondum viginti collocatam. Cui si quid refrigerii debuerat Episcopus, aliter vtique saluo respectu disciplinæ præstare potuisset, *ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum, in Ecclesia denotaretur.*

(*y*) Ignat. Ep. ad Smyrn. n. XIII. Ἀσπάζομαι τὰς παρθένους τὰς λεγομένας χήρας, Saluto *virgines*, vocatas *viduas*. Coteler. in h. l. *Viduæ* vocabantur, quia in *gradu Viduali* seu *Diaconico* erant constitutæ.

(*z*) Epiph. Exp. fid. Fid. n. XXI. εἰ χηρεύσασαι ἀπὸ μονογαμίας ἢ ἀεὶ παρθένοι οὖσαι.

(*a*) Constit. Apost. lib. VI c. XVII. Διακόνισσα γινέσθω παρθένος ἁγνή; εἰ δὲ μήγε, κἂν χήρα μονόγαμος, πιστὴ καὶ τιμία.

(*b*) Iustin. Nouell. VI c. VI. Ἢ παρθένους καθεστώσας ἢ ἑνὸς ἀνδρὸς γαμετὰς γενομένας aut virgines constitutas, aut vnius viri quæ fuerant vxores.

ad-

admisisse, legimus. GREGORIVS NYSSENVS [c] sororem suam, *Macrinam*, quæ virgo erat, Diaconissam fuisse dicit; idem de alia quadam virgine, *Lampadio*, adfirmat. Et SOZOMENVS [d] narrat, *Chrysostomum Nicareten* celebrem virginem ad hoc officium ordinare voluisse, illam autem abnuisse, quod vitam priuatam & philosophicam agere secum constituisset.

§. III.

Et tales quidem viduæ, quæ liberos habuerant.

Secundum quasdam leges non tantum viduæ, sed tales viduæ esse debebant, quæ liberos habuerant. TERTVLLIANVS [e] de æui sui, in quo vixit, consuetudine in hunc modum fatur: *Ad quam sedem præter annos sexaginta non tantum vniuiræ, id est, nuptæ aliquando eliguntur, sed et matres & quidem educatrices filiorum: scilicet vt experimentis omnium adfectuum structæ facile norint ceteras & consilio & solatio iuuare.* SOZOMENVS etiam legem [f] a THEODOSIO in hunc finem latam memorat, ita se habentem: *Nulli nisi emensis sexaginta annis, cui votiua domi proles sit, secundum præceptum Apostoli ad Diaconissarum consortium transferatur.* Lex ista iisdem adhuc verbis, quibus eam citat SOZO-

(c) Gregor. Nyssen. Vit. Macrin. Tom. II, pag. 180. Πολλάκις αὐτῇ τοὺς περὶ τῶν γάμων προσαγαγόντων λόγους τῶν γεινησαμένων, διὰ τὸ πολλοὺς εἶναι τοὺς κατὰ φήμην τοῦ κάλλους μνηστεύειν ἐθέλοντας, ἄτοπον εἶναι ἔλεγε καὶ παράνομον, μὴ στέργειν τὸν ἅπαξ ἐκ τοῦ πατρὸς αὐτῇ κυρωθέντα γάμον. Cum sæpenumero parentum ad eum deferrentur sermones, propterea quod multi erant, qui fama pulcritudinis eius adducti illam sibi cuperent vxorem adiungere: absurdum & iniquum esse dicebat, sibi non permitti, vt illud coniugium coleret, quo semel a patre deuincta esset. Pag. 181. ἐπεὶ ταῖς μυστικαῖς ὑπηρεσίαις τὰς χεῖρας ἑαυτῆς ἐχχριστε κ. τ. λ. Postea quam *sacris officiis* satisfecerat &c. Id. p. 197. Ἦν τις προτεταγμένη τοῦ χοροῦ τῶν παρθένων ἐν τῷ τῆς διακονίας βαθμῷ, Λαμπάδιον ὄνομα αὐτῇ. Erat quædam *præfecta virginum choro in ministerii gradu* nomine *Lampadia*.

(d) Sozom. lib. VIII. c. XXIII. Καίπερ τοιαύτη οὖσα, τοὺς πολλοὺς ἐλάνθανεν. ὑπὸ μετριότητος τρόπων καὶ φιλοσοφίας, ἀεὶ λανθάνειν ἐπετήδευεν· ὡς μήτε εἰς ἀξίωμα διακόνου σπουδάσαι προελθεῖν μήτε προτρεπομένου πολλάκις Ἰωάννου ἑλέσθαι ποτὲ παρθένων ἐκκλησιαστικῶν ἡγεῖσθαι. Licet talis tamque esset, plerisque ignota erat. Nam ob modestiam animi ac Philosophiæ studium perpetuo latere studebat; ita vt nec honorem *Diaconissæ* vnquam ambierit, nec *virginibus ecclesiasticis* præesse, licet Ioanne sæpius eam hortante, voluerit.

(e) Tertull. de Veland. Virgin. c. IX.

(f) Sozom. lib. VII. c. XVI. Τὰς γυναῖκας εἰ μὴ παῖδας ἔχοιεν, καὶ ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γένοιντο, διακονίαν Θεοῦ μὴ ἐπιτρέπεσθαι, κατὰ τὸ Ἀποστόλου Παύλου ῥητὸν πρόσταγμα.

MENVS, in Codice *Theodosiano* [*g*] exstat: sed de ea, tamquam noua lege loquitur, tum quidem condita occasione scandali, quod in Ecclesia contigerat; vnde liquido apparet, a tempore TERTVLLIANI vsque ad hanc THEODOSII constitutionem Ecclesiam non eamdem semper consuetudinem obseruasse.

§. IV.

Non ante sexagesimum ætatis annum eas ordinare per antiquissimos Canones licebat.

Atque ita etiam cum Diaconissarum ætate comparatum fuit. Etsi enim supra memorata THEODOSII lex requirit, vt sexaginta annos integros viuendo compleuerint; & TERTVLLIANVS [*h*] atque BASILIVS [*i*] de eadem ætate loquuntur; IVSTINIANVS tamen in *Nouella* quadam [*k*] quinquaginta tantum, & in alia [*l*] modo quadraginta requirit, cui ætati etiam iam ante magnum illud [*m*] Concilium *Chalcedonense* institerat, cuius verba sunt: *Diaconissam non esse mulierem ordinandam ante annum quadragesimum.* Et probabile est, non semper istos annos fuisse absolute requisitos: SOZOMENVS [*n*] enim dicit, *Nectarium*, Episcopum *Constantinopolitanum*, *Olympiam*, quamuis iuuenili ætate viduam, quia tamen iuxta leges ecclesiasticas egregia philosopharetur, Diaconissam ordinasse. Vnde colligere possumus, quod quemadmodum Ecclesia isti regulæ non præcise semper inhæ-

(*g*) Cod. Theodos. lib. XVI. Tit. II. de Episc & Cler. leg. XXVII.

(*h*) Tertull. l. c.

(*i*) Basil. Ep. Canon. c. XXIV. p. 30. *Χήραν, τὴν καταλεγεῖσαν εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν χηρῶν, τουτέστι τὴν διακονουμένην ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας ἔκρινεν Ἀπόστολος γαμουμένην παρορᾶσθαι.* Viduam, quæ in *viduarum* numerum relata est, hoc est, quæ ab ecclesia in *diaconatum* suscepta est, censuit Apostolus nubentem esse despiciendam.

(*k*) Iustin. Nouell. VI. c. VI. *ὑπὲρ τὸν μέσον ἤδη καθεστώσας χρόνον, καὶ ἀμφὶ τοὺς πεντήκοντα ἐνιαυτοὺς, κατὰ τοὺς θείους κανόνας, ἀγούσας.* Super mediam constitutas ætatem & circa *quinquaginta annos* secundum diuinas regulas agentes.

(*l*) Nouell. CXXIII. c. XIII. *Διακόνισσαν ἐν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ μὴ χειροτονεῖσθαι, ἥτις ἐλάττων ἐστὶ τῶν μ΄ ἐνιαυτῶν, ἢ εἰς δευτέρους ἦλθε γάμους.* Diaconissa non ordinetur in sancta ecclesia, quæ minor est *annorum quadraginta*, aut ad secundas venerit nuptias.

(*m*) Concil. Chalced. c. XIV. al. XV. (Tom. IV. Conc. p. 764.) *Διάκονον μὴ χειροτονεῖσθαι γυναῖκα πρὸ ἐτῶν τεσσαράκοντα.*

(*n*) Sozom. lib. VIII. c. IX. *καίπερ νέαν χήραν γενομένην, εἰς ἄγαν δὲ φιλοσοφοῦσαν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας θεσμὸν, διάκονον ἐχειροτόνησε Νεκτάριος.*

sit,

ſit, ita Epiſcopi ſibi libertatem ſumſerint ordinandi Diaconiſſas, quacunque demum ætate idoneas eas iudicauerint, ſi quidem de earum probitate ac virtute ſatis perſuaſi fuerint.

§. V.

Vnius tantum viri vxores fuiſſe oportebat.

Aliud autem adhuc requiſitum erat, quod ſtudioſius exigebant, nimirum vt Diaconiſſæ eſſent iſtiusmodi viduæ, qui vni tantum marito nupſerint, ex præſcripto Apoſtoli 1. Tim. V, 9. Quam regulam ipſi generatim interpretabantur tamquam prohibentem, quo minus aliqua Diaconiſſa eligeretur, quæ, etſi legitimo & ſeparatis temporibus, duobus maritis, alteri poſt alterius obitum, nupſiſſet. Hoc ſenſu TERTVLLIANVS [o] Apoſtolum vniuiram, ſeu vnius viri vxorem, eligi velle dicit; quæ ab EPIPHANIO [p] vocatur χηρεύσασα ἀπὸ μονογαμίας, *vidua facta poſt ſemel initum matrimonium.* Ita etiam Auctor *Conſtitutionum* & *Nouellæ* IVSTINIANI [q] ſupra adductæ.

THEODORETVS autem verba Apoſtoli alio prorſus ſenſu accipit: Apoſtolum enim non exiſtimat prohibere, ne qua vidua eligeretur, quæ duobus viris matrimonio iuncta fuerit, ſed eam tantum, quæ [r] deſerto priore marito alii viro nupſerit; quæ

(o) Tertull. ad Vxor. lib. I. c. VII. *Viduam* adlegi in ordinationem niſi *vniuiram* non concedit. It. de Veland. Virg. c. IX. vid. §. III. (e) p. 343.

(p) Epiph. Expoſit. Fid. n. XXI. Διακόνισσαι καθίστανται εἰς ὑπηρεσίαν γυναικῶν μόνον, διὰ τὴν σεμνότητα, ἂν χρεία καταστάιη, λουτρῦ ἕνεκα, ἢ ἐπισκέψεως σωμάτων· καὶ αὗται δὲ μονόγαμοι ἐγκρατευσάμεναι ἢ χηρεύσασαι ἀπὸ μονογαμίας, ἢ ἀειπάρθενοι οὖσαι. *Diaconiſſæ* ad hunc vſum adhibentur, vt mulierum decoris & honeſtatis cauſſa ſint adminiſtræ, ſi id forte neceſſe fuerit: ſiue dum baptiſmo initiandæ ſunt; ſiue dum earum corpora perſcrutanda. Illæ quidem vniuiræ, vel *poſt vnas nuptias viduæ*, vel perpetuæ virgines.

(q) Iuſtin. Nouell. VI. c. VI. citat. §. II. not. (b) p. 342.
Conſtit. Apoſt. lib. VI. c. XVII. citat. §. II. not. (a) ibid.

(r) Theod. Com. 1 Tim. V, 9. γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ καὶ ἐντεῦθεν δῆλον, ὡς οὐ τὴν διγαμίαν ἐκβάλλει, ἀλλὰ τὸ σωφρόνως ἐν γάμῳ βιῶν νομοθετεῖ· οὐ γὰρ ἄνω τὸν δεύτερον γάμον νομοθετήσας, σωματικῆς ἀπολαῦσαι θεραπείας ἐκώλυσε τὴν δευτέροις ὁμιλήσασαν γάμοις· ὅς γε τὸ ἀγαθὸν ποιεῖν πρὸς πάντας διαγορεύει σαφῶς. *Quæ fuit vnius viri vxor.* Etiam hinc manifeſtum eſt, quod non reiiciat ſecundas nuptias: ſed vt in matrimonio caſte viuant præcipit. Neque enim qui ſuperius ſecundum matrimonium lege ſanxit, eam, quæ ſecundas ſecuta ſit nuptias corporali ſubſidio frui vetuit; quippe qui bene omnibus facere aperte præcipit.

res tanti offendiculi erat, vt ab Ecclesiæ ministerio merito excluderet. Et hunc sensum tamquam maxime probabilem IVSTELLVS [s], HAMMONDVS [t], SVICERVS [u] aliique viri docti plures amplexi sunt, qua de re verbis pluribus dicturi sumus, vbi de regula ista Apostolica, quatenus ad omnes spectat Clericos, agendum erit. Hæc in præsenti dixisse sufficiant de iis, quæ in Diaconissis requisita fuere, antequam ipsæ ordinarentur.

§. VI.

An Diaconissæ primis temporibus per manuum impositionem ordinari consueuerint.

Sequitur nunc ordinatio ipsa, de qua dispiciendum est, an ea semper per impositionem manuum facta sit? & heic equidem viri eruditi opinionibus valde inter se dissident. BARONIVS [w] tempore Concilii *Nicæni* sine manuum impositione eam peractam fuisse, existimat suamque sententiam aliquo istius Concilii canone superstruit, qui ex ipsius quidem interpretatione Diaconissas per impositionem manuum ordinari negat, adeoque de ipsis non aliter, ac personis mere laicis agit. VALESIVS [x] eamdem huius canonis expositionem adfert, etiamsi BALSAMONEM & ZONARAM, antiquos interpretes, plane contrariam sententiam tueri fateatur, nimirum, quod canon non de Diaconissis Ecclesiæ loquatur, sed de iis, quæ ad Ecclesiam Catholi-

(s) Iustel. Not. ad Canon. I. Concil. Laodic. Tom. I. p. 83. b. 84. a. b. 85. a.

(t) Hammond. Annot. in 1 Tim. III, 2. edit. Latin. Io. Clerici p. 273. b. 274. a.

(u) Suicer. Thes. Tom. I. p 899. ad locum Theodoreti not. (r) allegatum, hæc habet: τὸ σωφρόνως ἐν γάμῳ βιῶν, opponitur ei quando vxor a marito diuertit, & alii nubit, adeoque δίγαμος.

(w) Baron an. XXXIV. n. CCLXXXIII. Quantumlibet prædicta diaconissæ curarent, non tamen erant eiusmodi, vt sicut Diaconi manus impositionem acciperent, vt aliquo sacramento initiatæ essent: nam sacrosancta Nicæna Synodus ea ex caussa easdem inter Laicas adnumerat.
It. Cabassut. Notit. Concil. c. LVI. p. 342.

(x) Vales. Not. in Sozom. lib. VIII. c. IX. Apud antiquos alius mos fuit, vt docet Canon XIX. Concilii Nicæni. In quo sancti Patres generaliter pronuntiant, Diaconissas manus impositionem non habere, easque inter laicos esse numerandas. Quamquam Zonaras & Balsamo Canonem illum Concilii Nicæni non generaliter de omnibus Diaconissis Paulianistarum, quæ ad Catholicam Ecclesiam redirent, intelligendum putarunt. Sed verba ipsa canonis illius abunde eos refutant &c.

tholi-

tholicam a *Paulianiſtis* ſeu *Samoſatenianis* hæreticis, redierant, inter quos per manuum impoſitionem non receptæ, adeoque vt mere laicæ tractandæ erant. Et hoc modo SVICERVS [y], ALBASPINAEVS [z], CHRISTIANVS LVPVS, FABROTVS & alii ex recentioribus criticis & interpretibus iſtius canonis, exponunt. Vt lector ipſe hac de re iudicare poſſit, ipſa canonis verba transſcribam, quæ ſic habent: *De Paulianiſtis, qui deinde ad Eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, vt ii omnino rebaptizentur, ſi qui vero tempore præterito in Clericorum numero erant, ſi quidem a culpa & prehenſione alieni viſi fuerint, rebaptizati ordinentur a Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo. Si vero examinatio eos non eſſe aptos deprehendit, deponi eos oportet. Similiter autem & de Diaconiſſis & omnino de omnibus, qui inter Clericos adnumerantur, eadem forma ſeruabitur. Diaconiſſarum* [a] *autem meminimus, quæ in habitu quidem*

(y) Suicer. Theſ. Tom. I. p. 867. n. V. tot.

(z) Albaſpin. Not. in Can. XIX Conc. Nicæni (Tom. II. Concil. p. 83. tot. in primis ſub fin.) Cum Synodus quasdam, quæ minus recte & extra ordinem inſtitutæ eſſent, inter laicos deputandas eſſe cenſet: ſubintelligendum profecto relinquit, quasdam fuiſſe, qui rite & ordine conſecratæ eſſent. Denique quid toto canone ſtatuitur? quid præcipitur? quæ eſt eius ſententia? ſi ab hæreſi redeuntes Diaconiſſas, eumdem iubet apud orthodoxos honoris locum retinere, quem inter hæreticos obtinuerant, nonne ſequitur quasdam fuiſſe, quæ initiatæ & conſecratæ eſſent?

Lupus Tom. I. Schol. in eumd. Can.

Fabrot. Not. ad Balſam. Collect. Conſtitut. p. 1417. Videamus obiter, an Diaconiſſæ inter laicas cenſerentur: & in ea quidem ſententia ſunt viri docti, quibus erroris fundus eſt Canon XIX. Conc. Nicæni. - - De ſententia Canonis videamus. Certe nec ipſe Zonaras nec quidam recentiores videntur eum percepiſſe. Hoc igitur conſtitutum eſt in dicto Canone, vt diaconiſſæ, quæ ab hæreſi Paulianorum ad eccleſiam redierint, rebaptizentur, & iis quæ in eodem habitu eſſe noſcuntur, quod nimirum non habeant manum impoſitionem, adeo vt omnino inter laicos deputentur, manus imponantur, anno XL— ſi inueniantur idoneæ, alioquin manus non imponantur.

(a) Conc Nicæn. c XIX. (Tom. II. p. 38.) Περὶ τῶν Παυλιανισάντων εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου· εἰ δὲ ἡ ἀνάκρισις ἀνεπιτηδείους αὐτοὺς εὑρίσκοι, καθαιρεῖσθαι αὐτοὺς προσήκει ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ὅλως περὶ τῶν ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζομένων, ὁ αὐτὸς τύπος παραφυλαχθήσεται· ἐμνήσθημεν δὲ διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν, ὥστε ἐξάπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι.

censentur, quoniam nec vllam habent manuum impositionem, vt omnino inter Laicos ipsæ connumerentur. Hæc verba vltima de Diaconiſſis ad andecedentia referenda eſſe videntur; atque ita de Diaconiſſis inter *Paulinistas*, Diaconiſſarum veſtitum ſine vlla antegreſſa conſecratione ſumentibus intelligi debent. Aut ſi ea accipimus, tamquam dicta de Diaconiſſis, quæ iam fuerint in Eccleſia, hoc forte indicare volunt, fuiſſe quasdam ex ipſis, quæ ſine impoſitione manuum in iſtud officium ſeſe inſinuauerint, & tales Concilium pro mere Laicis reputat. Cur quis ad talem iſtius Canonis interpretationem inducatur, ratio eſt hæc, quod omnia Concilia & Scriptores de ordinatione Diaconiſſarum loquantur, tamquam cum impoſitione manuum perficienda. Ipſe VALESIVS tempore Concilii *Chalcedonensis* ita obtinuiſſe, profitetur; nam in quodam concilii iſtius canone [*b*] earum ordinatio diſerte vocatur χειροτονία & χειροθεσία, *impositio manuum.* Et auctor *Constitutionum* [*c*] de earum loquens ordinatione Epiſcopum cum manuum impoſitione & oratione, quæ ibi recitatur, iubet peragere. Idem mos fuit tum in *græca* tum *latina* eccleſia, quoad ipſe ordo in vſu fuit. Concilium in *Trullo* A. IↃCIIXC. habitum, duobus Canonibus [*d*] de earum ordinatione ſub nomine χειροτονίας loquitur. Et SOZOMENVS [*e*] de ordinatione *Olympiæ* verba faciens eodem vocabulo

(*b*) Concil. Chalced. c. XV. (Tom. IV. p. 763.) *Διακόνισσαν μὴ χειροτονεῖσθαι γυναῖκα, πρὸ ἐτῶν τεσσαράκοντα, καὶ ταύτην μετὰ ἀκριβοῦς δοκιμασίας εἰ δέ γε δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν, καὶ χρόνον τινὰ παραμείνασα τῇ λειτουργίᾳ, ἑαυτὴν ἐπιδῷ γάμῳ ὑβρίσασα τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν, ἡ τοιαύτη ἀναθεματιζέσθω μετὰ τοῦ αὐτῇ συναφθέντος.* Diaconiſſam non eſſe mulierem *ordinandam* ante annum quadrageſimum & eam cum accurata examinatione Si autem, poſtquam *ordinatione* accepta miniſterio aliquo tempore permanſit, ſe ipſam matrimonio tradiderit, Dei gratiæ iniuriam faciens, ea vna cum illo qui ei coniunctus eſt, anathematizetur.

(*c*) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. XIX Περὶ δὲ διακονίσσης Βαρθολομαῖος διατάσσομαι· *ὦ ἐπίσκοπε ἐπιθήσεις αὐτῇ τὰς χεῖρας, παρεστῶτος τοῦ πρεσβυτερίου καὶ τῶν διακόνων καὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ἐρεῖς ὁ Θεὸς κ. τ. λ.* De *diaconiſſa* vero ego Bartholomæus conſtituo, *vt manus ei*, Epiſcope, *imponas*, præſentibus Presbyteris & Diaconis & Diaconiſſis, & dices: Deus æterne &c.

(*d*) Concil. Trullan. c. XIV. (Tom VI. p. 1150.) *Μήτε διακόνισσα πρὸ τῶν μ΄ χρόνων χειροτονείσθω* Nec *Diaconiſſa* ante XL annos *ordinetur.* Ibid. Can. XL. *οἱ ἱεροὶ κανόνες τεσσαράκοντα ἐτῶν τὴν διακόνισσαν χειροτονεῖσθαι παραδεδώκασι.* Sacri canones quadraginta annorum *diaconiſſam ordinandam* eſſe ſtatuerunt.

(*e*) Sozom. lib. VIII. c. IX. vid. §. IV. not. (*n*) p 344.

vtitur.

vtitur. Et quamquam in ecclesia *latina* non adeo multa huius praxeos exempla deprehendimus, quod hic ordo ibi citius cessauit: COTELERIVS [*f*] tamen ex FORTVNATO & Concilio *Wormatiensi* aliqua nobis suppeditat, quippe in quibus Diaconissarum ordinatio per manuum impositionem facta esse dicitur. In Concilio *Wormatiensi* canon decimus quintus Concilii *Chalcedonensis* repetitur. Et FORTVNATVS loquens de quadam femina, quam ordinauit MEDARDVS Episcopus, hæc verba habet: *Manu superposita* [*g*] *consecrauit Diaconam.* Ex quibus omnibus perpetuum Ecclesiæ morem fuisse intelligimus, Diaconissas impositis manibus ordinare: adeoque maxime probabile nobis videtur, Canonem *Nicanum* eo sensu accipi oportere, qui praxi Ecclesiæ vnus omnium optime respondet.

Sed IVSTELLVS [*h*] vir eruditus alium adhuc scrupulum circa earum ordinationem mouet, hanc manuum impositionem non ordinationem sed tantum benedictionem esse, ratus. Distinguit enim inter hæc duo, & dicit, non omnem solemnem manuum impositionem esse ordinationem: id quod omnino ita est; alioquin enim impositio manuum super catechumenos, aut baptizatos in confirmatione, aut super pœnitentes in actu eos recipiendi in Ecclesiæ communionem, aut super ægrotos valetudinis recuperandæ respectu, aut super quemcunque hominem, ad impertiendum ei communem aliquam benedictionem facta, ordinatio foret. Sed vir doctus haud considerasse videtur, quod impositio manuum super Diaconissam amplius quid quam istæ omnes, in recessu habeat. Isthæc enim ad cer-

(*f*). Coteler. Not. in Constit. Apostol. lib VIII c. XIX. ad verba: ἐπιθήσεις αὐτῇ τὰς χεῖρας.] Frequentissime græci, rarissime latini, Præter Wormatienses Patres ex Concilio Chalcedonensi. Fortunatus in vita Radegundis *manu superposita consecrauit Diaconam* Medardus Episcopus.

Concil. Wormatiens. c. LXXIII. ex Concil. Chalced. c. XV.

(*g*) Fortun. Vit. Radegund. ap. Surium Aug. XIII.

(*h*) Iuste I Bibl. Iur. Canon. Tom. I. p. 75. Not. in Conc. Nic. c. XIX. Duplex olim fuit χειροθεσία, εὐλογίας videlicet & χειροτονίας, vt ait Tharasius Patriarcha CP, Act. I. Concil. Nic. II. Tom. III. Concil. nec χειροθεσία semper fuit consecrationis symbolum, sed & orationis super hominem cui manus imponebantur. Impositionis manuum, quæ ad ordinationem Episcoporum & Presbyterorum pertinet, meminit Paulus 1 Tim. IV, 14. c. V, 22. - - Impositio vero manuum benedictionis adhiberi fuit solita, vt diximus, lapsis pœnitentibus, & redeuntibus ab hæreticis ad veram ecclesiam.

tum officium in Ecclesia consecrabatur, qualem manuum impositionem precationi de impetranda diuina benedictione ad officium digne administrandum iunctam, Ecclesia nomine ordinationis semper intellexit atque ita appellauit.

§. VII.

Non ad vllam sacerdotii functionem consecratæ.

Non autem persuadere nobis debemus, quod hæc consecratio vllam ipsis potestatem dederit officium aliquod sacerdotale aut quidquam eorum, quæ ad hanc sacram functionem pertinent, peragendi. Feminæ istiusmodi officiis fungi semper prohibebantur. Vnde Auctor *Constitutionum* praxin ethnicam vocat, ordinare sacerdotes feminas, *ἱερείας χειροτονεῖν*; lex enim christiana [*i*] istam consuetudinem non permittit. Non nulli quidem hæretici, vt TERTVLLIANVS [*k*] obseruat, feminis docere, exorcizare, & baptismum administrare permittebant; sed hæc omnia contra Apostolorum regulam [*l*] fieri dicit. EPIPHANIVS hoc in primis *Pepuzianis*, *Montanistarum* surculis, imputat, quod [*m*] apud eos *mulieres Episcopi sint & Presbyteri*, & Apostoli verbis eo abutantur: *In Christo Iesu neque mas est neque femina*, vt praxi suæ colorem aliquem addant. Idem etiam de

(*i*) Constit. Apost. lib. III. c. IX. *Εἰ δὲ ἐν τοῖς προλαβοῦσι διδάσκειν αὐταῖς οὐκ ἐπετρέψαμεν, πῶς ἱερατεῦσαι ταύταις παρὰ φύσιν τις συγχωρήσει; τοῦτο γὰρ τῆς τῶν ἑλλήνων ἀθεότητος τὸ ἀγνόημα, θηλείαις θεαῖς ἱερείας χειροτονεῖν.* Si hactenus mulieribus docendi munus non commisimus, quomodo munere sacerdotali fungi præter naturam eisdem quispiam permittet? hic enim est error Gentilium Deum negantium, Deis feminis *sacerdotes feminas eligere.*

(*k*) Tertull. de Præscript. c. XLI. Ipsæ *mulieres hæreticæ* quam procaces, quæ *audeant docere*, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tinguere.

(*l*) Id. c. XVII de Baptismo. Petulantia mulieris, quæ vsurpauit docere, vtique non etiam tinguendi ius sibi pariet: nisi si quæ noua bestia euenerit similis pristinæ? vt quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. Quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt, ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt; sciant in Asia Presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, vt is docendi & tinguendi daret feminæ potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit? *Taceant*, inquit, *& domi maritos suos consulant.*

(*m*) Epiphan. Hæres. LXIX. Pepuzian. n. II. *ἐπίσκοποι παρ᾽ αὐτοῖς γυναῖκες καὶ πρεσβύτεροι γυναῖκες.*

Colly-

Collyridianis [*n*] dicit, quod feminarum opera ad sacrificandum *Mariæ Virgini* vtantur. Quibus verbis duplex continetur incusatio. I. Quod diuinum cultum sanctæ Virgini præstent & II. quod sacerdotes feminas in hoc illius cultu adhibeant. Adversus hosce in peculiari dissertatione, nullam feminam inde ab orbe condito ad offerendum sacrificium, aut solemnem aliquem in Ecclesia cultum perficiendum ordinatam fuisse, fuse demonstrat & subiungit [*o*]: *Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam præstare in Ecclesia liceret, nulli potius quam Mariæ illud in Nouo Testamento committi sacerdotis officium debuit; cui tantus honor est habitus, vt gremio sinuque suo regem omnium ac cælestem Dominum Deique Filium exciperet. Verum longe aliter Deo visum est*, &c. *Quamquam vero*, inquit, [*p*] *Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad sacerdotii functionem, aut vllam eiusmodi administrationem institutus; sed vt muliebris sexus honestati consulatur: siue vt baptismi tempore adsit: siue vt inspiciat, si quid passa sit aut molestiæ pertulerit: siue vt cum nudandum sit mulieris corpus, interueniat: ne virorum, qui sacris operantur, adspectui sit exposita, sed a sola Diaconissa videatur.* Atque hinc eas in Ecclesia vmquam πρεσβυτερίδας ἢ ἱερίσσας, *Presbyteridas aut sacerdotissas* factas esse negat. Vbi lector obseruet, par est, quod EPIPHANIVS [*q*] distinctionem inter πρεσβύτιδας & πρεσβυτερίδας ponat, quod prius illud vocabulum denotet feminas, quæ anus sunt, cuiusmodi ordinarie erant Diaconissæ; posterius autem adhibeat ad designandum personas,

(*n*) Id. Hæres. LXXVIII. Antidicomarianit. n. XXIII. Καὶ εἰς ὄνομα τῆς ἁγίας παρθένου ὑπὲρ τὸ μέτρον τι πειρᾶσθαι ἀθεμίτῳ καὶ βλασφήμῳ ἐπιχειρεῖν πράγματι, καὶ εἰς ὄνομα αὐτῆς ἱερουργεῖν διὰ γυναικῶν. In sanctissimæ virginis nomen modum omnem prætergressos nefariam rem, & cum Dei contumelia coniunctam adgredi, hoc est in illius nomen *per mulieres sacrificia facere*.

(*o*) Id. Hæres. LXXIX. Collyrid. n. III. Εἰ ἱερατεύειν γυναῖκες Θεῷ προσετάσσοντο, ἢ κανονικόν τι ἐργάζεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ, ἔδει μᾶλλον αὐτὴν τὴν Μαρίαν ἱερατείαν ἐπιτελέσαι ἐν καινῇ διαθήκῃ· τὴν καταξιωθεῖσαν ἐν κόλποις ἰδίοις ὑποδέξασθαι τὸν παμβασιλέα Θεὸν ἐπουράνιον, υἱὸν τοῦ Θεοῦ - - ἀλλ' οὐκ ἐνδόκησεν.

(*p*) Id. ibid. Καὶ ὅτι μὲν διακονισσῶν τάγμα ἐστὶν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἀλλ' οὐχὶ εἰς τὸ ἱερατεύειν, οὐδέ τι ἐπιχειρεῖν ἐπιτρέπειν, ἕνεκεν δὲ σεμνότητος τοῦ γυναικείου γένους ἢ δι' ὥραν λουτροῦ, ἢ ἐπισκέψεως πάθους, ἢ πόνου, καὶ ὅτε γυμνωθείη σῶμα γυναικὸς, ἵνα μὴ ὑπὸ ἀνδρῶν ἱερουργούντων θεαθείη, ἀλλ' ὑπὸ τῆς διακονούσης.

(*q*) Epiph. ibid. n. IV. Χήρας τε ὠνόμασε, καὶ τούτων τὰς ἔτι γεραιτέρας πρεσβύτιδας οὐδαμοῦ δὲ πρεσβυτερίδας, ἢ ἱερίσσας προσέταξεν.

ad officium presbyteriale seu sacerdotale ordinatas, cuiusmodi vllam feminam in Ecclesia christiana fuisse, pernegat.

§. VIII.

Earum officium erat, Primo: *Baptismo feminarum adsistere.*

Et hinc manifestum est, Diaconissarum tantum fuisse, in ecclesia inferiores quasdam functiones peragere & eas quidem præcipue, quæ ad feminas spectabant, quarum caussa ordinatæ erant. Aliqua istius officii pars erat, ministro feminam baptizanti subuenire, vbi decori gratia ad exuendum eis vestes adhibebantur (mos enim tum erat, omnes adultos per immersionem baptizare) & omnia ita ordinare, vt vniuersus actus cum omni decentia, tantæ eius sanctitati conueniente, peragi posset. Hoc ex locis EPIPHANII tum modo citatis tum aliis [*a*] patet. Apud IVSTINIANVM [*b*] etiam & Auctorem [*c*] *Constitutionum* huius rei fit mentio, quorum heic addit, quod Diaconissæ oleo sancto feminas in baptismo vnxerint, quæ erat tum temporis ecclesiæ *græcæ* consuetudo, vt non tantum Episcopi, Presbyteri & Diaconi, sed etiam Diaconissæ hunc vnctionis ritum ante baptismum adhiberent, de quo COTELERIVS in notis suis [*d*] diuersa exempla ex antiquis scriptoribus adfert, quæ vero aliorsum spectant.

(*a*) Epiph. Exposit. fid. n. XXI. vid. §. V. not. (p) pag. 345.

(*b*) Iustin. Nouell. VI. c VI. *ἐπὶ τὴν ἱερὰν παριέναι διακονίαν, καὶ τοῖς τε προσκυνητοῖς ὑπηρετεῖσθαι βαπτίσμασι, τοῖς τε ἄλλοις παρεῖναι τοῖς ἀπορρήτοις, ἅπερ ἐν τοῖς σεβασμιωτάτοις μυστηρίοις δι' αὐτῶν εἴωθε πράττεσθαι.* Ad sacrum venire ministerium & *adorandis ministrare baptismatibus*, & aliis adesse secretis, quæ in venerabilibus ministeriis per eas rite aguntur.

(*c*) Constit. Apostol. lib. III. c. XV. *Πρῶτον μὲν ἐν τῷ φωτίζεσθαι γυναῖκας, ὁ διάκονος χρίσει μὲν μόνον τὸ μέτωπον αὐτῶν τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ· καὶ μετ' αὐτὸν ἡ διάκονος ἀλείψει αὐτάς.* Primum quidem quum mulieres baptizantur, vnget quidem eis diaconus frontem tantum oleo sacro, post eum vero *illinet eas diaconissa.*

(*d*) Coteler. in loc. Hoc etiam loco ad baptizandas feminas adhibentur Diaconissæ, *vt eas inungant*, neue a viris adspiciantur nudæ. Et quidem quod spectat ad vnctionem, illustre habemus in Ioannis Moschi Prato spirituali c. III. exemplum, de Corone Presbytero, cui in cœnobio ibi memorato baptismum accedentibus conferre demandatum fuerat. *αὐτὸς δὲ ἔχριεν καὶ ἐβάπτισεν τοὺς ἐπὶ τοῦτο παραγενομένους· καθ' ὅτι ἂν ἔχριεν γυναῖκα ἐσκανδαλίζετο. Ipse autem vngebat & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungeret, scandalizabatur.* ἐν μιᾷ οὖν ἦλθεν κόρη Περσίς, ἐπὶ τὸ βαπτισθῆναι, ἦν δὲ

§. IX.

§. IX.

Secundo: *Catechumenas priuatim instituere.*

Alia officii Diaconissarum pars erat, Catechumenas, quæ ad baptismum præparabantur, de christianæ religionis capitibus priuatim erudire. Quamquam enim in ecclesia publice docere illis haud licebat, domi tamen instruere atque erudire eas poterant, quomodo ad quæstiones iis omnibus, qui ad baptismum admittendi erant, proponi solitas apte esset respondendum. Auctor breuium adnotationum in Epistolas [e] sub nomine HIERONYMI hoc vocat *ministerium verbi*, quo Diaconissæ in ecclesiis orientalibus ætate sua functæ sint. Et in ecclesiis *Africanis* tum ordinaria earum officii pars erat, vt Patres Concilii *Carthaginensis* [f] quarti id ipsum tamquam necessarium requisitum in Diaconissis vrgeant. *Viduæ*, inquiunt, *vel Sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, vt possint apto & sacro sermone docere imperitas & rusticas mulieres, tempore quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, & qualiter accepto baptismo viuant.*

§. X.

Tertio: *Feminas ægrotas & adflictas visitare iisque ministrare.*

Alia rursus functionis earum pars erat, visitare feminas æ-

εὐειδὴς πάνυ ὡραῖα, ὥστε μὴ δυνηθῆναι τὸν πρεσβύτερον αὐτὴν χρῖσαι τῷ ἁγίῳ ἐλαίῳ· καὶ ποιησάσης αὐτῆς δύο ἡμέρας, ἤκουσεν ἀρχιεπίσκοπος Πέτρος, ἐξεπλάγη ἐπὶ τῷ γεγονότι, καὶ ἠθέλησεν ἀφορίσαι διάκονον γυναῖκα ἐπὶ τῷ αὐτῷ· ἀλλὰ τοῦτο οὐκ ἐποίησεν, διὰ τὸ μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸν τόπον. *Quadam vero die venit puella orta ex Perside, vt baptizaretur; quæ ita speciosa erat, ac tantæ pulcritudinis, vt non posset Presbyter eam sancto oleo mungere. Cum sic vero illic puella mansisset duos dies, audiens Archiepiscopus Petrus, obstupuit ea de re vehementer, voluitque ad hoc opus delegare Diaconissam mulierem; sed non fecit, quod locus*, Coenobium videlicet, *id non pateretur.* Ambrosius Camaldulensis vertit, *ne contra Canones fecisse videretur*, quia male legebat τύπον quemadmodum pro γεγονότι, γέροντι.

(e) Hieron. Com. in Rom. XVI, 1. Sicut etiam nunc in Orientalibus *Diaconissæ* mulieres in suo sexu ministrare videntur in baptismo, siue in *ministerio verbi*, quia *priuatim docuisse feminas* inuenimus &c.

(f) Conc. Carth. IV. c. XII. (Tom. II Conc. p. 1201.)

grotantes iisque ministrare, quod ab EPIPHANIO [g] obseruatur & ab Auctore *Constitutionum*, qui [h] eas similiter adhiberi dicit in deferendis Episcopi mandatis ad feminas bene valentes, ad quas diaconi propter infidelium cogitationes, hoc est, propter offendiculum ethnicorum ignominiamque, qua eos adficiendi inde captent occasionem, mitti non possint.

§. XI.

Quarto: *Martyribus & Confessoribus in custodia ministrare.*

Adflictionis & persecutionis temporibus ad ministrandum martyribus in custodia adhibebantur; quod multo facilius & minori cum suspicione atque vitæ periculo ab Ethnicis aditum ad eos impetrare poterant, quam quidem Diaconi aut vlli alii Ecclesiæ ministri. COTELERIVS [i] & GOTHOFREDVS hoc ex quibusdam locis LVCIANI & LIBANII colligunt, quæ manifeste ad hanc ministerii Diaconissarum partem respiciunt. LVCIANVS enim in dialogo quodam loquens de *Peregrino* philosopho, quod Christiani, quum propter religionis eorum professionem in custodia esset, omnia cum magna fide & diligentia ei præstiterint, dicit: *Mane [k] quidem illico videre erat iuxta carcerem*

(g) Epiph. Hær. LXXIX. n. III. vid. §. VII. not. (o) p. 351. Exposit. Fid. n. XXI. vid. §. V. not (p) p 345.

(h) Constitut. Apost lib. III. c. XV. Προχείρισαι δὲ καὶ διάκονον πιστὴν καὶ ἁγίαν εἰς τὰς τῶν γυναικῶν ὑπηρεσίας. ποτὲ γὰρ ὁπόταν ἐν τισιν οἰκίαις ἄνδρα διάκονον γυναιξὶν οὐ δύναται πέμπειν διὰ τοὺς ἀπίστους· ἀποστελεῖς γυναῖκα διάκονον διὰ τὰς τῶν φαύλων διανοίας. Eliges quoque Diaconissam fidelem & sanctam ad ministrandum mulieribus. Euenire enim solet aliquando, in quibusdam domibus, vt non possis propter infideles mittere diaconum ad mulieres, mittere vero possis diaconissam propter cogitationes improborum. Cap. XIX. Ἡ γυνὴ τὰς γυναῖκας σπουδαζέσθω θεραπεύειν. Mulier quidem mulieres curet.
Hieron. Ep. II. ad Nepot. *Multas anus* alit Ecclesia, quæ *officium ægrotanti* præstant &c.

(i) Coteler. Not. in lib III. c. XV. Denique ad Diaconas pertinuisse puto, *visitationem carcere detentorum*, nec non collectionem pecuniæ ad liberandos eos. Id sane innuunt Lucianus & Libanius &c. vid. seqq. not. (k & (l).
Gothofred. Comment. in Codic. Theodos. lib. XVI. Tit. II. leg. XXVII. Tom. VI. pag 61.

(k) Lucian. Peregrin. (Tom. IV. opp. edit. Basil. 8. p. 276) Καὶ ἕωθεν μὲν εὐθὺς ἦν ὁρᾶν παρὰ τῷ δεσμωτηρίῳ περιμένοντα γραΐδια, χήρας τινάς, καὶ παιδία ὀρφανά. conf. ad h. l. Coteler. ad Constit. lib. III. c. XV.

præsto-

præſtolantes anus viduas quaspiam & orbos puerulos. Vbi per viduas ſine dubio Chriſtianorum Diaconiſſas intelligit. Neque vllum dubium eſt, quin LIBANIVS [*l*] easdem intelligat, quando dicit, *Matrem vetularum, ſi vincto contigerit, vagantem colligere quicquid mendicando poſſit.* Hoc plane ad magnam Chriſtianorum caritatem atque liberalitatem in martyres ſuos ſpectat, vbi eleemoſynas colligere & per Diaconiſſarum manus eis mittere conſueuerunt.

§. XII.

Quinto: *Ad introitum feminarum in eccleſiam exſpectare.*

In eccleſiis *græcis* Diaconiſſæ etiam ad introitus feminarum in templis præſtolari debebant, quæ officii ipſarum pars apud Auctorem [*m*] *Conſtitutionum* & Auctorem ſub nomine IGNATII memoratur, qui [*n*] eas Φρȣρȣ̀ς τῶν ἁγίων πυλώνων *cuſtodes ſanctarum portarum* nuncupat. Sed hoc probabiliter in illis tantum templis obtinuit, vbi inter portas marium & portas feminarum fuit diſtinctio: Nam VSSERIVS [*o*] obſeruat, quod nullus antiquus ſcriptor præter hoſce duos vllam mentionem huius tanquam officii Diaconiſſarum partis faciat. Et in alio

(*l*) Liban. Orat. XVI. in Tiſamenum Edit. Morell p. 452. (ap. Coteler. Tom. I. 287.) Μητέρα δὲ γραῶν, εἴπερ εἴη τῷ δεδεμένῳ, πλανωμένην ἀγείρειν ὅσον προσαιτȣ̃σα δύνηται. Item Orat. de Vinctis apud I. cob. Gothofr. ταῦτα εἰπὼν ἀκȣ́ει· διατὶ ȣ̓ καλεῖς διὰ τῶν δὲ τῶν (malim ita, addit Cotelerius l. c quam vt editum eſt, διὰ τῶν δετῶν *per vinctos*) ἐξιόντων γυναῖκα δεῦρο τῶν ἐπὶ φιλανθρωπίᾳ φιλοτιμȣμένων, εἶτ' αὐτῆς πρὸς τὰ γόνατα προπεσὼν πείθεις προσαιτȣ̃σαν ἄγειν τί σοι. Poſteaquam hæc dixit, audit; Cur non vocas per hoſce qui egrediuntur, *mulierem huc aliquam* ex iis, qui pro humanitate ſua claræ habentur; indeque ad genua illius procidens perſuades, *vt mendicando aliquid tibi adferat.*

(*m*) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. XXVIII. Διακόνισσα ȣ̓κ εὐλογεῖ, ἀλλ' ȣ̓δέ τι ὧν ποιȣ̃σιν οἱ πρεσβύτεροι, ἢ οἱ διάκονοι, ἐπιτελεῖ· ἀλλ' ἢ τȣ̃ φυλάττειν τὰς θύρας κ. τ. λ. *Diaconiſſa* non benedicit, neque facit aliquid eorum, quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt, niſi quod *ianuas cuſtodit* &c.

(*n*) Pſeudo-Ignat. Ep. ad Antioch. n. XII. ἀσπάζομαι τὰς φρȣρȣ̀ς τῶν ἁγίων πυλώνων, τὰς ἐν χριςῷ διακόνȣς. Saluto *cuſtodes ſanctarum portarum* exiſtentes in Chriſto *Diaconiſſas.*

(*o*) Vſſer. Diſſertat. XVI. p. 224. apud Coteler. (fol. CXV. edit. Oxon MDCXLIV.) Diaconiſſis portarum committit cuſtodiam quod veterum alius facit nullus.

loco *Constitutionum* [*p*] hæc distinctio plane & perspicue exprimitur: *Ianitores sint ad introitum virorum custodiendi caussa, Diaconissæ vero ad mulierum.*

§. XIII.

Sexto: *Præsidere Viduis* &c.

Denique omnibus feminis suum cuique locum adsignare, easque submonere debebant, quomodo in Ecclesia [*q*] sese gerere deceret; reliquis etiam viduis præsidere tenebantur [*r*], vnde in canonibus quibusdam προκαθημέναι, *præsidentes* seu *gubernantes* dicuntur; vti BALSAMON & ZONARAS in Concilium *Laodicenum* [*s*] notant. Et si qua mulier habebat, quod ad Diaconum vel Episcopum deferret, Diaconissa [*t*] eam debebat introducere.

Hæ sunt Diaconissarum in ecclesia primitiua functiones, quas enarraui paullo curatius, quod non ita notæ sunt in vulgus; quando ipse ordo iam ante aliquot sæcula penitus desiit.

§. XIV.

Quamdiu hic ordo in Ecclesia durauerit.

Si quæras, quamdiu hic ordo in Ecclesia durauerit & quo tempore prorsus abolitus sit? Respondeo, non vbique simul eum cessasse, sed in ecclesia *græca* longius quam in *latina* & in quibusdam ecclesiis *latinis* diutius quam in aliis obtinuisse. In ecclesia *græca* ad tempora vsque BALSAMONIS, hoc est, ad finem

(*p*) Constit. Apost. lib. II c. LVII. Οἱ μὲν πυλωροὶ εἰς τὰς εἰσόδους τῶν ἀνδρῶν φυλάσσοντες αὐτάς, αἱ δὲ διάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν.

(*q*) Ibid lib. II. c. LVIII. Εἰ δὲ πτωχὸς, ἢ ἀγενὴς, ἢ ξένος ἐπέλθοι, πρεσβύτης, ἢ νέος τῇ ἡλικίᾳ, καὶ τόπος οὐχ ὑπάρχει, καὶ τούτοις τόπον ποιήσει ἐξ ὅλης τῆς καρδίας αὐτοῦ ὁ διάκονος -- τὸ δὲ αὐτὸ ποιείτω καὶ ἡ διάκονος ταῖς ἐπερχομέναις γυναιξὶ πτωχαῖς ἤτοι πλουσίαις. Si pauper aut ignobilis, aut peregrinus quispiam, senex vel adolescens aduenerit, neque sit locus vacuus, his quoque diaconus ex toto animo locum faciat. -- Cum mulieres siue pauperes, siue diuites aduenerint, *vtrumque horum faciat diaconissa.*

(*r*) Ibid. lib. III. c. VII. †

(*s*) Conc. Laodic. c. XI. (Tom. I. 1497.) Περὶ τοῦ μὴ δεῖν τὰς λεγομένας πρεσβύτιδας, ἤτοι προκαθημένας ἐν ἐκκλησίᾳ καθίστασθαι. Non oportere eas, quæ dicuntur presbyteræ & *præsidentes*, in Ecclesiis constitui.

(*t*) Constitut. lib. II. c. XXVI. Ἄνευ διακόνου μηδεμία προσίτω γυνὴ τῷ διακόνῳ ἢ τῷ ἐπισκόπῳ, ad diaconum aut episcopum *nulla mulier sine diaconissa* accedat.

Vsque

vsque sæculi duodecimi continuatus est: loquitur enim de ipsis [*u*] tamquam in ecclesia *Constantinopolitana* tum ministrantibus: quamquam ex aliis istius auctoris locis, eas in aliis ecclesiis [*x*] iam remotas fuisse, apparet. In ecclesia *latina* decreta quædam contra earum ordinationem iam diu ante facta fuerant. Primum enim Concilium *Arausicanum*, A. CCCCXLI. celebratum [*y*] vllam amplius Diaconissam ordinari prohibet. Et Concilium *Epaonense* [*z*] A. IↃVII. habitum canonem habet, quo earum consecratio penitus abrogatur. Non multo post Concilium secundum *Aurelianense* ad A. IↃXXXIII. decretum [*a*] contra eas renouat. Et ante hæc ipsa omnia Concilium *Laodicenum* [*b*] in ecclesia *Orientali* sub nomine *presbyterarum* & *præsidentium* eas in Ecclesia porro constitui vetat. Sed hæc decreta non vbique in Oriente in effectum deducta sunt, neque in Occidente in vniuersum nisi post multa sæcula obtinuerunt. Auctor quidem sub nomine AMBROSII lectorem minus circumspectum in grandem certe errorem seduxerit: Diaconissarum

(*u*) Balsam. Resp. ad Interrog. Marci c. XXXV. ap. Leunclau. Iur. Gr. Rom. Tom. I. p 381. *Πάλαι ποτὲ καὶ τάγματα διακονισσῶν τοῖς κανόσι ἐπεγινώσκετο, καὶ εἶχον καὶ αὗται βαθμὸν ἐν τῷ βήματι· ἡ δὲ τῶν ἐμμήνων κάκωσις τὴν ὑπηρεσίαν ταύτην ἐκ τοῦ θείου καὶ ἁγίου βήματος ἀπεξένωσε· παρὰ δὲ τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ τοῦ θρόνου τῶν Κωνσταντινοπολιτῶν διακόνισσαι προχειρίζονται μίαν μὲν μετουσίαν μὴ ἔχουσαι ἐν τῷ βήματι, ἐκκλησιάζουσαι δὲ τὰ πολλὰ, καὶ τὴν γυναικωνῖτιν ἐκκλησιαστικῶς διορθούμεναι.* Olim aliquando ordines diaconissarum canonibus cogniti fuere, habebantque ipsæ gradum ad altare. Menstruorum autem inquinatio ministerium earum a diuino & sancto altari expulit. In sanctissima autem ecclesia sedis Constantinopolitanorum diaconissæ deliguntur, vnam quidem communicationem non habentes ad altare, in multis autem habentes conuentum & muliebrem cœtum ecclesiastice dirigentes.

(*x*) Id. Comment. in Concil. Chalced. c. XV. *Τὰ τοῦ παρόντος κανόνος πάντη ἐσχόλασεν· διακόνισσα γὰρ σήμερον οὐ χειροτονεῖται, κἂν καταχρηστικῶς τινες τῶν ἀσκητριῶν διακόνισσαι λέγωνται.* Quæ in præsenti canone tractantur, omnino exoleuere. *Diaconissa* enim *hodie non ordinatur*, etiamsi quædam ascetriæ abusiue Diaconissæ dicantur.

(*y*) Concil. Arausic. I. c. XXVI. (Tom. III. Conc. p. 1451.) Diaconæ omnimodis non ordinandæ.

(*z*) Conc. Epaonens. c. XXI. (Tom. IV. Conc. p. 1578.) *Viduarum consecrationem, quas Diaconas* vocitant, ab omni regione nostra penitus *abrogamus.*

(*a*) Conc. Aurel. II. c. XVIII. (Tom. IV. p. 1781.) Placuit, vt nulli postmodum feminæ diaconalis benedictio pro conditionis huius fragilitate credatur.

(*b*) Concil. Laodicen. c. XI. vid. §. XIII. not. (s) p. antec.

 enim

enim ordinem nuſquam niſi inter *Montaniſtis* in vſu [*c*] fuiſſe dicit; Presbyteridas *Montaniſtarum* cum Diaconiſſis Eccleſiæ ex ignorantia confundens. Et Auctor ſub nomine HIERONYMI non maiori in pretio habendus, quando innuere videtur, quod ſuo tempore Diaconiſſarum ordo in Occidente penitus abolitus & in *Orientalibus* tantum eccleſiis [*d*] retentus fuerit. Iam enim ſupra §. VI. ex VENANTIO FORTVNATO, qui circa A. IↃLX. & tempore Concilii *Wormatienſis* vixit, demonſtraui, quod Diaconiſſæ in quibusdam eccleſiis Occidentalibus tum retentæ fuerint; quod etiam ex *ordine Romano* [*e*] & aliis libris ritualibus eo tempore vſitatis euinci poteſt, in quibus inter alias formulas deprehendimus aliquam, quæ dicitur *ordo ad Diaconam faciendam.* Sed in vno aut duobus ſæculis poſt, hoc eſt, ſæculo decimo vel vndecimo BONA [*f*] totum ordinem prorſus extinctum eſſe exiſtimat.

§. XV.

Alia nominis Diaconiſſæ *notio, quatenus vxorem Diaconi denotat.*

Antequam huic tractationi imponam finem, non poſſum quin lectorem doceam, eſſe aliam adhuc nominis *Diaconiſſæ* notionem, quam interdum apud medii æui ſcriptores eccleſiaſticos deprehendimus, qua vtuntur ad ſignificandam non Diaconiſſam ſed Diaconi cuiusdam vxorem eodem ſenſu, quo *Presbytera* vxorem

(*c*) Ambroſ. Com. in 1 Tim. III, 11. Cataphrygæ erroris occaſionem captantes, propter quod poſt diaconos mulieres alloquitur, etiam *ipſas diaconas ordinari debere vana præſumtione defendunt*, cum ſciant Apoſtolos ſeptem diaconos elegiſſe. Numquid nulla mulier tunc idonea inuenta eſt, cum inter vndecim Apoſtolos ſanctas mulieres fuiſſe legamus? ſed vt hæretici animum ſuum verbis non ſenſu legis abſtruere videantur, Apoſtoli verbis, contra ſenſum innituntur Apoſtoli, vt cum ille mulierem in eccleſiam in ſilentio eſſe debere præcipiat, illi e contra etiam auctoritatem in eccleſia vendicent miniſterii.

(*d*) Hieron. Com. in Rom. XVI, 1. Sicut in Orientalibus Diaconiſſæ mulieres in ſuo ſexu miniſtrare videntur in baptiſmo, ſiue in miniſterio verbi, quia priuatim docuiſſe feminas inuenimus, ſicut Priſcillam, cuius vir Aquila vocabatur. conf. id. 1. Tim. III. 11.

(*e*) Ordo Rom. p. 161. in Biblioth. Patr. Tom. IX. Par. MDCXXIV.

(*f*) Bona Rer. Liturgic. lib. I. c. XXV. n. XV. p. 287. Ante annos fere ſexcentos ceſſauit in Occidente earum ordinatio & miniſterium: In oriente vero iam deſierat viuente Balſamone, vt ipſe ait in *notis ad Concil. Chalced.* c. XV.

xorem

xorem Presbyteri & Episcopi coniugem *Episcopa* denotat. Vocabulum *Episcopa* ita in Concilio secundo *Turonensi* adhibitum legimus, quando ibi dicitur: *Episcopum Episcopam [g] non habentem, nulla sequatur turba mulierum.* Ita etiam vocabula *Presbytera*, *Diaconissa* & *Subdiaconissa* [h] pro Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi cuiusdam vxore paullo post in eodem Concilio vsurpantur. Et sic in Concilio *Autisiodorensi* [i] & quibusdam aliis in locis. Vnde doctus quidam & ingeniosus [k] Concilii *Tridentini* examinator concludit *Gallicanarum* ecclesiarum Episcopos his temporibus lege ad cælibatum non obligatos nec cum vxoribus suis coire ipsis interdictum fuisse. Sed ingenue fateor, me hoc pro errore reputare: Nam inde a *Siricii* Papæ tempore cælibatus Clericorum in ecclesiis *Occidentalibus* obtrudi cœpit, & hi ipsi canones illum vrgent. Quare illis non maius pretium statuo, quam par est. Quod enim ad Clericorum in matrimonio constitutorum caussam attinet, non opus est eam defendere eiusmodi argumentis, vtpote consuetudine & praxi totius Ecclesiæ catholicæ quorumdam purissimorum sæculorum nixam atque suffultam; qua de re pluribus differemus postea, vbi de vniuersalibus proprietatibus, in primitiuæ ecclesiæ Clericis necessario requisitis, sumus expositiuri, inter quas votum cælibatus nullum locum habuisse deprehendetur. Nihil igitur hi canones per *Episcopam* & *Presbyteram* intelligunt, nisi vxorem Episcopi vel Presbyteri, quam habuere, antequam ordinarentur, sed hisce declinantibus ecclesiæ temporibus toro sese illis iungere post ordinationem non licebat. Hæc explicatio tum horum Canonum scopo tum temporum istorum, in quibus facti sunt, praxi respondet; nec nobis est cum ANTONIO AVGVSTINO [l] vel vllo alio *Romanensis* Ecclesiæ candido scriptore disputa-

(g) Concil. Turon. II. c. XIII. (Tom. V. Conc. p. 855.)

(h) Ibid. c. XIX. Si inuentus fuerit Presbyter cum sua Presbytera, aut Diaconus cum sua *Diaconissa* aut Sub-diaconus cum sua *subdiaconissa*, annum integrum excommunicatus habeatur.

(i) Concil. Autisiodorens. c. XXI. (Tom. V. p 959.) Non licet Presbytero, post acceptam benedictionem, in vno lecto cum Presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec diacono, aut subdiacono.


(k) Gentillet. Exam. Concil. Trident. lib. IV. p. 259.

(l) Anton. Aug. de Emendat. Gratiani lib. I. Dial. XX. p. 226.

tio,

tio, qui hanc notionem haud altius repetunt, quam ab iis temporibus, in quibus primum inuenta fuit. Quando vero BARONIVS [m] & alii ad prima sæcula id referunt, & praxin ecclesiæ Occidentalis sæculi sexti cum vniuersalis ecclesiæ omnium sæculorum praxi congruere dictitant, turpissime præuaricantur, & lectoribus suis imponunt, quod heic indicasse satis habeo suo id ipsum loco pluribus euicturus.

(m) Baron. a. LVIII. n. XVIII. At illud, quod ad hæc spectat, in primis dicendum est, coniugatos olim sæpius eligi contigisse; ea tamen lege, vt quantumlibet necessitate cogente eiusmodi adsumerentur, consentiente primum vxore, sic electi desinerent prorsus vsu coniugii eiusdem viri; atque adeo vt si inuenti essent liberis operam dare, redigerentur in ordinem. *Quod ita Apostolica traditione receptum vsuque probatum erat*, vt quantumlibet Iouinianus impurissimus esset, adfirmaret tamen hoc ipsum, ad quem Hieronymus: *Certe*, inquit, *confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat; alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Adeo, inquam, alta radice fixa in Ecclesia erat continentia sacerdotum, vt eam conuellere ipsi hæretici desperarent, quippe qui non ignorarent, ab Apostolis esse plantatam, ac felicissime propagatam. Quod Patres in Concilio secundo Carthaginensi ingenue sunt professi, testantes, id sanctos Apostolos docuisse, & in *Ecclesia antiquitus ab omnibus esse seruatum:* sicque interdum ad sacros ordines coniugati adsciscerentur, vt a coniugii vsu penitus temperarent.



IOSEPHI BINGHAMI,

RECTORIS ECCLESIAE HAVANTINAE
IN AGRO HANTONIENSI ANGLIAE,

ORIGINES
SIVE
ANTIQVITATES ECCLESIASTICAE.

EX LINGVA ANGLICANA IN LATINAM
VERTIT

IO. HENRICVS GRISCHOVIVS,
HALBERSTADIENSIS.

VOLVMEN SECVNDVM.



HALAE,
SVMTIBVS ORPHANOTROPHEI.
M DCC XXV.



QVum anno ſuperiore libros duos priores *originum* ſiue *antiquitatum eccleſiaſticarum* IOSEPHI BINGHAMI latine redditos vnoque volumine comprehenſos in lucem publicam edidi: de reliquorum quidem voluminum ſubſequutura verſione nihil certi pollicitus ſum, quibusdam tamen conditionibus in incepto me perrecturum, declaraui.

Quemadmodum igitur, quod ad iſtarum conditionum vltimam attinet, non multo poſt tum priuatis non nullorum epiſtolis ac ſermonibus, tum publicis aliorum ſcriptis, intellexi, laborem iſtum meum non inutilem haberi; ita, quando DEVS O. M. priores etiam mihi clementiſſime indulſit, Iunio menſe exeunte pedem vlterius promoui, et mediocre aliquod ſpatium, quantum per ordinarias occupationes licuit, huc vſque emenſus ſum. Quatuor nimirum ſequentes libros, tertium, quartum, quintum & ſextum, abſolui, quos hoc

secundo volumine nunc in vulgus exire iubeo.

Quo modo in hac elaboratione versatus sim, nihil attinet heic exponere, quia eamdem, quam in primo volumine inii, viam sum prosequutus: qua de re in præmissa isti volumini præfatione, quantum necesse fuit, dixi, adeoque beneuolum lectorem eo remitto.

Indicem ex virorum doctorum desiderio, qui de primo volumine id publice monuerunt, in hosce priores sex libros subiungere, animus mihi initio fuit, sed re magis deliberata mutaui consilium, satius esse ratus, ad totius operis finem hunc ipsum reseruare: vbi lectori hac in re, Deo bene iuvante, cumulatissime satis fiet. Interim in generaliore cuiusque voluminis conspectu præcipuas materias, quisquis quærere volet, reperire facile poterit.

Supersunt adhuc libri septemdecim: viginti enim tres de hoc argumento auctor conscripsit, eosque decem voluminibus divulgauit. Quorum vltimum quum anno MDCCXXII.

MDCCXXII edidiſſet, proxime inſequuto MDCCXXIII * diem ſuum obiit.

In huius celeberrimi viri e vita exceſſum in nouis *Londinenſibus* inſcriptio quædam publicata, et ab honoratiſſimo quodam amico inde excerpta, atque, vbi primum volumen modo prodierat, *Londino* ad me miſſa fuit: Quam ſi nunc etſi paullo ſerius cum beneuolo lectore communicauero, rem non ingratam ipſi me facturum, confido. Ita vero ſe habet:

OBSTVPESCE. VIATOR.
VENERANDI. CINERES. HEIC. SVNT. RECONDITI.
IOSEPHI. BINGHAMI. M. A.
COLLEGII. VNIVERSALIS. APVD. OXONIENSES.
QVOMDAM. SOCII.
CVIVS. MVLTIPLICEM. SI. SPECTES. DOCTRINAM.
SI. EXACTAM. VETERIS. DISCIPLINAE.
ET. CONSVETVDINVM. ECCLESIASTICARVM. NOTITIAM.
QVAM. MVLTIS. SCRIPTIS. PRODIDIT.
CYPRIANICA. AETATE. VEL. ETIAM. IGNATIANA.
VIXISSE. AGNOSCAS.
NISI. QVOD. NON. ESSET. EPISCOPVS.
AT. VAE. SAECVLO. MERITORVM. IMMEMORI.
INGRATO.
QVVM. QVI. PATRIARCHATVM. IN. ECCLESIA. MERVIT.
NON. NISI. HAVANTI. IN. AGRO. HANTONIENSI.
** PAROCHVS. OBIIT.

* Quo menſe & die mortuus ſit, reſciſcere nondum potui. Aiunt, auctumno inclinato in hiemem id factum eſſe.

** Cl. Binghamus primum *Rector of Headborn-Worthy near Winchester*, & poſtea

Quod reliquum eſt, operam me daturum, recipio, vt (ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν) tertium volumen hoc ſecundo paullo amplius vertente anno appareat, et reliqua ſeptem ſuo quodque tempore conſequantur. Scripſi Glauchæ ad Halas Magdeburgicas VIII Kal. Mart. MDCCXXV.

IO. H. GRISCHOVIVS.

---

inde *Hauantum* translatus *Rector of Havant* ſeſe nominauit, quo ipſo non ludo litterario (vti quidem iſta appellatio in noſtris oris eum ſenſum ſuppeditat) ſed eccleſiæ vtriusque loci præfuiſſe intelligendus eſt. In *Anglia* enim, quemadmodum interprete eodem amico didici, inter eccleſiæ alicuius miniſtros is *Rector* dicitur, qui primus & ordinarius animarum paſtor eſt, & die dominica ſolemniorem ad populum concionem recitat, ſi quidem ſimul maiores recipiat decimas. Quas ſi non ille primarius paſtor, ſed vel patronus eccleſiæ vel eccleſia ipſa colligat, tum non *Rector*, ſed lingua patria *Curate* nuncupatur: licet easdem alioquin, quas *Rector*, functiones obeat. Eamdem appellationem poſtea in HENRICI SPELMANNI *Gloſſario archaiologico*, *Londini* anno MDCLXXXVII. edito, inueni, vbi p. 48?. b. hæc leguntur; Rector Eccleſiæ] Lind. De Abbate dictum. Chart. Alaman. 43. - *Sacro-ſancta eccleſia S. Galluni, qui* (leg. *quæ*) *eſt conſtructa in pago Durgania, vbi ipſus in corpore requieſcit & Ioannes Abbas ad præſens* Rector Eccleſiæ *eſſe videtur.* Huc ſpectant etiam quæ HENRICVS LVDOLPHVS BENTHEMVS habet in libro ſuo germanico de *eccleſiarum & ſcholarum Anglicanarum ſtatu* p. 218. n. 7. *Nun folgen*, inquiens, *die* Rural-Deans, *vor dieſem* Archipresbyteri *genennet* - - - *Hierauf kommen die Prieſter eines ieden Kirchſpiels, welche von ihnen gemeiniglich* Rectors *oder auch* Vicars *genennet werden.* Confer ſis etiam ibid. p. 509. 510. 511. 512. vbi in conſtitutionibus eccleſiæ *Anglicanæ*, quas auctor lingua latina exhibet, frequens *Rectorum* mentio fit. Quæ quum ita ſint, non dubitaui, ad indicandum BINGHAMI noſtri munus, appellationem *Rectoris*, addito vocabulo *Eccleſiæ*, in fronte huius latinæ editionis adhibere: Quum alias eccleſiarum noſtrarum ſtilo *paſtorem primarium*, vel ſimpliciter *paſtorem*, dicere ipſum potuiſſem.

SVMME

SVMME REVERENDO DOMINO
AC IN DEO PATRI,

IONATHANI,

DIOECESIS WINCHESTRIENSIS
EPISCOPO,

NEC NON
NOBILISSIMI ORDINIS PERISCELIDIS
PRAESVLI,

A DEO SALVTEM ET PROSPERI-
TATEM.

DOMINE SVMME REVERENDE,



T humaniſſima illa, qua cum pluribus hominibus aliis primam huius operis partem dignatus es, acceptio me incitavit, vt vlterius progreſſus ſim, publicam quamdam eccleſiæ operam me præſtare exiſtimans: ita, quum huius ſecundi voluminis argumentum non niſi prioris narrationis, de primitiuæ eccleſiæ clericis cœptæ, continuatio ſit, ad ſecundam hanc partem TIBI, DOMINE SVMME REVERENDE, *dedicandam iterum me obligat ea nixum ſpe, fore, vt non minori cum beneuolentia abs* TE *accipiatur atque approbetur. Res, de quibus heic expoſui, magnam partem maximi momenti ſunt, quæ in iuſtum ordinem redactæ et in publicam productæ lucem multorum fortaſſe hoc tempore ſtudium accendere poterunt, vt neceſſaria iſta officia imitatione exprimere ſtudeant, quæ dum ſedulo præſtitit eccleſia primitiua, magnam perfectionem et gloriam conſequuta eſt; et, quod vere dixerim, tot præſtantiſſimis regulis nobiliſſimisque exemplis ad eamdem perfectionem et gloriam acquirendam etiamnum nos prouocat atque inſtigat. In quarto et ſexto horum librorum non nulla de generaliore primitiuorum clericorum forma tradere conatus ſum: oſtendendo, quænam animi dotes et ornamenta in illis requiſita fuerint, antequam ſacro eccleſiæ miniſterio conſecrarentur; et quibus legibus poſtea, cum vitæ tum laborum ſuorum intuitu, in continuo*

officio-

*officiorum suorum ac functionis exercitio gubernari debuerint. Ex quibus multæ, fateor, in ipsarum consideratione versantem me non mediocriter adfecerunt: ipsasque aliis, qui eas legere non grauabuntur, tales se probaturas sperauerim. Heic enim et præcepta et incitamenta optimæ notæ reperiuntur, quæ industriam nostram exstimulare, studium incendere, nosque in exprimendis effingendisque propositis animo nostro exemplis negotiosos efficere possunt atque indefessos. Si quis cogitauerit, me hæc collegisse, vt horum illorumue hominum, qui hac ætate viuunt, existimationi detraherem, ego cum veterum quodam * in simili casu dixero:* Ne quis me in sugillationem istius temporis sacerdotum scripsisse, quæ scripsi, existimet, sed in ecclesiæ vtilitatem. Vt enim oratores et philosophi, describentes, qualem velint esse perfectum oratorem et philosophum, non faciunt iniuriam *Demostheni* et *Platoni*, sed res ipsas absque personis definiunt: sic descriptione episcopi & in eorum expositione quæ scripta sunt, quasi speculum sacerdotii proponitur. Iam in potestate & conscientia singulorum est, quales se ibi adspiciant: vt vel dolere ad deformitatem vel gaudere ad pulchritudinem possint.

Nihil heic proponitur nisi regula et exempla nobilissimarum virtutum; probitatis & integritatis vitæ; studiorum ac laborum clericalem functionem decentium; pietatis & deuotionis in adsiduis nostris ad Deum accessibus; fidelitatis, diligentiæ ac prudentiæ in prædicando inter homines ipsius

* Hieron. epist. LXXXIII. ad Ocean. tom. II. p. 323. edit. Basil. MDLXV. (tom. II. p. 217. B. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

verbo; ſollicitudinis ac ſollertiæ coniunctæ cum circumſpectione ac caritate in adminiſtranda publica ac priuata diſciplina; candoris et ingenuitatis in componendis inter viros bonos minus neceſſariis controuerſiis; et zeli in oppugnandis ac committendis inter ſe validis ac doloſis hæreticorum et prauorum hominum conſiliis; iuxta ac magnanimitatis et patientiæ in tolerandis cum manifeſtorum veritatis hoſtium, tum falſorum amicorum, vexationibus, calumniis ac criminationibus; cum multis aliis pariter commendabilium virtutum exemplis, quæ in veterum clericorum vitis ſplenduerunt eorumque ornauere functionem; quorum regulas & actiones, TE, DOMINE SVMME REVERENDE, *et omnes viros bonos cum voluptate lecturos, confido, quia ſuam quisque pulchritudinem in hoc ſpeculo repræſentatam videbitis; et quisquis a delineata heic imagine aberrauerit, lenem quamdam admonitionem & calcar inueniet ad res eas redintegrandas, quæ in ipſius agendi ratione deſiderantur, et maiori cum ſtudio eo connitendum, vt ad antiquum illud exemplar paullo propius accedat.*

Per excelſam Tuam, DOMINE, *ſtationem et delegatam* TIBI *prouinciam ad antiquæ diſciplinæ exercitium inter clericos Tuos efficaciore quadam ratione inſtaurandum idoneus es: et iam quibusdam euidentiſſimis documentis declaraſti, hoc ipſum ſtatutum cum animo ac deliberatum* TE *habere. Cuiusmodi conſilia vt hominibus induſtriis ac virtutum ſtudioſis voluptati ſunt, ita dubitandum non eſt, fore, vt contrarium animum gerentibus iuſtum terrorem incutiant; et ſtrictior diſciplina inter clericos introdu-*

cta

cta disciplinæ inter laicos etiam introducendæ viam faciliorem reddat; cuius restauratio iam diuturnis votis expetitur, quamquam non nisi lentis gradibus adhuc ad eam itum est. Interim vnumquemque, licet in inferiore quadam positum statione, pro virili parte sua ad obtinendum hunc finem studium atque operam suam conferre decet: quo consilio has obseruationes de veterum clericorum legibus ac disciplina collegi et digessi, vt qui illorum agendi rationem sponte sua sequi velint, magna ac bona exempla sibi proposita habeant; dum cæteri, quos exempla mouere nequeunt, alia ratione eo adducantur, nimirum auctoritate illa, qua TV, DOMINE, *polles, et qua alii in eadem statione in ecclesiæ emolumentum atque ædificationem imperiti sunt; quam ego cupidissime promotum eo, et quoad vixero, iturus sum. Vale.*

NOMINI TVO SVMME REVERENDO

deuinctissimus cliens

IOSEPHVS BINGHAMVS.

ΣΥ'ΝΟΨΙC.

LIBER TERTIVS

De inferioribus clericorum ordinibus in ecclesia primitiua.

CAPVT PRIMVM

De prima inferiorum ordinum origine, numero & vsu: Et quomodo a superioribus episcoporum, presbyterorum & diaconorum ordinibus distincti fuerint.

CAPVT SECVNDVM

De hypodiaconis.

CAPVT

CAPVT TERTIVM
De acoluthis.

CAPVT QVARTVM
De exorciſtis.

CAPVT QVINTVM
De lectoribus.

CAPVT SEXTVM
De oſtiariis ſeu ianitoribus.

CAPVT SEPTIMVM
De pſalmiſtis ſeu cantoribus.

CAPVT OCTAVVM
De copiatis ſiue foſſariis.

CAPVT NONVM
De parabolanis.

CAPVT DECIMVM
De catechiſtis.

§. IV.

CAPVT VNDECIMVM

De ecclesiecdicis & defensoribus, seu syndicis ecclesiæ.

CAPVT DVODECIMVM

De oeconomis.

CAPVT DECIMVM TERTIVM

Breuis narratio de quibusdam aliis inferioribus ministris in ecclesia.

LIBER

LIBER QVARTVS

De electione & ordinatione clericorum & præcipuis ordinandorum qualitatibus.

CAPVT PRIMVM

De diuersis homines ad ministerium ecclesiasticum designandi modis, apostolico & prisco ecclesiæ æuo vsitatis.

CAPVT SECVNDVM

Specialior antiquæ methodi & ritus clericos eligendi enarratio.

§. IX.

CAPVT TERTIVM

De examinatione & qualitatibus eorum, qui ad officium aliquod clericale ordinandi erant in ecclesia primitiua. Et primum quidem de eorum fide & moribus.

CAPVT QVARTVM

De requisitis ordinandorum ratione externi ipsorum status & conditionis in mundo.

CAPVT

CAPVT QVINTVM

De digamia & cælibatu ſigillatim, & de legibus, quas de vtroque, ratione veterum clericorum, eccleſia ſtatuit.

CAPVT SEXTVM

De priſcorum clericorum ordinatione & legibus inibi generatim obſeruatis.

CAPVT SEPTIMVM
De coactis & iteratis ordinationibus.

LIBER QVINTVS
De priuilegiis, immunitatibus & reditibus clericorum in eccleſia primitiua.

CAPVT PRIMVM
Exempla quædam reuerentiæ, quam ſibi mutuo exhibuerunt clerici.

§. I.

CAPVT SECVNDVM

Exempla reuerentiæ clericis a ciuili magistratu exhibitæ. Vbi speciatim de eorum exemtione a sæcularis iudicii in rebus ecclesiasticis cognitione.

CAPVT TERTIVM

De clericorum immunitatibus respectu tributorum & ciuilium munerum aliarumque molestiorum functionum in imperio Romano.

§. XVI.

CAPVT QVARTVM

De veterum clericorum reditibus.

CAPVT

CAPVT QVINTVM

De decimis & primitiis fructuum ſpeciatim.

CAPVT SEXTVM

De redituum veteris eccleſiæ diſpenſatione & partitione.

LIBER SEXTVS

De diuerſis legibus ac regulis, quæ ad munera, vitam & conuerſationem veterum clericorum attinent.

CAPVT PRIMVM

De harum regularum excellentia generatim, deque recti exempli moribus, quos ad earum præſcriptum clerici conformarunt.

§. I. Chri-

CAPVT SECVNDVM

De legibus ad vitam & conuersationem priscorum clericorum respicientibus.

CAPVT TERTIVM

De legibus, quæ magis ſpeciatim ad officiorum & functionis clericorum exercitium ſpectant.

CAPVT QVARTVM

De quibusdam aliis legibus & regulis, quæ priorum iſtarum quædam quaſi ſepimenta & propugnacula fuerunt.

§. III.

CAPVT QVINTVM

Obſeruationes quædam ad hactenus dicta. Concluſio cum adlocutione ad clerum præſentis eccleſiæ.

ORIGI-



I. N. I.

ORIGINVM ECCLESIASTICARVM

LIBER TERTIVS

DE INFERIORIBVS CLERICORVM ORDINIBVS IN ECCLESIA PRIMITIVA.

CAPVT PRIMVM

DE PRIMA INFERIORVM ORDINVM ORIGINE, NVMERO ET VSV: ET QVOMODO A SVPERIORIBVS EPISCOPORVM, PRESBYTERORVM ET DIACONORVM ORDINIBVS DISTINCTI FVERINT.

§. I.

Ordines inferiores non apoſtolicæ ſed eccleſiaſticæ tantum eſſe inſtitutionis, contra Baronium & *concilium* Tridentinum *probatur.*



POſteaquam libro vltimo de ſuperioribus clericorum ordinibus in primitiua eccleſia diſſeruimus, de illis nunc agere inſtituimus, qui vulgo *ordines inferiores* appellantur. Et heic primum in o-

riginem & numerum eorum inquirendum eſt. BARONIVS [a] & concilium *Tridentinum* [b], duo illa magna eccleſiæ *Romanenſis* oracula, vbi de eorum ortu & numero loquuntur, admodum confidenter ſtatuunt, quod præciſe quinque fuerint, nimirum *hypodiaconi*, *acoluthi*, *exorciſtæ*, *lectores* & *oſtiarii*, & omnes ab apoſtolis inſtituti. Quam ipſorum ſententiam non tantum BELLARMINVS [c] & vulgares quique iſtius partis ſcriptores ſequuntur, ſed SCHELSTRATVS etiam [d], qui vtpote maiori luce colluſtratus

(a) Baron. an. XLIV. n. LXXVIII. Ignatius eiusmodi numerat eccleſiaſticos ordines & officia, ſic ſcribens ad Antiochenos: *Saluto*, inquit, *ſanctum presbyterorum collegium, ſaluto ſacros diaconos*; & paullo poſt: *Saluto hypodiaconos, lectores, cantores, ianitores, laborantes, exorciſtas, confeſſores: ſaluto cuſtodes ſacrorum veſtibulorum* &c. hæcque omnia miniſteria ex *apoſtolica inſtitutione fuiſſe*, ſatis demonſtrat, dum ſuperius eosdem Antiochenos alloquutus, hæc ait: *Pauli & Petri fuiſtis diſcipuli: ne perdatis depoſitum.* Porro Ignatius inter illa non ordines tantum, ſed & officia quædam recenſuit eccleſiaſtica, nempe *cantorum & laborantium.*

(b) Concil. Trident. ſeſſ. XXIII. cap. II. Ab ipſo eccleſiæ initio ſequentium ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria miniſteria, *ſubdiaconi*, ſcilicet, *acolythi*, *exorciſtæ*, *lectoris* & *oſtiarii* in vſu fuiſſe cognoſcuntur. It. Catechiſm. ad parochos tit. de ſacramento ordinis p. 222. (p. 275. n. XXIV. edit. Lugdun. an. MDCLXXXII.) Docendum igitur erit, hosce omnes ordines ſeptenario numero contineri, ſemperque ita a catholica eccleſia traditum eſſe, quorum nomina hæc ſunt, *oſtiarius*, *lector*, *exorciſta*, *acolythus*, *ſubdiaconus*, *diaconus*, *ſacerdos*.

(c) Bellarm. de clericis lib. I. c. XI. tot.

(d) Schelſtrat. Concil. Antioch. Reſtitut. Diſſert. IV. c. XVII. art. II. p. 519. 520. Ioannes Morinus exercitatione XIV. actu ... de minoribus ordinibus ſecundum Græcos capite I. hunc titulum præfigit: *Demonſtratur, ab annis mille ſupra centum nullam fuiſſe apud orientales trium minorum ordinum memoriam. Immo hoc ſilentium extendi poſſe ad tempora apoſtolis vicina.* Per tres illos ordines a græcis ſublatos intelligit oſtiariorum, exorciſtarum & acolythorum. *Vna*, inquit, *eſt eius ordinatio nempe lectoris, & ſi quis curioſius agere velit, duas illis tribuet, cantoris nimirum & lectoris non citati.* Hoc autem vt probet, extendi poſſe ad tempora apoſtolis vicina, producit liturgiam antiquam S. Marco tributam, quæ tres ordines minores omittit: *Memento etiam vbique degentium orthodoxorum epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum, lectorum, cantorum, monachorum, viduarum, laicorum.* Canonem item LXIX. Apoſtolorum: *Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut hypodiaconus, aut lector, aut cantor ſanctam quadrageſimam non ieiunaverit, vel quartam, vel paraſceuen, deponitor.* Conſtitutiones Clementis lib. VIII. capitis XXXI. adferentes duntaxat gradus presbyterorum, diaconorum hypodiaconorum, lectorum aut cantorum & diaconiſſarum. Denuum S. Ephrem Conſtantini magni temporibus in ſermone paræne-

per

per nebulam, ante aliorum oculos obuersantem, prospicere poterat. BONA *cardinalis* [e] hypodiaconos a reliquis distinguit. Is aperte fatetur, acoluthos, exorcistas, lectores & ostiarios non esse institutionis apostolicæ, vti quidem recentiores scholastici dictitent: de *subdiaconis* autem prorsus idem cum illis sentit, *Subdiaconorum*, inquiens [f], *licet expressa mentio in sacris litteris non reperiatur, eorum tamen institutio vel ad Christum, vt recentiores scholastici existimant, vel ad apostolos referenda est.* Scriptores *Gallicani* non generatim adeo tenaces sunt huius opinionis, vtpote qui patrum *Tridentinorum* decreta fide implicita se recipere numquam iurauerunt; sed eorum multi ingenue fatentur, quod inferiorum ordinum origo soli ecclesiasticæ institutioni debeatur. MORINVS [g] probare satagit, non fuisse inter *Græcos* proxima ab apostolis ætate eiusmodi ordinem, qualis fuit *acoluthorum, exorcistarum* & *ostiariorum*; neque SCHELSTRATVS illius argumenta conuellit, licet ea confutare præ se ferat. DVARENVS [h] tales ordines ab initio in primitiua ecclesia fuisse, negat. COTELERIVS [i] eorum originem obscuritate prorsus inuolutam, neque de eorum vllo apud IGNATIVM vel alium quempiam vetustum scriptorem ante CYPRIANVM & TERTVLLIANVM mentionem factam esse, fatetur. Itaque HABERTVS [k] *Consultius*, inquit, *meo quidem iudicio ordines hierarchicis inferiores ipsamque adeo hypodiaco-*

tico de secundo domini aduentu: *Tunc clerici ab aliis diuidentur clericis, episcopi ab episcopis, diaconi ab aliis diaconis, & subdiaconi cantores atque lectores a se inuicem.* Verum miror, Ioannem Morinum ex hisce testimoniis probare conatum, silentium trium ordinum extendi posse ad tempora apostolis vicina &c.

(e) Bona Rer. Liturg. lib I. c. XXV. n. 17. Acolythos, exorcistas, lectores & ostiarios, ab apostolis vel ab immediatis eorum successoribus institutos, doctores scholastici adserunt, sed non probant.

(f) Bona ibid. n. 16.

(g) Morin. de ordinat. exercitat. XIV. c. I. tot. p. 188 -- 192. conf. not. (d).

(h) Duaren. de minister. & beneficiis ecclesiast. lib. I. c. XIV. In veteri ecclesia non erat hæc munerum distinctio, quæ postea in vsum venit, vt alii ostiarii dicerentur, alii lectores, exorcistæ, aut acolythi, sed diaconorum hypodiaconorumque munere coniuncta erant hæc omnia.

(i) Coteler. not. in constitut. apost. lib. II. c. XXV. Quo post apostolos tempore minores ordines, diaconatu inferiores, cœperint in ecclesia institui, adeo obscuritate inuoluitur, vt nulla possit certa coniectura deprehendi atque explicari.

(k) Habert. Archieratic. Part. V. obseruat. I. p. 48.

ni & a sacramentorum vsu expungere & ad institutionem duntaxat ecclesiasticam cum antiquis theologis referre. Per antiquos theologos intelligit scholasticos, qui generatim idem olim statuerunt. Ad PETRVM LOMBARDVM quod attinet, qui inter eos facile princeps est, ipse declarat [*l*], quod ecclesia primitiua non habuerit ordines presbyterorum & diaconorum ordinibus inferiores; nec apostolus de vllo alio præceperit; sed quod ipsa ecclesia sæculis subsequutis hypodiaconos & acoluthos instituerit. Et hæc etiam THOMAE AQVINATIS [*m*], AMALARII FORTVNATI [*n*] multorumque aliorum est opinio. Ipse SCHELSTRATVS [*o*] fatetur, fuisse hanc duorum paparum VRBANI II. & INNOCENTII III. sententiam,

(*l*) Lombard. Sent. lib. IV. Distinct. XXIV. p. 348 Hos solos primitiua ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum apostoli habemus. Subdiaconos vero & acolythos procedente tempore ecclesia sibi constituit.

(*m*) Aquin Supplem. Part. III. Quæst. XXXVII. Art. II. Resp. ad 2dum. In primitiua ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconibus committebantur, vt patet per *Dionysium cap. III. eccles. hierarchiæ*, vbi dicit: *Ministrorum alii stant ad portas clausas, alii aliud proprii ordinis operantur; alii autem sacerdotibus proponunt super altare sacrum panem & benedictionis calicem.* Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite, in vna diaconi potestate. Sed postea ampliatus est cultus diuinus, & ecclesia quod implicite habebat in vno ordine, explicite tradidit in diuersis.

(*n*) Amalar. de offic. ecclef. lib. II. c. VI. (Tom. VI. Biblioth. SS. Patr. p. 933) Notandum est, eos ordines, qui potissimum necessarii sunt in ecclesia, apostolum Paulum denominasse & eorum mores depinxisse, sine quibus non potest rite immolatio altaris celebrari, scilicet sine sacerdote & diacono. Vt sine retractatione sacerdos vigilet circa hostias, necessarius est diaconus, ad ministranda ea, quæ necessaria sunt sacerdoti: *cæteri ordines his adiecti sunt.* Crescente ecclesia creuit officium ecclesiasticum: vt multitudini ecclesiæ subueniri posset, *adiiciuntur inferiores* in adiutorio præpositorum.

(*o*) Schelstrat. de Concil. Antioch. p. 514 515. Scio Vrbanum secundum in synodo Beneuentana apud Iuonem in decreto parte 5. c. 72. statuisse: *Nullus in episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose viuens inuentus est, sacros autem ordines dicimus diaconatus, presbyteratus. Hos siquidem solos primitiua ecclesia legitur habuisse: super his solis præceptum apostoli habemus. Subdiaconi vero, quia & ipsi altaribus administrant, opportunitate exigente concedimus sed rarissime, si tamen spectatæ sint religionis & scientiæ &c.* Et Innocentium tertium hæc ita interpretatum fuisse in epistola ad Mutinensem episcopum relata per Gregorium papam IX. libro I. decret. tit. XIV. c. IX. *quod Vrbanus ad statum primitiuæ ecclesiæ se referens, (in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur) instituit, vt de subdiacono (nisi vtilitatis caussa &c.) non posset electio celebrari.* Et ipsum Innocentium addidisse: *vt subdiaconus in episcopum valeat libere eligi, sicut diaconus vel sacerdos* &c.

quod

quod *subdiaconorum* ordo in primitiua ecclesia inter sacros ordines relatus non fuerit. Erat quidem inferior ordo sæculo tertio, sed sacri siue superioris ordinis appellatione ab ecclesia ad duodecimum vsque sæculum non dignatus, vbi, quemadmodum MENARDVS e quodam PETRI CANTORIS [p] eius sæculi scriptoris, codice MSCto refert, hoc titulo nouissime fuit ornatus: hoc est tempore, quo episcopi & presbyteri pro vno tantum ordine haberi cœperunt, certæ cuidam hypothesi, *Romanensi* ecclesiæ propriæ, commodandi caussa, *hypodiaconorum* ordo ad superioris ordinis dignitatem increuit. Et cum ecclesia primitiua episcoporum, presbyterorum & diaconorum ordines pro tribus superioribus ordinibus habere consueuisset, ecclesia *Romana* nunc alia loquendi ratione vtens, presbyterorum, diaconorum & hypodiaconorum ordines, tres superiores ordines vocare incipiebat: ita vt hic vltimus superior quidem ordo fieret, qui sæculis aliquot ante inferior tantum, & initio nullus plane, ordo fuerat. Ad testimonia quod attinet, quæ ab SCHELSTRATO post BELLARMINVM & BARONIVM adlegantur, vt inferiores ordines ab apostolis institutos esse, probent, nullius hac in re auctoritatis sunt, nullius ponderis. Epistolam nomine IGNATII ad *Antiochenos* exaratam & constitutiones CLEMENTI ROMANO tribui solitas, e quibus solis testimonia in hac materia adferri solent, non genuina eorum, sed multo recentiorum auctorum scripta esse, nunc quidem in vulgus notum est. Vt adeo, antequam meliora argumenta proferantur, æquum rectumque sit concludere, quod hi inferiores ordines non apostolicæ sed ecclesiasticæ tantum constitutioni originem suam debeant.

§. II.

Non certus aliquis eorum numerus in ecclesia primitiua.

Et hoc porro non tantum ex plerorumque veterum scriptorum silentio, sed etiam ex narrationibus illorum, qui de ipsis statim post eorum institutionem loquuntur, demonstrari potest. Nam etsi ecclesia *Romana* eos præcise quinque numero esse statuit, in antiqua tamen ecclesia talis regula haud fuit;

(p) Pet. Cantor de verbo munifico ap. Hug. Menard. p. 280. (citante Schelstrat. p. 515.) Prima manus impositio debetur diaconibus ordinandis: *de nouo enim institutum est, subdiaconatum esse sacrum ordinem.*

aliæ enim narrationes de pluribus quam quinque, aliæ de paucioribus loquuntur; id quod, eos non apostolicæ institutionis esse, arguit. Auctor sub nomine IGNATII [q] sex præter *acoluthos* numerat, nimirum *hypodiaconos*, *lectores*, *cantores*, *ostiarios*, *copiatas* & *exorcistas*. Auctor constitutionum sub nomine CLEMENTIS ROMANI [r] quatuor tantum ex his ordinibus recenset, videlicet, *hypodiaconos*, *lectores*, *psaltes* & *ostiarios*. Nam *copiatarum* vel *acoluthorum* nullam facit mentionem: & licet de *exorcistis* loquatur, tamen ecclesiasticum ordinem fuisse verbis expressis [s] negat. Canones apostolici [t], vt vulgo appellantur, tres tantum nominant, *hypodiaconos*, *lectores* & *cantores*. Et quamuis auctor sub nomine HIERONYMI [u] quatuor memoret, tamen *copiatas* siue *fossarios* in numerum refert, *acoluthis* & *exorcistis* omissis. EPIPHANIVS [x] acoluthorum non meminit, sed eorum in locum *copiatas* & *interpretes* substituit. Alii quoque *parabolanos* addunt; & si a CORNELIO [y] discesseris, vix vllum alium

(q) Ignat. ep. ad Antioch. n. XII. Ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνώστας, ψάλτας, πυλωρούς, τοὺς κοπιῶντας, ἐπορκιστάς. Saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas.

(r) Constit. Apost. lib. III. c. XI. Ἀλλ' οὔτε τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν οἷον ἀναγνώσταις, ἢ ψάλταις, ἢ πυλωροῖς, ἢ ὑπηρεταῖς· ἢ μόνοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετουμένων αὐτοῖς τῶν διακόνων. Sed neque reliquos baptismum conferre volumus, veluti lectores, aut psaltes, aut ianitores, aut ministros; nisi solos episcopos & presbyteros, ministrantibus diaconis.

(s) Ibid. lib. VIII c. XXVI. Ὁ αὐτὸς, περὶ ἐπορκιστοῦ διατάσσομαι· ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται. Ipse ego ieret, de exorcista constituo: Exorcista non ordinatur.

(t) Canon. Apost. c. LXIX. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν οὐ νηστεύει, ἢ τετράδα, ἢ παρασκευὴν, καθαιρείσθω. Si quis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut hypodiaconus, aut lector, aut cantor sanctam quadragesimam non ieiunat, vel feriam quartam, vel parasceuen, deponatur.

(u) Hieron. de septem ordin. eccles. Tom. IV. p. 81. (edit. Francof. MDCLXXXIV. Tom. IV p 56 57 58 59)

(x) Epiphan. exposit. fid. n XXI. Εἶθ' ἑξῆς τούτων, ἐπορκισταὶ, καὶ ἑρμηνευταὶ γλωσσῶν εἰς γλῶσσαν ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν, ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις· λοιπὸν δὲ καὶ κοπιαταὶ, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων· καὶ θυρωροὶ, καὶ ἡ πᾶσα εὐταξία. Post illos omnes ordines deinceps exorcistæ sequuntur, & linguarum interpretes tam in lectionibus quam in concionibus. Sequuntur *laborantes*, qui mortuorum corpora curant. Tum *ianitores*, ac reliqui disciplinæ caussa ordines instituti.

(y) Cornel. Ep. ad Fab. apud Euseb. lib. VI. c. XLIII. Ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει· πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ· διακόνους ἑπτά· ὑποδιακόνους ἑπτά, ἀκολούθους δύο

ex

ex ſcriptoribus antiquis inuenias, qui numero quinario inferiorum ordinum ita inhæreat, vti nunc quidem in eccleſia *Romanenſi* computatur.

§. III.

Nec in omnibus eccleſiis eodem tempore inſtituti.

Huius differentiæ ratio hæc ſit, oportet, quod nulla certa regula de iſtis ordinibus initio relicta fuerit; ſed vnaquæque eccleſia eo tempore & numero eos ipſa inſtituerit, quemadmodum res eius viſæ fuerint id poſtulare. Primum enim pleræque horum inferiorum ordinum functiones a diaconis peragebantur, quemadmodum alio loco [z] oſtendimus. At numero conuerſorum in amplioribus eccleſiis, qualis *Romana* erat, quæ ad numerum ſeptem diaconorum ſe adligarat, increſcente, functiones officii diaconalis ſubito multiplicabantur & ingraueſcebant, vt eis obeundis tam pauci non eſſent. Quocirca adiutores quidam primum in magnis eccleſiis, ſub nomine horum inferiorum ordinum eis conſtituebantur, vt diaconis grauia quædam onera, quæ illis incumbebant, adleuarent. Et hæc cauſſa eſt, quamobrem in tam amplis & populoſis eccleſiis, ſicuti *Romana* & *Carthaginenſis* erant, ſæculo tertio ineunte ordines inferiores deprehendamus; cum contra ea in multis minoribus eccleſiis ipſo adhuc quarto & quinto ſæculo omnia officia a diaconis adminiſtrarentur: id quod ex verbis auctoris, qui ſub nomine AVGVSTINI [a] latet, colligas, qui quum de diaconis *Romanis* loquitur, ita ait: *Vt non omnia miniſteria obſequiorum per ordinem agant, multitudo facit clericorum. Nam vtique altare portarent & vaſa eius & aquam in manus funderent ſacerdoti; ſicuti videmus per omnes eccleſias.* Quod euidenter indicare videtur, hos inferiores ordines nondum in omnes eccleſias fuiſſe receptos, quum auctor ille hanc obſeruationem faceret.

§. IV.

Præcipuus eorum vſus in primitiua eccleſia fuit, vt eſſent quoddam hierarchiæ ſeminarium.

καὶ τέσσαράκοντα· ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα. In qua ſciebat (quomodo enim illud neſcire potuiſſet?) presbyteros quidem eſſe quatuor & quadraginta: ſeptem autem diaconos totidemque *ſubdiaconos*, *acoluthos* duos & quadraginta, *exorciſtas* & *lectores* cum *oſtiariis* quinquaginta duos.

(z) lib. II. c. XX. §. IV. p. 319.

(a) Aug. quæſt. vet. & nov. teſt. Tom. IV. c. CI.

Ex

Ex ecclesiarum autem eos admittentium institutione diuerso, & bono quidem, fini ac intentioni inseruiebant. Nam præterquam quod diaconos functionibus suis ex aliqua parte releuarent, erant etiam sacræ hierarchiæ siue superiorum ordinum ecclesiæ quoddam seminarium. Ea enim ætate ecclesiæ, quæ istos ordines instituerant, superiores ministros suos, episcopos, presbyteros & diaconos ex illis plerumque cooptabant; & horum minorum ordinum clerici sub probatione & tentamine constituti, maiorum ordinum quidam erant candidati. Ecclesia enim vtilitate christianarum academiarum tunc temporis destituta hanc rationem homines ad ministerium aptandi inibat, vt prius in quibusdam inferioribus officiis eos exerceret, quo disciplinæ beneficio melius instruerentur, & ad superiorum ordinum officia obeunda magis idonei redderentur. Et hac ratione quilibet episcopus omnium clericorum in diœcesi sua tum ingenii facultatem, tum mores perspectos habebat & exploratos. Ante ipsius enim oculos educabantur & sub ipsius cura & inspectione gubernabantur. In quibusdam locis eadem vtebantur domo & mensa: quemadmodum POSSIDIVS [*b*] speciatim de ecclesia *Hipponensi*, quam AVGVSTINVS moderabatur, & SOZOMENVS [*c*] de ecclesia *Rinocururensi*, quæ *Palæstinæ* & *Ægypto* confinis erat, memoriæ prodidere, quod clericis domus, mensa & omnia communia fuerint. Hinc in *Hispania* regum *Gothicorum* memoria circa finem sæculi quinti in consuetudinem abiit, vt parentes filios suos ecclesiæ ministerio valde pueros dedicarent: quo in casu in episcopi familiam recipiebantur, & sub ipso a quodam prudenti & graui presbytero educabantur, quem episcopus ad hoc negotium delegabat, eisque præficiebat, nomine *præpositi* & *magistri disciplinæ* salutandum: quia præcipuum eius negotium erat, vitam & mores eorum inspectare, & legibus ac disciplina ecclesiæ eos erudire. Sicut in secundo & quarto conciliis [*d*] *Toletanis*, quæ de his rebus præcipiunt, videre licet.

(*b*) Possid. vit Aug. c. XXV. Cum ipso semper *clerici vna etiam domo ac mensa* sumtibusque communibus alebantur & vestiebantur.

(*c*) Sozom. lib. VI. c. XXXI. *Κοινὴ δέ ἐςι τοῖς αὐτόθι κληρικοῖς οἴκησις καὶ τράπεζα καὶ τἄλλα πάντα.* *est* eius loci *clericis communis domus & mensa*, reliqua denique omnia communia.

(*d*) Concil. Tolet. II. c. I. (Tom. IV. Concil. p. 1733.) De his, quos voluntas parentum a primis infantiæ annis in clericatus officio mancipauit, statuimus, obser-

§. V.

§. V.

Non licuit illis officio ſuo renuntiare, & ad mere ſæcularem vitam redire.

Et hanc ob cauſſam hi inferiores ordines non minus quam reliqui ad perpetuum eccleſiæ miniſterium obligati erant, poſteaquam ſemel ei ſe deuouiſſent atque dedicaſſent. Non poterant tunc ſtatione ſua decedere & ad mere ſæcularem vitam pro lubitu ſuo reuerti. Concilium *Chalcedonenſe* [e] in hanc rem hunc decretorium habet canonem: *Eos qui in clero ſemel ordinati ſunt, & itidem monachos ſtatuimus, nec ad militarem expeditionem, nec ad ſæcularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audent & non pœnitentia ducti ad id reuertuntur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari.* Qui canon in *Turonico* [*f*], *Triburienſi* [*g*] & aliis quibusdam conciliis repetitur, vbi ita exponitur, vt inferiores ordines æque ac ſuperiores includantur.

§. VI.

Quomodo a ſuperioribus ordinibus nomine, officio & modo ordinationis, diſtincti fuerint.

Etſi autem in his rebus conueniebant, in aliis tamen reſpectibus a ſe inuicem valde diſcrepabant. 1. Nomine: Superiorum ordinum clerici communiter vocabantur *ἱερωμένοι*, *ſacrati*, vt a SOCRATE [*h*] & aliis. Vnde nomen *hierarchiæ* ab aucto-

vandum, vt mox cum detonſi vel miniſterio electorum contraditi fuerint, in domo eccleſiæ ſub epiſcopali præſentia a præpoſito ſibi debeant erudiri. It. Conc. Tolet. IV. c. XXIV. (Tom. V. Conc. p. 1713.) Si qui in clero puberes aut adoleſcentes exſiſtunt, omnes in vno conclaui atrii commorentur, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria ſed in diſciplinis eccleſiaſticis agant deputati probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant

(*e*) Concil. Chalced c. VII. (Tom. IV. Conc. p. 759.) Τὰς ἅπαξ ἐν κλήρῳ κατειλεγμένους, ἢ καὶ μονάσαντας, ὡρίσαμεν, μήτε ἐπὶ στρατείαν, μήτε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι· ἢ τοῦτο τολμῶντας καὶ μὴ μεταμελουμένους, ὥστε ἐπιστρέψαι ἐπὶ τοῦτο, ὃ διὰ Θεὸν πρότερον εἵλοντο, ἀναθεματίζεσθαι

(*f*) Concil. Turonic. I. c. V. (Tom. IV. Conc p. 1051.) Si quis clericus relicto officii ordine laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

(*g*) Concil. Tribur. c. XXVII. (Tom. IX. p. 454.) In ſynodo Chalcedonenſi ſtatutum eſt, vt clerici, qui ſemel in clero deputati ſunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem - - - Nos autem eamdem ſequentes canonicam auctoritatem, ſtatuimus, vt clericus &c.

(*h*) Socrat. lib. I. c. XI. ὁ δὲ πρὸς λυσιτέλειαν τῆς ἐκκλησίας καὶ κόσμον τῶν ἱερωμένων

re, sub nomine DIONYSII [*i*] AREOPAGITAE delitescente, vsurpatur, ad significandos peculiariter episcoporum, presbyterorum & diaconorum ordines; quemadmodum HALLIERVS, celebris doctor *Sorbonicus* contra CELLOTIVM *Loiolitam* in docta sua & diligenter elaborata *hierarchiae ecclesiasticae defensione* [*k*] abundantissime demonstrauit. Ab altera autem parte inferiores ordines in antiquis canonibus *insacrati* tantum appellantur; vti in concilio *Agathensi* [*l*], in quo quum *ministri insacrati* sacra vasa contingere, vel diaconicon siue sacrarium ingredi prohibentur, manifestum est, inferiores ordines intelligi oportere. II. Alia differentia, quae priori distinctioni ortum dedit, in differentibus caerimoniis, in ordinationis ritu obseruatis, sita erat. Alii semper coram altari sacro ministerio initiabantur, alii non item: alii cum solemni manuum impositione; alii plerumque sine isthoc ritu. Vnde BASILIVS [*m*] ordinem alterum βαθμὸν, *gradum;* alterum vero ἀχειροτόνητον ὑπηρεσίαν, *inferius ministerium, sine impositis manibus consecratum,* nuncupat. III. Praecipua differentia in officii ac functionis eorum exercitio versabatur. Alii ad ministrandum coram Deo & sacerdotibus, ad celebranda eius sacramenta, ad exponendum publice in ecclesia eius verbum, & ad id genus alia peragenda, ordinabantur. Quo intuitu tres supe-

διὰ τὴν αὐτοῦ συμβολὴν γέγονε, τοῦτο διηγήσομαι. Illud quod ad vtilitatem ecclesiae & ad honestatem *clericorum* eius (Paphnutii) consilio gestum sit, deinceps exponam. Id. lib. I. c. XV. Τοῦτον φησὶν ὁ Ῥουφῖνος κομιδῆ νήπιον ὄντα παίζειν σὺν τοῖς ἡλικιώταις ἱερὸν παίγνιον· τοῦτο δὲ ἦν μίμησις ἱερωσύνης καὶ τοῦ καταλόγου τῶν ἱερωμένων ἀνδρῶν. Hunc (Athanasium) cum admodum puer esset, sacrum quemdam lusum cum pueris aequalibus lusisse Rufinus narrat. Is lusus erat imitatio sacerdotii & collegii *sacrorum virorum.*

(*i*) Dionys. de Hierarch. Eccles. c. V. n. 2. tot.

(*k*) Hallier. Defensio Hierarch. Eccles. lib. I. c. III. lib. III. sect. II. c. I. & II.

(*l*) Concil. Agath. c. LXVI. (Tom. IV. Concil. p. 1394.) Non oportet *insacratos ministros* licentiam habere in secretariam, quod graeci diaconicon appellant, ingredi & contingere vasa dominica.

(*m*) Basil. Ep. Canon. LI. Τὸ κατὰ τοὺς κληρικοὺς ἀδιορίστως οἱ κανόνες ἐξέθεντο, κελεύσαντες μίαν ἐπὶ τοῖς παραπεσοῦσιν ὁρίζεσθαι τιμωρίαν, τὴν ἔκπτωσιν τῆς ὑπηρεσίας· εἴτε ἐν βαθμῷ τυγχάνοιεν, εἴτε καὶ ἀχειροτονήτῳ ὑπηρεσίᾳ προσκαρτεροῖεν. Quod aduersus clericos statutum est, canones indefinite ediderunt, vnum in iis, qui lapsi sunt, supplicium decerni iubentes, a ministerio scilicet motionem: siue sint in *gradu*, siue etiam in *ministerio, quod non impositis manibus datur*, perseuerent.

riores

riores ordines epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum OPTATO aliisque ſuam quisque partem & gradum in chriſtiano ſacerdotio habere dicuntur, quemadmodum volumine primo [n] adnotauimus: Inferiores autem ordines ad nullum iſtiusmodi miniſterium, ſed tantum ad ſeruiendum miniſtris in cultu diuino, & ad obeunda minora quædam & ordinaria officia conſtituebantur, quæ quiuis chriſtianus, epiſcopo mandante, perficere poterat. Quænam fuerint hæc officia, capite ſequenti ſigillatim narrabimus.

LIBRI TERTII
CAPVT SECVNDVM
DE HYPODIACONIS.
§. I.
Hypodiaconorum ad ſæculum vſque tertium nulla facta mentio.

PRimam huius ordinis notitiam, quæ ab vllo antiquorum ſcriptorum data fuit, ex ſæculo tertio medio accepimus, vbi *Cyprianus* & *Cornelius* vixerunt, qui de *hypodiaconis* tamquam in eccleſia ætate ſua conſtitutis, loquuntur. CYPRIANVS [a] ad minimum decies in epiſtolis ſuis eorum meminit; & CORNELIVS in celebratiſſima ſua [b] ad FABIVM epiſcopum *Antiochenſem* epiſtola, qua clericorum ad eccleſiam *Romanam* ſpectantium catalogum ei mittit, ſeptem *ſubdiaconos* inter eos recenſet. Nonnulli eos non adeo mature in eccleſia *græca* fuiſſe exiſtimant: HABERTVS [c] enim nullum *græcum* ſcriptorem ante ATHANASIVM, [d] qui ſeculo quarto vixit, de iis loquutum eſſe, dicit.

(n) Vid. lib. II. c. XIX. §. XV. pag. 286.

(a) Cyprian. Ep. VIII. XX. XXIX. XXXIV. XXXV. XLV. LXXVIII. LXXIX. edit. Oxon.

(b) ap. Euſeb. lib. VI. c. XLIII. vid. cap. I. §. II. not. (y) pag. 6. & 7.

(c) Habert. Archierat. p. 49. Apud *græcos* ſerius auditum *hypodiaconi* nomen --- Hypodiaconi nomen apud S. Anaſtaſium primum legi epiſt. ad *Solitarios*, vbi Ariani ἥρπασαν Εὐτύχιον ὑποδιάκονον ἄνδρα καλῶς ὑπηρετήσαντα τῇ ἐκκλησίᾳ, rapuerunt Eutychium *hypodiaconum* præclare eccleſiæ miniſtrantem. ὑπηρετεῖν enim hypodiaconorum proprium.

(d) Athan. Epiſt. ad Solitar. Vit. agent. (Tom. I. p. 380. edit. Pariſ. MDCXCVIII.) vid. in not. antec. (c).

§. II.

Eorum ordinatio sine manuum impositione facta in ecclesia latina.

Auctor *constitutionum* eos quidem ad originem apostolicam refert & huic hypothesi gratificaturus *Thomam* apostolum introducit episcopis mandantem, vt eos impositis manibus [*e*] & precibus factis consecrent, quemadmodum de reliquis etiam inferioribus ordinibus vniuersis idem præcipit. Sed hac in re auctor ille vnus & solus ita statuit: non enim hæc ecclesiæ *græcæ*, cuius consuetudines præcipue enarrat, praxis videtur fuisse. BASILIVS testis fide multo dignior de illis & reliquis ordinibus inferioribus vniuersis dicit, quod sint [*f*] *ἀχειροτόνητοι sine impositione manuum consecrati*. Et quod ad ecclesiam *latinam* attinet, ex quodam concilii quarti *Carthaginensis* canone id manifestum est, in quo modus & ratio ordinationis ita exprimitur [*g*]: *Subdiaconus qui ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patinam de episcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum. De manu vero archidiaconi vrceolum cum aqua & mantile & manutergium.* Quæ ordinandi formula impositionem manuum penitus excludens, ex transuerso idoneum testimonium, vti HABERTVS [*h*] ingenue confitetur, suppeditat, quo hunc ordinem ab apostolis non institutum esse, probetur: Hi enim in nulla ordinatione hanc cærimoniam omittere consueuerunt.

§. III.

Breuis officiorum hypodiaconorum enarratio.

Quodnam fuerit *hypodiaconorum* officium, ex ante memorato canone quodammodo condiscere possumus, nimirum sacra altaris vasa & vtensilia aptare & præparare, eaque diuini cultus tempore diaconis tradere. At vero coram altari ministrare,

(*e*) Constitut. Apost. lib VIII. c. XXI. *Περὶ τῶν ὑποδιακόνων ἐγὼ Θωμᾶς διατάσσομαι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις· ὑποδιάκονον χειροτονῶν, ὦ ἐπίσκοπε, ἐπιθήσεις ἐπ' αὐτῷ τὰς χεῖρας, καὶ ἐρεῖς· δέσποτα Θεὲ κ. τ. λ.* De *subdiaconis* ego Thomas vobis episcopis constituo. Quando *subdiaconum* ordinas, episcope, impones super cum manus & dices; Domine Deus, cætera.

(*f*) Basil. Epist. Can. LI. vid. supra in not. (m). p. 10

(*g*) Concil. Carthag IV. c V. (Tom. II p 1200.)

(*h*) Habert Archierat. p. 43. Quia illud eo mihi probabilius, quo apud latinos hypodiacono manus haud quaquam imponatur, quam tamen cærimoniam diuinæ institutionis & apostolici temporis ordinatio procul dubio requireret.

vti quidem faciebant diaconi, ipsis non licebat; multo minus circumductos ei cancellos, patinam aut calicem vel oblationes populi in eo collocandi caussa, ingredi: quemadmodum ex canone quodam [*i*] concilii *Laodiceni* apparet, qui ὑπηρέταις, per quos *hypodiaconi* intelliguntur, locum intra diaconicon seu sacrarium habere, vel sacra vasa, in mensa nimirum communionis, contingere interdicit. Quamquam hoc nunc quidem eorum officium sit in ecclesia *Romanensi*, & hoc ipso, BONA [*k*] fatente, ab antiquæ ecclesiæ hypodiaconis differant. Aliud eorum officium erat, ad fores ecclesiæ durante sacræ communionis celebratione, exspectare. Huius mentio a concilio *Laodiceno* facta est in canone [*l*] quodam, qui eos ad hanc stationem constituit. Et VALESIVS *Eusebium* eos putat intelligere, quando templum *Paulini* describens, de quibusdam loquitur [*m*], quorum officium fuerit θυραυλεῖν καὶ ποδηγεῖν τοὺς εἰσιόντας, h. e. *exspectare ad ianuas & ingredientes ad suam quemque sedem deducere.* Auctor *constitutionum* [*n*] hanc functionem inter diaconos & hypodiaconos partitur ac diuidit, diaconos ad ianuas, quibus viri, & hypodiaconos ad ianuas, quibus mulieres in templum ingrediuntur, stare iubens, ne quis egrediatur, nec tempore oblationis aperiantur ianuæ. Præter has functiones

(*i*) Concil. Laod. c. XXI. (Tom. I. p. 1500.) Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ καὶ ἅπτεσθαι δεσποτικῶν σκευῶν. Quod non oportet ministros locum habere in diaconico & sacra vasa tangere.

(*k*) Bona Rer. Liturg. lib. I. c. XXV. n. XVI. Olim nec calicem nec patinam nec oblationes in altari ponebant, sed hæc omnia porrigebant diaconis, eisque seruiebant intra sanctuarium.

(*l*) Concil. Laodic. c. XXII. (Tom. I. Concil. p. 1500.) Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτην ὠράριον φορεῖν οὐδὲ τὰς θύρας ἐγκαταλιμπάνειν. Quod non oportet ministrum ferre orarium, neque fores relinquere.

(*m*) Euseb. Hist. Eccles. lib. X. c. IV. (p. 315. c. edit. Amstel. MDCXCV.) οἷς δὲ τὰς ἐπὶ τὸν οἶκον ἐπιτρέπων εἰσόδους θυραυλεῖν καὶ ποδηγεῖν τοὺς εἰσιόντας κατεπάττων. Illis vero aditus in templum permittens; ad portas stare & intrantes deducere eos iubet. Vales. in h. l. p. 174 Intelligit Eusebius hypodiaconos, qui portas ecclesiæ seruabant, & intrantes singulos ad sua loca deducebant.

(*n*) Constit. Apostol. lib. VIII. c. XI. οἱ δὲ διάκονοι ἱστάθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας καὶ ὑποδιάκονος εἰς τὰς τῶν γυναικῶν, ὅπως μήτις ἐξέλθῃ μήτε ἀνοιχθῇ ἡ θύρα κἂν πιστός τις ᾖ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναφορᾶς. Diaconi stent ad ianuas, quibus viri in templum ingrediuntur, & *hypodiaconi ad ianuas, quibus mulieres*, ne quis egrediatur, nec aperiatur tempore oblationis, quamuis sit aliquis fidelis.

in ecclesia aliud eorum erat officium extra ecclesiam, videlicet legationem episcopi, acceptis ab eo litteris & mandatis, ad extraneas ecclesias obire. Ea enim tempestate episcopi ob persequutiones litteras ad extraneam quamdam ecclesiam non nisi per quemdam clericorum suorum mittebant. Vnde CYPRIANVS [o] istiusmodi litteras, *litteras clericas* appellat. Et hypodiaconi plerumque ii erant, quibus hoc negotium dabatur; vt ex omnibus epistolis CYPRIANI, quæ de hypodiaconis loquuntur, apparet; inprimis autem ex ea, quæ *ad clerum Carthaginensem* in exilio suo scripsit, vbi [p] eis narrat, quod, quum ad ecclesiam *Romanam* epistolam per clericos mittere ipsum oportuerit, nouum subdiaconum in hunc finem constituere necesse fuerit, quod ecclesia nullo eorum tum carere potuerit, vix reliquos habens, qui ad quotidiani ministerii partes explendas sufficerent. Hæc antiquitus præcipua *hypodiaconorum* post primam eorum institutionem officia fuerunt.

§. IV.

Quænam officia obire non potuerint.

Magna quoque adhibebatur cautio, ne extra terminos suos egrederentur, aut in diaconorum officium falcem suam immitterent. Non licebat ipsis panem [q] vel calicem populo ad mensam Domini distribuendi facultatem sibi arrogare; non poterant preces indicere, nec vllam ministerii partem obire, quam diaconi, tamquam κήρυκες siue sacri præcones ecclesiæ, obibant. Hic sensus est canonis [r] concilii *Laodiceni*, qui hypodiaconis durante diuino cultu *horarium* portare interdicit, quod ornamentum erat diaconorum, qui eo tamquam signo

(o) Cypr. Ep. IV. al. IX. Graue est, si *epistolæ clericæ* veritas mendacio aliquo & fraude corrupta est.

(p) Cypr. Ep. XXIV. al. XXIX. Quoniam oportuit me per clericos scribere; scio autem nostros plurimos absentes esse, paucos vero, qui illic sunt, vix ad ministerium quotidiani operis sufficere: necesse fuit *nouos* aliquos *constituere*, qui mitterentur: Fecisse me autem sciatis *lectorem* Saturum & *hypodiaconum* Optatum *confessorem*.

(q) Concil. Laod. c. XXV. (Tom. I. conc. p. 1501.) Ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἄρτον διδόναι οὐδὲ ποτήριον εὐλογεῖν, Non oportet ministros panem dare vel calicem benedicere.

(r) Ibid. can. XXII. Οὐ δεῖ ὑπηρέτην ὠράριον φορεῖν. Non oportet ministrum orarium ferre.

vtebantur, quo de faciendis precibus & aliis ecclesiæ ministeriis catechumenos, pœnitentes & cæteros, quos eorum mandato mores gerere decebat, admonebant. Hoc ornamentum igitur hypodiaconis portare non licebat, quod ornamentum esset superiori cuidam ordini peculiare & proprium. Porro idem obsequium eamdemque reuerentiam diaconis præstare debebant, quam diaconi præstabant presbyteris. Alio quodam eiusdem concilii canone [s] præsente diacono sedere prohibentur.

§. V.

Peculiaris ecclesiæ Romanæ *consuetudo in tuendo præcise septenario hypodiaconorum numero.*

Vnum adhuc restat, quod de hoc ordine moneam, nimirum singularis ecclesiæ *Romanæ* consuetudo in seruando *septem hypodiaconorum* numero. In epistola enim CORNELII [t], qui clericorum *Romanorum* nobis exhibet indicem, septem tantum diaconos & septem hypodiaconos offendimus, etsi quadraginta quatuor presbyteri & quadraginta duo acoluthi, exorcistæ autem, lectores & ostiarii ad minimum quinquaginta duo fuerunt. Aliæ autem ecclesiæ ad hoc exemplum sequendum sese non obstrinxerunt. In magna enim ecclesia *Constantinopolitana* & tribus minoribus ad eam spectantibus, nonaginta fuerunt hypodiaconi, vti ex quodam IVSTINIANI *nouella* [u] videre est, vbi clericorum catalogum sistit & certum cuique ordini numerum statuit, supra quingentos in vniuersum complectentem.

(s) Ibid. c. XX. Ὅτι οὐ δεῖ διάκονον ἔμπροσθεν πρεσβυτέρου καθέζεσθαι, ἀλλὰ μετὰ κελεύσεως τοῦ πρεσβυτέρου καθέζεσθαι· ὁμοίως δὲ ἔχειν τιμὴν καὶ τοὺς διακόνους ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν καὶ πάντων τῶν κληρικῶν. Quod non oportet diaconum ante presbyterum sedere, sed sedere cum iussu presbyteri. Similiter autem etiam *haberi honorem diaconis a ministris* & omnibus clericis.

(t) Euseb. lib. VI. c. XLIII. vid. c. I. §. II. not. (y) pag. 6. seq.

(u) Iustin Nouell. III. cap I. Θεσπίζομεν, μὴ περαιτέρω μὲν ἑξήκοντα πρεσβυτέρων, κατὰ τὴν ἁγιωτάτην μεγάλην ἐκκλησίαν εἶναι· διακόνους δὲ ἄρρενας ἑκατὸν, τεσσαράκοντα δὲ θηλείας· καὶ ὑποδιακόνους ἐνενήκοντα. Sancimus, non vltra sexaginta quidem presbyteros in sanctissima maiore ecclesia esse, diacones autem masculos centum, & quadraginta feminas; *Subdiaconos* vero *nonaginta*.

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT TERTIVM
DE ACOLVTHIS.

§. I.

Acoluthi ordo erant ecclesiæ* latinæ *peculiaris, nec vlli scriptori* græco *quatuor prioribus sæculis memoratus.

HYpodiaconis scriptores *latini* proxime subiungunt *acoluthos*, qui ordo erant ecclesiæ *latinæ* peculiaris. Non enim talis ordo in ecclesia *græca* ante elapsos quadringentos circiter annos obtinuit, neque ab vllo vmquam scriptore *græco* per vniuersum illud tempus inter ecclesiæ ordines fuit recensitus, quemadmodum CABASSVTIVS [*a*] & SCHELSTRATVS [*b*] fatentur. Et quamquam in *libris ritualibus græcis* recentioribus aliquoties occurrit, SCHELSTRATVS tamen aliam tantum appellationem ordinis hypodiaconorum esse dicit. In ecclesia autem *latina* hi duo a se inuicem erant distincti. CORNELIVS enim in catalogo suo manifestam inter eos statuit differentiam, cum quadringenta duos acoluthos & septem duntaxat subdiaconos in ecclesia *Romana* fuisse, perhibet. CYPRIANVS quoque in epistolis suis de illis [*c*] sæpe loquitur, tanquam ab ordine subdiaconorum distinctis, licet qua in re eorum officia discreparint, ex neutro auctore facile possit definiri.

§. II.

Illorum ordinatio & officium.

At enim vero in concilio *Carthaginensi* quarto canon habetur, qui non nihil lucis in hac materia suppeditat. In eo enim formulam ordinationis nec non aliquam officii ipsorum significationem deprehendimus. Canon [*d*] iste ita se habet: *Acolythus, quum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo,*

(*a*) Cabassut. Notit. Concil. c. XLII. p. 249. edit. Lugdun. MDCLXX. (in recentioribus editionibus nihil quod huc faceret, inuenire potui, istam autem vetustiorem, qua vsus est auctor noster, videre non licuit.)

cfr pag: 446.

(*b*) Schellstrat. de Concil. Antioch. Dissert. IV. c. XVII. p. 526. Mirum profecto, si Iohannes VIII. in laudata superius epistola per acolythos intellexisset *ordinem acolythorum, qui apud græcos non exstabat* cæt.

(*c*) Cypr. Ep. VII. XXXIV. LII LIX. LXXVII. LXXVIII. LXXIX. edit. Oxon.

(*d*) Concil. Carth. IV. c. VI. (Tom. II. Conc. p. 1200.)

VT

vt ſciat, ſe ad accendenda luminaria mancipari. Accipiat & vrceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in euchariſtiam ſanguinis Chriſti. Vt adeo *acoluthorum* officium eo tempore præcipue in his duabus rebus conſtitiſſe videatur, vt nimirum luminaria eccleſiæ accenderent, & miniſtris vinum in euchariſtiam ſuggererent. Ad quod officium qui deſignabantur, manuum impoſitione non egebant, ſed epiſcopi tantum monitis & mandato inſtructi illud auſpicabantur, quemadmodum ex canonis modo citati verbis liquet.

§. III.

Etymologia huius nominis.

Non nulli [e] aliud illorum officium fuiſſe exiſtimant, nempe comitari epiſcopum eique miniſtrare, quocumque vaderet; eamque ob cauſſam dictos fuiſſe putant *acoluthos.* Vel fortaſſis ideo, quod vna cum feminis *canonicis* & *aſcetriis*, quibus in quadam IVSTINIANI *nouella* [f] iunguntur, in exſequiis adſeruire obſtricti fuerunt. Vocabulum primigenium ἀκόλουθος, HESYCHIO [g] interprete, *ſeruum iuuenem* ſiue *pediſſequum* ſignificat, qui continuo quem comitatur eique miniſtrat. Et propterea eis hoc nomen datum eſſe videtur. Enim vero concluſio iſta, quam vir quidam eruditus [h] inde elicit, quod acoluthorum ordo prius in eccleſia *græca* fuerit, quia nomen *græcæ* ſit originis, non adeo certa videtur: Difficulter enim ſibi quis perſuaſerit, fuiſſe ordinem in eccleſia *græca*, cuius tamen nullus e ſcriptoribus *græcis* ante IVSTINIANI tempora fecerit mentionem.

§. IV.

Num acoluthi iidem ſint, qui deputati & ceroferarii *recentiorum ſæculorum.*

Equidem HIERONYMVM [i] noui dicere, quod in eccleſiis o-

(e) Duaren. de miniſtr. & benefic. lib. I. c. XIV. Quartus gradus eſt eorum, qui *acoluthi* græce dicebantur, ideo fortaſſis, quia epiſcopum comitabantur, quocumque proficiſci vellet.

(f) Iuſtin. Nouell. LIX. tot.

(g) Heſych. Ἀκόλουθος, ὁ νεώτερος παῖς, θεράπων, ὁ περὶ τὸ σῶμα.

(h) Felli Not. in Cypr. Epiſt. VII. Munus erat (acoluthorum) ſi quod aliud, per totam eccleſiam hoc ſæculo receptiſſimum. Quod Orientales attinet, nomen a græcis hauſtum oſtendit apud illos in vſu fuiſſe. De Romana eccleſia, litteræ Cornelii ad Fabium Antiochienſem id abunde teſtantur.

(i) Hieron. contr. Vigilant. Tom. II. p. 123. (epiſtol. LX. Tom. II. p. 85. a. edit. Fran-

rientalibus ad ſignum lætitiæ demonſtrandum luminaria accendi conſueuerint, quando legendum fuerit euangelium: ſed vero ne ſemel quidem meminit, quod ad hoc negotium peculiarem acoluthorum ordinem habuerint: neque hæc vlla officii eorum pars in eccleſia *latina* videtur fuiſſe. De quo enim concilium *Carthaginenſe* loquitur, probabiliter nihil amplius eſt, quam accendere noctu lumina, quando eccleſia ad *orationem lucernalem* conuenit. Hoc acoluthorum officium, quantumcunque pontificii pro apoſtolica eius inſtitutione militent, non amplius in eccleſia *Romana* obtinet, ſed in ceroferariorum munus transmutatum eſt, quorum tantum eſt, ante diaconos cæterosque funale manibus ſuis geſtando ambulare. Quod ab antiquorum acoluthorum officio tantopere differt, vt DVARENVS [*k*] non ſatis mirari poſſit, quomodo officium aliud in aliud mutatum ſit, & cur doctores eum eccleſiæ veteris *acoluthum* appellitent, qui non niſi *ceroferarius* præſentis eccleſiæ exſiſtat. BONA [*l*] cardinalis ſententiam paullo curatius explicat, grauiterque queritur, quod inferiores eccleſiæ *Romanæ* ordines nulla ſimilitudine ad eccleſiæ primitiuæ ordines accedant, & quod iam ante quingentos annos vetus diſciplina interierit.

---

cof MDCLXXXIV.) Abſque martyrum reliquiis per totas orientis eccleſias, quando legendum eſt euangelium, accenduntur luminaria, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.

(*k*) Duaren. de miniſt. & benefic. lib. I. c. XIV. p 74. (pag. 1161, a. edit. Francof. MDXCVIII.) Neſcio, quomodo tandem factum eſt, vt hoc munus in luminariorum curam poſtea conuerſum ſit, & doctores noſtri paſſim acolythos ceroferarios interpretentur.

(*l*) Bona rer. liturg. lib I. c. XXV. n. 18. Abiit nunc in deſuetudinem hæc diſtinctio, quæ diaconos, ſubdiaconos & acolythos tantum comprehendebat. Deſierunt quoque minorum ordinum officia, quæ plerumque a pueris & ab hominibus mercede conductis, nullisque ordinibus initiatis exercentur. Priſcis temporibus nemo clericus ordinabatur, qui alicui eccleſiæ non eſſet addictus. Admiſſi autem pueri in conſortium cleri primo litteras, cantum, & ritus eccleſiaſticos edoceri ſolebant, vt paſſim legimus in vitis pontificum: tum oſtiarii, deinde lectores ordinabantur, & ſic per gradus ad reliquos ordines adſcendebant, cum prius ſingulorum officia exercuiſſent. Atque hinc oriebatur, vt rerum eccleſiaſticarum peritiſſimi eſſent, in quibus fuerant ab ipſa pene infantia enutriti. *Collabi cœpit hæc diſciplina ante annos circiter quingentos*, donec paullatim ad illos mores deuentum eſt, quibus nunc vtimur & viuimus.

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT QVARTVM
DE EXORCISTIS.
§. I.
Exorcistæ initio haud peculiarem clericorum ordinem constituerunt.

NIhil certius est, quam quod apostolorum ætate & proxime insequutis temporibus potestas exorcisandi seu eiiciendi dæmonas plenum miraculis spiritus sancti donum fuerit, non clericis, multo minus vni cuidam eorum ordini, peculiare & proprium, sed aliis etiam christianis datum, quemadmodum multa alia extraordinaria Spiritus Sancti dona ea tempestate impertiebantur. ORIGENES [a] dicit, christianos idiotas, hoc est, laicos precando & adiurando eiicere dæmonas. Et de *Gregorio Thaumaturgo* speciatim obseruat SOCRATES [b], quod laicus adhuc multa patrarit miracula, nunc sanans infirmos, nunc dæmonas, missis tantummodo ad obsessos epistolis, eiiciens. Et hanc potestatem omnibus christianorum ordinibus fuisse communem, ex TERTVLLIANI [c] aliorumque antiquorum apologetarum scriptis apparet, vbi ethnicos prouocare sustinent, quod si quem a dæmone obsessum in loco publico & in conspectu magistra-

(a) Orig. contr. Cels. lib. VII. p. 334. οὐκ ὀλίγοι χριστιανῶν ἀπελαύνουσι τῶν πασχόντων, σὺν οὐδενὶ περιέργῳ καὶ μαγικῷ ἢ φαρμακευτικῷ πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ εὐχῇ καὶ ὁρκώσεσιν ἁπλουστέραις, καὶ ὅσα ἂν δύναιτο προσάγειν ἁπλούστερος ἄνθρωπος; ὡς ἐπίπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι, παριστάσης τῆς ἐν τῷ λόγῳ χριστοῦ χάριτος τὸ μὲν δαιμόνιον εὐτελὲς καὶ ἀσθενὲς, οὐ πάντως δεόμενον, πρὸς τὸ ἡττηθῆναι, καὶ εἶξαν ὑπεξελθεῖν ἀπὸ ψυχῆς ἀνθρώπου καὶ σώματος, σοφοῦ τινος καὶ δυνατοῦ ἐν ταῖς λογικαῖς περὶ τῆς πίστεως ἀποδείξεσι. Non pauci christiani eiiciunt ex obsessis corporibus, idque sine omni curiositate magorum & veneficorum sed solis precibus adiurationibusque simplicibus. Nam plerumque *plebeii homines hæc faciunt*, per verbum suum coarguente dæmonum infirmitatem Christi gratia, quod non opus sit ad profligandos eos ex anima hominis & corpore sapientibus verbis & validis de fide rationibus.

(b) Socrat. lib. IV. c. XXVII. λαϊκὸς ὢν πολλὰ σημεῖα ἐποίησε, νοσοῦντας θεραπεύων καὶ δαίμονας δι' ἐπιστολῶν φυγαδεύων, dum *adhuc laicus* esset, multa fecit miracula: nunc ægrotos sanans, nunc *dæmonas* per epistolam *fugans*.

(c) Tertull Apol. c. XXIII. Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Iussus a quolibet christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.

tuum ſiſtere voluerint, vulgaris quilibet chriſtianus eo illum adacturus ſit, vt ſe dæmonem non deum aliquem eſſe, confiteatur. MINVCIVS FELIX [*d*] de hac chriſtianorum poteſtate loquitur, ſed certo cuidam hominum ordini minime eam adſignat; quod nec IVSTINVS [*e*] MARTYR, nec IRENAEVS [*f*], nec CYPRIANVS [*g*], nec ARNOBIVS [*h*] faciunt, licet ſæpiſſime de hac poteſtate in eccleſia loquantur.

(*d*) Minuc. Octas. p. 83. (cap. XXVII. n. 6 p. 103. edit. Hall.) Hæc omnia ſciunt plerique veſtrum, ipſos dæmonas de ſemet ipſis conſiteri, quoties a nobis & tormentis verborum & orationis incendiis de corporibus exiguntur.

(*e*) Iuſtin. Apol. I p 45. *Δαιμονολήπτους πολλοὺς κατὰ πάντα τὸν κόσμον, καὶ ἐν τῇ ὑμετέρᾳ πόλει πολλοὶ τῶν ἡμετέρων ἀνθρώπων τῶν χριστιανῶν, ἐπορκίζοντες κατὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ὑπὸ τῶν ἄλλων πάντων ἐπορκιστῶν καὶ ἐπαστῶν καὶ φαρμακευτῶν μὴ ἰαθέντας, ἰάσαντο, καὶ ἔτι νῦν ἰῶνται, καταργοῦντες καὶ ἐκδιώκοντες τοὺς κατέχοντας τοὺς ἀνθρώπους δαίμονας.* Complures dæmonum intemperiis correptos homines per orbem omnem & hanc veſtram vrbem, quos alii adiuratores & incantatores & venefici veſtri curare non potuerunt, permulti hominum noſtrorum, chriſtianorum inquam, per nomen Ieſu Chriſti ſub Pontio Pilato crucifixi adiurantes ſanarunt, atque etiam nunc ſanant, exarmantes atque exigentes ab hominibus, qui illos obſederunt, dæmones.

(*f*) Iren. lib. II. c. LVI. Nec enim (qui ſunt a Simone & Carpocrate) coecis poſſunt donare viſum, neque ſurdis auditum, *neque omnes dæmones effugare*, præter eos, qui ab ipſis immittuntur, ſi tamen & hoc faciunt; &c. Cap. LVII. In illius nomine, qui vere illius ſunt diſcipuli, ab ipſo accipientes gratiam, perficiunt ad beneficia reliquorum hominum, quemadmodum vnusquisque accipit donum ab eo. *Alii enim dæmones excludunt firmiſſime & vere*, vt etiam ſæpiſſime credant ipſi, qui emundati ſunt a nequiſſimis ſpiritibus & ſint in eccleſia, cætera.

(*g*) Cyprian. ad Donat. p. 4. (p. 3. edit. Pariſ.) Inde iam facultas datur, caſtitate ſobria, mente integra, voce pura, in medelam dolentium, poſſe venenorum virus extinguere, animorum deſipientium labes reddita ſanitate purgare, infeſtis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem: *immundos & erraticos ſpiritus, qui ſe expugnandis hominibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere, vt recedant*, duris verberibus vrgere, conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere.

(*h*) Arnob. cont. Gent. lib. I. (pag 18. edit. Hamburg. MDCX.) Quid? quod iſtas virtutes, quæ ſunt a nobis ſummatim non (vt rei poſcebat magnitudo) depromtæ, non tantum ipſe perfecit vi ſua, verum (quod erat ſublimius) multos alios experiri & facere ſui nominis cum adſectione permiſit. Nam cum videret (Chriſtus) futuros vos eſſe geſtorum ab ſe rerum, diuinique operis abrogatores, ne qua ſubeſſet ſuſpicio, magicis ſe artibus munera illa beneficiique largitum, ex immenſa illa populi multitudine, quæ ſuam gratiam ſectabantur admirans, piſcatores, opifices, ruſticanos atque id genus delegit imperitorum, qui per varias

§. II.

§. II.

Episcopi & presbyteri trium primorum sæculorum ordinarii ecclesiæ exorcistæ.

Vt autem hoc donum omnibus hominum ordinibus commune fuit, ita par est, credamus, specialiore ratione episcopis & presbyteris ecclesiæ fuisse collatum, qui, subnata exorcismum aliquem in ecclesia adhibendi occasione, ordinarii eius fuerunt administri. Ita BONA [i] cardinalis notissimum illum TERTVLLIANI locum intelligit, vbi de christiana quadam femina a dæmone obsessa loquens [k], *Theatrum*, inquit, *adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorcismo cum oneraretur immundus spiritus, quod ausus esset fidelem adgredi; constanter & iustissime quidem (inquit) feci, in meo enim inueni.* Hunc exorcismum, inquam, BONA a presbytero quodam ecclesiæ, mirificum Spiritus S. donum induto, peractum esse existimat. Idem etiam de exorcistis apud CYPRIANVM [l], diuina potestate dæmonas eiicientibus, dici potest; itemque de iis, quorum FIRMILIANVS [m] meminit tamquam inspiratorum Dei gratia ad discernendos detegendosque malos spiritus; vti eorum aliquis mulieri *Cappadoci* fecit, quæ se inspiratam esse, & diuino mandato miracula patrare,

gentes missi, cuncta illa miracula sine vllis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compescuit verminantium membrorum cruces, & illi verbo compescuerunt furialium vermina passionum. Imperio *ille* vno *exturbauit a corporibus dæmonas* & exanimatis suos restituit sensus: sub eorum portantes *& illi* se casibus, *missione non alia sanitati & constantiæ reddiderunt.*

(*i*) Bona Rer. Liturg lib. I. c. XXV. n. XVII. An isti (Tertullianus & Minucius Felix) de exorcistis loquantur, tamquam de clericis ad hoc officium specialiter ordinatis; *vel potius presbyteri eo tunc munere fungerentur*, sicut reuera sunt episcopi, incertum est.

(*k*) Tertull. de Spectac. c. XXVI.

(*l*) Cyprian. Ep. LXXVI. al. LXIX. ad Magnum p. 187. (p. 154. edit. Paris. MDCLXVI) Quod hodie etiam geritur, vt per Exorcistas voce humana & potestate diuina flagelletur & vratur & torqueatur diabolus.

(*m*) Firmilian. Ep. LXXV. ap. Cyprian. p. 223. (p. 146. 147. edit. cit.) Vnus de exorcistis vir probatus & circa religiosam disciplinam bene semper conuersatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipsi fortes ac laudabiles in fide aderant, exercitatus, erexit se contra illum spiritum nequam reuincendum; qui subtili fallacia etiam hoc paulo ante prædixerat, venturum quendam auersum & tentatorem infidelem. Tamen ille exorcista inspiratus Dei gratia fortiter restitit, & esse illum nequissimum spiritum, qui prius sanctus putabatur, ostendit.

baptizare, sanctificare panem & eucharistiam facere simulabat. Isti exorcismi fiebant manifesto cum miraculo, & nihil probant amplius, quam quod quidam homines isthoc dono instructi fuerint, qui probabiliter præcipui quidam ecclesiæ presbyteri fuerunt; illud certe non probant, quod exorcistæ iam tum eo tempore distinctum inter clericos ordinem in ecclesia constituerint.

§. III.

Quo sensu quilibet suus ipsius sit exorcista.

Sunt, qui huius ordinis eamdem, quam TERTVLLIANI ætatem esse, autumant, quod VLPIANVS magnus ille iureconsultus, qui TERTVLLIANI tempore vixit, in libro quodam suo [*n*] de exorcisatione, tamquam re impostoribus (per quos probabiliter christianos intelligit) vsitata loquatur. GOTHOFREDVS exorcistas *iudæos* ab eo intelligi sentit, qui quidem plerique impostores erant; fac autem, ipsum christianos intelligere (quod vero est similius, si consideres, quod LACTANTIVS [*o*] de ipso narrat, publicasse videlicet illum nefaria principum in eos rescripta;) nihilo tamen magis probat, quam quod omnes largiuntur, fuisse nimirum exorcisationem seu imprecationem rem tunc temporis inter christianos vulgo cognitam & factitatam. Alii ipsius TERTVLLIANI testimonium in libro de *corona militis* vrgent, quo autem loco, tantum abest, vt peculiarem exorcistarum ordinem statuat, vt potius vnumquemque suum ipsius exorcistam facere videatur. Nam ibi inter alia argumenta, quibus ad dissuadendum christianis vitam militarem sub imperatoribus ethnicis vtitur, hoc etiam adfert [*p*], quod futurum sit, vt ad custodienda idolorum templa ponantur, atque ita cogantur dæmonas noctu defendere, quos interdiu fugassent exorcismis; per quos preces eorum intelligit, vt IVNIVS recte interpretatur. Ita etiam alio loco dissuadens christianis earum rerum mercaturam, quæ ad sustentandam idololatriam seu cultum dæmonum

(*n*) Vlpian. lib. VIII. de Tribunal, in Digest. lib. L. Tit. XIII. leg. I. Si incantauit, si imprecatus est, si (vt vulgari verbo impostorum vtar) exorcisauit.

(*o*) Lactant. Instit. lib. V. c. XI. Domitius (Vlpianus) de officio Proconsulis libro septimo rescripta principum nefaria collegit, vt doceret, quibus pœnis adfici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur.

(*p*) Tertull. de Coron. Milit. c. XI. Quos interdiu exorcismis fugauit, noctibus defensabit.

faciant,

faciant, ita argumentatur, quod alias dæmones ipſorum alumni futuri; hoc eſt, quod ab ipſis foueri & nutriri cenſendi ſint, quoad materiem aliquam eorum cultui ſuppeditauerint. *Qua conſtantia*, inquit [q], *exorciſabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium præſtat?* VICECOMES [r] & BONA [s] falſo id interpretantur tamquam dictum de exorciſmo ante baptiſmum, vocabulum *alumni* pro catechumenis eccleſiæ accipientes: Cum tamen hoc loco reuera dæmonas ſignificet, qui ita a TERTVLLIANO reſpectu eorum dicuntur, qui ad eorum cultum ſuſtinendum quidquam conferunt. Iſti enim homines eorum quaſi nutricii ſunt. Vt adeo hic locus recte intellectus pro antiquitate exorciſtarum, quatenus peculiarem clericorum ordinem conſtituere dicitur, non militet, ſed ſolum oſtendat, quo ſenſu chriſtianus quilibet ſuus ipſe debeat eſſe exorciſta, nimirum precibus ſuis reſiſtendo diabolo, vt fugere neceſſe habeat.

§. IV.

Exorciſtæ ſæculo tertio extremo certum ordinem conſtituere cœperunt.

Relicta igitur tum extraordinaria exorciſandi poteſtate, quæ miraculis plena erat, tum etiam ordinaria illa via, qua quilibet ſuus ipſius erat exorciſta: reſtat, vt inquiramus, quo primum tempore exorciſtarum ordo in eccleſia cœperit. Et heic BONAE [t] ſententiam tutiſſimam eſſe iudico, quod hac extraordinaria & miraculis plena poteſtate ſubtracta ortus ſit, quod probabiliter gradatim & non eodem tempore in omnibus locis factum eſt. CORNELIVS [u], qui ſæculo tertio vixit, exorciſtas inter inferiores eccleſiæ *Romanæ* ordines refert; Auctor tamen *conſtitutionum*, qui poſt eum vixit [x], non eſſe certum ordi-

(q) Tertull. de Idol. c. XI.

(r) Vicecom. de Ritib. Bapt. lib. II. c. XXX. p. 362.

(s) Bona Rer. Liturgic. lib. I. c. XXV. n. XVII. Omitto alia Tertulliani loca, quæ a quibusdam adiici ſolent ad huius ordinis antiquitatem oſtendendam, *vt de idololatria* c. XII. *de anima* c. LVII. *de corona militis* c. XI. in his enim *de ſolemni exorciſmo ſermo eſt, quæ baptiſmo præmitti ſolet.*

(t) Bona ibid. Poſtea ſubtracta hac poteſtate conſtituit eccleſia ordinem, qui dæmonia expelleret.

(u) Ap. Euſeb. lib VI. c. XLIII. vid. c. I. §. II. not. (y) pag. 6. ſeq.

(x) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. XXVI. Ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται. εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλον, καὶ χάριτος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ, ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος.

ordinem dicit, ſed Deum exorciſandi donum tanquam liberam gratiam, cuicumque velit, largiri. Et propterea ſecundum hanc hypotheſin nulla inter has *conſtitutiones* regula habetur, quæ vllam ordinationem exorciſtis præſcribat, vtpote a Deo tantum, non autem ab eccleſia, conſtitutis. Sed hac in re *conſtitutionibus* tuto fidere non poſſumus: Certum enim eſt, hoc tempore exorciſtas, tamquam certum ordinem in plerisque eccleſiæ tum *græcæ* tum latinæ partibus fuiſſe inſtitutos: id quod ex concilio *Antiocheno*, ad an. CCCXLI. celebrato, liquido conſtat, cuius in aliquo canone [*y*] chorepiſcopis hypodiaconos, lectores, exorciſtas promouendi facultas conceditur; quod ipſum hos omnes iam tum conſtitutos eccleſiæ ordines fuiſſe, arguit. Poſt hoc exorciſtarum inter inferiores ordines crebra a ſæculi quarti ſcriptoribus iniicitur mentio; exempli cauſſa a concilio *Laodiceno* [*z*], ab EPIPHANIO [*a*], PAVLINO [*b*], SVLPICIO SEVERO [*c*], in

Exorciſta non ordinatur. Hæc enim certaminis laus pendet a libera & bona voluntate, & a gratia Dei per Chriſtum, aduentu Spiritus Sancti.

(*y*) Concil. Antioch. c. X. (Tom II. Conc. p. 565.) Τοὺς ἐν ταῖς κώμαις, ἢ ταῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους -- ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ -- καθιστᾷν ἀναγνώστας, καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ἐφορκιστάς. Ii qui ſunt in vicis vel pagis, qui dicuntur *chorepiſcopi* -- viſum eſt -- vt *conſtituant* lectores, hypodiaconos & *exorciſtas.*

(*z*) Concil. Laodic. c. XXIV (Tom. I. p. 1502.) Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρων ἕως διακόνων, καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐπορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν, εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι. Quod non oportet ſacratos, a presbyteris vſque ad diaconos & deinceps quemlibet eccleſiaſtici ordinis vſque ad miniſtros, vel lectores, vel cantores, vel *exorciſtas*, vel oſtiarios, vel exercitatorum ordinis, in cauponam ingredi. Can. XXVI. vid. infr. not. (h)

(*a*) Epiphan. Expoſit. Fid. n. XXI. vid. ſupra c. I. §. II. ſub not. (x) pag. 6.

(*b*) Paulin. Natal. IV. ſ. Felicis (Biblioth. Max. Patr. Tom. VI. p. 274.)

- - Primis *lector* ſeruiuit in annis,
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adiurare malos & ſacris pellere verbis.
Quod quia perſpicua meriti virtute regebat,
Iure ſacerdotis veneranda inſignia nactus
Mente loco digna meritum decorauit honorem.

(*c*) Sulpic. Vit. S. Martin. c. V. Tentauit idem Hilarius, impoſito diaconi officio, ſibi eum (Martinum) arctius implicare, & miniſterio vincire diuino; ſed cum ſæpiſſime reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans: intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id ei officii imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque *exorciſtam* eum eſſe præcepit. Quam ille ordinationem ne deſpexiſſe tamquam humiliorem videretur, non repudiauit.

reſcri-

reſcriptis THEODOSII [*d*] & GRATIANI [*e*] in codice *Theodoſiano*, vbi imperatores eamdem, quam reliquis clericorum ordinibus, immunitatem a ciuilibus muneribus eis indulgent.

§. V.

Eorum ordinatio & officium.

Ordinatio & officium eorum a concilio *Carthaginenſi* quarto ita deſcribitur [*f*]: *Exorciſta, quum ordinatur, accipiat de manu epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi epiſcopo: Accipe & commenda memoriæ & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenum, ſiue baptizatum ſiue catechumenum.* Iſtæ formulæ certæ preces erant, quibus in nomine CHRISTI adiurabant mandabantque impuro ſpiritui, vt ex homine ab ſe obſeſſo egrederetur: id quod ex verbis PAVLINI, quæ de *Felice* quodam, ad hoc officium prouecto, habet, poteſt colligi, vbi dicit [*g*]:

- - - - Primis lector ſeruiuit in annis,
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adiurare malos & ſacris pellere verbis.

Non conſtat, quod ad hoc officium impoſitis manibus in *græca latina*ue eccleſia fuerint ordinati: attamen nemini illud, ſiue publice in eccleſia ſiue priuatim in vllis ædibus aliis, ſine mandato epiſcopi licebat exercere, vti concilium *Laodicenum* [*h*] præcepit; certe conſentiente chorepiſcopo, qui hoc in caſu ex epiſcopi [*i*] arbitrio auctoritate inſtructus erat, fieri id debebat.

(*d*) Cod. Theod. lib. XII. tit. I. de Decurion. leg. CXXI. (Tom. III. p. 464. edit. Lugd. MDCLXV.) Qui ante ſecundum conſulatum manſuetudinis meæ ex ordine curialis vel presbyteri faſtigium vel miniſterium diaconi vel *exorciſtæ* ſuſcepit officium, omne eius patrimonium immune a curialibus nexibus habeatur ac liberum.

(*e*) Ibid. lib. XVI. tit. II. de Epiſcop. leg. XXIV. (Tom. V. p. 56.) Presbyteros, diaconos, ſubdiaconos, atque *exorciſtas* & lectores, oſtiarios etiam, & omnes perinde, qui primi ſunt, perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus.

(*f*) Conc. Carthag. IV. c. VII. (Tom. II. p 1200.)

(*g*) Paulin. Natal. IV. Felic. vid. not. (b) pag. 24

(*h*) Conc. Laod. c. XXVI. Ὅτι οὐ δεῖ ἐπορκίζειν τοὺς μὴ προαχθέντας ὑπὸ ἐπισκόπων μήτε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις μήτε ἐν ταῖς οἰκίαις. Quod eos adiurare non oportet, qui ab epiſcopis promoti non ſunt, neque in eccleſiis neque in ædibus.

(*i*) Concil. Antioch. c. X. vid §. IV. not. (y) p. 24.

§. VI.

Breuis energumenorum *ipſorumque nominum & ſtationum in eccleſia enarratio.*

Energumeni, quorum in gratiam hoc officium conſtitutum fuit, ita vocabantur a *græco* vocabulo ἐνεργȣ́μενοι, quod in latiſſimo ſignificatu ſuo homines a mouente ſeu operante quodam ſpiritu, ſiue bono ſiue malo, agitatos denotat; at ſenſu ſtrictiore a ſcriptoribus eccleſiaſticis vſurpatur pro hominibus, quorum corpora a malo ſpiritu oppreſſa poſſidentur. Quam ob cauſſam alias δαιμονιζόμενοι, *dæmoniaci*, & κατεχόμενοι, *obſeſſi* dicebantur. Et quum hoc ſæpiſſime cum magna commotione, vexatione & diſturbatione corporis eſſet coniunctum, quæ interdum phreneſin & furorem, interdum paroxyſmos epilepticos aliasque violentas conquaſſationes & contorſiones efficiebat; tales homines hoc reſpectu ſæpe χειμαζόμενοι a *græcis*, a *latinis* autem ſcriptoribus *hiemantes*, hoc eſt, hiberna quaſi tempeſtate agitati, appellantur. Ita *conſtitutionum* auctor in quibusdam locis [*k*] eos ſimpliciter χειμαζομένȣς vocat, per quos illum *energumenos* intelligere, planum eſt, quod alio loco [*l*] ipſos χειμαζομένȣς ὑπὸ τȣ̃ ἀλλοτρίȣ *agitatos* & *vexatos a dæmone* nuncupat; & narrat nobis preces, hoc nomine, quum oblationes fierent in altari, pro vniuerſis hominum ſtatibus & ordinibus fuſas, vt Deus ipſos a violenta iſta agitatione dæmonis vellet liberare. Ita viri docti plerique, excepto ALBASPINAEO, phraſin

(*k*) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. XXXV. Ἑσπέρας γενομένης συναθροίσεις τὴν ἐκκλησίαν, ὦ ἐπίσκοπε, καὶ μετὰ τὸ ῥηθῆναι τὸν ἐπιλύχνιον ψαλμὸν, προσφωνήσει ὁ διάκονος ὑπὲρ τῶν κατηχȣμένων καὶ χειμαζομένων καὶ τῶν φωτιζομένων καὶ τῶν ἐν μετανοίᾳ. Congregabis, epiſcope, eccleſiam ad veſperum, & poſt recitatum pſalmum veſpertinum edicat diaconus, quæ precaturi ſunt pro catechumenis, *energumenis*, baptizatis & pro pœnitentibus. Can. XXXVII ὡσαύτως ὄρθρȣ ὁ διάκονος μετὰ τὸ ῥηθῆναι τὸν ὀρθρινὸν καὶ ἀπολύσῃ αὐτὸν τȣ̀ς κατηχȣμένȣς καὶ χειμαζομένȣς καὶ βαπτιζομένȣς καὶ τȣ̀ς ἐν μετανοίᾳ. Simili modo mane, poſtquam erit pſalmus matutinus recitatus, & diaconus dimiſerit catechumenos, *energumenos* & eos quibus inſtat baptiſmus ac pœnitentes.

(*l*) Conſtit. lib. VIII. c. XII. Ἔτι παρακαλȣ̃μέν σε καὶ ὑπὲρ τῶν κατηχȣμένων τῆς ἐκκλησίας, καὶ ὑπὲρ τῶν χειμαζομένων ὑπὸ τȣ̃ ἀλλοτρίȣ – ὅπως καθαρίσῃς ἐκ τῆς ἐνεργείας τȣ̃ πονηρȣ̃. Adhuc obſecramus te pro catechumenis eccleſiæ & pro iis, *qui vexantur ab alieno ſpiritu*, vt energumenos expulſo actu mali dæmonis repurges.

illam

illam canonis concilii *Ancyrani* [m] intelligunt, qui certos quosdam peccatores iubet εἰς τοὺς χειμαζομένους εὔχεσθαι, hoc eſt *precari in loco hiemantium*, ſiue in ea eccleſiæ parte, vbi ſtabant dæmoniaci, qui locus ab omnibus reliquis erat ſeparatus. Non nulli [n] etiam nomen κλυδωνιζόμενοι energumenis ex eadem ratione datum eſſe, putant, quia illud ſignificat homines a ſpiritu agitatos, quemadmodum fluctus, quum in alto tempeſtas eſt, iactantur.

§. VII.

Exorciſtis potiſſimum eorum cura commiſſa.

Hi *energumeni*, ſiue *dæmoniaci*, vel quocumque alio nomine appellati, erant ii, quibuscum exorciſtis præcipue intercedebat negotium. Nam præter preces, in omnibus publicis conuentibus pro ipſis a diaconis & epiſcopis & tota concione factas, (quarum precum formulæ quædam ab auctore *conſtitutionum* [o] recitantur) exorciſtarum erat, aliis temporibus [p], vbi nullus in templis conuentus erat, impoſitis manibus pro eis precari eoſque innocua quadam occupatione, exempli gratia, verrendis templis [q] aliiſque ſimilibus negotiis diſtinere, vt violentioribus Satanæ agitationibus anteuerteretur, ne tentator otioſos tentaret; itemque quotidianum [r] ipſis victum procurare, dum in

(m) Concil. Ancyr. c. XVII. (Tom. I. p. 1461.) Τοὺς ἀλογευσαμένους καὶ λεπροὺς ὄντας ἤτοι λεπρώσαντας, τούτους προσέταξεν ἡ ἁγία σύνοδος εἰς τοὺς χειμαζομένους εὔχεσθαι. Eos, qui rationis expertia animantia inierunt & qui leproſi ſunt vel fuerunt, iuſſit ſancta ſynodus inter *hiemantes* (h. e. energumenos) orare.

(n) Vid. Dodwel. Diſſertat. I. in Cyprian. n. XVII. Propius ad MSS. fidem accedet, ſi *chlydonizomeni* legamus & de *energumenis* ſiue *maniacis* intelligamus, qui *lymphatici* latinis, χειμαζόμενοι græcis quoque patribus audiunt. Idem enim valet primaria quoque ſignificatione χειμαζόμενοι quod κλυδωνιζόμενοι.

(o) Conſtit. Apoſt. lib. VIII. c. VI. Εὔξασθε οἱ ἐνεργούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων· ἐκτενῶς πάντες ὑπὲρ αὐτῶν δεηθῶμεν, ὅπως ὁ φιλάνθρωπος Θεὸς διὰ Χριστοῦ ἐπιτιμήσῃ τοῖς ἀκαθάρτοις καὶ πονηροῖς πνεύμασι κ. τ. λ. Energumeni, quos ſpiritus immundi agunt, adhibete cuncti preces Deo, intente pro iis precemur, vt ſumma in homines caritate Deus increpet per Chriſtum immundos & malos ſpiritus &c. cap. VII. tot.

(p) Concil. Carth. IV. c. XC. (Tom. II. p. 1207.) Omni die exorciſtæ energumenis manus imponant.

(q) Ibid. can. XCI. Pauimenta domorum Dei energumeni verrant.

(r) Ibid. can. XCII. Energumenis in domo Dei aſſidentibus victus quotidianus per exorciſtas opportuno tempore miniſtretur.

domo Dei adſiderent, quæ præcipuum commorationis habitationiſque locum eis videtur præbuiſſe.

§. VIII.

Officia exorciſtarum reſpectu catechumenorum.

Hoc fuit *exorciſtarum* officium reſpectu *energumenorum*; cui VALESIVS [s] & GOTHOFREDVS [t] aliam addunt functionem, videlicet catechumenis ante baptiſmum exorciſmo adiurare. Quæ res aliquam admittit diſputationem. Neque enim id ſemper exorciſtarum officium, niſi in altero horum duorum caſuum, fuiſſe liquet: vel, *primo*, ſi *catechumenus* etiam eſſet *energumenus*, qui caſus ſæpius exſiſtebat: & tunc curæ exorciſtarum erat committendus, quorum erat omnes energumenos exorciſmo percellere, ſiue iam baptizati eſſent, ſiue adhuc catechumeni, quemadmodum ex canone concilii *Carthaginenſis* iam §. V. adlegato conſtat. Vel, *ſecundo*, accidere poterat, vt exorciſta etiam factus eſſet catechiſta, & hoc in caſu dubium nullum eſt, quin eius officium fuerit, tam exorciſmum adhibere, quam inſtituere catechumenos. Tum autem catechiſtarum officium ab exorciſtarum officio ſæpe diuerſum erat (quamquam recentiores quidam ſcriptores vtrumque confundunt:) Interdum presbyter aliquis, vel diaconus vel lector erat catechiſta; Et hoc in caſu veroſimilius videtur, quod exorciſmus potius a catechiſta quam exorciſta peractus fuerit; eamque ob cauſſam de officio catechiſtarum ſuo loco diſtincte agemus.

(s) Valeſ. Not. in Euſeb. de Martyr. Palæſtin. c. II. Nec ſemel duntaxat exſufflabantur atque exorciſabantur catechumeni: ſed poſt ſingulas catecheſes diſcincti & excalceati deducebantur ad exorciſtam, vt ab eo purgarentur.

(t) Gothofred. Not. in Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. leg. XXIV. *Exorciſmi & exorcizandi* vſus naſcente eccleſia fuit dæmoniorum eiiciendorum poteſtas. Mox translatus vſus ad baptiſmum & catechumenos: credito ſemel, malum ſpiritum hominem naſcentem inhabitare, qui baptiſmo excludi deberet. Itaque exorciſmi & exorciſtarum geminus iam vſus fuit extra donum miraculi: Catechumenos videlicet inſtituere & baptiſmo interuenire, ſpiritui immundo depellendo.

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT QVINTVM
DE LECTORIBVS.
§. I.
Lectorum *ordo non institutus ante saeculum tertium.*

PLurimorum virorum doctorum, in ipsa etiam *Romanensi* ecclesia, hodie opinio est, non fuisse in primitiua ecclesia per duo priora saecula talem ordinem, qualis *lectorum* est, a reliquis distinctum. BONA [a], vnum ex quatuor ordinibus esse, fatetur, quos ecclesiasticae tantum institutionis esse existimat. Et COTELERIVS [b] dicit, non esse eius vllam factam mentionem ante TERTVLLIANVM, qui scriptor primus est, qui de eo, tanquam ordine in ecclesia instituto, loquitur. Contra enim haereticos scribens [c] ipsis exprobrat, quod eorum ordines desultorii sint & inconstantes: *Hodie, inquit, diaconus, qui cras lector.* Quod ostendit, aliam in ecclesia obtinuisse consuetudinem, lectoresque tum non minus, quam diaconos vel vllos alios constitutum fuisse ordinem. CYPRIANVS, qui non multo post TERTVLLIANVM vixit, saepissime de iis, tamquam ordine clericorum loquitur; In loco [d] quodam, fecisse se lectorem *Saturum*, dicit; & alibi

(a) Bona Rer. Liturg. lib. I. c. XXV. n. XVII. Dicendum cum S. Thoma in Supplem. tertiae P. qu. 37. art. 2. quod temporibus apostolorum omnia ministeria, quae ordinibus minoribus competunt, non a distinctis personis, sed ab vno duntaxat ministro exercebantur, quae & ostiarii & lectoris & exorcistae & acoluthi officio fungebatur. Verba Angelici Doctoris haec sunt: *In primitiua ecclesia* caet. (vid. supra c. I. §. I. sub not. (m) p. 4.) Contigit nimirum ecclesiae, quod hominibus solet, quae dum tenue patrimonium habent, vno seruo contenti sunt, qui solus omnia administrat. Si vero reditus augeantur, seruorum etiam augetur numerus; eoque magis crescit familia, quo illi locupletiores euadunt. Sic euangelicae praedicationis initio paruula adhuc & latitans ecclesia paucis indiguit ecclesiasticarum functionum ministris. Crescente autem credentium multitudine, & auctis facultatibus ex fidelium oblationibus, cum soli diaconi non possent omnibus incumbere, diuersa onera & officia diuersis personis distributa sunt; ex quo factum est, vt splendidiori & augustiori apparatu ecclesiasticarum functionum caerimoniae peragerentur.

(b) Coteler. Not. in Constit. Ap. lib. II. c. XXV. Primus, quod sciam, lectores nominat Tertullianus libro de praescriptione haereticorum c. XLI.

(c) Tertull. de Praescript. c. XLI.

(d) Cyprian. Ep. XXIV. al. XXIX. Fecisse me sciatis *lectorem* Saturum.

Aurelii cuiusdam confessoris meminit, quem ob singularia eius merita & constantiam tempore vexationis [e] lectorem ordinarit. Et ob eamdem caussam *Celerinum*, alium quemdam confessorem, in eumdem ordinem [f] inter clericos cooptauit. Vt adeo lectorem in ecclesia agere non tantum pro officio clericali, sed etiam pro honorifico officio reputatum fuerit, cuius non erat quod confessorem puderet. Nonnumquam summæ dignitatis homines ad hoc officium ordinabantur, quandoquidem IVLIANVS in ecclesia *Nicodemiæ* lector [g] fuisse dicitur, quum christianum se profiteretur. SOZOMENVS [h], ipsum & fratrem eius clericis fuisse adnumeratos & populo scripturas publice legisse, diserte adfirmat. Neque vllus istius ætatis scriptor est, quin de lectoribus, tamquam distincto clericorum ordine in ecclesia, loquatur.

§. II.
A quibus scripturæ, ante institutum hunc ordinem, in ecclesia lectæ fuerint.

Quandoquidem ordinis lectorum, sæculo tertio & quarto frequenter licet memorati, primis duobus sæculis ne semel quidem mentio facta est, fas fuerit heic inquirere, a quibus scripturæ per ista duo sæcula lectæ fuerint? BASNAGIVS [i] ecclesiam

(e) Cypr. Ep. XXXIII. al. XXXVIII. Merebatur Aurelius clericæ ordinationis vlteriores gradus & incrementa maiora, non de annis suis sed de meritis æstimandus; sed interim placuit, vt ab officio *lectoris* incipiat. cætera.

(f) Cyprian. Ep. XXXIV. al. XXXVIII. Referimus ad vos, Celerinum --- clero nostro non humana suffragatione sed diuina dignatione coniunctum, cætera.

(g) Socrat. lib. III. c. I. *καὶ δὴ τῆς ἐν Νικομηδείᾳ ἐκκλησίας ἀναγνώστης καθίσταται.* Quin etiam in ecclesia Nicomediensi lector est constitutus (Iulianus).
Gregor. Nazianz. Inuect. I. Tom. I. p. 58. Τῷ *μὲν γε κλήρῳ φέροντες ἑαυτοὺς ἐγκατελέλεξαν, ὥστε καὶ τὰς θείας ὑπαναγινώσκειν τῷ λαῷ βίβλους κ. τ. λ.* Quin etiam in clerum se ipsos adscripserunt, adeo vt diuinos quoque libros plebi lectitarent &c.

(h) Sozom. lib. V. c. II. Ἔνθα *δὴ θεραπείας καὶ ἀγωγῆς βασιλικῆς ἠξιοῦντο, καὶ μαθήμασι καὶ γυμνασίοις τοῖς καθ' ἡλικίαν ἐχρῶντο, καὶ λόγων διδασκάλοις καὶ τοῖς ὑφηγηταῖς τῶν ἁγίων γραφῶν· ὡς καὶ κλήρῳ ἐγκαταλεγῆναι, καὶ ὑπαναγινώσκειν τῷ λαῷ τὰς ἐκκλησιαστικὰς βίβλους.* Illic ambo (Iulianus & Gallus) regali cultu educati sunt atque instituti: ibi disciplinis & exercitationibus ipsorum ætati conuenientibus imbuti; ibi denique ab humaniorum artium magistris & a doctoribus sacrarum litterarum ita sunt eruditi, *vt in clerum adscriberentur, & ecclesiasticos libros populo prælegerent.*

(i) Basnag. Exercit. in Baron. p. 623. Liceat mihi pauca eruditi Lightfootii referre

chri-

christianam initio ecclesiam iudaicam sequutam, & hac in re synagogæ exemplum sibi propositum imitatam esse, statuit; cui, quemadmodum ex LIGHTFOOTO [*k*] obseruat, mos fuit singulis diebus sabbathi septem habere lectores, primum quidem sacerdotem, deinde Leuitam & postea quinque Israelitas, quos congregationis minister (quem illi episcopum, vel inspectorem vel angelum ecclesiæ nuncupabant) dignos iudicarat, vt euocatos ad hoc negotium nominaret. Eumdem in ecclesia morem obtinuisse, autumat; officium nulli fuisse perpetuum, sed potissimum a presbyteris & diaconis peractum, ita tamen, vt mandante episcopo quiuis alius illud obire potuerit. At enim res profecto tanta obscuritate est inuoluta, vt nihil certi ex primorum duorum sæculorum scriptoribus possit coniectari; sed quidquid de ea ratiocinari possumus, id ex probabilibus vetustarum consuetudinum reliquiis in sequentibus sæculis petendum est. Nam quum diaconos in multis ecclesiis euangelii lectionem continuasse reperiamus, etiam postquam lectorum ordo

ad perantiquum iuxta ac sanctissimum morem explicandum. *Die sabbathi erant septem lectores legis, die expiationis sex, diebus festis quinque, noviluniis septemque diebus solemnium festorum quatuor, secundo quintoque septimanæ die tres. Porro lex a paucioribus quam tribus legi non poterat: a tribus, inquam, sibi inuicem succedentibus. Septem sabbatho lectores hoc ordine legebant: primo sacerdos, tum Leuita, deinde quinque Israelitæ sibi inuicem succedentes. Si nullus illic adesset sacerdos, aut Levita, septem tum Israëlitæ legebant. Si adesset illic sacerdos nullusque Levita, tunc bis sacerdos legebat - - - שליח צבור Angelus ecclesiæ, aut minister congregationis, euocabat eum qui lecturus erat, conscendebatque is cathedram (בימה βῆμα) in medio synagogæ positam hunc ad vsum, eique librum legis tradebat, quem aperiebat, inspiciebatque, quis locus legendus esset; sed non incipiebat, donec archisynagogus incipere ipsum iuberet - - priusquam legeret, inchoabat ab oratione, benedictione laudationeque Dei, quod eos in populum suum elegisset, suamque ipsis legem dedisset. Tum incipit; stansque toto tempore legit - - vt legebat, stabat iuxta minister congregationis, quo attenderet, rectene pronuntiaret legeretque, hinc dicebatur חזן episcopus aut superinspector, vt supra obseruatum est.* Lightf. Harm. p. 479. Huic exercendo muneri nullus ordo sacer requirebatur: idcirco Christus, qui nec ortum ducebat a tribu Leuitica, nec a popularibus secus habebatur atque homo plebeius, *cum venisset Nazaretham, vbi fuerat nutritus, intrauit vt consueuerat die sabbathi in synagogam,* καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι, *& surrexit vt legeret.* Luc. IV, 16. Hunc in legendo morem ac priscis christianis obseruatum fuisse, probabilissimum est.

(*k*) Lightfoot Harmon. p. 479. vid. not. anteced. (i)

insti-

inſtitutus fuit, quemadmodum alibi [kk] ex auctore [l] *conſtitutionum*, HIERONYMO [m] & concilio *Vaſenſi* [n] oſtendimus, iure noſtro concludere poſſumus, quod hæc antea officii eorum pars fuerit. Et quando presbyteri & epiſcopi, perhibente SOZOMENO [o], in aliis eccleſiis idem fecerunt, non ſine ratione concludere licebit, hanc eorum in prioribus ſæculis fuiſſe conſuetudinem. An quis vero laicus hoc officium ex ſpeciali epiſcopi mandato vllo tempore peregerit, quemadmodum Iſraelitæ in *iudaica* fecerunt eccleſia, id certo definiri non poteſt. In poſterioribus tantum ſæculis deprehendimus, quod in celebratiſſima eccleſia *Alexandrina* catechumeni æque ac fideles [p] ad lectoris officium fungendum admiſſi fuerint: & hoc ipſum nos induxerit, vt hoc officium in primis duobus ſæculis ad ſolos clericos haud reſtrictum fuiſſe, credamus. Enim vero quum hoc eccleſiæ *Alexandrinæ* peculiare fuerit, non poteſt inde de vniuerſalis eccleſiæ praxi aliquid firmiter ſtatui, & propterea hanc materiam, vſque dum plus lucis ei adfuſum fuerit, in ſuſpenſo relinquimus.

§. III.

Modus ordinandi lectores.

De hoc autem magis certum nobis eſt, quod, poſteaquam lectorum ordo inſtitutus fuit, generatim etiam inter clericorum

(*kk*) Lib. II. c. XX. §. VI. p. 303.

(*l*) Conſtitut. Apoſt. lib. II. c. LVII. *Μετὰ ταῦτα διάκονος ἢ πρεσβύτερος ἀναγινωσκέτω τὰ εὐαγγέλια.* Poſtea *diaconus* vel presbyter *legat euangelia.*

(*m*) Hieron. Ep. XLVIII. in Sabin. (Tom. I. p. 150. a. edit Francof.) Euangelium Chriſti, quaſi diaconus, lectitabat.

(*n*) Concil. Vaſenſ. II. c. II. (Tom. IV. p. 1680.) *Si digni ſunt diaconi, quæ Chriſtus in euangelio loquutus eſt legere*, quare indigni iudicentur ſanctorum patrum expoſitiones publice recitare.

(*o*) Sozom. lib. VII. c. XIX *Ταύτην δὲ τὴν ἱερὰν βίβλον ἀναγινώσκει ἐνθάδε μόνος ὁ ἀρχιδιάκονος· παρὰ δὲ ἄλλοις διάκονοι· ἐν πολλαῖς δὲ ἐκκλησίαις οἱ ἱερεῖς μόνοι. ἐν δὲ ἐπισήμοις ἡμέραις ἐπίσκοποι ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει κατὰ τὴν πρώτην ἡμέραν τῆς ἀναστασίμου ἑορτῆς.* Et illic quidem (Alexandriæ) ſolus archidiaconus ſacrum illum codicem legit: alibi vero diaconi. In multis autem eccleſiis *ſoli* duntaxat *presbyteri*. Alicubi in præcipuis feſtiuitatibus *epiſcopi legunt*: vt Conſtantinopoli primo die paſchalis feſtiuitatis.

(*p*) Socrat. lib. V. c. XXII. (pag. 287. edit. Amſtelod.) Ἐν τῇ αὐτῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφοροι, εἴτε κατηχούμενοι εἰσὶν εἴτε πιστοί. In eadem vrbe Alexandria *lectores* & pſaltæ abſque vllo diſcrimine *fiunt*, *tam catechumeni quam fideles.*

ordines

ordines relatus sit; si forte *Alexandriam* exceperis, vbi peculiaris ista consuetudo catechumenos huic officio præficiendi inualuerat. Vix enim credibile est, quod homines nondum baptizatos nec ad sacrorum mysteriorum communionem admissos in numero clericorum suorum habuerint. In omnibus autem aliis locis pro ordine clericali fuit reputatus, & homines huic officio destinati solitis inferiorum ordinum ritibus & cærimoniis initiari consueuerunt. In ecclesia *græca* cum impositione manuum, in *latina* autem sine ea, ordinatos fuisse, HABERTVS [q] iudicat. Auctor *constitutionum* certam precum cum impositione manuum recitandarum formam præscribit; an vero hæc totius ecclesiæ *græca* praxis fuerit, de eo quidem valde dubitatur. Certe in *latina* ecclesia aliter se res habuit. Concisium *Carthaginense* quartum [r] non de vlla alia cærimonia loquitur, nisi quod episcopus præsente populo sacra biblia manibus eius tradere, & his eum verbis adloqui debeat: *Accipe, & esto lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & vtiliter impleueris officium, partem cum eis, qui verbum Dei ministrauerunt.* Et æuo CYPRIANI hic ritus tradendi illis sacrum codicem ne quidem videtur obtinuisse, sed lectores constituebantur, episcopo solum mandante & ad eiusmodi functionem in ecclesia eos delegante.

§. IV.

Ipsorum statio & functio in ecclesia.

Hæc erat *pulpitum* siue *tribunal* ecclesiæ, vt passim vocatur a CYPRIANO, hoc est suggestus siue cathedra in inferiore sacræ ædis parte collocata & a *bemate* seu *tribunali* sanctuarii distincta. Lectoris enim non erat, scripturas legere coram altari sed tantum de pulpito. Vnde *super pulpitum imponi*, & *ad pulpitum venire*, phrases *Cyprianicæ* [s] sunt, quibus lectoris denotatur ordi-

(q) Habert. Archierat. Part. IV. obseruat. I. p. 41. Ordinatur lector absque manus impositione apud latinos, sed a græcis cum ea tamquam communi ordinum materia.

(r) Concil. Carthag. IV. c. VIII. Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, iudicans eius fidem, vitam & ingenium. Posthæc spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens, Accipe &c.

(s) Cypr. Ep. XXXVIII. & XXXIX. edit. Oxon. (epist. XXXIII. edit. Paris. MDCLXVI. p. 47.) Nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est, quam celebrandis diuinis lectionibus personare: post verba sublimia quæ Christi martyrium proloquuta sunt, *euangelium Christi legere*, vnde martyres fiunt: *ad pulpitum* post catastam *venire* &c.

natio. In hoc loco tempore CYPRIANI euangelia æque ac alias scripturæ sacræ partes lectitabant; id quod ex quadam CYPRIANI [t] epistola patet, in qua de *Celerino* confessore loquens, quem lectorem ordinauerat, dicit: *Quid aliud quam super pulpitum, id est, super tribunal ecclesiæ oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus & plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus legat præcepta & euangelium Domini, quæ fortiter & fideliter sequitur?* ALBASPINAEVS [u], epistolas quoque & euangelia tempore perceptionis eucharistiæ legisse eos, dicit: at prius probare debebat, quod earum lectio aliqua celebrationis eucharistiæ pars fuerit: Non enim e vetustissimis liturgiis videtur ita fuisse, sed tantum in *missa catechumenorum*, siue, vt nos nunc appellamus, *in the first service*, in prima cultus sacri parte, cui catechumeni intererant, legebantur. Et vbicunque ad sacram communionem recepta fuerunt, diaconorum, non lectorum, fuit ea recitare. Sed de his plura, vbi ad liturgiam & cultum veteris ecclesiæ deuenienius.

§. V.

Ætas, qua quis lector ordinari potuit.

Vnum adhuc restat, quod de hoc ordine adnotari meretur, nimirum qua quis ætate lector potuerit ordinari. Hoc ipsum ex quadam IVSTINIANI *nouella* [x] condocemur, quæ lectorem aliquem ordinari ante annos duodeuiginti integros completos, diserte prohibet. Prius autem, quam ista lex lata esset, mos erat multo iuniores eos ordinare. ENNODIVS enim episcopus *Ticini Epiphanium* antecessorem [y] suum, octauo ætatis anno lectorem ordinatum fuisse, adfirmat: sicut *Cæsarius Arelatensis* [z] septem tantum annos habuisse dicitur. Et inde condiscere possumus, quid SIDONIVS APOLLINARIS intelligat, quum

(t) Cyprian. Ep. XXXIV. al. XXXIX.

(u) Albaspin. Not. in concil. Carth. III. c. IV. (Tom. II. Concil. p. 1185.) Vetus ille mos inualuerat, vt non diaconi sed lectores epistolas & euangelia in solemni missæ sacrificio pronuntiarent.

(x) Iustin. Nouel. CXXIII. c. XIII. ὀκ ἐπιτρέπομεν - - ἀναγνώστην ἐλάττονα τῶν ὀκτὼ κὴ δέκα ἐνιαυτῶν. Fieri non permittimus - - lectorem minorem decem & octo annorum.

(y) Ennod. Vit. Epiphan. (Bibl. Patr. Tom. XV. p. 295) Annorum ferme octo lectoris ecclesiastici suscipit officium.

(z) Vit. Cæsar. ap. Sur. XXVII. Aug. Clero adscriptum inter ipsa infantiæ rudimenta, post exactæ ætatis septennium.

loquens

loquens de *Ioanne* episcopo *Catalaunensi*, cum ab infantia lectorem [a] fuisse dicit. Quod de *Felice* etiam perhibet *Paulinus* [b], quod a primis ætatis annis lectoris officio functus sit. Ita VICTOR VTICENSIS persecutionis *Vandalicæ* in *Africa* immanitatem describens, eorum sæuitiam eo modo exaggerat, vt omnes clericos *Carthaginis*, fere quingentos vel amplius, quos inter [c] quamplurimi *lectores infantuli* fuerint, vel gladio vel fame eos exstinxisse, dicat. Caussa, quamobrem homines tam tenera ætate ad hoc officium ordinarentur, hæc erat, vti iam diximus supra, quod parentes filios suos nonnumquam ab incunabulis Dei ministerio dedicabant, & tum illi educabantur & instituebantur in quibusdam inferioribus officiis, vt experientia edocti ad maiora ecclesiæ officia magis idonei euaderent.

LIBRI TERTII
CAPVT SEXTVM
DE OSTIARIIS SEV IANITORIBVS.
§. I.
Nulla huius ordinis mentio ad tertium vsque quartumue sæculum facta.

Hic vltimus quinque istorum ordinum est, qui hodiernæ ecclesiæ *Romanæ* institutionis apostolicæ esse dicuntur. Enim vero per integra tria sæcula ne nomen quidem in vllo antiquo scriptore inuenimus, si a CORNELII [d] episcopi *Romani* epistolis discesseris, in quibus πυλωροὶ seu *ostiarii* cum reliquis memorantur. In CYPRIANO & TERTVLLIANO nulla eorum habetur mentio. Primus & infimus ordo apud eos est ordo *lectorum*, vti nunc quidem est in ecclesia *græca*, in quo ordo *ostiariorum* iam inde a

(a) Sidon. lib. IV. ep. XXV. *Lector* hic primum, sic minister altaris idque *ab infantia*.

(b) Paulin. Natal IV. Felic. Primis lector seruiuit in annis.

(c) Victor de Persecut. Vandal. lib. III. Bibl. Patr. Tom. VII p. 613. (lib. V. c. IX p. 78. edit. Ruinarti Paris. MDCXCIX.) Tunc Eugenio pastore iam in exsilio constituto, vniuersus clerus ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius, inter quos quamplurimi erant *lectores infantuli*, qui gaudentes in Domino procul exsilio crudeli funduntur.

(d) Ap. Euseb. lib. VI. c. XLIII. vid. supr. c. I. §. II. not. (y) pag. 6. seq.

concilii *Trullani* tempore, hoc eſt, ab anno DCXCII. neglectus iacet, vti SCHELSTRATVS [*e*] fateri non dubitat, etiamſi MORINVM, quod in extendenda hac abrogatione ad tempora apoſtolica paullo apertius & liberius egerit, reprehendat, eumque confutandi cauſſa IGNATII & CLEMENTIS ROMANI [*f*] teſtimonia, pro adſerenda huius ordinis vetuſtate adleget. Sed ad ſpuria tantum ſcripta eorum nominibus edita nos remittit, quæ ante quartum ſæculum non innotuerunt, circa quod tempus paucos ſcriptores *græcos* de hoc ordine loqui cœpiſſe, conſtat. EPIPHANIVS [*g*] enim & concilium *Laodicenum* [*h*] θυρωρὸς, hoc eſt *oſtiarios*, inter reliquos clericorum ordines referunt. Et IVSTINIANVS etiam in quadam *nouella* [*i*] de eis tanquam in magna eccleſia *Conſtantinopolitana* conſtitutis loquitur, vbi eorum numerum in eius & reliquarum trium eccleſiarum vſum ad centum reſtringit. Hoc, eos in quibusdam eccleſiis *græcis* conſtitutos fuiſſe, demonſtrat, licet, HABERTO [*k*] obſeruante, non multa ſæcula durarint nec vniuerſe in omnibus eccleſiis munus aliquod obtinuerint.

§. II.

Modus eos ordinandi in eccleſia latina.

Quodnam ordinationis genus in eccleſia *græca* habuerint, relatum non legimus: nullus enim auctor eſt, qui hac de re loquatur. In eccleſia *latina* nihil niſi epiſcopi requirebatur delegatio, qui claues eccleſiæ manibus initiandi tradens, dicebat: *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem de his rebus, quæ his clauibus recluduntur*; vti formula in concilio quarto *Carthaginenſi* [*l*] & in

(*e*) Schelſtrat. Conc. Antiochen. Diſſert. IV. c. XVII. p. 520. citat. ſupr. c. I. §. I. (d) pag. 2.

(*f*) Ignat. Epiſt ad Antioch. vid. c. I. §. II. not. (q) pag. 6. Clem. Conſtit. lib. III. c. XI. Ἀλλ' ὔτε τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν· οἷον ἀναγνώσταις, ἢ ψάλταις, ἢ πυλωροῖς, ἢ ὑπηρέταις. Immo neque reliquis clericis poteſtatem baptizandi facimus, vt lectoribus, cantoribus, *ianitoribus* aut miniſtris.

(*g*) Epiphan. Expoſit. Fid. n. XXI. vid. c. I. §. II. not. (x) pag. 6

(*h*) Concil. Laodic. c. XXIV. (Tom. I. conc. p. 150.) vid. c. IV. §. IV. not. (z) pag. 24.

(*i*) Iuſt. Nouel. III. c. I. καὶ ἑκατὸν πρὸς τούτοις τῶν καλουμένων πυλωρῶν, inſuper centum exſiſtentibus iis, quæ vocantur *oſtiarii.*

(*k*) Habert. Archierat. Part. V. obſ. I. p. 47. Series illa eiusmodi ordinum non omnino conſtans ac perpetua exſtitit.

(*l*) Conc. Carth. IV. c. IX.

Ordine

Ordine Romano [m] & GRATIANO [n], qui ex isto concilio id habet, præscripta exstat.

§. III.

Eorum officium & functio.

Officium eorum vulgo in hoc constitisse dicitur, vt ianuas durante diuino cultu custodirent & *fideles* a *catechumenis* & *excommunicatis*, aliisque ab ecclesia excludendis, distinguerent. Sed hæc, fateor, plura sunt, quam vt ex vetusta historia, saltem de multarum ecclesiarum statu & disciplina, possint comprobari. Nam speciatim in ecclesia *Africana*, vt alio loco ostendetur, non tantum catechumenis & pœnitentibus, sed hæreticis etiam iudæis & gentilibus libertas dabatur veniendi ad primam cultus diuini partem, quam *missam catechumenorum* vocabant, hoc est, sacræ scripturæ lectionem & homilias seu sermones de ea factos, audire eis licebat; qui vtpote ad erudiendum compositi eorum conuersioni poterant inseruire, vt adeo heic nulla distinctione opus esset. Quæ enim distinctio in altera cultus diuini parte, *missa fidelium* dicta, adhibebatur, ea diaconorum, hypodiaconorum & diaconissarum fiebat ministerio, quemadmodum dictum est supra, vbi de his ordinibus exposuimus. Vt ita, quidquid ab ostiariis hac in re peragi oportuit, nihil fuerit aliud, nisi vt aperirent & clauderent ianuas, tamquam ministri & serui sub aliis constituti, eorumque arbitrio penitus se gubernari paterentur. Eorum quoque erat officii, stata precationum & conuentuum ecclesiasticorum tempora indicere; id quod durante persequutione peculiare requirebat signum, vt ne forte detegerentur. Et hæc fortassis prima hunc ordinem in ecclesia *Romana* instituendi fuit caussa, cuius exemplum aliæ ecclesiæ gradatim sunt sequutæ. Sed quomodocumque res se habeat, illorum officium & statio paullo digniore loco, quam notariorum & æditiuum officium in hodiernis nostris ecclesiis, videtur fuisse.

(m) Ordo Rom. Part. II. p. 98. (Bibl. Patr. max. Tom. XIII. p. 704.)
(n) Gratian. Distinct. XXIII. c. XIX.

LIBRI TERTII
CAPVT SEPTIMVM
DE PSALMISTIS SEV CANTORIBVS.
§. I.
Cantores *a lectoribus distinctus fuerunt ordo in antiqua ecclesia.*

HActenus quinque istos ordines inferiores enarrauimus, quos ecclesia *Romanensis* a reliquis segregatos sine vlla idonea caussa apostolicæ institutionis auctoritate & charactere insignivit; quum tamen nullam aliorum quorumdam mentionem faciat, qui, quum non minorem antiquitatis famam habeant, distinctus clericorum ordo, æque ac illi priores, merentur appellari. Inter hos priscæ ecclesiæ *psalmistas*, *copiatas* & *parabolanos* refero. HABERTVS [a], BELLARMINVS [b] & alii, qui in ecclesiæ *Romanensis*, quinque tantum ordines inferiores admittentis, tuenda fide animum suum occupatum habent, *cantores* & *lectores* vnum eumdemque ordinem esse dictitant. Enim vero quemadmodum *canonistæ* de ipsorummet ecclesia generatim pro duobus ordinibus eos habent, ita nihil potest esse manifestius, quam quod a prima eorum institutione in ecclesia primitiua semper ita reputati fuerint. Ab omnibus enim scriptoribus eorum facientibus mentionem, æque ac vlli ordines alii distincte recensentur, vti curiosi huius rei lectoris animo satis fieri potest, si loca ex EPHREM SYRO [c], concilio *Laodiceno* [d], & sic dictis apostolicis canonibus [e], & constitutionibus [f], auctore [g] liturgiæ S. *Marci*

(a) Habert. Archier. Part. IV. obs. IV. p. 44. Diuersum ab lectore non constituit ordinem psaltes.

(b) Bellarmin. de clericis lib. I. c. XI. Etsi episcopus & presbyter distinguuntur, tamen quantum ad sacrificium, idem omnino ministerium exhibent, proinde vnum ordinem non duo faciant; *sicut etiam lector & cantor seu psalmista.*

(c) Ephrem. XCIII. Serm. de secundo Aduent.

(d) Concil. Laodic. can. XXIV. vid. c. IV. §. IV. not. (z) pag. 24

(e) Can. Apost. can. LXIX. vid. c. I. §. II. not. (t) p. 6
Can. XLIII. Ὑποδιάκονος, ἢ ψάλτης, ἢ ἀναγνώστης τὰ ὅμοια ποιῶν, ἢ παυέσθω, ἢ ἀφοριζέσθω. hypodiaconus, vel lector, vel cantor similia faciens, vel cesset, vel segregetur.

(f) Constit. Apostol. lib III. c. XI. vid. c. I. §. II. not. (r) pag. 6

(g) Liturg. Marci Bibl. Patr. Gr. Latin. Tom. II. p. 35. (Io. Fabric. Cod. Apocr. Nou. Test. part III. p. 288) Μνήσθητι δὲ καὶ τῶν ἁπανταχοῦ ὀρθοδόξων ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων, ὑποδιακόνων, ἀναγνωστῶν, ψαλτῶν, μοναζόντων, ἀεὶ παρ-

Marci, epiſtolis ſub nomine IGNATII [*h*] ſcriptis, IVSTINIANO [*i*] & concilio *Trullano* [*k*] ad calcem paginarum huc poſita, velit conſiderare. Speciatim vero IVSTINIANI *nouella* tum eos diſtinguit, tum nos certiores facit, fuiſſe viginti quinque *cantores* & centum ac decem *lectores* in eccleſia *græca Conſtantinopolitana*. Quod eos diverſos fuiſſe ordines, ſatis eſt teſtimonium.

§. II.

Ipſorum inſtitutio & officium.

Prima horum *cantorum* origo & conſtitutio, tamquam ordinis clericorum ad initium ſæculi quarti videtur eſſe referenda. Concilium enim *Laodicenum* primam eorum mentionem iniicit, niſi quis forte *canones apoſtolicos* paullo vetuſtiores eſſe exiſtimet. Ratio, ob quam inſtituti ſint, ad antiquam eccleſiæ pſalmodiam moderandam & excitandam videtur ſpectaſſe. Pſalmodia enim a prima & apoſtolica ætate ſemper pars diuini cultus fuit; in qua vniuerſum eccleſiæ corpus ſeſe coniunxit: id quod tam euidens eſt, vt, quamuis CABASSVTIVS [*l*] id neget, & ex acerbo animi in eccleſias *reformatas* adfectu, in quibus generatim iſta pſalmodia obtinet, cantiones iſtas *nenias proteſtantium* appellet; BONA tamen cardinalis plus vice ſimplici [*m*] non tantum con-

θένων, χηρῶν, λαϊκῶν. Memento etiam vbique degentium orthodoxorum epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum, *lectorum*, *cantorum*, monachorum, ſemper-virginum, viduarum, laicorum. vid. etiam p. 258. 260. 269. apud eund. Fabric.

(*h*) Ignat. Ep. ad Antioch. n. XII. vid. c. I. §. II. not. (q) pag. 6

(*i*) Iuſtin. Nouell. III. c. I. *ἀναγνώστας δὲ ἑκατὸν δέκα καὶ ψάλτας εἰκοσιπέντε*, *Lectores* centum & decem, *cantores* viginti quinque.

(*k*) Concil. Trullan. c. IV. (Tom. VI. p. 1144.) Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὑποδιάκονος, ἢ ἀναγνώστης, ἢ ψάλτης, ἢ θυρωρὸς, γυναικὶ ἀφιερωμένῃ τῷ Θεῷ μιχθείη, καθαιρείσθω κ. τ. λ. Si quis epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, *vel lector*, *vel cantor*, vel oſtiarius, cum muliere Deo dedicata coierit, deponatur &c.

(*l*) Cabaſſut. Notit. Concilior. c. XXXVIII p. 201 edit. Lugd. MDCLXX. 8vo. (Neque hoc, vt ſupra p. 16. not. (a) in recentioribus editionibus inueni, quod multa cum induſtria diu quæſiui, adeoque neſcio, an adhibitum a me vocabulum idem illud ſit, quo vſus eſt Loiolita. Non puto tamen, ab eius mente longius abeſſe, quod auctor noſter Binghamus reddidit *a Proteſtant-Whim.*)

(*m*) Bona Rer. Liturg. lib. I. c. XXV n XIX A primordiis eccleſiæ pſalmos & hymnos in conuentu fidelium decantatos fuiſſe, apoſtolus adſerit ad Epheſ. c. V. cætera. It. de Diuin. Pſalmod. c. XVII. §. II. n. 3. Ab ipſo Domino & ab apoſtolis, ait Auguſtinus, pſalmos & hymnos canendi habemus documenta, & exempla & præcepta,

feſſus ſit, ſed ſolide etiam, hanc eccleſiæ primitiuæ fuiſſe praxin, demonſtrarit. De qua re id circo heic plura non dicam, ſed obſeruabo tantum, eius diminutionem ordinem *cantorum* in eccleſiam primitiuam inuexiſſe. Vbi enim experientia docuerat, populum negligentiæ atque ignorantiæ ſuæ culpa ad peragendam hanc cultus diuini partem haud idoneum exſiſtere, niſi quis ſollertior peritiorque præeundo eum iuuaret; peculiaris hominum ordo inſtitutus eique hoc negotium datum fuit, eo quidem conſilio, vt vetus pſalmodia reſtitueretur & emendaretur, non autem vt aboleretur vel euerteretur. Et ab hoc tempore *κανονικοὶ ψάλται cantores canonici*, hoc eſt, in canonem ſeu catalogum clericorum recepti, vocari eoque ipſo a reliquo eccleſiæ corpore diſtingui cœperunt. In quibusdam locis conſultum videbatur, vt ad certum tempus reliquis omnibus, præter hoſce ſolos, cantare interdiceretur; ea fini ſine dubio, vt antiquæ eccleſiaſticæ harmoniæ concentus inſtauraretur, quod alia ratione commode fieri non poterat, niſi reliqui ad certum tempus ſilere & ab iis, qui artis muſicæ peritiores eſſent, diſcere iuberentur. Ita canonem concilii *Laodiceni* [n] intelligo, dicentem, *non oportere præter canonicos cantores, qui ſuggeſtum adſcendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in eccleſia.* Hæc temporaria erat prouiſio, eo tantum ſpectans, vt antiqua pſalmodia ad priſtinam harmoniam & perfectionem ſuam reducta & inſtaurata reuiuiſceret. Hoc ſenſu vt iſtum canonem accipiam, & prohibitionem ad tempus tantummodo factam eſſe exiſtimem, eo magis me impellit, quod in ſæculis ſubſequutis populum antiquo ſuo iunctim cantandi priuilegio fruitum eſſe, deprehendimus; cuius crebra fit mentio apud AVGVSTINVM, CHRYSOSTOMVM, BASILIVM & alios plures, qui de pſalmodia & cultu eccleſiaſtico ſuorum temporum nos faciunt certiores, qua de re poſtea loco ſuo plura dicemus.

§. III.

Cur vocati ὑποβολεῖς.

Notandum heic eſt, hos canonicos cantores dictos etiam fuiſſe *ὑποβολεῖς monitores* ſiue *inſpiratores*, ab eorum officio, quod erat plebi cantum præire. In quibusdam enim locis moris erat

(n) Concil. Laodic. c. XV. *μὴ δεῖν πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων ἑτέρους τινὰς ψάλλειν ἐν ἐκκλησίᾳ.*

can-

cantori siue psalmistæ psalmum seu hymnum inchoare & dimidiam versiculi partem sua vnius voce cantare; & tum populus in altera dimidiati versiculi parte respondebat, qui hinc ὑπηχεῖν, hoc est, per modum respondendi *succinere*, dicebatur. Hoc sensu EPIPHANIVS *scholasticus* nomen ὑποβολεῖς in SOCRATE [*o*] intelligit; transfert enim illud *psalmi pronuntiatores:* Atque ita VALESIVS [*p*] etiam & COTELERIVS [*q*] id explicant. HABERTVS [*r*] autem contrarium statuit, nomen ὑποβολεῖς non *cantores* sed *lectores* denotare, & ita eos vocatos esse, existimans, quod concionatoribus partem scripturæ sacræ suggererent, de qua sermonem ad populum facerent. Tum enim homiliæ sæpissime in eam scripturæ partem habebantur, quam quis lector modo prælegisset. Controuersia inter hosce duos viros doctos difficilis est & feruida, cuius in rationes non inquiram amplius, sed intelligenti lectori eam relinquo dirimendam.

§. IV.

Quodnam genus ordinationis habuerint.

Vnum adhuc reliquum est, quod de hoc ordine obseruetur, nimirum, quo modo in hoc officium immissi fuerint. Et in hoc quidem cæteris inferioribus ordinibus vniuersis hic ordo conueniebat, vt manuum impositione, siue solemni consecratione, ei opus non esset. In vna tamen re ab illis discrepabat;

(*o*) Socrat. lib. V. c. XXII. (pag. 287. B. edit. Amstel.) Ἐν τῇ αὐτῇ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφορον, εἴτε κατηχούμενοι εἰσὶν, εἴτε πιστοί. In eadem vrbe Alexandria *lectores* & *psaltæ* absque vllo discrimine fiunt, tam catechumeni quam fideles.

(*p*) Vales. in Socrat. ibid. (p. 71.) Pessime Musculus & Christophorsonus verterunt *interpretes*. Optime vero Epiphanius exposuit *psalmi pronuntiatores*. Horum munus videtur fuisse, prima psalmi verba præcinere. Populus deinde reliqua succinebat. ὑποβολεῖς dicebantur olim *monitores*, qui in scena monebant histriones, vt docet Festus. Hi suggerebant actoribus, quoties memoria eos deficiebat. Erant & *monitores* in precationibus, quorum meminit Tertullianus in Apologetico, vbi dicit, christianos *sine monitore orasse*, quia de pectore orabant.

(*q*) Coteler. Not. in Constit. Ap. lib. II. c. LVII. not. 34. Præcinebant cantores, populus vero succinebat. Qui *psaltæ* ideo in Socratis historia ecclesiastica lib. V. c. XXII. appellantur ὑποβολεῖς, *monitores*, *suggestores*, *psalmi pronuntiatores ac præmuntiatores*, quemadmodum docuit magnus interpres.

(*r*) Habert. Archierat. Part. IV. obs. I. p. 39. Coniicio, lectores ὑποβολεῖς dici, quasi *subiectores* vel *suggestores*, non vero cantores, quod docto theologo placuit.

quod, quamuis cæteri ab episcopo vel chorepiscopo conferri solerent, hic a presbytero conferri poterat, hanc verborum formulam, in concilio quarto *Carthaginensi* [s] præscriptam, adhibente: *Vide, vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.* Et hæc vniuersa est cærimonia, quam in eorum inauguratione vsurpatam deprehendimus.

LIBRI TERTII
CAPVT OCTAVVM
DE COPIATIS SIVE FOSSARIIS.
§. I.
Copiatæ *siue* fossarii *primitiuæ ecclesiæ clericis adnumerati.*

ALius inferiorum clericorum ordo in primitiua ecclesia erant ii, quos exsequiarum curam agere & mortuis honestam sepulturam prospicere oportebat. Hi ab antiquis scriptoribus plerumque vocantur *copiatæ*, quod nomen CONSTANTIVS imperator in duobus rescriptis in *codice Theodosiano* [a] eis adsignat. EPIPHANIVS [b] de ipsis loquitur eodem eos nomine appellans κοπιάτας, & auctori sub nomine IGNATII [c] κοπιῶντες dicuntur. GOTHOFREDVS [d] id a *græco* vocabulo κοπάζειν deriuat, quod significat *quiescere;* alii ἀπὸ τȣ̃ κοπετȣ̃, id est *planctu & lamentatione;* generatim autem hoc iis nomen datum esse credi-

(s) Concil. Carth. IV. c. X. Psalmista, id est, cantor potest absque scientia episcopi sola iussione presbyteri, officium suscipere, cantandi, dicente sibi presbytero; *Vide, vt quod ore cantas,* cætera.

(a) Cod. Theod. lib. XIII. tit. I. de lustrali Conlat. leg. I. Negotiatores omnes protinus conuenit aurum argentumque præbere: clericos excipi tantum, qui *copiatæ* appellantur, nec alium quemquam esse immunem ab huius conlationis obsequio. It. lib. XVI. tit. II. de Episc. leg XV. Clerici, vel hi, quos *copiatas* recens vsus instituit nuncupari, ita a sordidis muneribus debent immunes atque a conlatione præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitumque conquirent.

(b) Epiph. Exposit. Fid. n. XXI. vid. cap. I. §. II. not. (x) pag. 6

(c) Ignat. Epist. ad Antioch. n. XII. c. I. § II. not. (q) p. 6

(d) Gothofr. Comm in Cod. Theod. lib. XIII. tit. I. leg. I. Dicti *copiatæ* communi sententia hactenus, tanquam si diceres operarios, laboratores, ἀπὸ τȣ̃ κόπȣ καὶ κοπιᾶσθαι. Ego non minus quoque malim, ἀπὸ τῆς κοπίας seu κοπάζειν, quod significat *quietem & quiescere.*

tur

tur a κόπ☉ & κοπιᾶσθαι, quod ſignificat *laborare;* vnde a nonnullis *laborantes* appellantur. Auctor ſub nomine HIERONYMI [*e*] *foſſarios* eos a *fodiendis* tumulis nuncupat. Et in IVSTINIANI *nouellis* [*f*] *lecticarii* vocantur, a portandis emortuis corporibus, vel ſandapilis. GOTHOFREDVS hos immerito inter [*g*] veteris eccleſiæ clericos referri, exiſtimat. Enimuero quando de rebus & ritibus veteris eccleſiæ loquimur, neſcio quomodo magis proprie loqui poſſimus, quam ſi lingua veterum, qui ipſi ita eos appellant, vtamur. Nam non tantum auctor [*h*] ſub HIERONYMI nomine eos *primum in clericis ordinem* vocat, ſicuti ſunt hoc reſpectu: ſed HIERONYMVS etiam ipſe eumdem eis titulum tribuit, quum de quopiam, qui terræ mandandus erat, loquens, *Clerici*, inquit [*i*], *quibus id officii erat, cruentum linteo cadauer obuoluunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes ex more tumulum parant.* Hæc cauſſa eſt, quamobrem EPIPHANIVS [*k*] & IGNATIVS perſonatus inferioribus ordinibus eos adnumerent. Neque GOTHOFRE-

(*e*) Hieron. de ſeptem ordin. eccleſ. Tom. IV. p. 81. (p. 56 A. edit. Francof.) *Primus in clericis foſſariorum ordo eſt*, qui in ſimilitudinem Tobiæ ſancti ſepelire mortuos admonentur.

(*f*) Iuſtin Nouel. XLIII. ἐπειδὴ τοῦτο μὲν Κωνςαντῖν☉ ὁ τῆς θείας μνήμης, ὁ τῆς μεγάλης ἡμῶν ταύτης πόλεως οἰκιςὴς, τοῦτο δὲ Ἀναςάσι☉, ὁ τῆς εὐσεβοῦς λήξεως, τὸ τῶν καλουμένων λεκτικαρίων, ἤτοι δεκανῶν ἀριθμὸν περιέςησαν εἰς ἓν μέτρον, χιλίους ἑκατὸν εἶναι δεκανοὺς. ἤτοι ἐργαςήρια τοσαῦτα διορίσαντες, ἐφ᾽ ᾧ τε ἐν μηδενὶ χρόνῳ ταῦτα δέχεσθαι προσθήκην· διὰ τὸ καὶ ὑποκεῖσθαι τῇ διατυπώσει τοῦ τῆς θείας μνήμης Ἀναςασίου τὸ μέτρον τῶν ἐξ ἑκάςου συςήματ☉ εἶναι προσηκόντων λεκτικαρίων) ἡμεῖς δὲ ταῦτα βέβαια μένειν βουλόμεθα. Quia tam diuæ memoriæ Conſtantinus, amplæ huius noſtræ vrbis conditor, quam etiam pientiſſimus princeps Anaſtaſius, *lecticariorum* ſeu *decanorum*, (vt vocat) numerum ad certam menſuram redegerunt, mille & centum tantummodo *decanis* totidemque officinis definitis, vt nullo hæ vnquam tempore augmentum reciperent: propterea ſane cupientes, vt numerus eorum, quos ex vno quoque collegio conuenit eſſe *lecticarios*, diuæ memoriæ Anaſtaſii formulæ ſubiaceat, firma ea & fixa manere volumus. Item Nouel. LIX. vid. infr. §. IV. ſub not. (r) p. 46.

(*g*) Gothofred. Not. in Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. leg. XV. De *copiatis* obſeruandum, eos ſeparari hac lege a clericis, cum tamen alias clericorum numero cenſeantur.

(*h*) Hieron. de ſeptem ordin. eccleſ. vid. anteced. not. (e)

(*i*) Hieron. Ep. ad Innocent. de muliere ſepties icta Tom. I. p. 235. (epiſt. XLIX. p. 153. A. edit. Francof.)

(*k*) Epiphan. vid. ſupra c. I. §. II. not. (x) pag. 6 Ignat. ibid. not (c)

DVS in has leges imperatorias [*l*] in *codice Theodosiano* emendationes scribere necesse habebat, quæ *copiatis* nomen clericorum concedunt, eoque intuitu easdem ipsis immunitates & priuilegia indulgent. Hoc enim ideo tantum factum esse intelligitur, vt lingua & stilo aliorum ecclesiasticorum scriptorum vterentur.

§. II.

Tempore Constantini *primum instituti.*

Hic ordo tempore CONSTANTINI primum institutus esse videtur. Nam CONSTANTIVS eius filius in vna legum istarum, quas modo adlegauimus, de eo, tamquam nouissime instituto, loquitur; nec vllus priorum trium sæculorum scriptor reperitur, qui vllam vmquam eius iniecerit mentionem, sed per omne illud tempus cura sepeliendi mortuos officium tantummodo caritatis erat, ad quod perficiendum christianus quisque, occasione ita ferente, sese obligatum esse, credebat. Et hæc ratio est, cur tot tantasque huiuscemodi caritatis laudes in istorum sæculorum scriptoribus, nullum autem alicuius in hunc finem instituti ordinis vestigium, offendamus. CONSTANTINVS enim ad imperatoriam euectus dignitatem, quum in noua sede, *Constantinopoli* posita, quiete viueret, homines mille & centum nomine *copiatarum* ad hoc peculiare ministerium in istam ciuitatem cooptabat: Atque ita ad tempus vsque *Honorii* & *Theodosii iunioris* durauerunt, qui eos [*m*] ad nongentos & quinquaginta reduxerunt. *Anastasius* autem ad primum numerum eos rursus auxit, quod *Iustinianus* duabus *nouellis* [*n*], in hanc rem publicatis, confirmauit. Atque ex hoc ecclesiæ *Constantinopolitanæ* exemplo in reliquis populosis ecclesiis ortum suum eos traxisse, autumo.

§. III.

Cur decani *&* collegiati *dicti.*

At vero heic non nihil discriminis probabiliter intercessit inter eos, qui in ecclesia *Constantinopolitana* & illos, qui in aliis

(*l*) Cod. Theod. lib. VII. tit. XX. de veteranis leg. XII. Dum se quidam vocabulo *clericorum* & insultis defunctorum obsequiis occupatos - defendunt, cætera. Ibid. lib XIII. tit. I. de lustrali Collat. leg. I. *Clericos* excipi tantum, quæ *copiatæ* appellantur &c. Ibid. lib. XVI. tit. II. de Episcop. leg. XV. *Clerici* vero, vel hi, quos *copiatas* recens vsus instituit nuncupari, cætera.

(*m*) Cod. Iustin. lib. I. tit. II. de SS Eccles. leg. IV. Non plures, quam nongenti quinquaginta *decani* sacrosanctæ huius amplissimæ vrbis deputentur ecclesiæ.

(*n*) Iustin. Nouel. XLIII. vid. p. antec. not. (f). Nouel. LIX. vid. sub sequ. not. (r)

mino-

minoribus ecclesiis fuerunt. Nam *Constantinopoli* in ciuilem quamdam societatem, *collegium* lingua Romana dictam, recepti erant; vnde leges *collegiatos* & *decanos* interdum eos vocant. Quemadmodum in ante memoratis *Honorii* & *Theodosii Iunioris* & *Iustiniani* legibus videre est. Et alia *Theodosii Magni* [o] lex, quæ vacationem ab aliis quibusdam muneribus ciuilibus ipsis indulget, cauet, ne sub fictitio & prætexto nomine agant, sed revera in ecclesiæ ministerio constituti sint. Cur vero *decani* fuerint appellati, id non facile est ad hariolandum. Fortassis caussa hæc est, quod quædam ipsis cum *decanis palatii* esset similitudo, qui militares erant administri ad imperatoris spectantes palatium, & *corpus decanorum* in vtroque codice [p] dicuntur, CHRYSOSTOMO [q] aliisque *græcis* scriptoribus memorati nomine *δεκανῶν ἐν τοῖς βασιλείοις*, *decanorum palatii*, ad distinguendum eos ab his aliis *decanis ecclesiæ*, quos nonnulli imprudenter confundunt. Sed vero non satis persuasum mihi est, hanc huius nominis fuisse rationem, adeoque solum vt coniecturam propono, donec quis meliorem eius rationem attulerit.

§. IV.

Eorum officium & priuilegia.

Officium eorum erat, vniuersam exsequiarum curam habere & dare operam, vt omnes decenter & honeste sepelirentur. Speciatim hoc vltimum officium pauperibus sine vlla mercedis, hoc intuitu ab eorum cognatis sibi soluendæ, exactione

(o) Cod. Iust. lib. XI. tit. XVII. de collegiatis leg. vnica. Qui sub prætextu *decanorum* seu *collegiatorum*, cum id munus non impleant, aliis se muneribus conantur subtrahere, eorum fraudibus esse obuiandum.

(p) Vid. Cod. Theod lib. VI. tit. XXXIII. de decanis leg. I. Qui ex *corpore decanorum* ad primum militiæ gradum peruenerint, biennii spatio primiceriatus gerant officia &c. It. Cod. Iustin. lib. XII. tit. XXVII. leg. I. Qui ex *corpore decanorum* &c. leg. II. *Nostræ pietatis famulationibus adhærentes decanos* non oportet pro desiderio pulsantium ad alia pertrahi iudicia.

(q) Chrysostom. Hom. XIII. in Hebr. p. 1849. (pag. 817. Tom. VI. edit. Francof.) Εἰ γὰρ ἐνταῦθα καὶ ὁ ὕπαρχος καὶ πάντες οἱ περὶ τὸν βασιλέα, καὶ οἱ σφόδρα καταδεέστεροι, καὶ τὸν τῶν λεγομένων δεκανῶν τόπον ἐπέχοντες ἐν τοῖς βασιλείοις εἰσὶ, καί τοι τοσούτου ὄντος τοῦ μέσου τοῦ ὑπάρχου καὶ δεκανοῦ· πολλῷ μᾶλλον ἐν τοῖς ἄνω βασιλείοις τοῦτο ἔσται. Si heic sunt & præfectus & omnes qui regi adsistunt, & qui sunt his longe inferiores & tenent locum eorum, qui dicuntur *decani*, sunt in regia, etiam si multum intersit inter præfectum & *decanum*: multo magis hoc erit in superna regia.

præsta-

præſtare debebant. Ita *Conſtantinopoli* obtinuiſſe ex quadam IVSTINIANI *nouella* [r] liquet, quæ nos certiores facit, *Anaſtaſium* imperatorem certa prædia huic ſocietati adſignaſſe, certumque tabernarum & officinarum numerum in ciuitate conſtituiſſe, quæ omnis generis tributis ſolutæ eſſent & huic vlui propriæ: quarum ex mercedibus & prædiorum vectigalibus *defenſores* & *curatores eccleſiæ*, ſupremam huius rei curam & inſpectionem habentes, *his decanis* ſoluere & eiusmodi exſequiis impenſas ſubminiſtrare oportebat. *Iuſtinianus* non ſolum hanc conſtitutionem confirmauit, ſed etiam facta de abuſu quodam querimonia, quod lege *Anaſtaſii* non obſtante ſtipendium pro exſequiis exigeretur, publicata *nouella* ſua abuſum iſtum corrigi iuſſit. Non reperimus autem, eiusmodi conſtitutionem in reliquis eccleſiis omnibus factam eſſe, ſed veroſimilius eſt, hos *copiatas* partim ex communi ærario eccleſiæ fuiſſe ſuſtentatos, partim ex ſuo ipſorum labore & mercatura, quæ animos eis addendi cauſſa generatim vectigalium & tributorum munere ſoluta erat, vitæ ſubſidia ſibi comparaſſe, quemadmodum poſtea videbimus.

(r) Iuſtin. Nouel. LIX. Singula bonorum operum a nobis Dei auxilio oportet accipere principium, aut ſi qua, ex quæ ab aliis facta ſunt bona, ſequuta eſt corruptio, hanc emendari a nobis & in antiquum reduci ordinem. Vt nos aut factione rei aut correctione ad bonos actus ſtudeamus habere ſemper participium. Quale videlicet aliquid & ſuper exſequiis defunctorum factum non recte perſpeximus emendare & donaſe omnibus, ne duplicem ſuſtineant difficultatem, ſimul quidem vt quæ ſua ſunt amittant, ſimul autem vt pro ſe dannificentur. Sed quod Conſtantinus piæ memoriæ recte cogitans diſpoſuit & poſthæc Anaſtaſius piæ memoriæ firmauit, adiiciens etiam reditus cauſſæ, hoc nos ipſi, cum periculum patiatur cadere, reparare & dare cum omni cautela & terminis competentibus cogimur, illud facientes manere immortale. Conſtantino enim piæ memoriæ nongentis quinquaginta ergaſteriis, ex diuerſis corporibus feliciſſimæ huius vrbis, ſine tributis dante ſanctiſſimæ maiori eccleſiæ; Anaſtaſio vero p. m. non ſolum ergaſteriis illis quinquaginta & centum adiiciente, ſed & reditum certum largiente per duas pragmaticas formas, quatenus quod ex ipſo reditu colligitur aurum, proficiat ad ea, quæ dantur a Deo amabilibus oeconomis his, qui ad hoc laborant: plurimi plerumque adierunt nos, dicentes non ſimiliter cauſſam procedere, neque ſine mercede fieri defunctorum exſequias, ſed exigi amare, & inueniri plurima foris nomina & corpora, quæ etiam multos exigunt lugentes, & cogunt dare non habentes, hæc omnia iuſtum iudicauimus competenti correctione digna facere. cætera.

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT NONVM
DE PARABOLANIS.

§. I.

Parabolani *a quibusdam inter clericos relati.*

ALius hominum, a nonnullis inter veteris ecclesiæ clericos relatorum, ordo erant, quos *parabolanos* nominabant. *Theodosius Iunior* in quadam lege sua ad eos spectante in *codice Theodosiano* [a] in clericis eos ponit & sub hoc titulo euidenter comprehendit, quemadmodum in huius loci expositione recte obseruauit GOTHOFREDVS. Ipse BARONIVS e clericorum grege eos fuisse, non negat, sed lectori suo persuadere satagit, quod non distinctus aliquis ordo, sed ex inferioribus clericorum [b] ordinibus electi fuerint: qua de re nihil in hac lege dicitur, sed contrarium potius adfirmatur, quod e pauperibus *Alexandriæ* eligi debuerint.

§. II.

Eorum constitutio & officium.

Officium eorum in proxime sequenti lege describitur, in qua ad curanda debilium corpora deputati esse dicuntur [c]. *Alexandriæ* in societatem quamdam quingenti vel sexcenti numero cooptati, ad arbitrium episcopi loci ex quouis hominum genere eligi debebant, si ab *honoratis* & *curialibus* discesseris, quos in ciuilibus patriæ suæ muneribus seruire oportebat, & quibus

(a) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcop. leg. XLII. Quia inter cætera Alexandrinæ legationis inutilia, hoc etiam decretis scriptum est, *vt reuerendissimus episcopus de Alexandrina ciuitate aliquos non exire* (quod quidem terrore eorum, qui *parabolani* nuncupantur, legationi insertum est,) placet nostræ clementiæ, vt nihil commune clerici cum publicis actibus vel ad curiam pertinentibus habeant. Gothofred. Not. in loc. Sane clericorum eos numero fuisse, tum huius legis principium, tum vtraque hæc lex & sequens, sub hoc titulo collectæ, ostendunt.

(b) Baron. an. CCCCXVI. p. 400. (Tom. V. p. 406.) Fuisse hos (Parabolanos) minoris ordinis clericos allectos exordium dati hoc anno rescripti insinuare videtur.

(c) Cod. Theod. ibid. leg. XLIII. *Parabalani* (qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur) quingentos esse ante præcepimus: sed quia hoc minus sufficere in præsenti cognouimus, pro quingentis sexcentos constitui præcipimus.

adeo

adeo nulla in ecclesiasticum aliquod officium sese immittendi venia concedebatur. Gubernationi & mandato episcopi subesse iussi erant, vt ex eadem lege, quæ prioris legis emendatio est, apparet. Per istam enim iurisdictioni *præfecti Augustalis* (quemadmodum summus magistratus ciuilis *Alexandriæ* vocabatur;) subiiciebantur, per hanc autem legem *Theodosius* pristino decreto suo reuocato, curæ & arbitrio eos in totum subiiciebat episcopi, seu (vt *græcus* auctor, qui ecclesiasticas constitutiones e lege ciuili [*d*] collegit, eum nuncupat) *papæ*; intelligens non pontificem *Romanum*, vt nonnulli ex ignorantia falso existimant, sed papam seu episcopum *Alexandrinum*. Tunc enim quemuis episcopum *papam* appellare moris erat, quomodo alibi [*dd*] ostendimus. Quo tempore hic ordo cœperit, certo definiri non potest. Prima eius notitia in his *Theodosii Iunioris* legibus an. CCCCXV. habetur, quæ tamen de eo, non tanquam recens orto sed iam ante in ecclesia instituto, loquuntur. Circa idem tempus, quo *copiatæ* sub *Constantino* orti sunt, probabiliter institutus est, quando quædam humanitatis officia, a christianis ante voluntarie, prout sua quemque pietas instigabat, peracta iam in ordinarium abierant munus, & certus hominum ordo ad eiusmodi officia speciatim erat delegatus. Non peculiarem ecclesiæ *Alexandrinæ* ordinem fuisse, ex eo patet, quod mentio facta est *parabolanorum*, qui *Ephesi* tempore concilii secundi an. CCCCXLIX. heic celebrati, fuerint. Nam BASILIVS *Seleuciensis*, qui *Flauiani* damnationi & absolutioni *Eutychis* hæretici heic subscripserat, quum ad palinodiam canendam in concilio *Chalcedonensi* adduceretur, caussam suam ita tuebatur, vt ab armatis militibus vna cum *Barsuma* eiusque monachis & *parabolanis* [*e*] ma-

(*d*) Collect. Constit. Eccles. lib. I. tit. III. c. XVIII. (apud Iustell p. 1255.) παραβολάνοι γίνονται καὶ κατὰ δοκιμασίαν τοῦ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας· μὴ ὄντες ἀξιωματικοὶ καὶ βουλευταὶ, ὀφείλοντες ἐπιμελεῖσθαι τῶν λελωβημένων, καὶ ταῖς κελεύσεσι τοῦ πάπα πειθαρχεῖν. Parabolani ex episcopi Alexandrini arbitrio fiunt, qui non sunt in dignitate constituti, vel curiales: & confectorum morbis curam gerere debent, eiusque *papæ iussis obsequi.*

(*dd*) lib. II. c. II. §. VII. pag. 76. 77.

(*e*) Concil. Chalced. Act. I. (Tom. IV. concil. p. 252.) εἰσέτρεχον εἰς τὴν ἐκκλησίαν στρατιῶται μετὰ ὅπλων, καὶ εἰσήκεισαν οἱ μονάζοντες μετὰ Βαρσουμᾶ, καὶ οἱ παραβαλανεῖς, καὶ πλῆθος ἄλλο πολύ. κ. τ. λ. Irruebant in ecclesiam milites

gnaque

gnaque aliorum hominum turba ecclesiam ingressis ad subscribendum se adactum esse, diceret. Vocabulum primigenium est παραβαλανεῖς, quod vetus interpres recte reddidit *parabalanos*, quod idem est cum *parabolanis*; vtroque enim modo in antiquis auctoribus scriptum legitur. BINIVS autem in *græca* sua conciliorum editione vocabulum ab se non intellectum vertit, *ii, qui circa balnea versantur*, quasi *parabalani* homines essent, publicorum balneorum curam gerentes; quum tamen nunc nemo ignoret, officium eorum alius plane fuisse indolis, nomenque eis datum esse ex ratione ab ea, quæ a balneorum inspectione petitur, multum discrepante.

§. III.

Ratio nominis parabalanorum.

Quod ad rationem nominis eorum attinet, vt miras ALCIATI & ACCVRSII interpretationes, a GOTHOFREDO satis explosas, prætermittamus, DVARENI [f] & GOTHOFREDI opinio optima esse mihi videtur, quod vocati sint *parabolani*, quia παράβολον ἔργον, id est, rem periculosissimam tractabant, ministrando videlicet ægrotis, speciatim contagioso morbo & graui pestilentia conflictantibus. *Græci* παραβόλους nominare consueuerunt, qui mercedis caussa ad certamen cum bestiis in amphitheatro se ipsi offerrent. Atque ita SOCRATES historicus [g] hac voce vtitur, quum de *Theodosio*, aliquando venationis spectaculum præbente *Constantinopoli*, loquens, *Populus*, inquit, *vociferari cœpit: Cum fera bestia audax quidam parabolus pugnet!* Hi erant ii, quos *Romani bestiarios* & interdum *parabolos* & *parabolarios* vocabant, a græco vocabulo παραβάλλεσθαι, quod significat, vitam hominis periculo exponere, vti illi faciebant, qui certabant bestiis. Hoc sensu christianos, quum ad vitam suam pro CHRISTO profundendam adeo parati essent, generatim *parabolarios* ab ethnicis vocatos fuisse, supra [gg] ostendimus. Et GOTHOFRE-

cum armis initabant monachi, qui cum Barsuma & *parabalani* & multitudo alia grandis.

(*f*) Duaren. de Minist. & Benefic. lib. I. c. XIX. Parabolani ideo fortassis dicebantur, quia παράβολον ἔργον, rem periculi & discriminis plenam, tractabant.

(*g*) Socrat. lib. VII c. XXII ὁ δῆμος κατεβόα, δεινῷ θηρίῳ ἕνα τῶν εὐφυῶν παραβόλων μάχεσθαι.

(*gg*) lib. I. c. II. §. IX. pag. 24.

DVS [h] ac alii quidam [i] viri docti ſentiunt, antiquam *graeci* exemplaris lectionem in epiſtola *Pauli* ad *Philippenſes* cap. II, 30. habuiſſe παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ *vitam periculo exponens*, quemadmodum vetuſtus quidam apud *Fratres Puteanos* interpres id reddidit: *Parabolatus de anima ſua*. Eodem ſenſu hi primitivæ eccleſiæ *parabolani*, de quibus nunc ſermo nobis eſt, nomen ſuum habuerunt ab exponendo vitam ſuam periculo, dum ægrotis in quibusuis contagioſis & exitiabilibus morbis miniſtrabant.

§. IV.

Leges & regulæ quædam ad vitam & mores eorum attinentes.

Hoc ſolum adhuc de iis adnotabo, quod, quum plerum-

(h) Gothofr. Not. in Cod. Th. lib. XVI. tit. II. leg. XLII. Apoſtolus *Philipp. II. com. ult.* διὰ τὸ ἔργον τοῦ χριστοῦ μέχρι θανάτου ἤγγισε παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ vbi vetuſtiſſimus etiam interpres, qui apud clariſſimos mihique coniunctiſſimos fratres Puteanos optimæ notæ, *parabolatus de anima ſua*, vertit: & male qui in παραβουλευσάμενος id vertunt. Et rurſum παραβουλευσάμενος, ad locum Pauli reſpiciens, εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδούς: ſed ibi reſtituendum, παραβολευσάμενος: in veteri gloſſario *deſperatus* παράβολος: item παράβολον. παράδοξον. Denique παραβολεύσασθαι idem eſt quod ῥιψοκινδυνεύειν: Gloſſæ Philoxenii, παραβολεύσασθαι *periculum facere*. Valeant itaque iam Accurſii nugæ, adſerentis medicos contemtim *parabolanos* vocari ſolitos, eo quod multas haberent parabolas, quodque vt quiſque loquacior eſt, ita & doctior medicus vulgi ſententia & opinione exiſtimetur: Immo valeant etiam Alciati deducentis a voce παρὰ & βῶλος, quaſi *glebæ adſcriptos*, dicas.

(i) Grotius in Phil. II, 30. Omnino legendum eſt παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, id eſt, vitam *obiectans periculis*, quomodo viri magni Scaliger & Salmaſius monuere. Plinius in epiſtolis, *periculoſa vtique graeci mentis exponunt* παράβολα. Latinus interpres recepto vetuſtior poſuerat heic *parabolatus eſt animam ſuam*. Nam Latine *parabolani* dicuntur, qui cum vitæ periculo ægrotis adſunt. Hammond. in Phil. II, 30. Vox παραβουλευσάμενος nuſquam occurrit, niſi apud *Heſychium*, *Phauorinum* & alios gloſſographos; qui non modo videntur eam hinc deſumſiſſe, ſed legiſſe παραβολευσάμενος, quamuis editiones aliter habeant. Nam ea vox collocatur inter παραβολὴ & παραβόλιον, inter quæ litterarum ordo non patitur collocari παραβουλευσάμενος Itaque veriſimillimum eſt heic quoque legendum eſſe παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ. Sic παράβολος apud Ariſtophanem, & ῥιψοκίνδυνος, *qui ſe in periculum conicit*: quo ſenſu habemus παραβεβλημένος 2 Mach. XIV, 38. Hæc autem eſt ipſa notio vocis apud *Heſychium*, qui eam interpretatur εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδιδοὺς, *qui ſe ipſe in mortis periculum conicit*. cætera.

que

que,vt nominis fert ratio, expertæ audaciæ & confidentiæ essent homines, quauis occasione ad immiscendum sese dissidiis, in ecclesia vel republica obortis, parati fuerint. Quemadmodum in controuersia inter *Cyrillum* episcopum & *Orestem* moderatorem *Alexandriæ* videntur fecisse. Quæ caussa fuit, quamobrem *Theodosius* eorum numerum ad quingentos reduxerit, eisque *præfecti Augustalis* inspectioni submissis seuere interdixerit, ne in vllis spectaculis publicis vel communi ciuitatis concilio, vel foro comparerent, nisi quis suam ipsius, vel tamquam procurator totius societatis caussam heic agendam haberet. Atque tunc sine vllo sui ordinis in subsidium adsumto solus in iudicium venire debebat. Et quamquam hanc legem, quantum ad primam eius partem, non multo post abrogauit, sexcentos eos esse & episcopum electionem & cognitionem eorum habere permittens; tamen in cæteris partibus vniuersis saluam & inuiolatam manere iussit, & denuo occasionibus & modis supra dictis in vnum coire [*k*] eis interdixit. Et *Iustinianus* hanc legem codici suo eam inscribens perpetuam fecit. Id quod ostendit, magistratus ciuiles hos *parabolanos* pro formidabili hominum cœtu semper reputasse, adeoque vigili animo & oculis obseruasse & habuisse arctius, vt ne, dum ecclesiæ seruirent, detrimentum adferrent reipublicæ, sed intra demandati sibi muneris limites sese tenerent.

LIBRI TERTII
CAPVT DECIMVM
DE CATECHISTIS.
§. I.

Catechistæ *non distinctus clericorum ordo, sed ex quouis alio ordine electi.*

HActenus de singularibus ordinibus ecclesiasticis in primitiua ecclesia disseruimus, qui ad singularia quædam officia & functiones obeundas fuerunt instituti. Erant autem offi-

(*k*) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episc. leg. XVIII. Hi sexcenti viri reuerendissimi sacerdotis præceptis ac dispositionibus obsecundent: reliquis, quæ dudum latæ legis forma complectitur super his *parabolanis*, vel de spectaculis, vel de iudiciis, cæterisque (sicut iam statutum est) custodiendis.

cia quædam alia, quæ non distincti cuiusdam ordinis homines requirebant, sed a cuiusuis ordinis hominibus peragi poterant, de quibus etiam non nihil monendum est, quando iam in enarrandis ecclesiæ clericis sumus occupati. De *catechistis* primo loco dicemus, quorum erat, catechumenos primis religionis elementis instituere & hoc modo ad recipiendum baptismum præparare. Hoc officium interdum ab ipso episcopo peragebatur, quemadmodum ex loco quodam AMBROSII [a] apparet, vbi certa quadam die dominica post lectas sacras scripturas & habitum in eas sermonem, dimissis catechumenis, nonnullis competentibus, hoc est, baptismi candidatis, in baptisteriis symbolum se tradidisse, narrat. Hoc factum est *dominica palmarum*, vbi ipse episcopus catechumenos, pridie paschatis baptizandos, erudire consueuit. THEODORVS LECTOR [b] eiusdem consuetudinis meminit, cum perhibet, ante tempus *Timothei* episcopi *Constantinopolitani* symbolum *Nicænum* numquam in ecclesia publice recitari solitum, nisi semel in anno, nimirum die parasceues, hoc est, passionis & mortis Domini nostri IESV CHRISTI, quo episcopo moris fuit catechisare. Aliis temporibus presbyteri & diaconi erant catechistæ. CHRYSOSTOMVS hanc functionem obiit, quum esset presbyter *Antiochiæ*, vti ex ipsius quadam homilia [c] patet, quæ inscripta est κατήχησις πρὸς τοὺς μέλλοντας φωτίζεσθαι, *catechesis ad illuminandos*, h. e. *ad candidatos baptismi*. *Deogratias* catechistes erat, quum esset diaconus *Carthagine*, quemadmodum ex libro AVGVSTINI [d] *de catechisandis*

(a) Ambros. Ep. XXXIII. Post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.

(b) Theodor. Lector Collectan. lib II. p. 563. Τιμόθεος τὸ τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ πατέρων τῆς πίστεως σύμβολον, καθ' ἑκάστην σύναξιν λέγεσθαι παρεσκεύασεν, ἐπὶ διαβολῇ δῆθεν Μακεδονίου, ὡς αὐτοῦ μὴ δεχομένου τὸ σύμβολον, ἅπαξ τοῦ ἔτους λεγόμενον πρότερον ἐν τῇ ἁγίᾳ παρασκευῇ τοῦ θείου πάθους τοῦ καιροῦ τῶν γινομένων ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου κατηχήσεων. Tom. XXVI. Bibl. Patr. p. 86. b. hæc latine ita habent. Timotheus ab amicis rogatus symbolum fidei trecentorum & octo decies patrum per singulas synaxes dici curauit, ad reprehensionem videlicet Macedonii, quasi ille symbolum hoc non receperit, cum antea semel tantum in anno in parasceue scilicet dominicæ passionis, *tempore, quo episcopus catechizabat*, recitatum esset.

(c) Chrysost. Hom. XXI. ad Popul. Antioch.

(d) August. de catechizandis rudibus c. I. Tom. IV. p. 295. edit. Paris. MDCXXXVII.

rudibus

rudibus discimus, quem isto rogante scripsit, subsidium quoddam in hoc peragendo officio ei subministraturus.

§. II.

Lectores non numquam catechistæ facti.

Neque vero soli superiores ordines hoc officio functi sunt, sed interdum etiam aliqui ex inferioribus ordinibus ad illud obeundum fuerunt selecti. *Optatus* lector duntaxat ecclesiæ *Carthaginensis* erat & *Cyprianus* tamen catechistam, siue vt ille loquitur [e], *doctorem audientium*, h. e. infimi ordinis catechumenorum, eum faciebat. *Origenes* haud sublimiorem gradum habuisse in ecclesia videtur, quum catechista *Alexandriæ* constitutus fuit. Nam & EVSEBIVS [f] & HIERONYMVS [g] eum duodeviginti tantum annos natum fuisse, dicunt, quum hoc ei officium demandaretur, id quod fuit ad minimum septem annis ante, quam per canones ecclesiæ diaconus ordinari potuit.

§. III.

Cur vocati sint a quibusdam græcis *scriptoribus* ναυτολόγοι.

Sub nomine *Clementis Romani* qui delitescit, auctor hoc videtur respexisse, quando ecclesiam cum naue & clericos cum nautis comparans, catechistas ab episcopis, presbyteris & diaconis manifesto distinguit. *Adsimilentur*, inquit [h], *proreta episcopo, nautæ presbyteris, præfecti laterum diaconis, nautologi*, (quorum officium erat in nauem recipere vectores, cum illisque de naulo pacisci) *catechistis*. Hoc erat proprium catechistarum officium, docere catechumenos, quodnam esset pactum, quod

(Tom. IV. p. 893. edit. Basil. MDLXIX.) Dixisti, quod sæpe apud Carthaginem, vbi diaconus es, ad te adducantur, qui fide christiana imbuendi sunt, &c.

(e) Cypr. Ep. XXIV. al. XXIX. Optatum inter lectores *doctorem audientium constituimus.*

(f) Euseb. lib. VI. c. III. Ἔτος ἦγεν ὀκτωκαιδέκατον, καθ' ὃ τοῦ τῆς κατηχήσεως προέστη διδασκαλείου. *Annum ætatis octauum decimum agebat* tunc, cum catechumenis instituendis præfectus est.

(g) Hieron. de Scriptor. in Origene: *Decimo octauo* ætatis suæ *anno* κατηχήσεων opus adgressus. cætera.

(h) Clem. Ep. ad Iacob n. XIV. (apud Coteler. Tom. I. p. 609.) παρεικαζέσθω ὁ πρωρεὺς ἐπισκόπῳ; οἱ ναῦται πρεσβυτέροις, οἱ τοιχάρχοι διακόνοις, οἱ ναυστολόγοι τοῖς κατηχοῦσιν.

facere, & quænam essent conditiones, quas implere deberent, nimirum pœnitentia, fides & noua obedientia, si in nauem christianam, hoc est ecclesiam, recipi vellent, in qua per hunc modum in regnum cœlorum traiicere eos oporteret. Hoc intuitu catechistæ appellabantur *ναυστολόγοι*, & vt tales ab episcopis, presbyteris & diaconis distinguebantur. COTELERIVS [i] in bibliotheca quadam regis *Gallicarum* codicem manuscriptum se inuenisse dicit, in quo eadem comparatio facta, & ex constitutionibus citata sit, his verbis: *Similis est ecclesia naui. Rector nauis Christus est; proreta episcopus; nautæ presbyteri; præfecti laterum diaconi; naustologi lectorum & ministrorum ordo.* Vt adeo in propatulo sit, catechistas non numquam ex inferioribus ordinibus fuisse electos, si qui eorum ad digne obeundum huius functionis partes idonei inuenti fuerint. Et hoc eo minus mirabitur, qui considerauerit, diaconissas, durante earum ordine, priuatum catechistarum officium, rudiores & rusticas feminas domi erudiendo, implere iussas fuisse: Quod heic nihil attinet euincere, quia iam supra de huius ordinis officiis loquentes [ii] illud demonstrauimus.

§. IV.

Num omnes catechistæ publice in ecclesia docuerint?

Sed in his casibus vniuersis vnum illud diligenter notandum est, non licuisse istis catechistis catechumenos suos publice in ecclesia instituere, sed tantum in priuatis auditoriis huic rei speciatim destinatis. VALESIVS [k] hoc de *Origene* obseruat,

(i) Cotel. Not. in Constit. Apostol. lib. II. c. LVII. p. 263. n. 40. Erant *ναυστολόγοι* seu *ναυτολόγοι*, qui in prora constituti, tum nauem intrantes recipiebant, tum vero cum nauigaturis de futuro itinere colloquebantur, de naulo paciscebantur. Quo circa *naustologos referunt* partim ianitores, ratione videlicet primi nautologorum officii; partim *catechistæ*, ratione posterioris. Quam secundam comparationem videre est inferius epistola dicta Clementis ad Iacobum c. XIV. & XV. In MS. Regio 2392. hæc nactus sum. Ἐκ τῶν διατάξεων· Ὅτι ἔοικεν ἡ ἐκκλησία νηΐ· ὁ μὲν κυβερνήτης ἐστὶν ὁ χριστός· ὁ δὲ πρωρεὺς, ὁ ἐπίσκοπος· οἱ ναῦται, οἱ πρεσβύτεροι· οἱ τοίχαρχοι, οἱ διάκονοι· οἱ ναυτολόγοι, τὸ τῶν ἀναγνωστῶν καὶ ὑπηρετῶν τάγμα.

(ii) Lib. II. c. XXII. §. IX. p. 353.

(k) Valesi. Not. in Euseb. lib. VI. c. XIX. ad verba ἐπὶ τοῦ κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας: Hinc colligitur Origenem, qui catechetes fuerit Alexandriæ, *in priuato auditorio, non autem in ecclesia catechumenos instituisse.* Neque enim Alexandriæ ex

&recte

& recte hoc colligit ex *inuectiua* DEMETRII episcopi *Alexandrini* in *Alexandrum* episcopum *Hierosolymitanum* & *Theoctistum* episcopum *Cæsareensem*, qui *Origeni* publice in ecclesia concionandi impertierant auctoritatem, quum tamen nondum esset presbyter. Hæc ridicula fuisset accusatio, si ipse eamdem *Origeni* potestatem antea dedisset, quando duodeuicesimo ætatis anno catechista fuit *Alexandriæ*. RVFFINVS quidem in versione EVSEBII diserte adfirmat, *Demetrium* catechisandi & publice docendi in ecclesia ei dedisse auctoritatem [*l*]. Sed hæc interpolatio est & falsa verborum EVSEBII interpretatio, quæ id non dicunt, sed tantum [*m*], quod a *Demetrio* ecclesiæ episcopo catechumenorum institutio, siue, vti nos id reddiderimus, schola catechetica ipsi demandata fuerit, vbi probabiliter ante aliquod tempus etiam grammaticam & alias humaniores litteras docuerat. Eiusmodi scholas catecheticas ecclesiæ multis in locis coniunctas exstitisse, ex *nouella* quadam [*n*] LEONIS imperatoris palam est, qui loca ista sacra *κατηχούμενα*

Theoctisto episcopis id obiiceret, si Alexandriæ idem ab Origene factum fuisset. Item Hallier. de Hierarch. Eccles. lib. I. c. VII. p, 66.

(*l*) Ruffin. lib. VI. c. III. Videns Demetrius episcopus, quod ad ipsum præcipue doctrinæ gratia & prædicationis verbi Dei, multitudines plurimæ conuolarent, *catechizandi ei*, id est docendi *magisterium in ecclesia tribuit*.

(*m*) Euseb. lib. VI. c. III. *ἐπειδὴ δὲ ἑώρα φοιτητὰς ἤδη πλείους προσιόντας, αὐτῷ μόνῳ τῆς τοῦ κατηχεῖν διατριβῆς ὑπὸ Δημητρίου τοῦ τῆς ἐκκλησίας προεστῶτος ἐπιτετραμμένης, ἀσύμφωνον ἡγησάμενος τὴν τῶν γραμματικῶν λόγων διδασκαλίαν τῇ πρὸς τὰ θεῖα παιδεύματα ἀσκήσει, ἀπορρήγνυσιν ἅτε ἀνωφελῆ καὶ τοῖς ἱεροῖς μαθήμασιν ἐναντίαν τὴν τῶν γραμματικῶν διατριβήν.* Cum plures quotidie discipulos accedentes videret, propterea quod *catechumenorum institutio ipsi soli mandata fuerat a Demetrio episcopo*: ratus grammaticæ artis professionem cum diuinæ fidei institutione minime consentire, scholam grammaticæ litteraturæ vtpote inutilem & sacris disciplinis contrariam sine vlla cunctatione abiecit.

(*n*) Leo Nouel. LXXIII. *Πρᾶγμα κακῶς μὲν καὶ πρὸ τῶν κωλυόντων αὐτὸ δικαίων γενόμενον χεῖρον δὲ μετὰ τὸ κωλυθῆναι τολμώμενον (φημὶ δὲ, τὸ ἐν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ὑπερῴοις, ἅπερ ὁ πολὺς ἄνθρωπος κατηχούμενα καλεῖν ἔγνω συνοικεῖν τινὰς γυναιξὶν, οὐκ ἄξιον παριδεῖν.* Quæ res etiam antequam iure prohibita esset, detestabiliter committebatur, at vero post prohibitionem multo detestabilius audetur (quod nempe *in ecclesiarum cœnaculis, quæ promiscuum vulgus κατηχούμενα vocare solet*, quidam cum mulieribus habitant) eam neglectim habere æquum non est.

Vid. Concil. Trullan, c, XCVII. *Τοὺς ἀδιακρίτως τοὺς ἱεροὺς τόπους κοινοποιοῦντας ἐν*

vocat,

vocat, & ad ecclesiam spectauisse, dicit. Fortassis baptisteria, vt AMBROSIO dicuntur, aut alia quædam loca huic instituto adhibita fuerunt.

§. V.

De successione in schola catechetica Alexandrina.

Eiusmodi scholam, de qua diximus, eam fuisse, par est, credamus, in qua *Origenes* & tot alii viri celebres *Alexandriæ* prælectiones catecheticas habuerunt. *Pantænum* in hac schola an. CLXXXI. docuisse eamque ex antiqua consuetudine doctrinæ sacræ officinam fuisse & ad ætatem vsque suam durasse, auctor est EVSEBIVS [o]. HIERONYMVS originem eius a. S. *Marco*, primo ecclesiæ *Alexandrinæ* fundatore, deducit, *Pantænum* [p] philosophiam christianam *Alexandriæ* docuisse, adserens, vbi consuetudo fuerit antiquitus a S. *Marci* inde temporibus, semper habere *doctores ecclesiasticos*. Vbi per doctores ecclesiasticos non episcopos & presbyteros ecclesiæ, (qui in omnibus ecclesiis æque

---

τῶν ἐν τοῖς σεβασμίοις ναοῖς κατηχουμένων προστάττομεν ἐξωθεῖσθαι. Eos, qui - - indiscriminatim loca sacra communia faciunt, etiam ex *catechumenis*, quæ sunt in venerabilibus templis, extrudi iubemus.

Balsam. in h. l. ἱεροὶ τόποι λέγονται οἱ ἀφωρισμένοι τῷ Θεῷ, ἤγουν οἱ θεῖοι ναοὶ, οἱ πρόναοι κατηχουμενεῖα, καὶ τὰ περὶ αὐτά. Sacra loca dicuntur, quæ sunt Deo dicata, ædes scilicet diuinæ, & diuinarum ædium porticus seu vestibula & *catechumena*, & quæ circa ea sunt.

Zonar. h. l. Ἱεροὺς τόπους οὐ τοὺς θείους ναοὺς ἐνταῦθα καλεῖ, ἀλλὰ τὰς περὶ αὐτοὺς κατοικίας, οἷά εἰσι τὰ λεγόμενα κατηχούμενα. Sacrorum locorum nomine non heic templa, sed adiunctas templis habitationes, qualia sunt, *quæ catechumena* appellantur, intelligit.

(o) Euseb. lib. V. c. X. Ἡγεῖτο τηνικαῦτα τῆς τῶν πιστῶν αὐτόθι διατριβῆς, τῶν ἀπὸ παιδείας ἀνὴρ ἐπιδοξότατος, ὄνομα αὐτῷ Πάνταινος· ἐξ ἀρχαίου ἔθους διδασκαλείου τῶν ἱερῶν λόγων παρ' αὐτοῖς συνεστῶτος· ὃ καὶ εἰς ἡμᾶς παρατείνεται· καὶ πρὸς τῶν ἐν λόγῳ καὶ τῇ περὶ τὰ θεῖα σπουδῇ δυνατῶν συγκροτεῖσθαι παρειλήφαμεν. Per idem tempus fidelium scholæ præerat vir doctrinæ caussa celeberrimus, nomine *Pantænus*, quippe iam *inde a priscis temporibus*, sacrarum litterarum schola in ea ciuitate fuerat instituta: quæ quidem *nostra adhuc ætate* perseuerat & ab hominibus tum eloquentia, tum diuinarum litterarum studio instructissimis obtineri dicitur.

(p) Hieron. de Scriptor. c. XXXVI. Pantænus Stoicæ sectæ philosophus, iuxta quamdam veterum in Alexandria consuetudinem, *vbi a Marco euangelista semper ecclesiastici fuerunt doctores* - - docuit sub Seuero principe & Antonino cognomento Caracalla.

ac A-

ac *Alexandriæ* ab initio fuerunt,) ſed philoſophiæ chriſtianæ doctores in ludo catechetico intelligit, quorum ibi ſucceſſio a primis iactis eccleſiæ fundamentis fuit. Et iſta ſucceſſio aliquot ſæculis poſt fuit continuata. Nam *Pantæno* ſucceſſit *Clemens Alexandrinus* [q]; *Clementi Origenes* [r]; *Origeni Heraclas* [s]; *Heraclæ Dionyſius* [t]. Quibus nonnulli [u] *Athenodorum*, *Malchionem*, *Athanaſium* & *Didymum* ſubiungunt. Et auctor *ſynodici græci* a PAPPO publicati [vv] *Arium* in eadem ſchola, antequam hæreſin ſuam diſſeminaret, docuiſſe adfirmat. Facile eſſet plures alias

(q) Euſeb. lib. VI. c. VI. Πανταινὸν Κλήμης διαδεξάμενος τῆς κατ' Ἀλεξάνδρειαν κατηχήσεως εἰς ἐκεῖνο τοῦ καιροῦ καθηγεῖτο. Per idem tempus *Clemens, qui Pantæno ſucceſſerat*, apud Alexandriam catechumenorum inſtitutioni adhuc præerat.

(r) Hieronym. de Scriptor. in Origene: *Hic* Alexandriæ diſperſa eccleſia decimo octavo ætatis ſuæ anno κατηχήσεως opus adgreſſus, poſtea a Demetrio eius vrbis epiſcopo *in locum Clementis* presbyteri confirmatus per multos annos floruit.

(s) Hieron. ibid. Conſtat eum - Alexandriam reuerſum *Heraclam* presbyterum - - adiutorem ſibi feciſſe κατηχήσεως.
Euſeb. lib. VI. c. XXVI. Ἔτος ἦν τοῦτο δέκατον τῆς δηλουμένης ἡγεμονίας, καθ' ὃ τὴν ἀπ' Ἀλεξανδρείας μετανάστασιν ἐπὶ τὴν Καισάρειαν, ὁ Ὠριγένης ποιησάμενος, Ἡρακλᾷ τὸ τῆς κατηχήσεως τῶν αὐτόθι διδασκαλεῖον καταλείπει. Decimus hic erat annus iam dicti imperatoris Alexandri, cum *Origenes* ab vrbe Alexandria migraturus *ſcholam* ad fideles eius loci inſtituendos *Heraclæ dereliquit*.

(t) Euſeb. lib. VI. c. XXIX. Ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μετὰ Δημήτριον ἐπὶ τρισὶ καὶ τεσσαράκοντα ἔτεσι τὴν ἐπισκοπὴν ἐπιτελέσαντα, Ἡρακλᾶς τὴν λειτουργίαν παρείληφεν. τῆς δὲ τῶν αὐτόθι κατηχήσεως τὴν διατριβὴν διαδέχεται Διονύσιος, εἷς καὶ οὗτος τῶν Ὠριγένους γενόμενος φοιτητῶν. Alexandriæ cum poſt mortem Demetrii, qui annos tres & quadraginta ſacerdotio perfunctus fuerat, Heraclas miniſterium ſuſcepiſſet eccleſiæ, *ſcholam ad ciues inſtituendos obtinuit Dionyſius*, qui & ipſe vnus e diſcipulis fuerat Origenis.

(u) Hoſpin. de templis lib. III. c V. p 352 b. Quem (Origenem) poſtea in eodem docendi munere *Heraclas*, *Dionyſius*, *Athenodorus*, *Malchion*, *Didymus*, *Athanaſius* aliique inſequuti ſunt, viri non in ſacris tantum ſed & profanis ſcientiis doctiſſimi, quos *catechiſtas* vocabant a præcipua & maxime neceſſaria parte inſtitutionis.

(vv) Synodic. Tom. I. Concil. p. 1494. (p. 14. edit. Argentorat. MDCXXI. 4to)
Πέτρου ἐν κυρίῳ τελειωθέντος Ἀχιλλᾶς διαδέχεται, καὶ Ἄρειον τῇ αἱρέσει καὶ φιλαρχίᾳ κρατούμενον, καὶ τοῖς Μελετίου τολμήμασιν ἀνοσίως συμπράττοντα, δελεασθεὶς χειροτονεῖ πρεσβύτερον καὶ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ διδασκαλείου προΐστησιν. Petro in Domino defuncto Achillas ſuccedit: qui *Arium* ipſa hæreſi & dominandi cupiditate victum & Meletii auſis nefarie cooperantem deceptus presbyterum conſtituit *& ſcholæ Alexandrinæ præfecit*.

istiusmodi scholas, quæ *Romæ*, *Cæsareæ*, *Antiochiæ* & alibi locorum fuerunt, recensere; sed de his loquendi alia nobis sese offeret occasio, quando christianorum imperatorum inuitamenta ad aperiundos bonarum litterarum ludos & constituendos liberalium artium & scientiarum magistros sumus consideraturi. Quæ de hoc argumento in medium heic adtulimus, ea in præsenti sufficere possunt, vt, quodnam catechistarum officium & quis scholarum catecheticarum in ecclesia vsus fuerit, inde condiscamus.

LIBRI TERTII
CAPVT VNDECIMVM
DE ECCLESIECDICIS ET DEFENSORIBVS, SEV SYNDICIS ECCLESIAE.

§. I.

Quinque genera defensorum *notantur, quorum duo tantum ad ecclesiam spectant.*

ALiud officium, de quo heic fas est dicere, quia interdum, etsi non semper, a clericis administratum fuit, est officium *defensorum*. Quod vt intelligatur, primum necesse est distinguere inter *ciuiles* & *ecclesiasticos defensores*. GOTHOFREDVS enim generatim quatuor eorum genera fuisse existimat, videlicet *defensores senatus*, *defensores vrbium*, *defensores ecclesiarum* & *defensores pauperum*. Sed vnum adhuc addere potuisset eorum, quos [a] VLPIANVS *defensores rerumpublicarum* nuncupat, quorum officium erat, in gerendis publicis corporis seu societatis, ad quam pertinebant, negotiis procuratores seu syndicos agere: quod genus *defensorum* primum ab *Alexandro Seuero*, vt LAMPRIDIVS [b] in vita eius commemorat, institutum est. *Defensores ciuitatum*, siue, vt alias vocantur, *defensores plebis*, genus quoddam tribunorum plebis erant, quorum inter officia hoc erat præcipuum, vt plebeia conditione homines ab insultibus & oppressione magnorum & diuitum defenderent. Horum ad imitationem *ecclesiasti-*

(a) Digest. lib. XLIX. tit. IV. leg. I. §. 13. Tutores, item *defensores rerumpublicarum* & curatores adolescentium vel furiosi tertium diem habere debent, idcirco quia alieno nomine appellant.

(b) Lamprid. Vit. Alexand. Corpora omnium constituit, vinariorum, lupinariorum, caligariorum & omnino omnium artium; hisque ex sese *defensores* dedit.

cos

eos defensores institutos fuisse autumo, quemadmodum eorum tum appellatio tum officium aperte indicare mihi videtur.

§. II.

De defensoribus pauperum.

Defensores pauperum idem prorsus in ecclesia, quod *defensores plebis* in republica, gerebant officium. Si quis enim vel ex pauperibus, vel virginibus vel viduis ad ecclesiam pertinentibus a diuite quodam iniuriam pateretur vel opprimeretur, horum defensorum, tamquam curatorum & aduocatorum illarum erat, eis succurrere & ad magistratus de attribuendo illis iure adire. Hoc ex decreto, in concilio quinto [c] *Carthaginensi* an. CCCCI. facto, patet, quod etiam codici *Africano* insertum est, & ita habet: *Ab imperatoribus vniuersis visum est postulandum, propter adflictionem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur ecclesia, vt defensores eis, aduersus potentias diuitum, cum episcoporum prouisione delegentur.*

§. III.

De defensoribus ecclesiæ, *eorum officio & functione.*

Quod ad aliud defensorum genus attinet, qui dicuntur *defensores ecclesiæ* (de quibus separatim loquor, quia GOTHOFREDVS inter eos distinguit, aliis licet eos vnos eosdemque esse statuentibus) istorum officium cum alius generis ciuilium defensorum, quos *defensores rerumpublicarum* nuncupant, officio prorsus idem videtur fuisse. Sicut enim hi procuratores & syndici suæ quisque societatis erant, ad publica collegiorum suorum negotia legibus gerenda obligati, quotiescumque sese offerret occasio: ita isti pro ecclesia, cuius erant procuratores, idem faciebant. Caussam ecclesiæ vel cuiusuis ecclesiastici agere eos oportebat, si quis iniuria adfectus vel oppressus a ciuili quodam iudicio in integrum restitui necesse haberet. Quod si caussa illic decidi non posset, ad ipsos imperatores nomine ecclesiæ eam deferre ab eisque peculiare mandatum in oppressi gratiam

(*c*) Conc. Carth. V. c. IX. (Tom. II. p. 1217.) vid. Cod. eccles. African. c. LXXV. (Tom. II. Conc p. 1095. 1096.) Σύμπασιν ἔδοξεν αἰτῆσαι ἀπὸ τῶν βασιλέων διὰ τὴν πενήτων κάκωσιν, ὧν ταῖς ἐπαχθείαις ἀπαύστως ἡ ἐκκλησία παρενοχλεῖται, ὥστε ἐκδίκους τούτοις μετὰ τῆς τῶν ἐπισκόπων προνοίας ἐπιλεγῆναι κατὰ τῆς τῶν πλουσίων τυραννίδος.

procu-

procurare debebant. Ita POSSIDIVS [d] in vita *Augustini* narrat, quod quum circumcelliones effrenata & furiosa animi cupiditate rapti ex clericis catholicis nonnullos spoliassent & occidissent, *defensor ecclesiæ* has iniurias vltus & persequutus fuerit, ne pax ecclesiæ amplius turbaretur vel impediretur. Similiter in concilio *Carthaginensi* primo [e] legimus, quod, quum sit contra leges imperatorias, si quis laicus clerico officium sæculare demandare sustineat, talis iniuria ecclesiæ illata, vindicari possit, si *ecclesiæ defensores* officio suo non desint. Quod aperte indicat, defensorum officium fuisse, iura ecclesiæ legibus concessa fideliter tueri, & si qua eorum violatio fieret, violatores coram magistratibus persequi, & sententiam, quam in ecclesiæ gratiam ferrent, exsequi. Porro ex lege quadam *Arcadii* & *Honorii* proxime sequenti paragrapho recitanda, obseruari potest, in casu necessitatis similiter ad imperatores adire, eorumque mandata ad iudices inferiores deferre debuisse, si aliter ius obtinere non possent. Per canonem quemdam concilii *Chalcedonensis* defensores potestate etiam instruuntur otiosos monachos & clericos admonendi, qui sine venia vel mandato episcopi sui in regiam ciuitatem *Constantinopolim* commeabant: et si admoniti nihilo secius ibi commorari pergerent, iidem defensores vi inde expellere [f] & ad lares suos repetendos adigere eos poterant. Ex legibus etiam *Iustiniani* [g] patet, defensores vna cum oeconomis inspectores fuisse quosdam *copiatarum* siue magnæ societatis *decanorum*, quorum erat in exsequiis

(d) Possid. Vit. Aug. c. XII. De qua re, ne pacis ecclesiæ amplius impediretur profectus, *defensor ecclesiæ* inter leges non siluit cætera.

(e) Conc. Carth. I. c. IX. (Tom. II. p. 616.) Ipsis non liceat clericos nostros eligere, apothecarios vel ratiocinatores - Quod si iniuria constitutionis imperatoriæ clericos inquietandos putauerint, si *defensio ecclesiastica* nos non deridet, pudor publicus vindicabitur.

(f) Concil. Chalced. c. XXIII. *ὥρισε ἡ ἁγία σύνοδος, τοὺς τοιούτους ὑπομιμνήσκεσθαι μὲν πρότερον διὰ τοῦ ἐκδίκου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας ἐπὶ τῷ ἐξελθεῖν τῆς βασιλευούσης πόλεως· εἰ δὲ τοῖς αὐτοῖς πράγμασιν ἐπιμένοιεν, ἀναισχυντοῦντες, καὶ ἄκοντας αὐτοὺς διὰ τοῦ αὐτοῦ ἐκβάλλεσθαι καὶ τοὺς ἰδίους καταλαμβάνειν τόπους.* Statuit sancta synodus, vt ii prius a *sanctissimæ ecclesiæ defensore* admoneantur, vt imperatoria vrbe excedant: si autem in iisdem negotiis impudenter persèuerent, vt *per eumdem defensorem eiiciantur*, & in propria loca reuertantur.

(g) Iustin. Nouel. LIX. c. I. seqq.

mini-

ministrare, vt antea ostendimus. Horum cura, tum quod ad eos ipsos, tum quod ad eorum reditus, defensoribus commissa erat. Inquirere itidem debebant, num singuli clerici ad ecclesiam pertinentes, matutinæ pariter & vespertinæ liturgiæ in ecclesia sedulo interessent, & ad episcopum referre, si quis eam neglexisset, vt censura ecclesiastica [*h*] animaduertere in eum posset. Hæc fuere præcipua, si non sola, defensorum in primitiua ecclesia officia. Spiritualem enim potestatem seu iurisdictionem in clericos habebant nullam; neque ad caussas criminales, grauiores leuioresue essent, episcopi nomine audiendas tum admitti consueuerunt; sed hæc ad eos posterioribus sæculis deuoluta sunt, vti MORINVS [*i*] longa quadam dissertatione de hoc argumento fuse ostendit, quo lectorem huius rei cupidum remitto, satis habens de officio defensorum ea tradidisse, quæ proximis post eorum institutionem temporibus in vsu fuisse, reperi.

§. IV.

De eorum natura & qualitate. Vtrum clerici fuerint an laici.

Sequitur nunc, vt in naturam & qualitatem eorum inquiramus, vtrum de clericis fuerint, vel laicis? In hoc enim viri docti non consentiunt. PETAVIVS [*k*] eos semper laicos fuisse dicit. MORINVS [*l*] autem & GOTHOFRE-

(*h*) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episc. leg. XLII. n. 10. *Διὸ παντὶ τρόπῳ τοὺς κληρικοὺς ψάλλειν κελεύομεν, καὶ καταζητεῖσθαι αὐτοὺς παρὰ τῶν κατὰ καιρὸν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων, καὶ δύο πρωτοπρεσβυτέρων ἑκάστης ἐκκλησίας, καὶ τοῦ καλουμένου ἄρχοντος ἤτοι ἐξάρχου καὶ τοῦ ἐκδίκου ἑκάστου ἁγιωτάτης ἐκκλησίας, καὶ τοὺς μὴ εὑρισκομένους ἀμέμπτως ταῖς λειτουργίαις προσκαρτεροῦντας ἔξω τοῦ κλήρου καθίστασθαι.* Quapropter omnimodo clericos psallere iubemus, & ipsos inquiri a Deo amantissimis pro tempore episcopis & duobus presbyteris in singulis ecclesiis, & ab eo, qui vocatur archos vel exarchos & ab *ecdico* siue *defensore* cuiusque sanctissimæ ecclesiæ: & eos, qui inuenti non fuerint inculpate in liturgiis perseuerantes, extra clericum constitui.

(*i*) Morin. de Ordinat. Eccles. part. III. Exercit. XVI. c. VII. tot. p 236 - 239.

(*k*) Petav. Not. in Epiphan. Hæres. LXII. n X. Fuit defensor non ordinis sed officii non en, *quod laici gerebant*, qui ecclesiæ iura in ciuili foro propugnabant.

(*l*) Morin. ibid. Exercit. XVI. c. VI. n. XVI. Dico ex antiquis monumentis constare, *illos ecclesiarum defensores potissimum fuisse clericos.* Dicit enim synodus Chalced. *Si oeconomum aut defensorem aut paramonarium promoueat episcopus &c.* Sed oeconomus erat clericus, ergo & defensor. Deinde dignita-

DVS [m] ex meliore ratione contrarium tuentur, quod initio generatim ex clericis selecti fuerint, vsque dum ex peculiaribus quibusdam rationibus satius esse visum sit, habere legis peritos, qui hoc munere in ecclesiis *Africanis* fungerentur. Hæc mutatio circa annum CCCCVII. facta est, quando patres *Africani* in concilio *Carthaginensi* [n] hac de re ita statuerunt: *Placuit, vt petant legati a gloriosissimis imperatoribus, vt dent facultatem DEFENSORES constituendi SCHOLASTICOS, qui in actu sunt vel in munere defensionis caussarum, vt more sacerdotum prouinciæ, iidem ipsi, qui defensionem ecclesiarum susceperunt, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties necessitas flagitauerit, vel ad obsistendum obrepentibus vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicum secretaria.* Huic petitioni gratificaturus HONORIVS post paullo legem publicauit, qua libertatem eis concessit pro lubitu aduocatum sibi eligendi defensorem. Lex ea ita habet [o]: *Priuilegia, quæ ecclesiis & clericis legum decreuit auctoritas, hoc quoque præceptione sancta & inuiolata permanere decernimus. Atque hoc ipsis præcipuum ac singulare deferimus, vt quæcumque ad ecclesiam tantum pertinentia specialiter fuerint impetrata non per coronatos* (hoc est, GOTHOFREDO recte explicante, non per clericos) *sed ab aduocatis, eorum arbitratu & iudicibus*

tem illam conferebat episcopus: Probabilissimum est igitur nulli alii quam clerico illam contulisse. Præterea eiusdem concilii c. XXIII. auctoritatem dat defensori Constantinopolitano vrbe eiiciendi clericos & monachos in ea sine episcopi mandato diuersantes, eosque domum repetere cogendi. Sane non videntur patres laico homini potestatem istam in clericos & monachos concessuri. Hoc confirmat eiusdem concilii actio I. in qua sæpius refertur Ioannes quidam presbyter & defensor; & infra videbimus quemdam Romanum defensorem sacerdotali dignitate insignitum. Solebat enim Gregorius defensores & rectores patrimoniorum ecclesiæ presbyteros, diaconos & subdiaconos constituere, vt legere est in eius vita apud Ioannem diaconum lib. I. c. LIII. Immo & episcopos, vt ipse testatur lib. X. ep. XLVI.

(m) Gothofred. Not. in Codic. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XXXVIII. p. 77. Clerici hactenus ipsi ad ecclesiarum defensionem iudiciis sese stitisse videntur: id quod tandem ipsis ecclesiasticis indecens visum: visumque satius, per aduocatos, & sic laicos, simul & forensium rerum peritos, ecclesiam & ecclesiastica priuilegia in ciuili foro defendi.

(n) Concil. African. vulgo dictum can. LXIV. conf. in eamdem sententiam Cod. Can. Afr. Gr. Lat. c. XCVII. (Tom. II. Conc. p. 1113.) & Concil. Mileuitan. II. c. XVI. (Tom. II. Conc. p. 1541.)

(o) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcop. leg. XXXVIII.

inno-

innotescant & sortiantur effectum. Vt adeo iam non amplius defensores de clericis esse necesse esset, sed hoc officium frequenter laicis demandaretur. Quod ipsum porro ex ZOSIMI papæ [*p*], qui circa illud tempus vixit, quadam epistola manifestum est, vbi *Defensores*, inquit, *ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supra dicta obseruatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus.* Verumtamen in quibusdam locis etiam postea defensores ex clericis fuisse, deprehendimus. MORINVS enim ostendit, in prima concilii *Chalcedonensis* sessione crebram *Ioannis* cuiusdam presbyteri ac [*q*] *defensoris* fieri mentionem; quemadmodum etiam in multis GREGORII MAGNI epistolis ecclesiæ *Romanæ* defensores ex clericis fuisse dicuntur. Quibus fragmentum aliquod THEODORI LECTORIS ex DAMASCENO [*r*] sumtum addam, qui de *Ioanne* quodam loquitur, qui ecclesiæ *S. Stephani Constantinopoli*, imperante *Anastasio*, hoc est, sæculo sexto ineunte, diaconus & defensor fuerit. Ex quibus omnibus aduersus PETAVIVM clarissime euincitur, defensores interdum ex clericis & non semper ex caussidicis & laicis, fuisse adoptatos.

§. V.

Ἔκδικοι & ἐκκλησιέκδικοι inter græcos *iidem cum ecclesiæ* latinæ *defensoribus.*

Non prætermittam, oportet, lectorem heic monere, quos *latini* defensores nominauerint, eos a *græcis* plerumque ἐκδίκους & ἐκκλησιεκδίκους appellatos esse, quod idem ac defensores significat; licet GOTHOFREDVS [*s*] sine vlla idonea caussa distinctionem

(*p*) Zosim. ep. I. c. III. (Tom. II. conc. p. 1557.)

(*q*) Concil. Chalced. Act. I. (Tom. IV. p. 156. a.) Ἰωάννης ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος καὶ ἔκδικος, Ioannes religiosissimus *presbyter & defensor*. it. p. 249. a. d. p. 252. a. p. 253. b. &c.

(*r*) Damascen. Orat. III. de Imagin. p. 799. vid. quæ sequuntur ex Theodoro. Fragm. Theodor. Lect. edit. a Vales. p. 583. Ἰωάννης δέ τις διάκονος καὶ ἔκδικος τοῦ πολεχθέντος εὐαγοῦς οἴκου Στεφάνου τοῦ τῶν μαρτύρων πρώτου κ. τ. λ. Ioannes quidam *diaconus ac defensor* supra memoratæ sanctæ ecclesiæ protomartyris Stephani &c.

(*s*) Gothofr. Not. in Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. leg. XXXVIII. Vt ad istos de foro seu *laicos defensores* reuertamur, *cum his perperam misceri video* προστάτας *seu* ἐκδίκους, de quibus Epiphanius ante hanc legem hæresi LXXII. & can. I. Chalced. Hi enim inter clericos vel clericis proximi censentur.

nem inter eos ſtatuat. Nam non tantum eorum functiones & poteſtas eædem eſſe perhibentur, ſed etiam vbi *græci* de *latinis* defenſoribus loquuntur, ἐκδίκους eos nuncupant, quemadmodum vel in codice eccleſiæ *Africanæ* [*t*] a IVSTELLO edito, vel a *græcis* vulgo ſic dicto concilio *Carthaginenſi*, ab EHINGERO [*u*] & BEVEREGIO [*x*] in Pandectis publicato, videre eſt. An vero προστάτης aliud *græcum* nomen defenſoris ſit, non adeo liquet. Vocabulum illud ſemel ab EPIPHANIO [*y*] adhibitum legitur, qui loquens de quodam *Cyriaco*, Κυριακὸν προστάτην eum appellat, quod PETAVIVS reddit *Cyriacum defenſorem.* Videtur quidem officium quoddam in eccleſia habuiſſe, quia in epiſtolæ cuiusdam ſubſcriptione clericis, presbyteris, diaconis, hypodiaconis & lectoribus iungitur: an vero hæc idonea faciendi eum defenſorem ratio ſit, id prudenti lectori diiudicandum relinquo.

§. VI.

Cancellarii & defenſores *vni iidemque in eccleſia primitiua.*

Res vna adhuc diſcutienda eſt, antequam huius argumenti tractationem ſeponamus; nimirum num *cancellarii* & *defenſores* vni & iidem in eccleſia primitiua fuerint? Ad quod vt reſpon-

(*t*) Cod. Can. Eccl. ſ. Afric. c. LXXV. ap. Iuſtellum p. 368 ὥστε ἐκδίκους τούτοις μετὰ τῆς τῶν ἐπισκόπων προνοίας ἐπιλεγῆναι κατὰ τῆς τῶν πλουσίων τυραννίδος. Vt *defenſores* eis aduerſus poteſtatas diuitum cum epiſcoporum prouiſione delegentur. Ibid. can XCVII. p. 383. - ὥστε δοθῆναι ἄδειαν τοῦ καταστῆσαι ἐκδίκους σχολαστικοὺς - vt dent facultatem *defenſores* conſtituendi *ſcholaſticos.*

(*u*) Concil. Carth. Gr. ap. Ehinger. c. LXXVI. (pag. 265.) ὥστε ἐκδίκους τούτοις μετὰ τῆς τῶν ἐπισκόπων προνοίας ἐπιλεγῆναι κ. τ. λ. vt ſupra not. antec. (t).
Can. XCIX. αἰτήσωσιν ἀπὸ τῶν ἐνδοξοτάτων βασιλέων, ὥστε δοθῆναι ἄδειαν τοῦ καταστῆσαι ἐκδίκους σχολαστικούς κ. τ. λ.

(*x*) Concil. Carth. ap. Beuereg. c. LXXVIII. Περὶ ἐκδίκων τῶν ἐκκλησιῶν τῶν ὀφειλόντων παρὰ τοῦ βασιλέως αἰτηθῆναι - - ὥστε ἐκδίκους τούτοις μετὰ τῆς τῶν ἐπισκόπων προνοίας ἐπιλέγεσθαι κατὰ τῆς τῶν πλουσίων τυραννίδος. De *defenſoribus* eccleſiarum, quæ ab imperatoribus peti debent. - - vt iis *defenſores* cum epiſcoporum prouidentia eligantur aduerſus diuitum tyrannidem.
Can. C. αἰτήσωσιν ἀπὸ τῶν ἐνδοξοτάτων βασιλέων, ὥστε δοθῆναι ἄδειαν τοῦ καταστῆσαι ἐκδίκους σχολαστικούς κ. τ. λ. petant a glorioſiſſimis imperatoribus, vt detur facultas conſtituendi *defenſores ſcholaſticos* &c.

(*y*) Epiph. Hæreſ. LXXII. Marcel. n. X.

dеam,

deam, manifestum esse, dico, quod non fuerint; quia quamprimum vllam officii *cancellariorum* in ecclesia mentionem inuenimus, expresse ab ἐκδίκοις seu defensoribus distinguuntur. In *nouella Heraclii* sæculo septimo ineunte facta, qua administrorum ecclesiasticorum, qui in magna ecclesia *Constantinopolitana* esse permittebantur, numerus circumscriptus est, dicitur, debere ibi esse *duos syncellos*, *defensores* [z] *decem*, referendarios duodecim, notarios quadraginta, sceuophylaces, qui presbyteri sint, quatuor, qui diaconi, sex, qui lectores, duos. Non facile est ad definiendum, quodnam *cancellariorum* officium eo tempore fuerit; sed qualecumque demum illud fuerit, ex hoc ipso tamen patet, illos non eosdem fuisse cum defensoribus. Qui legis ciuilis periti sunt, *cancellarios* in foro ciuili non iudices, sed ministros, iudici in inferiore quadam statione apparentes, fuisse norunt. Quod ex titulo quodam, in codice tum *Theodosiano* tum *Iustinianeo* [a] *de adsessoribus & domesticis & cancellariis iudicum*, luculenter patet. HOTTOMANNVS & ACCVRSIVS pro scribis & tabellionibus eos habent; at GOTHOFREDVS in eruditis adnotationibus suis [b] in *codicem Theodosianum* ex CASSIODORO & AGATHIA fuse probat, fuisse custodes secretarii & *cancellarios* dictos, quod steterint ad cancellos, qui secretum a reliquo foro separabant. Ita vt eorum officium tum non fuerit, sedere tamquam iudices & adsessores, sed iudicibus apparere & pacem & bonum ordinem sub ipsis tueri. Et si hæc cancellariorum conditio in republica fuit, eiusmodi aliquod officium in ecclesia tempore *Heraclii*, qui primus eorum meminit, habuisse, credibile est; sed quodnam illud officium præcipue fuerit, ego vlterius definire mihi non sumo, quam quod non idem fuerit cum officio defensorum ecclesiæ.

(z) Heracl. Nouel. II. ap. Leunclav. Iur. Gr. Rom. Tom. I. p 79. τοὺς μὲν θεοφιλεῖς συγκέλλους εἰς δύο τὸν ἀριθμὸν περιστάντας, καγκελλαρίους δὲ εἰς ιβ, ἐκδίκους δὲ εἰς ι, ῥεφερενδαρίους δὲ εἰς ιβ, νοταρίους δὲ εἰς μ, σκευοφύλακας δὲ, πρεσβυτέρους μὲν δ, διακόνους δὲ ϛ, ἀναγνώστας δὲ δύο.

(a) Cod. Theod. lib. I. tit. XII De adsessoribus, domesticis & *cancellariis*. Cod. Iustin lib. I. tit. LI. De adsessoribus, & domesticis & *cancellariis* iudicum.

(b) Gothofred. Comment. in Cod Th. lib. I. tit. XII. de Adsessor. leg III pag. 70. 71. 72. 73.

§. VII.

Num defensorum officium idem fuerit, quod hodiernorum nostrorum cancellariorum officium?

Quæri igitur poterit, an hodiernorum nostrorum cancellariorum officium similitudinem quamdam cum defensorum in ecclesia antiqua officio habeat? Sunt viri quidam eruditi, qui eos prorsus eosdem esse statuunt. BEVEREGIVS episcopus vtrorumque auctoritatem ex eodem fonte deriuat: Dicit enim [e], defensores caussis non suo sed episcopi nomine examinasse; neque vero eas tantum, quæ ad pauperes, patrocinium ecclesiæ implorantes, attinerent; „sed etiam presbyteris & diaconis, „cum quocumque vel clerico vel laico litem habentibus, eam„dem licuisse apud πρωτέκδικον seu defensorem mouere. Vnde „concludit, hosce nullos alios esse ecclesiasticos officiales, quam „qui olim ἔκδικοι, πρωτέκδικοι, ἐκκλησιέκδικοι & defensores ec„clesiæ nuncupati sint. Optandum erat, vt vir iste doctus antiqua documenta adtulisset pro potestate, quam vetustis illis defensoribus adscribit. Tunc enim similitudine ad cancellarios sub alio nomine propius accedere viderentur. Sed vero testimonia, quæ adducit, noua omnia sunt, videlicet PAPIAE *glossarium*, BALSAMONIS *meditata* & catalogi administrorum in ecclesia *Constantinopolitana*, vtpote qui libri aliquot sæculis post primam defensorum institutionem, & iis temporibus scripti sunt, vbi *protecdicus* inter *graecos* magnæ auctoritatis & potestatis minister euaserat. Vt adeo, etiamsi cancellariorum potestas eadem fuerit, quæ potestas ἐκδίκων inter recentiores *graecos*; adhuc tamen non satis solide probatum esse videatur, quod cum potestate veterum defensorum prorsus conueniat: siquidem veterum defensorum negotium non fuit, iudicum sed aduocatorum explere officium, nimirum iura pauperum & priuilegia ecclesiæ aduersus quosuis in ea inuolantes defendere. Si quis vero ex antiquis monimentis ostendere potuerit, defensoribus ampliorem fuisse potestatem, orbem eruditum huius rei patefactione maximopere sibi deuinxerit. Interim lector veniam mihi dabit, quod non maiorem eis potestatem adsignauerim, quam faciendi habui auctoritatem. Res obseruatu digna est,

(e) Beuereg. Not. in can. XXIII. concil. Chalced. p. 122. 123.

& viro-

& virorum doctorum ingenia exercere & amplioris disquisitionis argumentum esse poterit.

LIBRI TERTII
CAPVT DVODECIMVM
DE OECONOMIS.
§. I.
Oeconomi *sæculo quarto instituti. Institutionis eorum caussæ.*

IN sæculi quarti & quinti scriptoribus frequenter ministrum quemdam ecclesiæ ostendimus, a *græcis* [a] οἰκονόμον & *latinis* [b] oeconomum vel, vt in AVGVSTINO [c] habetur, *præpositum domus* appellatum. Huius officium erat, totius diœcesis reditus, inspectante episcopo, administrare. Antiquitus enim, vti alio loco [cc] ostendimus, omnes ecclesiæ reditus episcopi fidei concrediti erant, vt ipso mandante & dirigente clericis & pauperibus ecclesiæ distribuerentur: qua in re gerenda archidiaconi sui opera plerumque vtebatur, quippe quem in ferundo magno onere, quod ipsi incumbebat, socium sibi adsciuerat. Sed gentilibus vndiquaque ad fidem christianam sese conuertentibus, & diœcesi qualibet & reditibus ecclesiasticis augescentibus, episcopus ipsiusque archidiaconus alius generis sat multis negotiis implicabantur, quibus maximam temporis sui partem impendere debebant: atque hinc ministros in hunc finem constituere eisque sub nomine *oeconomorum* ecclesiæ hoc negotium demanda-

(a) Concil. Chalced. c. II. (Tom. IV. conc. p. 755.) Εἴ τις ἐπίσκοπος -- προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον κ. τ. λ. Can. XXV. τὴν μὲν τοι πρόσοδον τῆς χηρευούσης ἐκκλησίας σώαν φυλάττεσθαι παρὰ τῷ οἰκονόμῳ τῆς ἐκκλησίας. Viduæ ecclesiæ reditus apud ecclesiæ *oeconomum* saluus custoditor.

Can XXVI. Ἐπειδὴ δὲ ἔν τισιν ἐκκλησίαις, ὡς περιηχήθημεν, δίχα οἰκονόμων οἱ ἐπίσκοποι τὰ ἐκκλησιαστικὰ χειρίζουσι πράγματα κ. τ. λ. Quoniam in nonnullis ecclesiis, vt sæpe a nobis auditum est, episcopi absque *oeconomo* tractant res ecclesiasticas &c.

(b) Liberat. Breuiar. c. XVI. (Tom. V. concil. p 765. c.) Cum quibus erat Ioannes ex *oeconomo* presbyter factus Tabennesiotis &c. - - Factusque est iterum *oeconomus* habens caussas omnium ecclesiarum.

(c) Possid. Vit. Augustin. c. XXIV. vid. sequent. not. (i) pag. 69

(cc) Lib. II. c. IV. §. VI. vol. I. p. 108. seqq.

re, neceſſarium credebatur. MORINVS [d] ad deuitandam ſuſpicionem inſtitutos eos fuiſſe, exiſtimat; neque dubium eſt, quin in quibusdam eccleſiis hoc conſilio inſtituti fuerint. Nam in reſiduis fragmentis concilii *Tyrii*, an. CCCCXLVIII. habiti, quæ actis concilii *Chalcedonenſis* [e] inſerta ſunt, legimus, *Ibam* epiſcopum *Edeſſæ*, quum a nonnullis diſſipatorum eccleſiæ redituum accuſaretur, promiſiſſe, ſe in poſterum reditus per oeconomos ex clero ordinatos ad formam eccleſiæ maximæ *Antiochenæ* adminiſtrandos curaturum. Neque fere dubium eſt, quin ſimilis accuſatio, in concilio *Chalcedonenſi* aduerſus *Dioſcorum* epiſcopum *Alexandrinum* facta, ratio fuerit, quæ concilii iſtius patres induxerit ad generale aliquod decretum hac in cauſſa in hanc quidem ſententiam faciendum [f]: *Quoniam in nonnullis eccleſiis, vt ſæpe a nobis auditum eſt, epiſcopi abſque oeconomo tractant res eccleſiaſticas, placuit omnem eccleſiam epiſcopum habentem, ex proprio clero oeconomum habere, vt nec ſine teſtibus ſit eccleſiæ adminiſtratio, nec ideo res eius diſſipentur & probrum & dedecus ſacerdotio inuratur.* Sed iſtum caſum in omnibus eccleſiis exſtitiſſe, perſuadere mihi non poſſum. Hi enim canones manifeſto contra eos epiſcopos facti ſunt, qui res eccleſiæ adminiſtrabant *ἀμάρτυροι ſine teſtibus*, vt

(d) Morin. de ordinat. eccleſ. Part. III. Exercit. XVI. c. V. n. III. Cum bona tam immobilia quam quotidianæ fidelium oblationes ad omnem clerum pertinerent, nec eſſet deſignata aliqua pars, quæ huius vel illius eſſet clerici, his bonis curandis, adminiſtrandis, & diſtribuendis deputatus erat e clero aliquis, quem *oeconomum* canones appellant, *ne ſi epiſcopus ea ſolus adminiſtraſſet*, excepiſſet, diſtribuiſſet, *ſuſpectus aliquando fieret rei communis male adminiſtratæ, ſurreptæ, ſibi vindicatæ*, atque eo nomine apud clerum & laicos male audiret.

(e) Concil. Chalced. Act. IX. (Tom. IV p. 6[illegible]) Ἔδοξε τῷ αὐτῷ θεοφιλεστάτῳ ἐπισκόπῳ Ἴβᾳ, ἐξ οἰκείας γνώμης ἐπαγγείλασθαι, ὅτι δὴ τοῦ λοιποῦ κατὰ τύπον τὸν ἐν τῇ μεγίστῃ τῶν Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ διοικεῖται τὰ πράγματα διὰ οἰκονόμων ἐκ τοῦ κλήρου προβαλλομένων ὑπὸ τῆς αὐτοῦ θεοσεβείας. Placuit eidem religioſiſſimo epiſcopo Ibæ ex propria voluntate promittere, quod de cætero ſecundum formam Antiochenæ maximæ ciuitatis *gubernarentur res per oeconomos ex clero ordinatos* ab eius religioſitate.

(f) Concil. Chalced. c. XXVI. Ἐπειδὴ ἔν τισιν ἐκκλησίαις, ὡς περιηχήθημεν, δίχα οἰκονόμων οἱ ἐπίσκοποι τὰ ἐκκλησιαστικὰ χειρίζουσι πράγματα· ἔδοξε πᾶσαν ἐκκλησίαν ἐπίσκοπον ἔχουσαν, καὶ οἰκονόμον ἔχειν ἐκ τοῦ ἰδίου κλήρου, οἰκονομοῦντα τὰ ἐκκλησιαστικὰ κατὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου· ὥστε μὴ ἀμάρτυρον εἶναι τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἐκ τούτου τὰ τῆς ἐκκλησίας σκορπίζεσθαι πράγματα, καὶ λοιδορίαν τῇ ἱερωσύνῃ προστρίβεσθαι. . . . .

verba

verba canonis habent; hoc eſt, ſine archidiacono vel oeconomo, de fideli eorum adminiſtratione teſtaturis. At in iſtis eccleſiis, vbi epiſcopi archidiaconum ſuum in auxilium adhibuerunt, iſta cauſſa conſtituendi oeconomum locum habere non potuit, quia ſuſpicioni malæ adminiſtrationis, æque bene archidiaconi ac alius cuiusdam miniſtri, cui hæc res committi poterat, teſtimonio prouiſum fuit. Et propterea generaliorem &, vt ego quidem exiſtimo, certiorem huius officii in eccleſia inſtitutioni rationem adſignaui.

§. II.

Semper ex clero eligendi.

Hanc meam opinionem porro confirmat, quod oeconomi æque ac archidiaconi ſemper ex clero debuerunt adoptari. Ita enim canones conciliorum *Tyrii* & *Chalcedonenſis* iam citati expreſſis verbis præcipiunt. Cui opinioni etiamſi quid vel maxime contrarium videatur, fuit tamen hæc conſtans praxis eccleſiæ. In actis concilii *Epheſini* [g], quæ etiam concilio *Chalcedonenſi* inſerta ſunt, offendimus quemdam *Chariſium*, qui & presbyter & oeconomus eccleſiæ *Philadelphienſis* vocatur. Et LIBERATVS [h] de *Ioanne* quodam loquitur, qui oeconomus *Alexandriæ* & presbyter in *Tabenneſo*, regione ad *Alexandriam* ſpectante, fuerit. POSSIDIVS in vita AVGVSTINI [i] narrat, quod ſemper vnum ex clericis ſuis *præpoſitum domus*, vti eum vocat, conſtituerit, cuius officium eſſet, curam redituum eccleſiaſticorum agere, & rationem acceptorum expenſorumque reddere, ſi ab eo requireretur. Et in eamdem ſententiam SOCRATES [k] de *Theophilo* epiſcopo *Alexandriæ*

(g) Concil Epheſin. Act. I. in conc. Chalced. (Tom IV. p. 292 b.) Sanctiſſimo & vniuerſali concilio Deo amabili congregato in Epheſina ciuitate metropoli a *Chariſio presbytero & oeconomo* Philadelphiæ.

(h) Liberat. Breuiar. c. XVI. vid. not. antec. (b) p. 67

(i) Poſſid. Vit. Aug. c. XXIV. Domus eccleſiæ curam, omnemque ſubſtantiam ad vices valentioribus clericis delegabat & credebat: numquam clauem, numquam annulum in manu habens, ſed ab eisdem *domus præpoſitis* cuncta accepta & erogata notabantur

(k) Socrat. lib. VI. c. VII. Δύο ἐξ αὐτῶν παρεκάλεσε συνεῖναι αὐτῷ, καὶ μόλις μὲν ἔπεισεν· ὡς ἐπίσκοπος δὲ ὅμως καὶ προσηνάγκασεν, καὶ τῇ τῶν κληρικῶν ἀξίᾳ τιμήσας, τὴν οἰκονομίαν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῖς ἐνεχείρισεν. Duos ex illis rogauit, vt ſecum manere vellent. Et ægre quidem illis perſuaſit: verum vt epiſcopus tandem compulit. *Cum* igitur *eos clericos ordinaſſet, diſpenſationem rerum eccleſiæ eis commiſit.*

dicit, quod, quum aliquando duos monachos ad honorem clericalem euexisset, dispensationem rerum ecclesiæ eis commiserit. Vt adeo & lex & praxis ecclesiæ fuerit, oeconomos ex clericorum ordine eligere, nec vllum exemplum vel præceptum in contrarium deprehendamus. Quod aperte indicat, veram caussam, cur hoc munus, quod antea ad archidiaconos spectavit, in eos deuolutum sit, non fuisse aliam, nisi quod ob negotiorum multitudinem archidiaconi illud curare non potuerint.

§. III.

Officium eorum, curam redituum ecclesiæ gerere, speciatim sede episcopali vacante.

Quodnam officium ipsum fuerit, ex iis constare potest, quæ iam diximus: quibus hoc vnum tantummodo addam, quod ex auctoritate concilii *Chalcedonensis* [l] oeconomus, quoad sedes episcopi vacaret, functionem suam continuare & ecclesiæ reditus curare atque prospicere debuerit, vt succedenti episcopo integri reseruarentur. Qui canon eo spectasse quibusdam non sine ratione videtur, vt moræ in explendis sedibus vacantibus anteuerteret, vt ne quis metropolitanus vel interuentor, cuius curæ ecclesia viduata suberat, spe ditescendi ex bonis ecclesiæ noui episcopi electionem differre animum induceret. Verum enim vero siue hæc caussa fuerit, siue non fuerit, id certe indicat, fuisse hos homines generatim singulari fide & recte factorum laude illustres, siquidem ecclesia in illis tantopere confidere potuit.

§. IV.

Consensus clericorum in eorum electione necessarius.

Et sane nulla non cura in eorum electione adhibebatur, vt essent istiusmodi notæ homines. Quam in rem nonnulli canones ab vniuerso clero eos eligi iubent; quemadmodum speciatim THEOPHILVS episcopus *Alexandriæ* [m] in epistolis suis ca-

(l) Concil. Chalced. c. XXV. vid. supra §. I. not. (a) p. 67.

(m) Theophil. can. IX. ap. Beuereg. Pandect. Tom. II. p. 173. ὥστε γνώμῃ πάντος ἱερατείου οἰκονόμον ἀποδειχθῆναι ἕτερον, ἐφ' ᾧ συντίθεται καὶ ὁ ἐπίσκοπος Ἀπόλλων πρὸς τὸ τὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς δέον ἀναλίσκεσθαι. Vt *totius sacerdotalis ordinis sententia* alius *renuntietur oeconomus*, in quo Apollo quoque episcopus consensit, vt bona ecclesia in ea quæ oportet impendantur.

noni-

nonicis hac in re præcipit. Quod constitutum non nisi æquum & iustum erat. Quum enim ad vniuersum clerum reditus ecclesiæ attinerent, quippe e quibus victum & amictum necessarium habebant, fas erat, oeconomum, cuius curæ reditus isti committerentur, communi suffragio eligi, vt eo sine vllius contradictione admisso, nullus conquerendi caussam haberet, quod portione sua esset defraudatus.

LIBRI TERTII
CAPVT DECIMVM TERTIVM
BREVIS NARRATIO DE QVIBVSDAM ALIIS INFERIORIBVS ADMINISTRIS IN ECCLESIA.

§. I.

De παραμοναρίοις *seu* mansionariis.

PRæter hos iam commemoratos administros sæculo quarto & quinto pauci quidem alii fuerunt, quorum nomina vulgo non adeo obuia sunt, adeoque vel verbo eos indicabo, neque accuratiori officiorum & functionum ipsorum disquisitioni tempus meum impendam. Idem canon [a] concilii *Chalcedonensis*, qui de oeconomis & defensoribus loquitur, alius etiam ad ecclesiam spectantis ministri facit mentionem, qui istius concilii lingua vocatur παραμονάριος. Sed interpretes & critici de huius vocabuli significatu non concordant. In vetusta DIONYSII EXIGVI versione redditur *mansionarius* & in lectione ad marginem explicatur per vocabulum *ostiarii*. Et certe in ecclesia *Romana* viuente *Dionysio Exiguo* hoc erat *mansionarii* officium. Nam GREGORIVS MAGNVS non multo post in dialogo quodam suo [b] loquens de *Abundio mansionario*, *custodem* etiam *ecclesiæ* eum appellat; & in alio dialogo *mansionarii* [c] officium esse dicit, accende-

(a) Concil. Chalced. c II. Εἴ τις ἐπίσκοπος -- προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ προσμονάριον (ita lego in edit. Labb. Tom. IV. p. 755.) κ. τ. λ. Si quis Episcopus -- propter pecunias promouerit oeconomum, vel defensorem, vel *paramonarium* &c.

(b) Gregor. M Dial. lib. III. c. XXV. Inscriptio capitis sic habet: *De Abundio mansionario ecclesiæ beati Petri.* Ipsum caput ita incipit: Alius hic non ante longa tempora (sicut nostri Seniores referunt) *custos ecclesiæ Abundius* dictus est magnæ humilitatis atque grauitatis vir &c.

(c) Ibid. Dial. lib I. c. V. *Constantius mansionarius* quadam die, dum in eadem ecclesia oleum deesset, & vnde *lampades accenderet* omnino non haberet, omnes lampades ecclesiæ impleuit aqua, &c.

cendere lampades siue candelas ecclesiæ. Attamen hoc non obstante doctissimi ex recentioribus criticis *græco* vocabulo παραμονάριος alium plane sensum dant. IVSTELLO [*d*] idem est ac *villicus* siue *actor possessionum.* BEVEREGIVS episcopus [*e*] *rerum ecclesiasticarum administratorem* reddit, quod idem est. Et eorum sententia a GOTHOFREDO, CVIACIO, SVICERO, VOSSIO & aliis compluribus confirmatur, quorum iudicium hac in re ad decidendam controuersiam suffecerit, vsque dum lector meliorem aliter eam dirimendi rationem viderit.

§. II.

***De** custodibus ecclesiarum & custodibus locorum sanctorum; & quomodo hi ab se inuicem fuerint distincti.*

Alius generis ministrorum lex ciuilis meminit, qui vocati sunt *custodes ecclesiarum* & *custodes locorum sanctorum:* Quos etsi scriptores nonnulli confundunt, GOTHOFREDVS tamen inter eos distinguit. *Custodes ecclesiarum* vel iidem fuerunt cum *ostiariis;* vel cum sic dictis *senioribus ecclesiæ*, qui, vt alio loco [*ee*] ostendimus, cum nostris *Church-wardens* & *Vestry-men*, hoc est, ædituis & præcipuis conuentus in sacrario membris, comparari possunt. *Custodes* autem *locorum sanctorum* ea potissimum loca custodiebant, quæ, GOTHOFREDO recte iudicante, specialiore locorum sanctorum titulo gaudebant, quod essent monumenta quædam nostri Seruatoris; vti *Bethlehemum* locus natiuitatis eius; *Golgatha* mons, locus crucifixionis; & sepulcrum, locus resurrectionis; mons olearum, locus adscensionis ipsius. Hæc loca a christianis istorum temporum frequentissime visebantur, quemadmodum ex EVSEBIO, GREGORIO NYSSENO, HIERONYMO & diuersis aliis apparet, quos lector huius rei studiosus apud GOTHOFREDVM [*f*]

(*d*) Iustell. Bibliothec. Iur. Can. Tom. I. p. 91. *Paramonarii* sunt *villici* siue actores possessionum.

(*e*) Beuereg. Not. in conc Chalced c. II. p. 109. Παραμονάριος omni procul dubio aliquem *rerum ecclesiasticarum administratorem* significat.

(*ee*) Lib. II. c. XIX. §. XIX. vol. I. p. 294. sqq.

(*f*) Gothofr. Not. in Codic. Theod. lib. XVI tit. II. leg. XXVI. *Loca sancta* heic sunt, *quæ in Palæstina* inter alia sub comite orientis, cui hæc lex ideo inscribitur, atque Hierosolymis nominatim *sita erant.* Nempe loca sancta, quæ Hierosolymis erant, & in vicinis Palæstinæ partibus, hoc sæculo adiri iam certatim solita, quibus hæc ad pietatem irritamenta visa, μελέται πρὸς ἀρετὴν seu γυμνασίαι πρὸς θεοσέβειαν, & abducendam mentem ab humanis rebus & cogitationes suas ad Deum transferendas &c.

con-

consulere potest, qui loca ista hanc ob caussam custodes quosdam sibi adsignatos habuisse, quos *custodes locorum sanctorum* dixerint, adfirmat. Sed quomodocumque res se habeat, certum est, eiusmodi officium in ecclesia eos obiisse, quod in lege pro ministerio religioso reputatum sit: & consequenter eodem privilegio [g], quo clerici, fruiti sunt, vt nimirum huius muneris sui intuitu immunitatem a tributis haberent: quemadmodum ex lege *Theodosii Magni*, qua hæc eis immunitas concessa est, constat.

§. III.

De sceuophylacibus *siue* ceimeliarchis.

Proxime ab his propter nominis & officii similitudinem *sceuophylaces* commemoramus, siue, vt alias vocantur, *κειμηλίων φύλακας*, hoc est *custodes vasorum sacrorum*, vtensilium & rerum pretiosarum, quæ in scriniis ecclesiæ reponebantur. Hic sceuophylax plerumque erat presbyter aliquis: Nam THEODORVS LECTOR [h], *Macedonium* & presbyterum & *sceuophylacem* ecclesiæ *Constantinopolitanæ* fuisse, adfirmat; & ante eum SOZOMENVS [i] de celebri *Theodoro* presbytero *Antiochiæ*, qui christianæ fidei caussa *Iuliani* ætate interfectus est, loquens, *φύλακα τῶν κειμηλίων sacrorum vasorum custodem* eum appellat; & ideo occisum dicit, quod persequutoribus tradere noluerit, quæ custodiæ suæ credita haberet. Non inepte etiam hic minister dici potest *chartophylax & custos archiuorum*, quod codicilli & archiua pars sacro-

(g) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XXVI. Vniuersos quos constituerit custodes ecclesiarum esse, vel sanctorum locorum, ac religiosis obsequiis deservire, nullius adtentationis molestiam sustinere decernimus. Quis enim eos capite censos patiatur esse deuinctos, quos necessario intelligit supra memorato obsequio mancipatos?

(h) Theodor. Lect. lib. II. (p. 559. edit. Vales.) προχειρίζεται ὁ βασιλεὺς εἰς ἐπίσκοπον Μακεδόνιόν τινα τῆς ἐκκλησίας πρεσβύτερον καὶ σκευοφύλακα. Imperator Macedonium quemdam CP. ecclesiæ *presbyterum & vasorum custodem* ad episcopatum promouit.

(i) Sozom. lib. V. c. VIII. Μόνον Θεόδωρον τὸν πρεσβύτερον, μὴ ὑποχωρήσαντα τῆς πόλεως, ὃν ὡς φύλακα τῶν κειμηλίων τὴν τούτων γνῶσιν καταμηνῦσαι δυνάμενον, συλλαβὼν, δεινῶς ᾐκίσατο. Solus Theodorus presbyter remansit in ciuitate. Quem ille vtpote *sacrorum vasorum custodem*, qui eorum notitiam tradere valeret, comprehensum grauissime cruciauit.

rum ecclesiæ scriniorum erant. Vnde SVICERVS [*k*] obseruat, quod apud PHOTIVM vnus idemque homo *sceuophylax* & *chartophylax* nuncupetur. Sed notandum est, recentiores *græcos* hoc officium paullulum immutasse, concessa ei, quæ in ecclesia primitiua ad illud non spectauit, potestate. Iam enim, vti BALSAMON [*l*] narrat, chartophylax agit tamquam patriarchæ substitutus, excommunicando, animæ delicta coarguendo, & presbyteros & diaconos ordinari permittendo, sedetque tamquam supremus iudex ecclesiasticus sub patriarcha, in multis aliis casibus ad ecclesiam attinentibus; quas res autem ad officium *sceuophylacis* non reperimus primis temporibus spectauisse.

§. IV.

De hermeneutis *seu interpretibus.*

EPIPHANIVS alius generis ministrorum in ecclesia meminit, quos ἑρμενευτὰς [*m*], *interpretes*, vocat, eorumque id officii esse, dicit, vt linguam aliam in aliam transferant, tam in lectionibus scripturarum, quam concionibus ad populum habitis. Eiusmodi officium in ecclesia fuisse, porro ex actis passionis *Procopii* martyris a VALESIO [*n*] publicatis liquet, vbi tria officia in ecclesia *Scythopolitana* obiisse dicitur; erat nimirum *lector*, *exorcista* & *syri* sermonis *interpres*. Istud officium præcipue in iis ecclesiis fuisse, existimo, vbi populus diuersas linguas loquebatur; vt in eccle-

(*k*) Suicer. thes. tom. II. p. 972. Σκευοφύλαξ dictus, qui sacra ecclesiæ vasa custodiebat. - - Dicebatur interdum & χαρτοφύλαξ. Vnde iste Eulampius, ad quem Photius scripsit, alibi vocatur χαρτοφύλαξ.

(*l*) Balsam. not. ad can. IX. concil. Nicæn. II. p. 299. Ἰδικῶς ἀφωρίσθησαν τῷ σεκρέτῳ τοῦ χαρτοφυλακείου τὰ ἐπισκοπικὰ δίκαια καὶ ὁ κατὰ καιροὺς χαρτοφύλαξ ἐνεργεῖ δικαίῳ τοῦ κατὰ καιροὺς ἁγιωτάτου πατριάρχου πάντα τὰ τούτῳ ἀνήκοντα ὡς ἐπισκόπῳ - ἀφορίζει γὰρ, διορθοῦται ψυχικὰ σφάλματα, διακόνους καὶ ἱερεῖς ἐπιτρέπει χειροτονεῖσθαι, τὰ τῶν ἱεροτελεστιῶν πιττάκια ἐκτίθεται, καὶ ἄλλα τοιαῦτά τινα. Chartophylacii seu tabularii secreto seorsum deputata sunt, iura episcopalia, & qui pro tempore est *chartophylax*, sanctissimi tempore Patriarchæ iura omnia, quæ ad eum pertinent vt episcopum, exercet; etenim excommunicat, animæ delicta corrigit, diaconos & sacerdotes ordinari permittit, sacrorum ministeriorum pittacia exponit & quædam huiusmodi alia.

(*m*) Epiphan. exposit. fid. n. XXI. ἑρμηνευταὶ γλώσσης εἰς γλῶσσαν, ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις.

(*n*) Acta Procop. ap. Vales. not. in Euseb. de martyr. Palæstin. c. I. Ibi ecclesiæ tria ministeria præbebat. Vnum in legendi officio, alterum in syri interpretatione sermonis, & tertium aduersus dæmones manus impositione consummans.

siis

siis *Palæstinæ*, vbi alios *syriace*, *græce* alios loquutos esse, probabile est; & in ecclesiis *Africæ*, vbi *latina* alii, alii *punica* lingua vtebantur. In talibus ecclesiis interpretis officium necessarium erat, vt ii, qui linguam, qua scripturæ legebantur vel conciones recitabantur, non intelligerent, his e vestigio in linguam cognitam translatis, ædificationem reciperent. Tantum igitur abest, vt ecclesia primitiua, scripturas ignota quadam lingua præcludendo ignorantiam promotum iuerit, vt potius ipsas in omnes linguas transtulerit, immo peculiare etiam officium *interpretum* instituerit, qui viua voce homines de iis, quæ lecta erant, erudirent, nec eos in cultu diuino barbaros esse paterentur; quæ tyrannis est sæculis prioribus ignorata.

§. V.

De notariis.

Aliud officium, quod non prorsus silentio præteriri oportet, dum in hoc argumento versamur, est officium *notariorum*, siue *exceptorum*, vt *latini* eos appellant; qui iidem sunt, quos *græci* ὀξυγράφυς & ταχυγράφυς dicunt, ideo quia per notas & compendia celeriter scribebant, quod in ministerio, cui præcipue adhibebantur, necesse erat. Primus enim eorum vsus erat, ea, quæ ab ethnicis iudicibus contra christianos martyres essent gesta, in acta referre & quasuis circumstantias, in ipsorum examinatione & passione obseruatas, litteris figillatim consignare; quænam quæstiones eis propositæ; quæ responsiones datæ; & quæcumque gesta essent, dum caussa eorum audiretur, & de ipsis pro confessione Christi sumeretur supplicium. Vnde istæ consignationes *gesta martyrum* appellabantur; quæ monimenta autographa de martyrum suorum passione quælibet ecclesia adseruabat. Primam huius *notariorum* officii in ecclesia *Romana* institutionem PEARSONIVS [o] & alii quidam viri eruditi sub *Fabianum*, qui *Decianæ* persecutionis tempore vixit, referendam esse, autumant. Nam in antiquissimo quodam episcoporum *Roma-*

(o) Pearson. de success. episc. Rom. dissert. I. c. IV. n. III.
Fell. not. in Cyprian. ep. XII. Hoc fere tempore, sub initiis Decii, Fabianus Romæ septem instituisse dicitur subdiaconos, quæ septem *notariis* imminerent & gesta martyrum in integro colligerent.

norum catalogo [*p*] *Fabianus* ſeptem ſubdiaconos feciſſe dicitur, qui ſeptem *notariis* attenderent, vt geſta martyrum fideliter colligerent. Enim vero etſi hoc antea non erat ordinarium aliquod officium, res ipſa tamen ab hominibus ad hoc negotium aptis peragebatur; vti ex antiquis IGNATII & POLYCARPI & diverſorum aliorum actis liquet, quæ litteris conſignata fuerunt ante, quam *Fabianus* publicum & peculiarem *notariorum* munus *Romæ* inſtituiſſe dicitur. Sequentibus temporibus hi *notarii* ad ſcribenda conciliorum acta, & excipiendas orationes & diſputationes, & quæcunque in ſynodis gererentur, adhibebantur. Ita EVSEBIVS [*q*] diſputationem *Malchionis* cum *Paulo Samoſatenſi* in concilio *Antiocheno* a *notariis*, cuncta ex eorum ore excipientibus, in commentarios relatam eſſe, adnotat. Et SOCRATES [*r*] de diſputatione inter *Baſilium Ancyranum* & *Photinum* in concilio *Sirmienſi* idem memoriæ prodidit. Legimus etiam de quodam genere *notariorum* in conciliis, quorum id erat officii tabulas publicas, citata teſtimonia, petitorias diſceptationes, libellos ſupplices, & quæcunque id genus alia in concilio offerri legiue ſolebant, recitare. Et hi vulgo erant diaconi & interdum presbyter eorum caput erat, hinc *primicerius notariorum* appellatus; vti in actis conciliorum generalium *Epheſini* & *Chalcedonenſis* [*s*], frequens *Aëtii* diaconi & *notarii* & *Petri* presbyteri *Alexandrini*, *primicerii notariorum* fit mentio. Erant enim *notarii*, qui ad ſermones ex celebrium & facundorum concionatorum ore exci-

(*p*) Catalog. Rom. pontif. in Fabian. Hic fecit ſex vel ſeptem ſubdiaconos, qui ſeptem *notariis* imminerent, vt geſta martyrum fideliter colligerent.

(*q*) Euſeb. lib VII. c. XXIX. οὗτος ἐπισημειουμένων ταχυγράφων, ζήτησιν πρὸς αὐτὸν ἐνστησάμενος ἣν καὶ εἰς δεῦρο φερομένην ἴσμεν, μόνος ἴσχυσε τῶν ἄλλων κρυψίνουν ὄντα καὶ ἀπατηλὸν φωράσαι τὸν ἄνθρωπον. Hic (Malchion) aduerſus Paulum ſuſcepta diſputatione, *excipientibus cuncta notariis*, (quæ quidem diſputatio etiamnum exſtat) occultos hominis ſenſus fraudeſque detegere ſolus omnium valuit.

(*r*) Socrat. lib. II. c. XXX. Ἐφ' ὧν ἀντικατέστη τῷ Φωτεινῷ Βασίλειος ὁ τῆς ἐν Ἀγκύρᾳ τότε προεστὼς ἐκκλησίας, ὀξυγράφων τε τὰς φωνὰς αὐτῶν γραφόντων. Coram illis Baſilius, Ancyranæ tum eccleſiæ præſul in certamen deſcendit cum Photino, *notariis verba eorum excipientibus*.

(*s*) Concil. Epheſ. act. I. in actione I. concil. Chalced. tom. IV. p. 206. d. Αἴτιος διάκονος καὶ νοτάριος εἶπεν. Aëtius diaconus & *notarius* dixit.
Ibid. p. 291. d. Petrus presbyter Alexandriæ & *primicerius notariorum dixit*.

piendos

piendos adhibebantur. Quo pacto multas *Chrysostomi* & non nullas etiam *Attici* successoris eius conciones conseruatas esse, auctor est SOCRATES [t]. Episcopi etiam priuatos suos habebant ὑπογραφεῖς, quos nonnulli *notarios* appellant: VALESIVS [u] autem in censum lectorum eos refert. Quicumque autem fuerint, *Athanasius* in hoc munere tamquam ὑπογραφεὺς *Alexandro* & *Proclus Attico* operam suam, vti narrat SOCRATES [vv], præstiterunt.

§. VI.
De apocrisariis *seu responsalibus.*

Fortassis alia quædam minora officia deprehendet curiosus lector, quæ in hunc catalogum referri posse, existimet: at vero ne res leuioris momenti nimis exigue & exiliter ad calculos reuocare videar, vnum tantum *apocrisariorum* seu *responsalium* munus addam. Hi delegati quidam erant extranearum ecclesiarum & episcoporum nomine in ciuitate imperatoria habitantes, quorum id erat officii, vt tamquam procuratores omnes caussas ecclesiasticas ad eos, a quibus mandatum acceperant, attinentes, in aula imperatoris agerent. Munus eorum tempore *Constantini* vel certe non multo post institutum videtur, vbi imperatoribus christianam religionem amplexis peregrinæ ec-

(t) Socrat. lib. VI. c. V. ὁποῖοι δέ εἰσιν οἵ, τε ἐκδοθέντες παρ' αὐτοῦ λόγοι, καὶ οἱ λέγοντος αὐτοῦ ὑπὸ τῶν ὀξυγράφων ἐκληφθέντες, ὅπως τε λαμπροὶ καὶ τὸ ἐπαγωγὸν ἔχοντες, τί δεῖ νῦν λέγειν. Quales porro fuerint eius conciones seu quæ ab ipso editæ, seu *quæ ex ore dicentis a notariis exceptæ sunt*, quæ illustres, & ad alliciendos auditorum animos accommodatæ, quid nunc attinet dicere. It. lib. VII. c. II. οὐ μὴν τοιοῦτοι ἦσαν οἱ λόγοι, ὡς καὶ παρὰ τῶν ἀκροατῶν σπουδάζεσθαι ἢ γραφῇ παραδίδοσθαι. Nec tamen eius conciones eiusmodi fuerunt, vt ab auditoribus vel plausu exciperentur vel *scriptis mandarentur*.

(u) Vales. not. in Socrat. lib. V. c. XXII. In actione prima synodi Ephesinæ, Epaphroditus dicitur *lector & notarius* Hellanici episcopi Rhodiorum. Ex quibus patet, idem fere officium fuisse notarii, quod lectoris, vt scilicet psalmos, aut alios sacræ scripturæ libros, vel in ecclesia vel coram episcopo legeret.

(vv) Sozom. lib. II. c. XVII. Μετ' οὐ πολὺ ὁμοδίαιτον καὶ ὑπογραφέα τὸν Ἀθανάσιον εἶχεν. Non multo post Athanasium in contubernium suum adsciuit (Alexander) eumque *notarium* deinceps habuit.
Socrat. lib. VII. c. XLI. τὰ πολλὰ παρῆν τῷ ἐπισκόπῳ Ἀττικῷ ὑπογραφεὺς αὐτοῦ τῶν λόγων γενόμενος. Versabatur adsidue cum Attico episcopo Proclus) eiusdemque *notarius* fuit.

clesiæ in aula imperatoria caussas suas promouendi ampliorem, quam antea, nactæ fuerant occasionem. Sed quomodocumque res se habeat, tempore *Iustiniani* illud lege quadam stabilitum deprehendimus. Nam in quadam *nouella* sua [*x*] ipse definit, vt episcoporum nullus diu ab sua ecclesia abesse audeat, nisi hoc per imperialem fiat iussionem: Si vero aliquando propter ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas caussam aliquam in aula persequendi, vel per ecclesiarum suarum *apocrisarios*, quorum sit, res ecclesiæ administrare, vel per oeconomos vel per aliquos clericos petitiones ad imperium dirigi iubet. Ex hac quidem lege non apparet, quod *apocrisarii* de clero fuerint, ex aliis autem scriptoribus facile id colligere possumus. LIBERATVS enim [*y*] *Anatolium* diaconum *Alexandrinum Constantinopoli Dioscori* fuisse *apocrisarium* adfirmat, quo pacto commodam occasionem nactus sit, vt mortuo *Flauiano Constantinopoli* episcopus eligeretur. Et EVAGRIVS [*z*] idem de *Eutychio* obseruat, quod quum episcopi *Amasenorum apocrisarius* esset, statim post *Mennam* ad regiæ ciuitatis episcopatum euectus sit. Quod aperte indicare videtur, fuisse eum antea de clero, siquidem per saltum promotum eum esse, non constat. Porro heic obseruandum fuerit, quod in horum *apocrisariorum ecclesiæ* similitudinem pleraque fere monasteria suos itidem habuerint apocrisarios, quorum non erat, in ciuitate regia habitare, quemadmodum isti quidem faciebant; sed procuratorum more caussam monasterii vel cuiusdam membri agere, si ante episcopum, cuius iurisdi-

(*x*) Iustin. nouel. VI. c. II. Sancimus, si quando propter ecclesiasticam occasionem inciderit necessitas, hanc aut per eos, qui res agunt sanctarum ecclesiarum (quos *apocrisarios* vocant) aut per aliquos clericos huc destinatos aut oeconomos suos notam imperio facere &c.

(*y*) Liberat. breuiar. c. XII. (Tom. V. conc. p. 750.) Ordinatus est pro eo (Flauiano) Anatolius diaconus, qui fuit Constantinopoli *apocrisarius* Dioscori.

(*z*) Euagr. lib. IV. c. XXXVIII. Εὐτύχιος παρὼν τὴν θείαν ἐς ἄκρον ἐξησκημένος γραφὴν, ἔτι ζῶντος Μηνᾶ, οὐδὲ τῶν διαφανῶν ὤν. ταῖς γὰρ ἀποκρίσεσι τοῦ Ἀμασείας ἐπισκόπου διηκονεῖτο - - ὅπερ καὶ Ἰουστινιανὸς ἐγνωκὼς, ἐς τὸν τῆς βασιλευούσης αὐτὸν ἀναβιβάσας θρόνον, παραυτίκα Μηνᾶ τελευτήσαντος. Eutychius, qui illic aderat in sacris scripturis apprime exercitatus, superstite adhuc Mena, nondum valde illustris, *erat enim* etiam tum *apocrisarius* episcopi Amasenorum: - - Quod cum Iustinianus intellexisset, Eutychium paullo post ad pontificalem vrbis regiæ sedem promouit, Mena ex viuis sublato.

risdi-

risdictioni suberant, in ius ire necesse esset. Hoc ex alia quadam *Iustiniani nouella* patet, quæ [a] in istiusmodi casibus ascetas per *apocrisarios* seu *responsales* suos respondere iubet. Et hi non numquam etiam de clericorum erant numero, quemadmodum ex concilii generalis quinti actis liquet, vbi *Theonas* quidam [b] semetipsum presbyterum & *apocrisarium monasterii montis Sinai* appellat. Interpres *latinus ambasiatorem* eum vocat, quod non adeo accommodum est, quodam tamen modo rem exprimit. SVICERO enim [c] obseruante successu temporis imperatores legatis suis nomen apocrisariorum dederunt, immo quemuis legatum *ἀποκρισάριον* vocarunt. Quod tanto magis heic noto, vt lector hæc distinguat, nec ciuilem & ecclesiasticam nominis *apocrisarii* acceptionem confundat. Et tantum de inferioribus clericorum in primitiua ecclesia ordinibus atque officiis.

(a) Iustin. nouell. LXXIX. c I. *Θεσπίζομεν, εἴ τις οἱανοῦν ἔχοι δίκην πρός τινας τῶν εὐλαβεστάτων ἀσκητῶν, ἢ τῶν ἱερωμένων παρθένων, ἢ γυναικῶν ἐν μοναστηρίοις ὅλως ὄντων, τῷ θεοφιλεστάτῳ πόλεως ἑκάστης ἐπισκόπῳ προσιέναι· τὸν δὲ πέμπειν, καὶ μετὰ πάσης σεμνότητός τε καὶ εὐσχημοσύνης τὰ περὶ τῆς τῶν προσώπων παρουσίας διατάττειν, εἴτε δέοι διὰ τῶν ἡγουμένων εἴτε διὰ τῶν ἀποκρισιαρίων, εἴτε δι' ἑτέρων τινῶν παραγίνεσθαι.* Sancimus, si quis quamcumque habuerit caussam cum aliquibus venerabilibus sanctimonialibus, aut sacris virginibus, aut mulieribus omnino in monasteriis consistentibus, Deo amabilem ciuitatis illius episcopum interpellet: ille vero mittat & cum omni honestate quæ sunt de personarum præsentia disponat: siue oportet per abbates siue *per responsales*, siue per alios quoslibet hoc fieri.

(b) Concil. V. general. act. I. (Tom. V. p. 116. a.) *Θεωνᾶς ἐλέῳ Θεοῦ πρεσβύτερος καὶ ἀποκρισάριος τοῦ ἁγίου ὄρους Σινᾶ.* Theonas Dei misericordia *presbyter & apocrisarius sancti montis Sinai.*

(c) Suicer. thes. tom. I. p. 456. Successu temporis quemuis legatum *ἀποκρισάριον* vocabant. Nicetas in Manuele Comneno lib. VI. *πέμψας ἀποκρισαρίους πρὸς βασιλέα πάλιν περὶ εἰρήνης διαλέγεται.* *Missis ad imperatorem apocrisariis*, rursus de pace loquitur.
Isidorus Pelusiota epist. CXLIII. lib. IV. *τὴν τιμίαν κέλευσιν τοῦ εὐσεβοῦς καὶ θεοπροβλήτου ἡμῶν μεγάλου βασιλέως, πρῶτον μὲν διὰ τοῦ βασιλικοῦ ἀποκρισιαρίου μαθόντες.* Cum venerandum mandatum an & a Deo nobis præfecti magni imperatoris nostri primum quidem per *imperatorium apocrisarium* cognouissemus, &c.

LIBER

LIBER QVARTVS

DE ELECTIONE ET ORDINATIONE CLERICORVM ET PRAECIPVIS ORDINANDORVM QVALITATIBVS.

CAPVT PRIMVM

DE DIVERSIS HOMINES AD MINISTERIVM ECCLESIASTICVM DESIGNANDI MODIS, APOSTOLICO ET PRISCO ECCLESIAE AEVO VSITATIS.

§. I.

Quatuor diuersi modi homines ad ministerium designandi. De primo modo per sortes.



POstquam hactenus omnes tum superiores tum inferiores ordines cleri in ecclesia primitiua, nec non diuersa officia diuersasque eis adnexas functiones recensuimus, iam ad regularum & methodorum progredimur considerationem, quas in seligendis idoneis hominibus ad ministerium, speciatim pro tribus superioribus ordinibus, quorum semper præcipua ratio habita fuit, obseruarunt. Et heic primo loco notandum fuerit, apostolica & proxime insequuta ætate quatuor diuersos modos fuisse homines ad ministerium designandi, siue declarandi, quinam præ reliquis digni essent, quos muneri ecclesiastico initiarent. Horum primus fiebat sortitione; secundus selectione primitiarum ex conuersis gentilibus; tertius speciali mandato & inspiratione spiritus sancti; & quartus via ordinaria examinationis & electionis. Primus modus in designatione *Matthiæ* ad apostolatum obseruatus est, quemadmodum legimus Act. I, 23. 26. vbi dicitur, discipulos ipsos statuisse duos, *Iosephum* vocatum *Barsabam* & *Matthiam*; & precatos Deum, vt ostenderet, vtrum ex istis duobus elegisset, iecisse sortes eorum & cecidisse sortem super *Matthiam*. CHRYSOSTOMVS [a] hac eos methodo ideo vsos esse dicit,

(a) Chrysostom. Hom. V. in 1 Tim. ἐπεὶ ἐδὲ οἱ ἀπόστολοι πνεύματος μετεῖχον, ὅτε

quod

quod nondum ſpiritus gratiam adepti eſſent, nec poteſtatem eligendi per inſpirationem tunc haberent; adeoque negotium orationi permittentes Deum hac in re definire ſiuiſſe. *Eccleſiaſticæ hierarchiæ* auctor ſub nomine DIONYSII [*b*] Deum per viſibile aliquod ſignum precibus eorum reſpondiſſe, exiſtimat: quod autem ſi verum eſt, iſta electio non per ſortem facta eſt, vt ſcriptura eam factam eſſe adfirmat, ſed prorſus diuerſa eligendi methodus fuit. Quomodocumque autem res ſe habuerit, in hoc certe interpretes generatim concordant, fuiſſe in ea aliquid extraordinarii. LIGHTFOOTVS [*c*] putat, non habuiſſe *Matthiam* vllam aliam ad apoſtolatum ſuum ordinationem; apoſtolos enim non ordinaſſe eum poſtea impoſitis manibus, vt presbyteros deinceps ordinarunt. Quod ſi ita eſt, omnino extraordinarium quid fuit. Alii extraordinariam huius rei rationem in peculiari illius ad hoc munus electione & deſignatione per ſortes conſtitiſſe, ſentiunt. In vniuerſa enim hiſtoria eccleſiaſtica vix vllum aliud eiusmodi exemplum reperiri [*d*], aiunt. Et certe non adeo multa ibi occurrere, fateor: dantur tamen pauca quædam, quæ hanc eligendi methodum non prorſus ita ſingularem, vt vulgo creditur, fuiſſe oſtendunt. Nam in *Hiſpania* aliquando hæc communis conſuetudo fuit, vti e quodam concilii *Barcinonenſis* an. DXCIX. celebrati canone [*e*] colligere poſ-

τὸν Ματθίαν ἐξελέξαντο. ἀλλ' εὐχῇ τὸ πρᾶγμα ἐπιτρέψαντες, ἐγκατέλεξαν αὐτὸν τῷ ἀποστόλων ἀριθμῷ. Quippe ne apoſtoli quidem tunc ſpiritus gratiam adepti erant, cum Matthiam elegerunt; *ſed orationi negotium permittentes*, ipſum apoſtolorum numero adiecerunt.

(*b*) Dionyſ. eccleſ hier. c. V. p. 367. Δοκεῖ μοι τὰ λόγια κλῆρον ὀνομάσαι θεαρχικόν τι δῶρον, ὑποδηλοῦν ἐκεῖνο τῷ ἱεραρχικῷ χορῷ τὸν ὑπὸ τῆς θείας ἐκλογῆς ἀναδεδειγμένον. Mihi videtur ſcriptura ſortem appellare diuinum illud munus, quo declarabatur choro hierarchico, quisnam diuino ſuffragio electus erat.

(*c*) Lightfoot in Act. I, 21. (p. 758. n. III. edit Franequ. MDCXCIX.) Apoſtolis non licuit ſe inuicem ordinare per impoſitionem manuum, pro more initiandi presbyteros; quin id eis ſorte obtinere neceſſe fuit, vtpote qui gradus apoſtolicos immediata quaſi Chriſti manuductione adierint.

(*d*) Dodw. diſſert. I. in Cyprian. §. XVII. Huius *ſortium* in ſacrorum miniſtrorum *electione* vſus poſt tempora apoſtolorum vel nulla exſtant omnino, vel quam pauciſſima, veſtigia. - - Meminerunt & alii epiſcoporum manifeſtiſſimis Dei ſuffragiis conſtitutorum, *Gregorii Thaumaturgi* & *Alexandri* carbonarii *Gregorius Nyſſenus*, *Alexandri Hieroſolymitani*, *Euſebius* & *Fabiani Romani*. De ſortitione tamen altiſſimum vbique ſilentium, &c.

(*e*) Concil. Barcinon. c. III. (Tom. V. p. 1606.)

ſumus, in hunc modum præcipiente: *Hoc innouandum cuſtodiendumque in omnibus ſancta ſtatuit ſynodus, vt ſecundum priſcorum canonum conſtituta, vel ſynodalium epiſtolas præſulum præmonentes, nulli deinceps laicorum liceat ad eccleſiaſticos ordines, prætermiſſo canonum præfixo tempore, aut per ſacra regalia, aut per conſenſionem cleri, vel plebis, vel per electionem aſſenſionemque pontificum, ad ſummum ſacerdotium adſpirare ac prouehi; ſed cum per canonum conſcripta tempora eccleſiaſticos per ordinem, ſpeciali opere deſudando, probatæ vitæ adminiculo comitante, conſcenderit gradus, ad ſummum ſacerdotium, ſi dignitati vita reſponderit, auctore domino prouehatur. Ita tamen, vt duobus aut tribus, quos ante conſenſus cleri & plebis elegerit, metropolitani iudicio eiusque coepiſcopis præſentatis, QVEM SORS, præeunte epiſcoporum ieiunio, CHRISTO DOMINO TERMINANTE, monſtrauerit, benedictio conſecrationis adcumulet.* Nihil heic eſt, quod a primo illo exemplo diſcrepet, niſi quod conſecrationis poſtea factæ mentio iniiciatur, quæ in hiſtoria *Matthiæ* abeſt. Fortaſſis in hoc etiam caſu conſecratio interceſſit, etiamſi verbis expreſſis non memorata. Sed hoc accuratiori diſquiſitioni relinquo.

§. II.

Secundus modus primitiarum ex conuerſis gentilibus ſelectione.

Secundus deſignationis modus erat ſelectio primitiarum ex conuerſis gentilibus, vt ad miniſterium ordinarentur. Hi enim, vti maiorem præ reliquis zelum, promto & alacri animo euangelium ſuſcipiendo, oſtendebant, ita ab apoſtolis, tamquam ad religionem chriſtianam in orbe terrarum propagandam apprime idonei, generatim eligebantur. CLEMENS ROMANVS in epiſtola ſua [*f*] ad *Corinthios*, apoſtolos *per regiones & vrbes verbum prædicantes primitias eorum, ſpiritu probantes, epiſcopos & diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituiſſe*, ſcribit. Et hinc auctor, qui ſub huius ipſius CLEMENTIS nomine delitеſcit, in fictitia ſua ad *Iacobum* epiſcopum *Hieroſolymitanum* epiſtola, rationes, quibus *Petrus* ad ipſum ordinandum inductus ſit, ei commemorans, di-

(*f*) Clem. Rom. ep. I. n. XLII. *κατὰ χώρας καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίσανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν δοκιμάζοντες τῷ πνεύματι εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν.*

cit

cit [g] id factum esse ideo, quod inter eos, qui per ipsum ex gentibus seruati sint, locum optimarum primitiarum obtinuerit. Non nulli hoc cum primogenituræ inter veteres patriarchas iure comparant, quod primogenitis sacerdotium adsignat: nec ego ad illud quodammodo heic alludi, negauerim: sed tunc non in omnibus partibus isthæc comparatio valet. In vltimo enim casu non erat vllum ius naturale, sed personale meritum, eorum primogenituram efficiens, quæ primis conuersis ius christiani sacerdotii conferebat.

§. III.

Tertius modus per speciale spiritus sancti mandatum.

Quod porro patebit, si considerauerimus, multos eorum ex speciali quodam spiritus sancti mandato fuisse ordinatos. Ita enim verba δοκιμάζοντες τῷ πνεύματι in CLEMENTE ROMANO intelligi possunt, vt significent factum a spiritu certorum hominum indicium, quos ordinatos voluerit; quem ego tertium homines ad ministerium designandi modum, primis hisce temporibus in ecclesia valde vsitatum, dixi. Ita *Timotheus* electus erat & ordinatus secundum prægressas de se prophetias 1 Tim. I, 18. Vnde ordinatio eius etiam vocatur donum, quod datum sit ei per prophetiam. 1 Tim. IV, 14. Quo intuitu antiqui interpretes CHRYSOSTOMVS [h] & THEODORETVS dicunt, non habuisse eum vllam

(g) Pseudo Clem. ep. ad Iacob. ap. Coteler Tom. I. p. 606 n. III. σὺ γὰρ δι' ἐμοῦ τῶν σωζομένων ἐθνῶν ἡ κρείττων ἀπαρχή.

(h) Chrysostom in 1 Tim. I, 18. Τί ἐστιν, ἀπὸ προφητείας; ἀπὸ πνεύματος ἁγίου· προφητεία γάρ ἐστιν, οὐ τὸ τὰ μέλλοντα λέγειν, ἀλλὰ καὶ τὸ τὰ παρόντα, ἐπεὶ καὶ ὁ Σαοὺλ κατὰ προφητείαν ἐδείχθη ἐν τοῖς σκεύεσι κρυπτόμενος· ὁ γὰρ Θεὸς τοῖς δικαίοις ἀποκαλύπτει· προφητεία ἦν καὶ τὸ λέγειν· ἀφορίσατε μοι τὸν Παῦλον καὶ τὸν Βαρνάβαν· οὕτως καὶ ὁ Τιμόθεος ἡρέθη. Quid est, ex prophetia? Ex spiritu sancto. Quippe munus est prophetiæ, non modo futura prædicere; verum & præsentia dicere: quoniam & Saul prophetia ostensus est, qui inter vasa latebat. Deus enim reuelat iustis. *Prophetia itidem fuit, cum dicit Spiritus sanctus: Separate mihi Saulum & Barnabam; Ita & Timotheus electus est.*

Theodoret. ibid. Οὐ γὰρ ἀνθρωπίνης, φησὶ, τετύχηκας κλήσεως· ἀλλὰ κατὰ θείαν ἀποκάλυψιν τὴν χειροτονίαν ἐδέξω· εἰκὸς δὲ οὐ μόνον αὐτὸν ἐξ ἀποκαλύψεως προβληθῆναι διδάσκαλον· ἀλλὰ καὶ κατὰ τοιοῦτόν τινα τρόπον καὶ τῆς ἐξ ἀρχῆς κλήσεως ἀπολαῦσαι. Non enim, inquit, humanam sortitus es vocationum: sed *per diuinam reuelationem manus impositionem suscepisti.* Verisi-

huma-

humanam vocationem, ſed per diuinam reuelationem electum & ex ſpiritus ſancti mandato ordinatum fuiſſe. CLEMENS ALEXANDRINVS in peruagata ſua homilia, quam inſcripſit *Quis diues ſaluetur*, de eccleſiarum *Aſiaticarum* clericis, quos *S. Ioannes* ex *Patmo* inſula redux factus ordinarit, idem obſeruat, a ſpiritu deſignatos [*i*] eos fuiſſe, adfirmans. Noui equidem COMBEFISIVM [*k*] plane diuerſum his verbis ſenſum dare & dicere, quod per deſignationem, de qua hic ſermo eſt, non nouam aliquam & diſtinctam reuelationem intelligat, ſed, neſcio quam, diuinam hominum prædeſtinationem, vel ipſam etiam eorum ordinationem, quæ fuerit ſigillum ſeu conſignatio ſpiritus, & quod heic nullum teſtimonium pro communi ſenſu, quem interpretes huic loco adſignent, reperiatur. Verum vti hanc ſuam interpretationem ſingularem & reliquorum virorum doctorum omnium ſententiæ contrariam eſſe fatetur; ita cum rebus facti & antiqua hiſtoria manifeſto pugnat, quæ diuerſa alia eiusdem deſignationis exempla ſequentibus ſæculis ſuppeditat. Ex multis vnum alterumue exemplum adferam. EVSEBIVS [*l*], *Alexandrum* epiſco-

mile eſt autem, illum non ſolum ex reuelatione fuiſſe ad docendi munus prouectum, ſed aliqua etiam ſimili ratione vocatum fuiſſe ab initio.

(*i*) Clem. Alex. ap. Euſeb. lib. III. c. XXIII. κλήρῳ ἕνα γέ τινα κληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων.

(*k*) Combefiſ. not. in loc p. 192. (p 120. edit. Ittigian) Quos ſpiritus deſignaſſet diuina potius prædeſtinatione, quam noua aliqua & diſtincta reuelatione, quam nec Clemens ſignificauit, nec vlla probat auctoritas, quicquid interpretes, a quibus non diſcedit Valeſius, leuius certe ſuppleant & detorqueant &c.

(*l*) Euſeb lib VI. c. XI. Μηκέθ' οἷόν τε ὄντος λειτουργεῖν διὰ λίαν ἐσχατον γῆρας, τὸν εἰρημένον Ἀλέξανδρον ἐπίσκοπον ἑτέρας ὑπάρχοντα παροικίας, οἰκονομία θεοῦ ἐπὶ τὴν ἅμα τῷ Ναρκίσσῳ λειτουργίαν ἐκάλει, κατὰ ἀποκάλυψιν νύκτωρ αὐτῷ δι' ὁράματος φανεῖσαν· ταύτῃ δ' οὖν ὥσπερ κατά τι θεοπρόπιον ἐκ τῆς τῶν Καππαδοκῶν γῆς ἔνθα τὸ πρῶτον τῆς ἐπισκοπῆς ἠξίωτο, τὴν πορείαν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα εὐχῆς καὶ τῶν τόπων ἱστορίας ἕνεκεν πεποιημένον, φιλοφρονέστατα οἱ τῇδε ὑπολαβόντες ἀδελφοί, οὐκέτ' οἴκαδε αὐτῷ παλινοστεῖν ἐπιτρέπουσι, καθ' ἑτέραν ἀποκάλυψιν καὶ αὐτοῖς νύκτωρ ὀφθεῖσαν, μίαν τε φωνὴν σαφεστάτην τοῖς μάλιστα αὐτῶν σπουδαίοις χρήσασαν· ἐδήλου γὰρ προελθόντας ἔξω πυλῶν, τὸν ἐκ θεοῦ προωρισμένον αὐτοῖς ἐπίσκοπον ὑποδέξασθαι. Quum propter extremam ſenectutem miniſterium ſuum obire amplius non poſſet (Narciſſus) ſupra dictum Alexandrum alterius eccleſiæ epiſcopum *diuina diſpenſatio per reuelationem quandam*, quæ illis in ſomnis apparuerit, *ad partic[illegible] cum Narciſſo ſacerdotii officium euocauit.* Hac igitur viſione tamquam diuino admonitus oraculo Alexander, cum in

pun

pum *Hierosolymitanum* electum esse, dicit, *κατὰ ἀποκάλυψιν ex reuelatione* & diuina voce, quae quibusdam ecclesiae ascetis significarit, vt extra portas ciuitatis egressi destinatum sibi a Deo episcopum susciperent; & hunc fuisse *Alexandrum* peregrinum ex *Cappadocia*, ob aliud negotium *Hierosolymas* profectum. Fuisse quidem eum antea alio loco episcopum; translationem autem ipsius ad sedem *Hierosolymitanam* diuina prorsus directione contigisse; & haec res est, cuius caussa hoc adlego. Aliud eiusmodi exemplum habemus in electione *Alexandri* sic dicti *carbonarii*, episcopi *Comanae*, cuius mentionem in vita *Gregorii Thaumaturgi* facit GREGORIVS NYSSENVS. Hic *Alexander* philosophus ethnicus & vir admodum eruditus erat, qui religionem amplexus christianam, vt celebritatem fugeret & studia sua philosophica occultius prosequeretur, ex profunda animi submissione ad carbonarium negotium exercendum sese applicabat, nomen inde *carbonarii* sortitus. Accidit igitur episcopatu *Comanae* vacante, vt ciues ad *Gregorium Thaumaturgum* legationem mitterent, vt ad se veniret & ecclesiae episcopum constitueret. Quum autem in multas partes suffragiis scinderentur, quidam cauillans & cum quadam irrisione *Alexandrum carbonarium* proponebat; qui quum per specialem [*m*] quamdam reuelationem *Gregorio Thaumaturgo* tamquam vir extraordinariis virtutibus & dignitate repraesentatus, qui, vt talis esse ignoraretur, contemtiore isto vitae genere se occultasset, & facta iusta inquisitione talis quoque inuentus esset, qualis repraesentatus fuerat, ab vniuersa ecclesia episcopus concorditer electus & a *Gregorio* statim ordinatus fuit. CYPRIANVS de hac diuina designatione saepe loquitur in caussa *Celerini* [*n*]

ex Cappadocia, in qua primum episcopus fuerat ordinatus, Hierosolyma profectus fuisset, tum orandi tum locorum visendorum gratia: fratres illius ecclesiae humanissime eum excipientes, reuerti posthaec in patriam non sinebant. Aliis quippe reuelatio etiam ipsis per somnum visa fuerat; & vox quaedam euidentissima ab iis, qui sanctitate inter ipsos eminebant, audita. Significabat enim ipsis, vt extra portas ciuitatis egressi, destinatum sibi a Deo episcopum susciperent.

(*m*) Nyssen. Tom. III. p. 561. 562.

(*n*) Cyprian. ep. XXXIV. al XXXIX. ad cler. Carthagin. Referimus ad vos Celerinum fratrem nostrum virtutibus pariter & moribus gloriosum *clero nostro non humana suffragatione, sed diuina dignatione coniunctum.* Qui quum consentire dubitaret, ecclesiae ipsius admonitu & hortatu *in visione per noctem com-*

& *Aurelii* [o], vbi lectores tantum debebant ordinari. Diuinitus etiam ſe admonitum & inſtructum fuiſſe [p] affirmat, vt *Numidicus* ab alia eccleſia ad eccleſiam *Carthaginenſem* transferretur. Et SOZOMENVS [q] ex APOLLINARIO *Syro* narrat, quod *Alexander* epiſcopus *Alexandriæ Athanaſium* ſucceſſorem reliquerit diuinis iuſſionibus ad eum deſignandum impulſus. Aliquanto enim ante ipſius obitum diuinis indiciis præmonſtratum ei fuerat, non alium niſi hunc ſucceſſorem ipſius fore. Hinc quum ex hac vita vocaretur iam morti vicinus *Athanaſium* tunc abſentem (fuga enim vtebatur, veritus, ne epiſcopus conſtitueretur) nominatim vocare cœpit. Et quum alter eiusdem nominis, qui illic aderat, vocanti reſpondiſſet, iſti quidem nihil dixit, quippe quem non vocarat. Rurſus vero vocare perſtitit. Quumque id ſæpius fieret, is quidem qui aderat, ſilentio transmittebatur; deſignabatur vero is, qui aberat. Quem, abſentem licet, prophetico ſpiritu ſic adloquebatur: *Effugiſſe te credis, Athanaſi? Non effugies.* Facile foret, plura alia eiusdem generis exempla iſtis addere, ſed hæc ſuffecerint ad demonſtrandum contra COMBEFISIVM, quod prioribus illis ſæculis homines nonnumquam ex ſpeciali diuina reuelatione & prophetia ad miniſterium deſignati fuerint, vel alioquin, ipſos veteres mirifice deluſos eſſe, ſtatuendum ſit. Dum in hoc argumento verſor, duo adhuc monere habeo. Primum quidem, quod, ſi qua columba in cuiuſpiam capite, dum fieret electio, reſideret, hoc ipſum pro diuino aliquo omine haberi conſueuerit, & is, qui iſtud ſignum ha-

pulſus eſt, ne negaret nobis ſuadentibus. Cui plus licuit, hæc coëgit, quia nec fas fuerat, nec decebat ſine honore eccleſiaſtico eſſe, quem ſic dominus honorauit cæleſtis gloriæ dignitate.

(o) Id. Ep. XXXIII. al XXXVIII. In ordinationibus clericis, fratres cariſſimi, ſolemus vos ante conſulere & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare: ſed exſpectanda non ſunt teſtimonia humana, *cum præcedunt diuina ſuffragia*, *Amelius* frater noſter, illuſtris adoleſcens, *a domino iam probatus* & in Deo ſuo carus. &c.

(p) Id. Ep. XXXV. al. XL. Admonitos nos & inſtructos ſciatis *dignatione diuina*, vt Numidicus presbyter adſcribatur presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in clero, luce clariſſima confeſſionis illuſtris & virtutis ac fidei honore ſublimis.

(q) Sozom. lib. II. c. XVII. Ἀλέξανδρος Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος διάδοχον αὐτοῦ καθέλιπεν Ἀθανάσιον, θείαις προστάξεσιν, ὡς ἡγοῦμαι, ἐπὶ αὐτὸν ἀναγαγὼν τὴν ψῆφον.

beret,

beret, ſpectatus ſit tamquam a ſpiritu deſignatus, adeoque præ cæteris omnibus electus fuerit, tamquam emblemate quodam ſpiritus ſancti inſignitus. Hæc, obſeruante EVSEBIO [r], cauſſa erat, quamobrem *Fabianus* epiſcopus *Romæ* eligeretur & reliquis vniuerſis quantumuis peregrinus anteferretur. *De Fabiano*, inquit ille, *qui tum præſens erat; nemo ne tantiſper quidem cogitabat: columbam tamen repente e ſublimi delapſam capiti illius inſediſſe narrant, quæ ſpiritus ſancti, qui olim ſub columbæ ſpecie in ſeruatorem deſcenderat, imaginem referre videbatur. Quo ſpectaculo permotus populus, ac diuino ſpiritu incitatus ſumma cum alacritate vno conſenſu ſimul omnis exclamare cœpit, dignum eſſe: ſtatimque comprehenſum ſacerdotali cathedræ impoſuit. Seueri* epiſcopi *Rauennæ* & *Euortii* epiſcopi *Aureliæ* electio eodem modo facta eſt, vt BLONDELLVS [s] ex eorum

(r) Euſeb. lib. VI. c. XXIX. Ὁ Φαβιανὸς παρὼν, οὐδενὸς μὲν ἀνθρώπων εἰς διάνοιαν ἥει· ὅμως δ' οὖν ἀθρόως ἐκ μετεώρου περιστερὰν καταπτᾶσαν ἐπικαθεσθῆναι τῇ αὐτοῦ κεφαλῇ μνημονεύουσι, μίμημα ἐνδεικνυμένην τῆς ἐπὶ τὸν σωτῆρα τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐν εἴδει περιστερᾶς καθόδου· ἐφ' ᾧ τὸν πάντα λαὸν ὥσπερ ὑφ' ἑνὸς πνεύματος θείου κινηθέντα ὁμόσε, προθυμίᾳ πάσῃ καὶ μιᾷ ψυχῇ ἄξιον ἐπιβοῆσαι· καὶ ἀμελλήτως ἐπὶ τὸν θρόνον τῆς ἐπισκοπῆς λαβόντας αὐτὸν ἐπιθεῖναι.

(s) Blondel. Apol. p. 416.
Surius Vit. Sanctor. Febr. I. (p. 25. edit. Colon. M DC XVIII.) Accidit, vt Rauennæ epiſcopus ex hac vita migraret, & eccleſia illa paſtore orbaretur. Conueniunt igitur frequentes epiſcopi & ex propinquis & remotis locis, vt tantæ ciuitati pontificem ſolito more præficerent atque conſecrarent. Illis vero congregatis, Seuerus domi laborans, vxori dicit: Vadam ocyus & videbo, quis ſit futurus antiſtes noſter. Cui vxor: Sede heic, inquit, & tuum negotium age. Nam ſi velis vacare otio, non erit in rem noſtram. Siue vero tu illic adſis, ſiue domo reſideas, te pontificem non creabunt. Ille porro, liceat mihi, ait, cum bona pace tua illuc ire. Reſpondit coniunx: Fac vt lubet, nam ſine dubio, ſimulatque fueris ingreſſus, epiſcopus ordinaberis. Dixit hoc illa ſalſe & irridicule: ſed vir Dei illico abiit, & veniens in eccleſiam, vbi erat populus cum ſacerdotibus congregatus, quod eſſet vili & deformi opertus habitu, poſt templi oſtium latitabat. Precibus vero pro more abſolutis, *ecce columba niue candidior e cælo deſcendens*, *eius capiti inſidet*. Id ille conſpicatus, columbam a ſe abigit: at illa per aëra circumuolitans, *tertio redit ſuper caput eius*, tamquam in columba diceret ſpiritus ſanctus: Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Ea autem res ſtuporem attulit omnibus, qui ibi tum aderant e clero & populo, & in commune laudes grateſque egerunt Deo bonorum omnium largitori. *Mox* igitur *productus eſt e ſuo latibulo vir ſanctus, & vel inuitus raptus ad ſedem pontificiam*, vnctuſque oleo exſultationis & vnguento ſacri chariſmatis, vt fieri ſolet ad eam dignitatem vocatis.

vitis

vitis a SVRIO descriptis, adnotauit; & lector curiosus alia exempla ex sua ipsius obseruatione proponere sibi poterit. Alterum quod monebo est, quod non numquam fortuitus quidam casus & peculiaris quædam circumstantia, diuina prouidentia ita dispensante, intercesserit, vt pro diuinæ voluntatis significatio-

Sur. ibid. Sept. VII. p. 83. Vbi eo (ad ecclesiam S. Stephani Aureliæ) ventum est, Euortius tamquam ignotus stat iuxta ostiarium. Paullo post iubent episcopi obserari fores & ipsi humi prostrati, cum multo gemitu & lacrimis rogant Deum, vt indicet, quem velit ordinari episcopum. Coniungebat vero etiam suos gemitus populus vniuersus, iurgiorum finem petens a domino, & exspectans quid dicturi essent episcopi. Illis ergo sic orantibus & plangentibus, *columba diuinitus missa*, per fenestram mirabili splendore radiat: atque in ecclesiam inuolans, cum claro strepitu totam fere ædem perua gatur, tamquam inuestigans quippiam. *Cernens* autem beatum *Euortium* ianuæ inhærentem, *in eius capite residet*. Ille vero manibus eam abigit. Eo signo valde permotus populus, tanto instantius orabat dominum, vt illum spiritum mitteret, qui in columba in Christum baptizatum descendit. Columba autem, vt se suo functam ministerio ostenderet, per ostium, quo ingressa erat, rursus auolauit. Tum vero perstrepens populus, lætitia effertur: Episcopi vero & ordines omnes accurate perquirunt, quisnam ille sit, in cuius capite columba sederit. Ibi rursus quædam extitit & sermonum & hominum discrepantia, aliis dicentibus, ostiarium esse: aliis vero non ostiarium, sed eius similem quemdam. Iterum ergo ad preces redeunt sacerdotes, rogantque dominum, vt iubeat redire denuo columbam. Non spreuit Deus illorum preces: *columba redit*, per omnem fere ecclesiam circumuolitat, & tandem *in caput beati Euortii aduolat* Ille rei nouitate perterritus rursus eam repellit, eaque repulsa exit e templo. Exoritur populi strepitus, iubent episcopi hominem, in quo tantum miraculum visum esset, ad se accedere, rogant ab eo, quibus ex locis eo venerit, aut quo proficisci velit. Respondet ille, quemadmodum iam ante responderat ostiario. Illi igitur se exauditos a domino sentientes, gratias ei agunt, quod ex ea vrbe ad ipsos pastorem miserit, ex qua priscis temporibus religionis propagandæ caussa piissimos prædicatores misisset. Deinde præcipiunt beatissimo Euortio, vt cum ipsis ad orationem se submittat, & in altare caput immittat: orantque dominum, vt tertio miraculo ostendere velit, num ille sit, quem elegit ad ecclesiam illam tuendam ac fouendam. Nondum finierunt preces, *& ecce columba* plausu ingenti alas concutiens, *ad locum, in quo prius vir Dei steterat, se confert*, & cum non inueniens, tamquam inquirens vbi sit, coram omnibus circumuolitat. Erant tum ibi non pauci episcopi, qui dicerent acciri debere etiam eos, quorum electio ecclesiam illam vulnerasset, vt viderent, num illis præsentibus ad Euortium columba se reciperet. Acciti sunt igitur, & cum starent cum Euortio inter episcopos, columba circumuolitans lenissime ferebatur in sublime, tandemque se submittens, in vnius Euortii capite requieuit. Tum omnes acclamarunt, dignum illum esse sacerdotio, quippe quem ipse dominus eligeret. cætera.

ficatione & electionis cuiusdam comprobatione id ipsum habitum fuerit. SVLPICIVS SEVERVS hoc speciatim de circumstantia quadam adnotauit, quæ in electione *Martini*, episcopi ecclesiæ *Turonicæ*, accidit. Nonnulli ex episcopis prouincialibus, qui ad antistitem constituendum fuerant euocati, sine vlla idonea ratione electioni eius repugnabant; præcipue autem *Defensor* quidam nomine acerrime resistebat. Accidit autem fortuito, vt, quum lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus a populo deesset, turbatis ministris, dum exspectabatur, qui non aderat, vnus e circumstantibus sumto libro, quem primum versum inueniebat, arriperet, hæc psalmi octaui verba exhibentem: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & DEFENSOREM.* Ita enim vulgata „ versio *Gallicana* tunc legisse videtur. Quibus verbis lectis e ve-" stigio clamor populi tollebatur & pars aduersa confundebatur. Atque ita, inquit auctor noster [t], *habitum est, diuino nutu hunc psalmum lectum fuisse, vt testimonium operis sui defensor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium in Martino domini laude perfecta & ostensus pariter & destructus est inimicus.* Ex his igitur, quæ dicta sunt, lector de veterum opinione iudicare poterit, quando de specialiore hominum ad ecclesiæ ministerium designatione loquuntur.

§. IV.

Quartus modus per communia suffragia & electionem.

Quartus & vltimus designationis modus erat, per ordinaria suffragia & electionem ecclesiæ. Quæ methodus generatim tam accurata erat & tantopere approbata, vt ex imperatoribus *Romanis* aliquis, licet gentilis, laudibus eam extollere sibique exemplum imitandum in ciuilium ministrorum ad publicum imperii vsum electione proponere non dubitauerit. Ita enim LAMPRIDIVS [u] morem *Alexandri Seueri* nobis repræsentat, *vbi*, inquiens, *aliquos voluisset vel rectores prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est, rationales, ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebatque,*

(t) Sulpic. Seuer. vit. Martin. c. VII. p. 225. (c. IX. p. 314. edit. Lipf. MDCCIII.)
(u) Lamprid. vit. Alex. Seuer. c. XLV. (edit. Parif. MDCXX. p. 130.)

graue esse, quum id christiani & iudaei facerent in praedicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunae hominum committerentur & capita. Quod ipsum indicat, quod in ministrorum christianorum electione omnis cura adhibita fuerit, quum eorum praxis hoc respectu tam amplum testimonium ab ipsis ethnicis habeat. Et certe scriptores recentiores vniuersi in hac re generatim consentiunt, quod electiones summa cum cautione & diligentia olim factae sint. In enarrandis autem methodis, quibus hac in re vsi sint veteres, in alia omnia abeunt; vt adeo argumentum nullum tam intricatum sit tamque perplexum, quam quod ad ministrorum ecclesiae attinet electionem, quae res non nullos etiam ab eius commemoratione deterruit. Verum enim vero committendum mihi non est, vt ista formidine abreptus lectores meos penitus heic destituam, & idcirco diuersas recentiorum auctorum, qui de hoc argumento exposuerunt, sententias paucis indicabo ostendamque, quid de vera huius rei ratione ex perspicuis antiquae historiae documentis statui tuto possit, id quod proxime sequenti capite facere animus est.

LIBRI QVARTI
CAPVT SECVNDVM
SPECIALIOR ANTIQVAE METHODI ET RITVS CLERICOS ELIGENDI ENARRATIO.

§. I.

Diuersae virorum doctorum opiniones de plebis in electionibus clericorum potestate.

MAgna illa quaestio, circa quam viri docti hac in re tantopere inter se dissident atque discordant, ad personas attinet, quae ius suffragandi in clericorum electione habebant. Sunt, qui plebi nullam aliam potestatem vmquam concessam fuisse, statuunt, nisi dandi testimonium electae parti, vel contradicendi, si quas iustas & idoneas exceptiones haberent. Ita HABERTVS [a],

(a) Habert. archierat. p. 436. Plena illa & absoluta per populum electio, numquam ecclesiae praesertim graecae placuit, bene quidem consensus plebis & approbatio, vel etiam postulatio, sed *electio* neutiquam.

SIXTVS

SIXTVS [*b*] SENENSIS & BELLARMINVS [*c*] ſentiunt. Alii dicunt, populum abſolutam ſibique propriam eligendi habuiſſe poteſtatem, idque iure apoſtolico, quo per multorum ſæculorum decurſum ſemper gauiſus ſit. Hanc ſententiam accurate tractavit & cum magnæ eruditionis laude contra N. a SANCTA CLARA & reliquos ſecus ſentientes adſeruit BLONDELLVS [*d*]. PETRVS *de* MARCA [*e*] inter hæc duo extrema medium tenet. Dicit enim, populum tantumdem poteſtatis antiquitus habuiſſe ac vllum de clericis infra epiſcopos; hoc eſt eorum conſenſum in prouehendo aliquo epiſcopo non minus neceſſarium fuiſſe, quam ipſorum teſtimonium, hoc ipſum tamen electionem vocare non vult: nam deſignationem, ſiue electionem & iudicium ſoli metropolitano vna cum ſynodo prouincialium epiſcoporum adſignat. Et licet nonnumquam de populi ſuffragatione legamus, illud tamen de ſuffragatione tantum conſenſus non electionis intelligendum eſſe, ſtatuit. MASONIVS [*f*] autem in reſponſione ad PAMELIVM, qui hoc argumentum

(*b*) Sixt. Senenſ. biblioth. lib. V. adnot. CXVIII. Si recte vtriusque doctoris (Origenis & Cypriani) verba expendantur, neuter eorum ius eligendi epiſcopum populo attribuit, ſed hoc tantum fuiſſe indicant a rectoribus eccleſiæ plebi conceſſum, vt ipſi, *populo præſente*, ſub oculis omnium deligerentur, vt digni atque idonei publico iudicio comprobarentur, ne vlla poſt ordinationem retractandi occaſio remaneret, vnde & Lampridius, ſcriptor a noſtra religione alienus in vita Alexandri Aug. refert conſueuiſſe prius nomina eorum, qui eccleſiæ præficiendi erant, proponi palam, *vt ſi quid contra eum populus haberet, id in medium proferret.* cætera.

(*c*) Bellarm. de clericis lib. I. c. VII. Ius eligendi ſacrum pontificem cæterosque eccleſiæ paſtores & miniſtros, *non conuenit populo iure diuino.* Sed ſi quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conniuentia vel conceſſione pontificum. cætera.

(*d*) Blondel. apol. p. 379. &c.

(*e*) Marca de concord. lib. VIII. c. II. n. II. Si negotium iſtud referatur ad primam originem, morumque vetuſtæ eccleſiæ & antiquorum canonum ratio habeatur, conſtans eſt illa ſententia, quæ *ſolum teſtimonium & conſenſum deſignandi epiſcopi clero & populo tribuit*, ipſam vero deſignationem ſiue electionem & iudicium metropolitano vna cum ſynodo prouincialium epiſcoporum. In quo teſtimonio dando non reperio diſcrimen aliquod conſtitutum a veteribus inter clerum ciuitatis & populum. Æquo enim iure hac in parte vtebantur & vtriusque conſenſus ad ſuſcipiendum epiſcopum exſpectandus erat. Tota quippe, vt iam dixi, auctoritas erat penes epiſcopos & præcipue penes metropolitanum, qui rebus geſtis τὸ κῦρος adhibebat, vt loquitur ſynodus Nicæna.

(*f*) Moſon's *conſecrat. of biſhops* lib. IV. c. IV. p. 159. 160.

iam ante MARCAM quodammodo tractauit, hoc reiicit, tamquam distinctionem, quæ errorem imprudentibus obtrudat, adseritque, quod populo proprie suffragium in electione competat, & episcopum ANDREWS [g] pro eadem sententia adlegat: hoc tamen non adeo feruide persequitur, vt cum BLONDELLO illud ius immutabile fuisse, contendat; sed a Deo liberum relictum esse dicit, vt pro arbitrio ecclesiæ ordinaretur, atque ita omnia decenter & secundum ordinem fierent. Et hæc SPALATENSIS [h], RICHERII [i],

(g) Andrews resp. ad apol. Bell. c. XIII. p. 3[illegible]. Præsentia plebis apud Cyprianum includit testimonium de vita, *nec excludit suffragium de persona.*

(h) Spalat. de rep. eccles. lib. III. c. III. n. XLII. Quoniam qui excludunt plebem nostri ab electionibus episcoporum, plebis partes non alias ponunt antiquitus, nisi vt testimonium reddat de vita & moribus promouendi, vt errare se cognoscant, si non sint satis tot testimonia iam adducta, in quibus multo plus tribuitur plebi quam tale testimonium; legant acta concilii Chalcedonensis - - legant etiam Alcuinum (de diuin. offic. c. XXXVI.) vbi sic scribit; Quum episcopus ciuitatis fuerit defunctus, eligitur alius a clero seu populo. cætera.

(i) Richer. histor. concil. lib. I. c. XII n. XVIII. p. 389 edit. Colon. MDCLXXXIII. (p. 383 384. edit. MDCLXXX.) Canon XXII (concil. IV. Constantinop.) sic habet: *Promotiones atque consecrationes cætera.* - Huic canoni concordat XII. ad cuius intelligentiam cardinalis Cusanus lib. II. de concordantia c. XXXII. demonstrans inuitis dari non posse episcopum: quam in rem laudat can. de Neptis XXXI. quæst. II. quo docetur, *sicut in matrimonio carnali, sic in ecclesia vnum corpus spirituale constitui debere ex episcopo & plebe, ac proinde consensum necessarium videri: quoniam non duorum*, inquit, *inter episcopum & ecclesiam matrimonium esse III quæst. I. can. Audiuimus. Et propterea I. quæst. I. can. Ordinationes, dici ordinationes, quæ non fiunt communi consensu cleri & populi secundum canonicas sanctiones, & ab iis, ad quos consecratio pertinet, non comprobari & falsas iudicari; quoniam qui taliter ordinantur, non per ostium, id est, per Christum intrant, sed, vt ipsa veritas testatur, fures sint & latrones. Et ratio huius est, quoniam consensus de essentia matrimonii est. Diuersitas enim ordinum præpositorum & subiectorum pro conseruatione reipublicæ ordinata est, vt dum reuerentiam exhibent minores potioribus, & potiores minoribus dilectionem, vera concordia ex diuersitate contexeretur, vt recte officiorum gereretur administratio, vt LXXXIX. Dist. can. Ad hoc, & Distinct. XLV. can. Licet. Igitur ex concordantia subsistit ecclesia. QVARE INVITIS PRAESES NON RECTE PRAEPONITVR, de quo pulcre Distinct. XCV. can. Esto. Sed oportet, quod ille QVI PRAEEST, AB OMNIBVS QVIBVS PRAEEST, CONSTITVATVR, tacite vel expresse: sin autem aliter præsumtum fuerit, viribus carere dubium non est, quia irritum est Distinct. LXVI can. Archiepiscopus: qui dicit ubi, OPORTET VT ILLE, QVI OMNIBVS PRAEESSE DEBET, AB OMNIBVS ELIGATVR.* cætera.

IVSTEL-

IVSTELLI [k], SVICERI aliorumque quorumdam doctorum virorum in vtrisque ecclesiis opinio videtur fuisse. Sunt alii, qui distinguunt inter tempora, quæ concilium *Nicænum* antegressa, & inter ea, quæ illud consequuta sunt. Putant enim, quidquid potestatis in prioribus tribus sæculis populo concessum fuerit, id hoc ipso concilio nec non *Antiocheno* & *Laodiceno*, quod vtrumque non multo post insequutum est, ei rursus ereptum. Ita SCHELSTRATVS [l] in dissertationibus suis in concilium *Antiochenum* statuit, vbi CHRISTIANVM LVPVM & SIRMONDVM in eamdem sententiam citat. Sed hoc, tamquam fictio omni destituta fundamento, explosum est non tantum a SPALATENSI [m] & PEARSONIO [n], sed etiam a RICHERIO [o], CABASSVTIO [p],

(k) Iustel. not. in can. VI. concil. Chalced. (Tom. I. p 92. b.) Is fuit vetus mos ecclesiæ in episcopis ordinandis, vt rogarentur suffragia non modo cleri, sed etiam populi, atque vt omnium, de eo qui ordinandus erat, iudicia sciscitarentur, illius nomen ecclesiæ publice proponebatur, facta omnibus potestate quidquid vellent eis obiiciendi, &c.

(l) Schelstrat not. in can. XIX. concil. Antioch. (p. 599.) Canon innouat quartum Nicænum & eadem statuit cum duodecimo Laodiceno: id quod statuit, vbique obseruatum fuit a tempore Nicæni concilii, a quo omnes fatentur *plebis suffragia non amplius fuisse in vsu.*

(m) Spalat. de rep. eccles. lib. III. c. III. n. XII. Post concilium Nicænum in electionibus eumdem prorsus veterem morem perpetuo ecclesiam ad nostra pene tempora seruasse, vt *a clero & populo* fieret, ex patribus & rebus gestis; ex conciliis & iuribus; ex Rom. pont. attestationibus & decretis iam, sumo probandum. cætera.

(n) Pearson. vindic. Ignat. part. I. c. XI. p. 324. tot.

(o) Richer. histor. concil. tom. I. c. II n. VII. (p. 20. lin. vlt. edit. Colon MDCLXXX.) Notandum contra Valesium tertia parte libri de suprema potestate papæ quæst. sexta circa medium, vbi canonem quartum Nicænum explicat, patres Nicænos non abstulisse populo ius eligendorum episcoporum, sed tantum præcepisse electionem populi & cleri a metropolitano confirmari, & ab episcopis prouinciæ fieri oportere. Nam dehinc semper populus in sua possessione eligendi pastores continuauit, idque hac synodali epistola clare ostenditur, vbi nominatim habetur *episcopum Alexandriæ debere populi electionem confirmare.*

(p) Caballut. notit. concil. c. XVII. ad can. IV. Nicæn. p. 83. edit. Lugdun. MDCLXX. 8uo. (p. 56. edit. Vener. MDCCIII. 8uo.) Nullatenus heic audiendus Theodorus Balsamon scribens in hunc can IV. episcopos olim quidem fuisse ab vniuersa plebe electos. Quia tamen in hisce popularibus comitiis multa iactabantur indecora in eos, quorum proponebatur electio, fuisse Nicæno isto canone consuetudinem illam abrogatam statutumque, vt soli episcopi eligerentur. Sed errat Balsamon, cum nullum heic appareat abrogationis vestigium, & constet, fuisse

VALESIO [q], PETAVIO [r], *de* MARCA [s], aliisque eruditis ecclesiæ *Romanensis* scriptoribus, qui patres *Nicænos* hac in re nihil immutasse, sed omnia ita, vt inuenerint, reliquisse, statuunt. Alii rursus distinguunt inter electionem episcoporum & reliquorum clericorum, populi consensum ad episcoporum quidem electionem, non autem ad inferiorum clericorum promotionem, necessarium fuisse, dictitantes. Ita CABASSVTIVS [t], & BEVEREGIVS

---

pleraque post Nicænum concilium admissa vbique in episcopis eligendis populi suffragia: sic tamen vt moderationi & regimini subesset episcoporum: quemadmodum Athenis πρόεδροι popularibus suffragiis præerant, vt docet Iulius Pollux lib. VIII. cæt.

(q) Valef. not. in Euseb. lib. VI. c XLIII. p. 121. Presbyteri olim ab episcopo ordinari non poterant *sine consensu* cleri & *populi*. Ac de populi quidem suffragio in electione presbyterorum testantur patres concilii Nicæni in epistola synodica ad episcopos Ægypti - - - - Denique adeo necessarium fuit plebis suffragium in electione presbyterorum, vt sæpenumero in ecclesia plebs tumultuosis vociferationibus presbyterum aliquem fieri postularet & cogeret. cætera.

(r) Petau. not. in Synes. p. 56. Quo in canone (Nicæno IV.) de episcopi creatione ipsa, siue electione agitur; quæ ita *populi suffragiis permitti solebat*, vt iis moderandis ac gubernandis adessent, immo præessent episcopi. *Nec audiendus Balsamo, qui ad hunc canonem obseruat*, olim quidem episcopos a populo consueuisse deligi, sed quod in suffragiis ferendis, de eorum vita quædam interdum minus decora & honesta iactarentur, *morem illum hoc canone abrogatum fuisse*, ac deinceps statutum, vt ab episcopis ea fieret electio. Quo nihil dici potest absurdius. Non enim popularia suffragia iste canon sustulit, sed his, vt dixi, moderandis, vel cum illis etiam episcoporum auctoritatem iussit adhiberi. Quemadmodum Athenis popularibus concionibus aderant πρόεδροι, vt docet Iulius Pollux lib. VIII. & Harpocratio. Quin etiam multo post Nicænum concilium tempore perseuerauit in ecclesia, *vt a populo crearentur episcopi*; idque & pontificum Romanorum & conciliorum decreta sanxerunt.

(s) Marca de concord. lib. VIII. c. III n. IV. Ex quibus canonibus (can. Nic. IV. Antioch. XIX. Laodicen. XIII.) aperte conficitur, episcoporum promotionem iudicio synodi plenissime permissum. Et ne consultatio, quæ cum *clero & plebe* habenda est auctoritate canonis fulta, contumaces redderet ciuium animos episcoporum iudicio, eius mentio omissa est in canonibus; relicta interim consuetudine iam recepta de tractatu electionis habendo cum *clero & plebe* ciuitatis. Ius itaque episcoporum canone firmatum est. Quod pertinet ad populum, consuetudini relictum est.

(t) Cabassut. notit concil. c. XXXV. p. 196. (p 136. 137. edit. Venet. M DCC III.) Probatum inuictis testimoniis fuit superius ad Nicænum canonem quartum, ad episcoporum electionem admissa olim fuisse plebis suffragia. Secus tamen fieri solitum fuit circa minorum sacerdotum & inferiorum ecclesiæ ministrorum electionem, vt ex isto canone decimo tertio perspicuum fit. Populi quidem te-

episco-

episcopus [u], qui hoc argumentum notius esse, putat, quam vt in controuersiam vocari possit. VALESIVS nihilo secius de eo disputat, & contrarium [w] adserit, nimirum presbyteros olim ab episcopo ordinari non potuisse, sine consensu cleri & populi. STILLINGFLEETVS episcopus, qui ex nouissimis scriptoribus est, qui hoc argumentum tractauerunt, mentem suam sequentibus obseruationibus declarat: „*Primo* quidem, quod præcipuum fundamentum, quo plebis ius [x] nitatur, situm sit in regula illa apostolica, quod episcopum oporteat irreprehensum esse, & bonum habere testimonium: adeoque [y] populi curam & negotium in electionibus, ipsa etiam CYPRIANI ætate, non ad suffragia, „sed tantum ad testimonia sua de bona vel mala vitæ candidati „ratione danda, spectauisse dicit. *Secundo*, quod populus tamen „hac occasione potestatem electionis sibi arrogauerit, & hoc i-„pso magnos tumultus & turbas dederit in ecclesia. *Tertio*, quod

---

stimonium de vita & moribus ordinandi requirebatur. Iuxta illud 1 Tim. III. *oportet illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Quin immo nonnumquam populus ipse aliquem proponebat, & postulabat ordinari: Testatur enim Paulinus ep. XLV. se Barcinone in Hispania fuisse ab episcopo Lampio initiatum clero & *sacratum ad illius populi postulationem.* Item refert Aug ep. CCXXV. *fuisse Pinianum ab Hipponensi populo* instanter postulatum, vt ad clerum promoueretur. Insuper (ne quid huc pertinens omittatur) actum apost. I. non soli apostoli, sed tota ecclesia Matthiam elegit, & Ioseph Barsabam, vt ex eis vnus adnumeretur. Et act VI. credentium conuocata multitudo septem diaconos elegit. Verum ad illud primum caput testatur Chrysostomus, Petrum potuisse quidem per se ipsum merito eligere, sed maluisse per modestiam & prudentiam vniuersæ ecclesiæ gratificari. Postulationes autem, quæ fiebant episcopis a populo, nihil habuisse præter supplicationes: neque ius vllum, aut obligationem induxisse, certum est.

(u) Beuereg. not. in can. VI concil Chalced. ad vocab. ἐπικηρύττοιτο: Non quidem inficias eam, quin ἐπικηρύττω sæpius, palam & per præconem aliquid denuntiare & prædicare significet, neque etiam me latet, suffragia olim cleri populique publice rogata esse, priusquam episcopus ordinaretur: sed qua tamen ratione Christophorus Iustellus hanc vocem eo sensu heic vsurpari adseruerit non video. Etiamsi enim episcoporum nomina publice proposita fuerint, priusquam antiquitus ordinarentur; idem tamen in presbyterorum, aliorumque inferiorum clericorum ordinationibus numquam obtinuisse, notius est, quam vt probatione indigeat. cætera.

(w) Vales in Euseb. lib. VI. c. XLIII. vid. not. (q) supra p. 94

(x) Stillingfl *Unreason. of Separat.* Par. III. n. XXV. p. 312 313. §. 25 n. 1. 2. 3. 4. 5.

(y) Ibid. p. 316. 317.

ad

„ad occurrendum istis tumultibus multi episcopi inconsulta ple-„be constituti & canones ad eam melius compescendam conditi „sint. *Quarto*, quod vbi magistratus fuerint christiani, ipsi non „obstante, quod populus sibi arrogarit, iure in tanti momenti „caussa id egerint, quod ad pacem ecclesiæ & reipublicæ conser-„vandam facere crediderunt. *Quinto*, quod quum ecclesiæ gu-„bernatio mutaretur, populo ius suum per ipsorum consensum in „popularis senatus collegiis, *parlamentorum* nomine insignitis, ser-„vatum, & quod consensu isto episcoporum nominatio principi-„bus, inferior autem beneficiorum *patronatus* hominibus priuatis „vindicatus sit.„ In tanta sententiarum ac opinionum virorum doctorum varietate haud nefas erit a quibusdam dissentire, & idcirco opiniones eorum recognoscendi mihi sumam libertatem, & sine partium studio indicabo, quidquid in illis cum antiqua historia & regulis ac consuetudine ecclesiæ vel congruere vel pugnare existimem.

§. II.

In episcopi cuiusdam electione populus æqualem cum clero inferiore habebat potestatem.

Heic ante omnia notandum est, non vniuersalem quamdam & immutabilem regulam circa hoc negotium semper & vbique obseruatam fuisse, sed praxin pro diuersa rerum & circumstantiarum ecclesiæ conditione discrepasse; quemadmodum ex iis, quæ in hac historia subsequuntur, euidenter apparebit. Interim ob eruationem a PETRO *de* MARCA factam eatenus veram esse, reor, quod quidquid potestatis in episcopi sui electione clerus inferior habuit, idem populo, siue vniuerso ecclesiæ corpori, generatim concessum fuerit, metropolitano quidem & synodo prouincialium episcoporum rem omnem moderante. Nam de plebis potestate, quæcumque tandem ea fuerit, prorsus eædem locutiones & verba eadem adhibentur. Non nulli consensum, alii suffragium, electionem alii vocant; in hoc autem consentiunt omnes, quod consensus, suffragium & electio tum cleri tum populi omnino æqualis fuerit. Ita *Cornelius* CYPRIANO [z], de cle-

(z) Cypr. epist. LII. al. LV. p. 104. (p. 68. edit. Parif. MDCLXVI.) Factus est Cornelius episcopus de Dei & Christi eius iudicio, *de clericorum* pene omnium *testimonio*, *de plebis* quæ tunc adfuit *suffragio* & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.

rico-

ricorum testimonio & plebis suffragio episcopus factus esse, obseruatur. Vbi manifestum est, vocabula *testimonium* & *suffragium* & clero & populo adscribi. SOCRATES [a] de *Chrysostomi* loquens electione, communi omnium suffragio, cleri videlicet ac populi, eum electum esse dicit. Et THEODORETVS [b] *Eustathii*, ecclesiæ *Antiochensis* episcopi, electionem eadem ratione describit, quando ad suscipiendum episcopatum communi episcoporum, clericorum & vniuersæ plebis suffragio compulsum eum esse, scribit. SIRICIVS [c] hoc cleri ac plebis electionem nominat; & CELESTINVS [d] cleri ac plebis consensum & desiderium; LEO autem [e] consensum & electionem & vota populi; qui etiam addit, *si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, metropolitani iudicio eum alteri præferendum esse, qui maioribus & studiis iuuetur & meritis.* Ex quibus omnibus, & compluribus locis aliis, quæ in eamdem hanc sententiam adferri poterant, perspicue apparet, potestatem cleri & populi hac in re fuisse æqualem, nec alterutrum sibi quidquam arrogasse, quod alteri non perinde licuerit.

§. III.

Hæc potestas non mere testimonialis sed iudicialis erat & vim habebat electionis.

Et hinc porro liquet, hanc coniunctam cleri ac populi po-

(a) Socrat. lib. VI. c. II. ὀλίγε διαδράσαντος χρόνε ψηφίσματι κοινῷ ὁμε πάντων κλήρε τὲ φημὶ καὶ λαε ὁ βασιλεὺς αὐτὸν Ἀρκάδιος μεταπέμπεται.

(b) Theod. lib. I. c. VII. ὁ μέγας Ευστάθιος, ὁ τῆς Αντιοχέων ἐκκλησίας τὴν προεδρίαν λαχὼν - - τῦτον δὲ ἄκοντα, ποιμαίνειν ἀντ' ἐκείνε τὴν ἐκκλησίαν ἐκείνην ψήφῳ κοινῇ κατηνάγκασαν, ἀρχιερεῖς τε καὶ ἱερεῖς καὶ ἅπας ὁ λεὼς ὁ φιλόχριστος. Magnus Eustathius ecclesiæ Antiochenis episcopus - - *communi consensu episcoporum & clericorum DEIque amantissimæ plebis* inuitus ad ecclesiæ illius administrationem euectus fuit.

(c) Siric. ep. I. ad Himerium Tarracon. c. X. (Tom. II. concil. p. 1021.) Presbyterio vel episcopatui, si eum *cleri ac plebis* euocauerit *electio*, non immerito sociertur.

(d) Celestin. ep. II. c. V. (Tom. II. concil. p 1621.) Nullus inuitis detur episcopus. *Cleri, plebis, & ordinis consensus & desiderium* requiratur.

(e) Leo M. ep. LXXXIV. ad Anastas. c. V. (Tom. III. conc. p. 1385.) Cum de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, *quem cleri plebisque consensus concorditer postularit*; ita vt si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studiis iuuatur & meritis: cætera.

teſtatem non mere teſtimonialem, ſed, vt ANDREWS epiſcopus & MASONIVS adſerunt, iudicialem& efficacem fuiſſe poteſtatem, per modum proprii ſuffragii & electionis; idque tam ætate *Cyprianica*, quam poſtea. CYPRIANVS enim tum teſtimonii tum ſuffragii meminit, quod & clero & populo competat; eamque ordinationem iuſtam & legitimam eſſe dicit [*f*], quæ omnium tam cleri quam plebis, ſuffragio & iudicio fuerit examinata: ita vt electioni epiſcopi ſui, non propter nudum de ipſius vita dandum teſtimonium, ſed, quemadmodum ANDREWS epiſcopus id interpretatur, ad ferenda ſuffragia ipſius perſonæ intuitu tunc adfuerint. Quæ obſeruatio porro diuerſarum regularum & rituum, qui in his electionibus generatim adhiberi conſueuerunt, commemoratione probari poterit atque confirmari.

§. IV.

Teſtimonia de hac poteſtate e quibusdam vetuſtis regulis ac conſuetudinibus eccleſiæ petita. Primum *quidem, quod nullus epiſcopus vlli plebi orthodoxæ inuitæ obtrudi debuerit.*

Vna ex his regulis erat, quod nullus epiſcopus orthodoxo populo inuito nec conſentienti obtrudi debebat. Orthodoxo, inquam, populo. Si enim maior populi pars hæretica eſſet vel ſchiſmatica, praxis alia erat, vt deinceps oſtendetur; ſin autem omnes eſſent catholici, & de catholico benequemerito epiſcopo inter eos conueniret, ipſorum electio plerumque rata habebatur, nec quempiam, a quo eorum abalienatæ eſſent voluntates, fas erat conſtitui. Interdum epiſcopi in ſynodo aliquem proponebant, populusque eum recipiebat: interdum populus proponebat, & conſentiebant epiſcopi, & ſi in digna quadam electione ciuium concordarent animi, vix vmquam eam reiectam fuiſſe, inuenias. Si vero diuiſi eſſent & diſcordes, metropolitani erat, conciliare eorum animos & in electione ſua figere, neque vero haud electum eis obtrudere poterat. Hoc e quadam LEO-

(*f*) Cyprian ep. LXVIII. al. LXVII. ad fr tr. Hiſpan, p. 172. (p 113 edit. Pariſ. MDCLXVI.) Coram omni ſynagoga iubet Deus conſtitui ſacerdotem, id eſt, inſtruit & oſtendit, ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi adſiſtentis conſcientia fieri oportere, vt plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & ſit ordinatio iuſta & legitima, quæ *omnium ſuffragio & iudicio* fuerit examinata.

NIS

NIS epiſtola [g] diſcimus, vbi ſimul & regulam & praxin eccleſiæ, eiusque rationes nobis tradit. *Quum* inquit, *de ſummi ſacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque conſenſus concorditer poſtularit; ita vt ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diuiſerint, metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & ſtudiis iuuatur & meritis: tantum vt nullus inuitis & non petentibus ordinetur, ne plebs inuita epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit & fiat minus religioſa, quam conuenit, cui non licuerit habere, quem voluit.* Huius regulæ violationem, tamquam grande crimen *Hilario Arelatenſi Valentinianus* III. imperator obiectabat *Indecenter*, inquiens [h], *alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit. Qui quidem, quoniam non facile ab his qui non elegerant recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam — & ad ſedem quietis pacem prædicaturos per bella ducebat.* LEO [i] idem ei exprobrabat aliaque ipſum via incedere oportuiſſe, monebat, *Exſpectarentur*, inquiens, *certa vota ciuium, teſtimonia populorum; quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum: -- Qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.* Hoc manifeſto oſtendit, populi ſuffragium tunc temporis amplius quid, quam mere teſtimoniale, fuiſſe.

§. V.

Secundo: *Hoc porro exemplis confirmatur epiſcoporum, qui contra ipſam animi ſui propenſionem ad ſuffragia plebis ſe conformarunt.*

Secundo; Aliud argumentum eſt, quod in multis caſibus populi ſuffragia ipſis epiſcopis præualuerint, ſi in primis ſuis conſiliis inter ſe eſſent diuiſi. Hoc in celebratiſſima illa *Martini* epiſcopi *Turonici* electione accidit, cuius mentio capite ſuperiore §. III. facta eſt. Populus concordiſſime eum deſiderabat epiſcopum. *Defenſor* cum magna epiſcoporum parte initio repugnabat: ſed populi ſuffragium præualebat, & epiſcopi ad eius ſe accommodabant arbitrium, *Martinumque* ordinabant. Aliud ſimile exemplum ſuppeditat PHILOSTORGIVS, *Demophilus* epiſcopus *Conſtantinopolitanus*, quum epiſcopi ordinandi cauſſa vna cum aliis quibusdam epiſcopis, *Arianiſmi* ſuſpectis, *Cyzicum* veniſſet, populus

(g) Leo ep. LXXXIV. c. V. conf. not. anteced. (e)
(h) Nouell. XXIV. ad calc. cod. Theod.
(i) Leo epiſt. LXXXIX. ad epiſc. Vien.

interpolita contestatione id nolebat concedere, nisi prius *Aëtium* & *Eunomium* tum orationibus tum scriptis publice anathemate damnassent: quam contestationem quum illi admisissent, suo tamen *Cyziceni* inhærebant privilegio, neminemque alium ad episcopatum promoueri patiebantur, nisi quem ipsorum suffragia [*k*] prætulissent. Qui quum esset ordinatus, illico τὸ ὁμοούσιον, doctrinam illam catholicam, quod filius eiusdem cum patre sit substantiæ, prædicabat. Antiquæ historiæ monimenta lectori plura istiusmodi exempla alia suppeditabunt.

§. VI.

Tertio: *Ex ratione suffragandi & eligendi, quam populus inibat.*

Tertio: Aliud testimonium de potestate populari in electionibus perhibet modus suffragandi seu testandi adsensum vel dissensum in alicuius ordinatione: qui erat triplex. Vel enim *primo* vnanimes erant in suffragando pro quopiam vel contra eum, & tunc mentem suam vniuersali quadam acclamatione declarare solebant, vna omnes voce clamantes, ἄξιος, *dignus*, vel ἀνάξιος, *indignus*. Cuius rei exempla in AMBROSIO [*l*], AVGVSTINO [*m*], EVSEBIO [*n*], PHILOSTORGIO [*o*], PHOTIO [*p*], auctore *constitutionum* [*q*] & diuersis aliis reperire lector potest.

(*k*) Philostorg. lib. IX. c. XIII. οὐχ ἕτερόν τινα πρότερον ἐλθεῖν ἀνασχόμενοι, ἀλλ' ὃν αὐτῶν αἱ ψῆφοι προσέταττον.

(*l*) Ambros. de dignit. sacerd. c. V. In ordinationibus eorum clamant & dicunt: *Dignus es, & iustus es.*

(*m*) Aug. ep. CX. Dignus & iustus est, dictum est vicies.

(*n*) Euseb. lib. VI, c. XXIX. Ἐφ' ᾧ τὸν πάντα λαὸν ὥσπερ ὑφ' ἑνὸς πνεύματος θείου κινηθέντας ὁμόσε, προθυμίᾳ πάσῃ καὶ μιᾷ ψυχῇ ἄξιον ἐπιβοῆσαι. Quo spectaculo permotus populus ac diuino spiritu incitatus summa cum alacritate vno consensu simul omnis *exclamare cœpit dignum esse.*

(*o*) Philostorg. lib. IX. c. X. πολλοὶ τοῦ παρόντος ὄχλου, ἐν τῇ Δημοφίλου καθιδρύσει, ἀντὶ τοῦ Ἄξιος ἀνεβόων τὸ Ἀνάξιος. Dum Demophilus in episcopali sede collocaretur, multi ex populo, qui tum aderant, non *dignus* acclamarunt, sed *indignus.*

(*p*) Phot. cod CCLVI p. 1414. ὁ λαὸς μιᾷ φωνῇ σὺν αὐτῷ βασιλεῖ ἐπὶ πλείους ὥρας ἐβόα τὸ ἄξιος. Populus vno ore cum ipso imperatore horis aliquot exclamauit: *Dignus est.*

(*q*) Constit. apost. lib. VIII, c. IV. - - ἐκ τρίτου πάλιν πυθέσθωσαν, εἰ ἄξιός ἐστιν

Vel

Vel *ſecundo* diuiſi in electione ſua erant & tum diſſenſum ſuum ſpecialioribus propoſitæ partis accuſationibus, coitionibus factionibusque & interdum cruentis tumultibus ſignificabant. CHRYSOSTOMVS [r] ad hunc eligendi modum reſpicit, quando in libro ſuo de ſacerdotio ita ſcribit: *Vis & aliud tibi pugnæ huius generis aperiam, periculis mille plenum? Ito hinc iam, & publica feſta ſpectato: ea dico, in quibus dignitatum eccleſiaſticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari epiſcopum, quanta eſt tota illa ſubditorum multitudo, quibus eligendi poteſtas conceſſa eſt. Hos omnes tam in multas factiones ſcindi neque inter ſe conſentire, neque cum eo, cui ſorte epiſcopatus delatus ſit, presbyterorum congregationem conuenire videas; ſed unusquisque a ſuis partibus ſtat, alius hunc alius illum eligens.* Et relatio non tantum ab AMMIANO MARCELLINO [s] ſed SOCRATE [t] etiam aliisque hiſtoricis data de tumultu, *Romæ* in electione *Damaſi* oborto, oſtendit, quod populo nonnumquam plus conceſſum fuerit, quam nudum dare teſtimonium, alioquin in tam effrenatum ac indomitum tumultum vix fuiſſet concitatus. Erat etiam *tertius* aliquis conſenſum ſuum teſtandi modus, vt decreto electionis maioris ſecuritatis gratia ſubſcriberent, ne qua pars poſtea ſe in electionem conſenſiſſe negare poſſet. Ita

---

ἀληθῶς τῆς λειτουργίας - καὶ συνθεμένων αὐτῶν ἐκ τρίτου ἄξιον εἶναι, ὑπαιτείσθωσαν οἱ πάντες σύνθημα. κ. τ. λ. - Rurſus tertio interrogent, *vtrum ſit* miniſterio *dignus* - - & cum tertio annuerint & *dignum eſſe* aſſenſi fuerint, petatur ab omnibus, vt præbeant ſignum adſenſus.

(r) Chryſoſtom. de ſacerdot lib. III. c XV. (Tom. IV. edit. Francof. p. 41.) Βούλει σοι καὶ ἕτερον ἐπιδείξω ταύτης τῆς μάχης εἶδος, μυρίων ἐμπεπλησμένον κινδύνων; ἴθι δὴ καὶ διάκυψον εἰς τὰς δημοτελεῖς ἑορτὰς, ἐν αἷς μάλιστα τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἀρχῶν τὰς αἱρέσεις ποιεῖσθαι νόμος· καὶ τοσαύταις ὄψει κατηγορίαις τὸν ἱερέα βαλλόμενον, ὅσον τῶν ἀρχομένων τὸ πλῆθός ἐστι. πάντες γὰρ οἱ δοῦναι κύριοι τὴν τιμὴν εἰς πολλὰ τότε σχίζονται μέρη· καὶ οὔτε πρὸς ἀλλήλους, οὔτε πρὸς αὐτὸν τὸν λαχόντα τὴν ἐπισκοπὴν, τὸ τῶν πρεσβυτέρων συνέδριον ὁμογνωμονοῦν ἴδοι τις ἄν, ἀλλ' ἕκαστος καθ' ἑαυτὸν ἑστήκασιν, ὁ μὲν τοῦτον, ὁ δὲ ἐκεῖνον αἱρούμενος.

(s) Ammian. lib. XXVII. c. III. Damaſus & Vrſinus ſupra humanum modum ad rapiendam epiſcopatus ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrime conflictabantur, ad vſque mortis vulnerumque diſcrimina adiumentis vtriusque progreſſis: quæ nec corrigere ſufficiens Iuuentius nec mollire, coactus vi magna ſeceſſit in ſuburbanum. Et in concertatione ſuperauerat Damaſus, parte quæ ei fauebat inſtante, cætera.

(t) Socrat. lib. IV. c. XXIX. tot.

in electione *Meletii* episcopi *Antiocheni* factum est, qui communi *catholicorum* & *Arianorum* consensu eligebatur, vtraque parte suæ opinioni eum addictum esse existimante. Decretum electionis, VT THEODORETVS auctor est [*v*], perscriptum & cunctorum subscriptionibus firmatum tum hi tum illi tamquam commune pactum *Eusebio Samosatensi* episcopo seruandum tradebant, quod quum *Constantius*, catholicum sese præbente *Meletio*, ab *Eusebio* repeteret, nullis comminationibus ab eo extorquere illud poterat. AVGVSTINVS idem [w] de *Eradii*, successoris sui *Hippone*, electione narrat, quam certis de caussis se viuo fieri volebat. Primum ecclesiæ notarios acclamationes populi excipere calamo iubebat, deinde vt gestis subscriberent, qui poterant, omnes rogabat. Et hæc ordinaria erat via, si metropolitanus in electione adesse coram non posset, decretum totius ecclesiæ litteris consignabatur ad eumque deferebatur, vt ratum & firmum illud esse iuberet. Cuius consuetudinis reliquias etiamnum videre licet in antiquo *ordine Romano* [*x*], vbi formula quædam decreti habetur, cui clerus & populus, quum episcopum eligerent, subscribere, illudque metropolitano ac synodo exhibere debebant, vt electus consecraretur. Quo in casu si metropolitanus in examine electum talem deprehenderet, qualem ipsi ei scripto repræsentauerant, confirmabat ratamque habebat eorum electionem, atque illico ipsum ordinabat. Quæ omnia innuunt, populum decretoriam quamdam in electionibus habuisse potestatem, nec mere testimoniale eius fuisse suffragium.

§. VII.

Quarto: *Ex vsu & officio interuentorum.*

Quarto: Hoc porro ex vsu & officio *interuentorum* in ecclesia *latina* manifestum est, quorum erat, maturam noui episcopi in vacantem sedem electionem promouere atque procurare,

(*v*) Theodor. lib II c. XXXI. & XXXII.

(*w*) August. ep CX. A notariis ecclesiæ, sicut cernitis, excipiuntur quæ dicimus, excipiuntur quæ dicitis, & meus sermo & vestræ acclamationes in terram non cadunt - Hoc ad vltimum rogo, vt gestis istis dignemini subscribere, qui potestis.

(*x*) Ordo Rom. (Bibliothec. patr. tom. X. p. 104.) Decretum, quod clerus & populus firmare (al. formare) debet de electo episcopo -- *vt omnium nostrorum vota in hanc electionem conuenire noscatis, huic decreto canonico promtissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus.*

quem-

quemadmodum alio loco [xx] ostendimus. In *Romana* enim & *Africana* ecclesiis, vacante quodam episcopatu, moris erat, vt metropolitanus prouincialium suorum episcoporum cuidam daret negotium, vt ad vacantem ecclesiam se conferret, clerique ac populi animos ad concordiam in noui episcopi electione præpararet; qua de re vbi inter eos conuenerat, metropolitanum per interuentorem rogabant, vt electionem suam confirmaret, & vna cum synodo quadam episcoporum prouincialium veniret & ordinaret eum, quem elegissent; vel alioquin decretum litteris consignabant, tum ab interuentore tum a semetipsis subscriptum, nouumque electum episcopum metropolitano exhibebant, qui eum in propria ipsius ecclesia ordinabat. Hæc fuit praxis prouinciæ *Romanæ* tempore SYMMACHI & GREGORII MAGNI, vti ex eorum epistolis apparet, quibus interuentores, siue, vt eos vocant, visitatores instruuntur, quemadmodum in præsenti casu se gerere debeant. *Decretum*, inquit SYMMACHVS [y], *sine visitatoris præsentia nemo conficiat, cuius testimonio clericorum ac ciuium possit vnanimitas declarari.* Et GREGORIVS *Barbaro* episcopo *Beneuentano* & visitatori ecclesiæ *Panormitanæ* mittens, ita præcipit: *Dilectio tua ad prædictam ecclesiam (Panormitanam) properabit & assiduis adhortationibus clerum plebemque eiusmodi ecclesiæ admonere festinet; vt remoto studio vno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem: qui & tanto ministerio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus* [z] *respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, & dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat.* Nihil potest esse euidentius, quam quod clerus & populus episcoporum suorum electionem, adhibito in rei societatem visitatore quodam siue interuentore, confecerint, & tunc a se electum metropolitano repræsentauerint, qui si nihil haberet, quod vi canonum aduersus ipsum exciperet, confirmata eorum electione ad ordinandum illum illico se componebat.

(xx) Lib. II. c. XV. Vol. I. p. 202. 203.
(y) Symmach. ep. V. c. VI. (tom. IV. concil p. 1696.
(z) Gregor. lib. XI. ep. XVI. (tom. V. concil. p. 1521.)

§. VIII.

§. VIII.

Quinto: *Ex consuetudine illa, qua populus homines correptos vi quadam illata episcopo ordinandos exhibuit.*

Quinto: Nouum datæ populo potestatis & priuilegii documentum similiter spectari potest, quod hisce temporibus plebs multis in locis homines violentis illatis manibus corripere eorumque ordinationem ab episcopo aperta vi deposcere consueuit. Ita in AVGVSTINI consecratione vsu venisse, auctor nobis est POSSIDIVS [a], *Eum*, inquiens, *tenuerunt &, vt in talibus consuetum est, episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id vno consensu & desiderio fieri perficique petentibus magnoque studio & clamore flagitantibus, vbertim eo flente.* Idem de semetipso narrat PAVLINVS [b], quod *per vim inflammatæ plebis* presbyter ordinatus fuerit. Et sunt plura alia eiusdem generis exempla.

§. IX.

Sexto: *Ex appellatione parentum, qua nonnulli episcopi ex quodam vrbanitatis officio populum suum hoc intuitu salutarunt.*

Sexto: Vnum duntaxat adhuc noto, quod ad hoc spectat argumentum, quod est vrbanitatis & officii plena salutatio, qua nonnulli episcopi erga populum suum vtebantur, *parentes* ob hanc caussam eos appellando, respectu videlicet curæ ac potestatis, quam in eorum designatione atque electione habebant. Ipse AMBROSIVS [c] loquens ad plebem suam his vtitur verbis: *Vos mihi estis PARENTES, qui sacerdotium detulistis: Vos, inquam, Filii vel PARENTES, filii singuli, vniuersi PARENTES.* Quibus verbis manifesto respicit ad factam diuina prouidentia ciuium *Mediolanensium* consensionem, qui quum antea in multas scissi essent factiones, AMBROSII audito nomine, illico in eius electionem concordissime conspirarant. Hæc sunt quædam testimonia, quæ ex transuerso adlata probare possunt, quod clerus & populus in episcoporum suorum electione commune quoddam habuerint suffragium; & quod ciuium suffragium amplius quid quam vim testi-

(a) Possid. vit. Augustin c. IV.

(b) Paulin. ep. XXXV. inter epistol. August. A Lampio apud Barcilnoam in Hispania *per vim* inflammatæ subito plebis *sacratus sum.* Vid. Paulin. ep. VI. ad Seuer. p. 101.

(c) Ambros. comment. in Luc. lib. VIII. c. XVII.

monii

monii habuerit, ſpeciatim ſæculo quarto & quinto, in eccleſia *latina*, vbi, fatente PETRO *de* MARCA, præcipua deſideriorum plebis habita fuit ratio.

§. X.

Quam poteſtatem in presbyterorum deſignatione habuerit populus.

Neque vero hoc priuilegium tantummodo in epiſcoporum ſuorum electione, ſed nonnumquam in presbyterorum etiam deſignatione illis datum fuit. Nam *Auguſtinus* & *Paulinus* presbyteri ſolum conſecrabantur, quum vis illa, de qua modo loquuti ſumus, a populo eis inferretur. Præterea HIERONYMVS [*d*] presbyteros & reliquos clericos non minus a populo, quam ab epiſcopis electos eſſe, verbis expreſſis adfirmat. Et POSSIDIVS [*e*] hanc ipſam eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe, atque *Auguſtinum, in ordinandis ſacerdotibus & clericis conſenſum maiorem chriſtianorum & conſuetudinem eccleſiæ ſequendam eſſe, arbitratum*, obſeruat. Et SIRICIVS, qui de ſenſu & praxi eccleſiæ *Romanæ* loquitur, dicit [*f*], quod, ſi quis diaconus ordinandus ſit presbyter vel epiſcopus, is prius a clero & plebe eligi debeat. Et idcirco iſtis viris doctis non facile poſſum adſentire, qui epiſcopos quidem ante ordinationem ſuam, non autem presbyteros vel vllos alios inferiores clericos, plebi proponi ſolitos eſſe, adſerunt.

§. XI.

An concilium Nicænum *hac in re quidquam immutauerit.*

Qui populum olim hac in re ante concilium *Nicænum* aliquid valuiſſe, nouo autem quodam huius concilii decreto eius poteſtatem abrogatam eſſe, ſtatuunt, euidentiſſime falluntur opinione. Certum enim eſt, patres *Nicænos* hac in re nihil immutaſſe, ſed rem omnem ita reliquiſſe, quemadmodum eam invenerunt. Etſi enim in quodam eorum canone [*g*] dicitur,

(*d*) Hieron. ep. IV. ad Ruſtic. Cum te vel populus vel pontifex ciuitatis in clerum elegerit, agito quæ clerici ſunt. Id. in Ezech. lib. X. c. XXIII. Speculator eccleſiæ vel epiſcopus vel presbyter, qui a populo electus eſt.

(*e*) Poſſid. vit. Aug. c. XXI.

(*f*) Siric. ep. 1. ad Himer. Tarracon. c. X. Exinde iam acceſſu temporum presbyterium vel epiſcopatum, *ſi eum cleri ac plebis euocauerit electio*, non immerito ſortietur.

(*g*) Concil. Nicæn. c. IV. (tom. II. conc. p. 29.) Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ

quod præſentia aut certe conſenſus omnium, qui in prouincia ſint, epiſcoporum, nec non confirmatio & approbatio metropolitani ad epiſcopi cuiusdam electionem & ordinationem neceſſario requiratur; tamen hoc eo non valet, vt vllum antiquum priuilegium, quo populus gauiſus ſit, excludatur, ſed vt tantummodo metropolitanorum & epiſcoporum prouincialium iura ſtabiliantur, in quæ *Meletius*, epiſcopus ſchiſmaticus *Aegyptius*, ſpeciatim inuaſerat, ſine metropolitani ſui auctoritate & coëpiſcoporum ſuorum in prouinciis *Aegypti* conſenſu epiſcopos conſecrare auſus. Nihil præterea hoc canone deſignari, inde patet, quod idem illud concilium in epiſtola ſynodica, ad eccleſiam *Alexandrinam* ſcripta, electionis populi expreſſam faciat mentionem, eamque tamquam canonicæ electionis conditionem requirat. De iſtis enim epiſcopis *Meletianis* loquens, qui in catholicæ eccleſiæ gremium redire volebant, ait: *Quod ſi quempiam eorum, qui in eccleſia cenſentur, diem ſuum obire contigerit; tum in defuncti locum atque honorem proueh antur ii, qui nuper adſciti ſunt, modo digni videantur, & modo populus eos eligat* [*h*], *ſuffragante nihilominus plebisque iudicium confirmante Alexandrinæ vrbis epiſcopo.* PEARSONIVS, doctus epiſcopus noſtras, ipſum *Athanaſium* [*i*] poſt finitum concilium *Nicænum* hoc modo electum fuiſſe, recte obſeruauit. Quod certiſſimo eſt argumento, quod ius plebis hoc concilio non fuerit abrogatum. *Euſebiani* creationem *Athanaſii* irritam fieri cupientes, defectum popularis electionis obiiciebant:

πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίςαϑαι· εἰ δὲ δυχερὲς εἴη τὸ τοιῦτο, ἢ διὰ κατεπείγυσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένυς, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι· τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ᾽ ἑκάςην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in prouincia, conſtitui. Si autem ſit hoc difficile, vel propter vrgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eumdem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptisque adſentientibus, tunc electionem fieri, eorum autem quæ fiunt, confirmationem in vnaquaque prouincia a metropolitano fieri.

(*h*) Conc. Nic. ep. ſynod. apud Theodor. lib. I. c. IX. & Socrat. lib. I. c. IX. εἰ δέ τινας ποτὲ συμβαίη ἀναπαύσασθαι τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τηνικαῦτα συναναβαίνειν εἰς τὴν τιμὴν τῦτε τελευτηκότος, τὺς ἄρτι προσληφθέντας, μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, συνεψηφίζοντος αὐτῷ καὶ ἐπισφραγίζοντος τῦ τῆς Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπυ.

(*i*) Pearſon. vindic. Ignat. par. I. n. XI. (apud Cotel. tom. II. p. 324.)

bant: ſed epiſcopi *Aegypti* in ſynodo congregati, epiſtola ad omnes eccleſiæ catholicæ epiſcopos ſcripta, contrarium magna animi contentione adſerebant, teſtantes [*k*] „quod omnis multitudo omnisque populus catholicæ eccleſiæ, tamquam ex vna anima & corpore congregati clamoribus vociferationibusque poſtularint *Athanaſium* eccleſiæ epiſcopum dari." Vnde GREGORIVS NAZIANZENVS [*l*] quoque eum ψήφῳ τȣ̃ λαȣ̃ παντὸς, *totius populi ſuffragiis*, ad *Marci* thronum euectum eſſe, dicit. Facile eſſet, complura alia eiusmodi exempla & documenta addere, ad tempus vſque concilii *Chalcedonenſis*, vbi plebs *Alexandrina* adhuc vetuſto ſuo vſa fuit priuilegio, vti ex diuerſis LIBERATI locis apparet, qui de *Pomerio* & aliis quibusdam eorum epiſcopis dicit, quod a nobilibus ciuitatis & omnium ſententia [*m*] electi fuerint: Sed nihil amplius hac de re dicam, ſed duos ſolum concilii *Carthaginenſis* quarti canones adlegabo, qui omnem eccleſiæ praxin, quod ad hanc attinet materiam, complectuntur. Horum alter ſic habet [*n*]: *Cum conſenſu clericorum & laicorum & conuentu totius prouinciæ epiſcoporum, maximeque metropolitani vel auctoritate vel præſentia ordinetur epiſcopus.* Alter canon [*o*] præcipit, *vt epiſcopus ſine conſilio clericorum ſuorum clericos non ordinet; ita vt ciuium adſenſum & conniuentiam & teſtimonium quæ-*

(*k*) Epiſt. ſynod. concil. Alex. ap. Athan. apol. II. tom. II. p 726. edit Par. MDCXXVII. (tom. I. p. 129. edit. Par. MDCXCVIII.) ὅτι πᾶν τὸ πλῆθος καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ὥσπερ ἐκ μιᾶς ψυχῆς καὶ σώματος συνεληλυθότες, ἀνεβόων, ἔκραζον, αἰτȣ̃ντες Ἀθανάσιον ἐπίσκοπον τῇ ἐκκλησίᾳ.

(*l*) Nazianz. orat. XXI. tom. I. p. 377. ȣ̃τω μὲν ȣ̃ν καὶ διὰ ταῦτα, ψήφῳ τȣ̃ λαȣ̃ παντὸς, ȣ̓ κατὰ τὸν ὕστερον νικήσαντα πονηρὸν τύπον, ȣ̓δὲ φονικῶς τε καὶ τυραννικῶς, ἀλλ' ἀποστολικῶς τε καὶ πνευματικῶς, ἐπὶ τὸν Μάρκȣ θρόνον ἀνάγεται, ȣ̓χ ἧττον τῆς εὐσεβείας ἢ τῆς προεδρίας διάδοχος. Sic igitur, atque ob eas cauſſas, *totius populi ſuffragiis*, non autem ſecundum prauum exemplum, quod poſtea inoleuit, neque per vim ac cædem, ſed apoſtolico & ſpirituali modo ad Marci thronum euehitur, non minus pietatis quam principatus ſucceſſor.

(*m*) Liberat. breuiar. c. XIV. (tom. V. concil. p 763.) Collecti ſunt *nobiles* ciuitatis, vt eum, qui eſſet vita & ſermone pontificatu dignus, eligerent -- nouiſſime in Proterium *vniuerſorum ſententia* declinauit. Id. c. XV. Scripſit imperator Leo duci Alexandriæ Stilæ, vt pelleret quidem ab epiſcopatu modis omnibus Timotheum, inthronizaret autem alium *decreto populi*, qui ſynodum vindicaret.

(*n*) Concil. Carthag. IV. c. I. (tom. II. concil. p. 1199.)

(*o*) Ibid. c. XXII. p. 1201.

rat. Hæc communiſſima & ordinaria eccleſiæ praxis videtur fuiſſe.

§. XII.

Exceptiones quædam generalis iſtius regulæ. Primo, *ſi maxima eccleſiæ pars eſſet hæretica vel ſchiſmatica.*

Verum enim vero vt omnes regulæ generales ſuas patiuntur exceptiones, ita inficias ire nemo poteſt, hanc regulam interdum variaſſe, aut ad minimum quasdam limitationes & reſtrictiones admiſiſſe. Neque ego lectori me probauero, nec huic argumento fecero ſatis, niſi eas quoque enumerem. Heic igitur *primo* loco nobis obſeruandum eſt, hanc regulam non valuiſſe, ſi cuiusdam eccleſiæ pars maxima vel in hæreſin vel ſchiſma incidiſſet. Hoc enim in caſu, ſi generali plebis ſuffragio electiones factæ eſſent, non niſi hæretici vel ſchiſmatici epiſcopi ordinari debuiſſent. Quamobrem *Arianiſmi* longe lateque prævalentis & diuturni *Donatiſtarum* ſchiſmatis temporibus eccleſia non ſemper ad hanc regulam præciſe ſe adſtrinxit. In collatione *Carthaginenſi* [*p*] catholicis a *Donatiſtis* exprobratum legimus, quod epiſcopos multis in locis fecerint, vbi non habuerint populum; hoc eſt populum catholicum; erant enim vniverſi *Donatiſtæ:* & conſequenter iſti epiſcopi non tantum ſine conſenſu populi, ſed eo etiam contradicente ordinati fuerunt. Et hanc iſtorum epiſcoporum conditionem fuiſſe, autumo, qui in concilii *Antiocheni* canone decimo ſeptimo & duodeuiceſimo memorantur; quorum canonum alter [*pp*] ita habet: *Si quis epiſcopus accepta ordinatione & manuum impoſitione epiſcopi, & populo præeſſe iuſſus, munus non ſuſceperit, nec, vt ad ſibi concreditam eccleſiam proficiſcatur, perſuaderi poſſit, is ſit excommunicatus, donec coactus ſuſcipiat, vel perfecta ſynodus epiſcoporum prouincialium de ipſo aliquid decernat.* Et alter [*q*] dicit: *Si quis ordinatus non ierit in parochiam, ad*

(*p*) Collat. Carth. c. CLXXXII. (tom. II concil. p. 1399.) Petilianus epiſcopus dixit (Alypio epiſcopo eccleſiæ catholicæ): Sic etiam tu multos habes per omnes agros diſperſos: immo crebros vbi habes, ſane & *ſine populis* habes.

(*pp*) Conc. Antioch. c. XVII (tom. II. conc. p. 569.) Εἴ τις ἐπίσκοπος χειροθεσίαν ἐπισκόπου λαβὼν, καὶ ὁρισθεὶς προεστάναι λαοῦ, μὴ καταδέξοιτο τὴν λειτουργίαν, μηδὲ πείθοιτο ἀπιέναι εἰς τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ ἐκκλησίαν, τοῦτον εἶναι ἀκοινώνητον, ἕως ἂν ἀναγκασθεὶς καταδέξοιτο, ἢ ὁρίσοι τι περὶ αὐτοῦ ἡ τελεία σύνοδος τῶν κατὰ τὴν ἐπαρχίαν ἐπισκόπων.

(*q*) Ibid. c. XVIII. Εἴ τις ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς εἰς παροικίαν, μὴ ἀπέλθῃ εἰς ἣν ἐχει-

quam

quam est ordinatus, non sua quidem culpa, sed διὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, *propter populi recusationem, vel aliquam aliam caussam, is sit & honoris & muneris particeps*, cætera. Hi canones eo tempore conditi sunt, quo factio *Ariana* multas turbas in ecclesia excitarat, quæ res probabiliter fecit, vt episcopi quidam ad ecclesias suas proficisci grauarentur, & alii, factione acriter repugnante, admitti non possent. In vtroque autem canone ordinationes sine expetito populi consensu factæ esse perhibentur; cuius consuetudinis crebra exempla historiæ ecclesiasticæ momimenta in istiusmodi casibus exhibent.

§. XIII.

Secundo: *Si episcopi ordinarentur pro locis dissitis vel nationibus barbaris.*

Secundo: Alia huius regulæ exceptio erat, si episcopos ordinari oporteret pro longe dissitis regionibus, vel nationibus barbaris. Quando *Athanasius Frumentium* episcopum *Indorum* ordinauit *Alexandriæ*, vt historici [qq] referunt, nullus sibi persua-

ροτονήθη, οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ αἰτίαν, ἀλλ' ἤτοι διὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν, ἢ δι' ἑτέραν αἰτίαν οὐκ ἐξ αὐτοῦ γενομένην, τοῦτον μετέχειν τῆς τιμῆς καὶ τῆς λειτουργίας κ. τ. λ.

(*qq*) Ruffin. lib. I. c. IX. Frumentius Alexandriam pergit, dicens, æquum non esse opus occultare dominicum. Igitur rem omnem, vt gesta est, exponit episcopo, & monet, vt prouideat virum aliquem dignum, quem congregatis iam plurimis christianis & ecclesiis constructis in barbarico solo episcopum mittat. Tum vero *Athanasius* (nam is nuper sacerdotium susceperat) attentius & propensius Frumentii dicta gestaque considerans, in concilio sacerdotum ait: Et quem alium inueniemus virum talem, in quo sit spiritus Dei in ipso, sicut in te, qui hæc ita possit implere? Et *tradito ei sacerdotio, redire eum cum domini gratia, vnde venerat, iubet.*

Socrat. lib. I. c. XIX. Ἀθανάσιος - αὐτὸν Φρουμέντιον τὴν ἐπισκοπὴν ἀναδέξασθαι παρεσκεύασεν, εἰπὼν μὴ ἔχειν αὐτοῦ ἐπιτηδειότερον· γέγονε δὴ τοῦτο· καὶ Φρουμέντιος ἀξιωθεὶς τῆς ἐπισκοπῆς αὖθις ἐπὶ τὴν Ἰνδῶν παραγίνεται χώραν κ. τ. λ. Athanasius ipsum Frumentium episcopatum suscipere hortatur, adiicens nullum se habere ad hoc munus aptiorem ipso. Atque ita factum est. Frumentius ergo episcopali apice decoratus ad regionem Indorum reuertitur. cætera.

Theodoret. lib. I. c. XXIII. Φρουμέντιος τὴν Ἀλεξάνδρου καταλαβὼν πόλιν, τὸν τῆς ἐκκλησίας ἐδίδαξε πρόεδρον, ὡς Ἰνδοὶ λίαν ποθοῦσι τὸ νοερὸν ἐκδέξασθαι φῶς. Ἀθανάσιος δὲ τηνικαῦτα τῆς ἐκκλησίας ἐκείνης κατεῖχε τοὺς οἴακας· ὃς τῶν διηγημάτων ἐκείνων ἀκούσας, καὶ τίς σοῦ, ἔφη, ἄμεινον καὶ τὴν τῆς ἀγνοίας ἀχλὺν ἀποσκεδάσει τοῦ ἔθνους, καὶ τοῦ θείου κηρύγματος αὐτοῖς ἀποίσει τὴν αἴγλην· ταῦτα εἰπὼν, καὶ τῆς ἀρχιερατικῆς αὐτῷ χάριτος μεταδοὺς, εἰς τὴν τοῦ ἔθνους ἐξέπεμψε γεωργίαν. Frumentius Alexandriam profectus, ecclesiæ illius antistitem certiorem fecit, quan-

ſerit, quod formalem conſenſum habuerit, etiamſi de vniuerſæ iſtius gentis approbatione potuerit præſumere. Sicuti nec cogitare poſſumus, epiſcopum *Tomitarum* in *Scythia* a populo ſuo eligi debuiſſe, quandoquidem ille vnus vniverſæ iſtius regionis epiſcopus [r] erat, *Conſtantinopoli* plerumque ordinari ſolitus, quemadmodum canone viceſimo octauo concilii *Chalcedonenſis* [rr] barbararum gentium epiſcopi ordinari iubentur.

§. XIV.

Tertio: *Si quis interuentor vel alius aliquis epiſcopus ſine ſynodi prouincialis conſenſu ſemetipſum in ſedem aliquam intruderet.*

Tertio: Si quis interuentor vel viſitator, qui in vacantem aliquam ſedem ad procurandam inibi maturam electionem miſſus fuerat, in hanc ſedem ſemetipſum intrudere adlaboraret, nixus populi, quæ durante adminiſtratione ſua ſibi conciliarat, ſtudiis; non tamen in huius ſedis poſſeſſione manere permittebatur, etiamſi maximam multitudinis partem ſibi fauentem haberet, vel vniuerſi etiam in eius electionem conſentirent. Quemadmodum ex canone quodam concilii *Carthaginenſis* quinti [s], qui codici etiam eccleſiæ *Africanæ* inſertus legitur, apparet. Ca-

topere optarent Indi diuinæ fidei radiis illuſtrari. Eo tempore Athanaſius eccleſiæ illius clauum regebat. Qui quum eas res audiſſet: Ecquis, inquit melius quam tu ab animis huius gentis caliginem ignorantiæ depellere & diuinæ prædicationis lucem inferre poſſit. His dictis cum ſacerdotalem gratiam ei impertitus eſſet, ad gentis illius culturam eum dimiſit.

(r) Sozom. lib. VIII. c. XIX. Σκύθαι πολλαὶ πόλεις ὄντες ἕνα πάντες ἐπίσκοπον ἔχουσιν. In prouincia Scythia, quamuis multæ vrbes ſint, vnus eſt omnium epiſcopus.

(rr) Conc. Chalced. c. XXVIII. (tom. IV. conc. p. 770) ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Θρακικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ἀπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. Ponticæ & Aſianæ & Thracicæ dioeceſis metropolitæ ſoli, præterea *epiſcopi* prædictorum dioeceſium, quæ ſunt *inter barbaros*, a prædicto *throno* ſanctiſſimæ *Conſtantinopolitanæ eccleſiæ ordinentur.*

(s) Conc. Carth. V. c. VIII. (tom. II. p. 1216.) Conſtitutum eſt, vt nulli interceſſori licitum ſit cathedram, cui interceſſor datus eſt, quibuslibet populorum ſtudiis vel ſeditionibus retinere, ſed dare operam, vt intra annum eisdem epiſcopum prouideat. Quod ſi neglexerit, anno exemto, interuentor alius tribuatur. Vid. Cod. can. eccleſ. Afric. c. LXXIV. ibid. p. 1093.

ſus

ſus iſte idem erat, qui quorumdam vacantium epiſcoporum, (ἐπισκόπων σχολαζόντων, vti dicuntur in canonibus) qui ordinati erant pro iſtiusmodi locis, qui recipere eos nolebant. Horum ſi quis in vacantem ſeſe ingereret eccleſiam, ſine metropolitani & ſynodi prouincialis conſenſu, reiiciendus erat, etiamſi vniuerſus populus vna mente in eius electionem conſpiraſſet; quemadmodum concilium *Antiochenum* expreſſis verbis [t] contra eiusmodi inuaſores decreuit, *Si quis*, inquiens, *epiſcopus vacans in vacantem eccleſiam irrumpens ſedem arripuerit absque perfecta ſynodo, is ſit eiectus*, *ETIAMSI OMNIS POPVLVS, QVEM INVASIT, EVM ELEGERIT.* Idem concilium alium habet canonem [u] præcipientem, vt *epiſcopus ab alia parochia in aliam ne tranſeat, nec ſe ſua ſponte ingerens, nec a populis vi adactus.* Quod ipſum manifeſto indicat, in omnibus iſtiusmodi caſibus nullam electionis popularis habitam fuiſſe rationem, ſi ſine prouinciali cuiusdam ſynodi conſenſu eam peragere ſibi ſumſiſſent.

§. XV.

Quarto: *Si in factiones diuiſionesque ſciſſus eſſet populus.*

Quarto: Si populus in electione ſua in partes eſſet diuiſus, nec de quopiam eorum concordarent opiniones, tunc nouis diſcepationibus & noxiis factionis diuiſionisque conſequutionibus anteuertendi cauſſa vſitati moris erat, vt metropolitanus & ſynodus perſonam aliquam mediam, nec ab vlla parte nominatam, eligerent, eamque omnibus competitoribus populi præferrent. Et hoc plerumque felici cum ſucceſſu fieri ſolebat. Populus enim vt plurimum ſua ipſius electione pudefactus generatim in hoc acquieſcebat. SIDONIVS APOLLINARIS illuſtre exemplum huius rei in *Ioannis* epiſcopi *Cabillonenſis* ordinatione exhibet, in epiſtola ad *Domnulum* quemdam ſcribens in hanc ſententiam: *Poſtquam epiſcopus Paulus iunior diſceſſerat deceſſeratque, exceperunt pontificale conſilium variæ voluntates oppidanorum, nec non &*

(t) Conc. Antioch. c. XVI. (tom II. conc. p. 568.) Εἴ τις ἐπίσκοπος σχολάζων ἐπὶ σχολάζουσαν ἐκκλησίαν ἑαυτὸν ἐπιῤῥίψας, ὑφαρπάζοι τὸν θρόνον δίχα συνόδου τελείας, τοῦτον ἀπόβλητον εἶναι, καὶ εἰ πᾶς ὁ λαὸς, ὃν ὑφάρπασεν, ἕλοιτο αὐτόν.

(u) Ibid. c. XXI. ἐπίσκοπον ἀπὸ παροικίας ἑτέρας εἰς ἑτέραν μὴ μεθίστασθαι, μήτε αὐθαιρέτως ἐπιῤῥίπτοντα ἑαυτὸν, μήτε ἀπὸ λαῶν ἐκβιαζόμενον, μήτε ὑπὸ ἐπισκόπων ἀναγκαζόμενον.

illa,

illa, quæ bonum publicum semper euertunt, studia priuata, quæ quidam triumuiratus accenderat competitorum: quorum hic antiquam natalium prærogatiuam reliqua destitutus morum dote ructabat: hic per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, Apicianis plausibus ingerebatur, hic apice votiuo si potiretur, tacita pactione promiserat, ecclesiastica plosoribus suis prædæ prædia fore. Quod vbi viderunt sanctus Patiens & sanctus Euphronius, qui rigorem firmitatemque sententiæ sanioris, præter odium gratiamque, primi tenebant, consilio cum coëpiscopis prius clam communicato, quam palam prodito, STREPITVQVE FVRENTIS TVRBAE[w] *DESPECTO, iunctis repente manibus arreptum nihilque tum minus, quam quæ machinabantur, optantem suspicantemque, sanctum Ioannem, virum honestate, humanitate insignem — stupentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, collegam sibi consecrauere.* Et hæc vsitata erat agendi methodus, populo in factiones insanabiles diuiso.

§. XVI.

Quinto: *Imperatores interdum suam interponebant auctoritatem, vt tumultibus in similibus casibus occurrerent.*

Quinto: Nonnumquam imperatores auctoritatem suam interponebant & ipsimet, quem episcopum ordinatum cuperent, nominabant, experientia edocti, quam periculosos tumultus istæ electiones populares inter ciues solerent excitare. Ita in *Nectarii* episcopi *Constantinopolitani* factum est electione, qui a *Theodosio* solo nominatus fuit. Vix enim populus hac de re consultare cœperat, quum, SOZOMENO perhibente [x], imperator mandaret episcopis, vt nomina eorum, quos quisque episcopatu dignos iudicaret, in charta perscriberent, vnum ex omnibus eligendi facultate sibi ipsi reseruata. Immo, quum episcopi quidam refragarentur, *Nectarium* tantum catechumenum, nec dum sacro quidem lauacro iniatum esse, dictitantes, imperator tamen in electione sua persistebat; & episcopi, sententia imperatoris comprobata, illico eum baptizabant atque episcopum consecrabant. SOCRATES eiusdem prærogatiuæ mentionem facit, qua simili in casu vsus est *Theodosius Iunior*, qui *Nestorium* sedi *Constantinopolitanæ* nominauit, διὰ τὰς κενοσπουδιστάς, propter

(w) Sidon. Apoll. lib. IV. ep. XXV.
(x) Sozom. lib. VII. c. VIII. tot.

homi-

homines factiosos & inanem gloriam [y] in ecclesia aucupantes. Et eamdem ob caussam, vt idem auctor [z] narrat, vbi episcopus fato functus fuerat, ne rursus de eligendo nouo episcopo ambigeretur, episcopis mandauit, vt *Proclum* in episcopali solio collocarent. PETRVS *de* MARCA [a] alia quædam, plura autem huc spectantia, exempla historia ecclesiastica lectori suppeditabit.

§. XVII.

Sexto: *Populus nonnumquam ad vnum aliquem ex tribus, quos episcopi nominauerant, eligendum adstrictus erat.*

Rursus populum & clericos in electione sua ad vnum ex tribus, quos episcopi in concilio prius nominassent, adsciscendum non numquam adstrictos fuisse, legimus. Hic mos tempo-

(y) Socrat. lib. VII. c. XXIX. Μετὰ τὴν τελευτὴν Σισιννίε ἐδόκει τοῖς κρατῦσι, μηδένα μὴν διὰ τὲς κενοσπεδιςὰς ἐκ τῆς ἐκκλησίας εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προχειρίζεσθαι. καίτοι πολλῶν μὲν τὸν Φίλιππον, πολλῶν δὲ τὸν Πρόκλον χειροτονηθῆναι σπευδόντων. ἐπήλυδα δὲ ἐκ τῆς Αντιοχείας καλεῖν ἐβέλοντο· --- τριμήνε ὖν διαδραμόντος ἄγεται ἐκ τῆς Αντιοχείας ὁ Νεςόριος. Post obitum Sisinnii, *propter homines inanis gloriæ studiosos*, placuit imperatoribus neminem ex ecclesia Constantinopolitana ad episcopatum promouere, licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari summo studio contenderent. Peregrinum igitur hominem Antiochia euocare satius visum est. Elapso igitur trium mensium spatio Nestorius Antiochia adducitur.

(z) Id. lib. VII. c. XL. Ὁ βασιλεὺς Θεοδόσιος σοφῶς τῦ πράγματος προενόησεν, ἵνα γὰρ μὴ πάλιν περὶ ἐπιλογῆς ἐπισκόπε ζήτησις ᾖ, καὶ ταραχὴν τῇ ἐκκλησίᾳ κινήσῃ, μὴ μελλήσας, ἀλλ' ἔτι κειμένε τῦ σώματος Μαξιμιανῦ τοῖς παρῦσιν ἐπισκόποις ἐνθρονίσαι τὸν Πρόκλον ἐπέτρεψεν.

(a) Marca de concord. lib. VIII. c IX. n. XVIII. Quandoque contentionum subortarum occasione reges, necessario veluti remedio, ad ecclesiæ quietem electione sua palatina vtebantur. Quod probatur diserte ex auctore antiquo vitæ sancti Leodegarii. *Incubuit*, inquit, *caussa necessitatis, vt in Augustodunensi vrbe Leodegarium ordinare deberent episcopum. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem episcopatu exorta fuerat, & vsque ad sanguinis effusionem certatum. Cumque vnus ibidem occubuisset in morte & alter pro perpetrato scelere datus fuisset in exilii trusionem, tunc Bathildis regina, quæ cum Clothario filio Francorum regebat palatium, diuino, vt credimus, inspirato consilio, ad memoratam vrbem hunc direxit virum, vt ibidem esset episcopus.* Circa idem tempus, id est anno DCLXIV. *optimates & rectores palatii* consilium dederunt Childerico regi, vt Landbertum præficeret ecclesiæ Traiectensi: *cui regis imperio plebs omnis consensit*, inquit auctor vitæ. cætera.

re concilii secundi *Arelatensis*, anno CCCCLII celebrati, obtinuit in *Gallia*, quandoquidem concilium illud canone quodam de electionibus sic statuit [b]: *Placuit in ordinatione episcopi hunc ordinem custodiri, vt primo loco venalitate, vel ambitione submota tres ab episcopis nominentur, de quibus clerici vel ciues erga vnum habeant eligendi potestatem.* Aliae leges [c] clerum & populum tres nominare, metropolitanum autem & episcopos prouinciales sorte iacta experiri, iubent, quem ex tribus istis ordinari oporteat; quae regula in ecclesia *Hispanica* tempore concilii *Barcinonensis* anno DXCIX obseruata fuit.

§. XVIII.

Septimo: *Legibus* Iustiniani *electiones optimatibus confirmatae, inferiore plebe prorsus exclusa.*

Denique in legibus IVSTINIANI imperatoris insignem huius rei mutationem factam deprehendimus, vbicumque hae leges locum inuenerunt. Nam vi earum inferior ciuium vulgus ab vniuerso electionis negotio, clericis & optimatibus in vnaquaque ecclesia iam delegato, penitus erat exclusus. Duabus enim *nouellis* [d] suis diserte loquitur in hanc sententiam: *Sanci-*

(b) Concil. Arelat. II. c. LIV. (tom. IV. conc. p. 1017.)

(c) Conc. Barcinon. c. III. (tom. V. p. 1606.) - - ad summum sacerdotium prouehatur, ita tamen, vt *duobus aut tribus*, quos ante *consensus cleri & plebis* elegerit, metropolitani iudicio eiusque coepiscopis praesentatis, quem sors praeeunte episcoporum ieiunio, Christo domino terminante, monstrauerit, benedictio consecrationis accumulet.

(d) Iustin. nouell. CXXIII. c. I. Et nouell. CXXXVII. c. II. *θεσπίζομεν, ὁσάκις ἂν χρεία γένηται ἐπίσκοπον χειροτονηθῆναι, τοὺς κληρικοὺς καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, ἧς μέλλει ἐπίσκοπος χειροτονεῖσθαι, ἐπὶ τρισὶ προσώποις ψηφίσματα ποιεῖν, κινδύνῳ τῶν ἰδίων ψυχῶν, καὶ ἕκαστον αὐτῶν ὀμνῦσαι κατὰ τῶν θείων λογίων, καὶ ἐγγράφειν ἐν αὐτοῖς, λέγοντας ἐν αὐτοῖς τοῖς ψηφίσμασιν, ὅτι οὔτε διά τινα δόσιν, οὔτε διὰ ὑπόσχεσιν, ἢ φιλίαν, ἢ δι' ἄλλην οἱανδήποτε αἰτίαν, ἀλλ' εἰδότες αὐτοὺς τῆς ὀρθῆς καὶ καθολικῆς πίστεως καὶ σεμνοῦ εἶναι βίου, καὶ γράμματα εἰδέναι, τούτους ἐπελέξαντο· - - ἵνα ἐκ τῶν τριῶν προσώπων, ὑπὲρ ὧν τὰ τοιαῦτα ψηφίσματα γέγονεν, ὁ βελτίων χειροτονηθῇ τῇ ἐπιλογῇ καὶ τῷ κρίματι τοῦ χειροτονοῦντος.*

Cod Iustin. lib. I tit. III. de episcop. leg. XLII. *διὰ τοῦ παρόντος νόμου θεσπίζομεν, ὁσάκις ἂν ἐν οἱᾳδήποτε πόλει ἱερατικὸν θρόνον σχολάσαι συμβαίη, ψήφισμα γίνεσθαι παρὰ τῶν οἰκούντων τὴν αὐτὴν πόλιν ἐπὶ τρισὶ τοῖς ἐπὶ ὀρθῇ πίστει, καὶ βίου σεμνότητι, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς μεμαρτυρημένοις, ὥστε ἐκ τούτων τὸν ἐπιτηδειότερον εἰς τὴν ἐπισκοπὴν προχειρίζεσθαι.* Praesenti lege sancimus, vt quoties in qualicumque ciuitate sacerdotalem sedem vacare contigerit, decretum fiat ab his, qui eam ciuitatem incolunt, super tribus personis rectae fidei & honestae vitae aliorumque

mus,

mus, quoties opus fuerit episcopum ordinari, clericos & primates ciuitatis, cui episcopus ordinandus est, mox in tribus personis decreta facere, propositis sacrosanctis euangeliis, periculo suarum animarum dicentes in ipsis decretis, quia neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promissionem aut amicitiam, aut aliam quamlibet caussam, sed scientes eos rectæ & catholicæ fidei & honestæ esse vitæ, & litteras nosse, hos elegerunt --- Vt ex tribus illis personis melior ordinetur, electione & iudicio ordinantis. MARCA putat, concilium *Laodicenum* diu ante in eamdem sententiam fecisse canonem, eorum, qui sint in sacerdotio constituendi, electiones τοῖς ὄχλοις, *vili plebeculæ*, vt MARCA [e] reddit, permitti vetantem. At certo non constat, canonem istum hanc prohibitionem isthoc sensu intendere; plebs enim vetustam praxin suam aliquot sæculis post hoc concilium adhuc exercuit. Quidquid vero huius sit, ex tota hac materia dispalescit, hanc populi potestatem non ita vniuerse obtinuisse, sed variis in casibus certis limitibus fuisse circumscriptam, atque pro diuersa temporum ac nationum conditione variasse.

§. XIX.

Quomodo & quando principes ac patroni præcipuam electionis potestatem nacti sint.

Tandem labefactato imperio *Romano* reges *Gothorum* in *Gallia* & *Hispania* generatim in harum electionum societatem honoris caussa adsciscebantur, eorumque consensus æque necessario ac vllius alius ad ordinationem episcoporum, qui sub eorum imperio ditioneque erant, requirebatur. Quo pacto eorum potestas subito in prærogatiuam quamdam increuit, vt ius nominandi sibi solis arrogarent, cæteris vero omnibus in hoc negotio nihil fere reliquum esset, quam eorum nominationem

bonorum, & virtutum testimonium habentibus, vt ex ipsis idoneior ad episcopatum promoueatur.

(e) Concil. Laodic. c. XIII. Μὴ τοῖς ὄχλοις ἐπιτρέπειν τὰς ἐκλογὰς ποιεῖσθαι τῶν μελλόντων καθίστασθαι εἰς ἱερατεῖον

Marc. de concord. lib. VIII. c. VI. n. VIII. Quare canonis istius (Laodiceni decimi tertii) decretum sequutus Iustinianus suis legibus diserte clerum & primates populi solos ad electiones episcoporum admisit neglectis turbis: quarum adsensus non erat negligendus, sed inter suffragia legitima non censebatur. Sic enim accipienda sunt verba canonis, vt plebis interuentio prohibeatur, non autem vt sola eius violentia arceatur.

 accepta-

acceptare. Id quod ſtudioſus huius rei lector fuſius expoſitum invenire poteſt apud PETRVM *de* MARCA [*f*], vbi de mutatione, poſterioribus temporibus in eccleſiis *Gallicanis* & *Hiſpanicis* facta, agit, quod pluribus heic perſequi inſtituti mei ratio non permittit. Quod vero ad nominationis poteſtatem inferioribus patronis conceſſam attinet, communis eſt & concordans virorum eruditorum ſententia [*g*], quod diœceſibus in diſtinctas prouincias diuiſis fundatisque ruri eccleſiis originem nacta ſit. Nam ad pium iſtud atque vtile opus eo melius promouendum eccleſiæ cuiusdam fundatori, qui annuos ei conſtituebat reditus, ius

(*f*) Marca de concord. lib. VIII. c. IX. & X.

(*g*) Stillingfl. *Unreaſ. of Separat.* p. 326. 317. As to the inferiour *Right of Patronage*: it is juſtly thought to bear equal date with the *firſt ſettlements* of *chriſtianity* in peace and quietneſs. For when it began to ſpread into *remoter Villages* and places diſtant from the *Cathedral Churches*, where the *Biſhop* reſided with his *Presbyters*, as in *College* together; a neceſſity was ſoon apprehended of having *Presbyters fixed* among them. For the *Council* of *Neocæſarea* mentions the ἐπιχώριοι πρεσβύτεροι, the *Countrey Presbyters* c. 13. whom the *Greek Canoniſts* interpret to be ſuch as then were *fixed* in *Countrey Cures*, and this *Council* was held ten years before the *Council* of *Nice*. In the time of the firſt *Council* of *Orange*, A. D 441. expreſs mention is made of the *Right of Patronage* reſerved to the *firſt Founders* of *churches* c. 10. *viz. If a Biſhop built a church on his own Land in another Biſhops Dioceſe, yet the Right of preſenting the Clerk was reſerved to him.* And this was confirmed by the *ſecond Council* of *Arles*, c. 36. A. D. 452. By the *Conſtitution* of the *Emperour Zeno*, A. D 479. the *Rights of Patronage* are *eſtabliſhed*, upon the *agreements* at *firſt* made in the *endowments* of *Churches*. This *Conſtitution* was confirmed by *Juſtinian* A. D. 541. and he allows the *nomination* and *preſentation* of a fit *Clerk*: And the ſame were ſettled in the *Spaniſh Church*, as appears by the *ninth Council* of *Toledo*, about A. D. 650. and many *Canons* were made in ſeveral *Councils* about *regulating* the *Rigths* of *Patronage*, and the *endowments* of *churches*, till at laſt it obtained by *general conſent*, that the *Patron* might tranſmit the *right* of *preſentation* to his *heirs*, and the *Biſhops* were to approve of the *Perſons* preſented, and to give *inſtitution* to the *Benefice*. The *Barons* of *England* in the *Epiſtle* to *Gregory IX*. plead, *that their Anceſtors had the Right of Patronage from the firſt planting of chriſtianity here.* For thoſe, upon vvhoſe Lands the *Churches* vvere built, and at vvhoſe coſt charges vvere endovved, thought they had great *Reaſon* to reſerve the *Nomination* of the *Clerks* to themſelves. *And this Joh. Sarisburienſis* ſaith, *was received by a general cuſtom of this whole Kingdom.* So that the *Right of Patronage* vvas at firſt built upon a *very reaſonable conſideration*; and hath been ever ſince received by as *univerſal a Conſent* as any *Law* or *Cuſtom* among us. cætera.

præ-

præſentandi ſibimetipſi reſeruare concedebatur, vt idoneum quemdam clericum epiſcopo nominare, eiusque approbationi exhibere poſſet. Viam huic praxi ſtrauit decretum aliquod concilii *Arauſicani* primi an. CCCCXLI quo hæc poteſtas & priuilegium epiſcopis primum tribuitur, vt, *ſi quis epiſcoporum in alius cuiusdam epiſcopi territorio eccleſiam ædificare diſponat, epiſcopus, in cuius territorio eccleſia aſſurgat, eam* quidem *conſecret, reſeruata* tamen *ædificatori* [*h*] *epiſcopo hac gratia, vt quos deſideret clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, cuius territorium ſit; vel ſi ordinati iam ſint, ipſos habere acquieſcat.* Et hic canon repetitus eſt in concilio *Arelatenſi* [*i*] ſecundo, in editionibus SIRMONDI AC LABBEI, quamquam in aliis quibusdam deſideretur. Poſtea in legibus *Iuſtiniani* omnibus eccleſiarum fundatoribus eorumque heredibus facultas data eſt, ex iure, quod vocant, patronatus hiſce eccleſiis ſuos nominandi clericos. *Si quis*, inquit quædam ipſius *nouella* [*k*], *oratorii domum ædificauerit, & voluerit in ea clericos ordinare aut ipſe aut eius heredes: Si expenſas ipſis clericis miniſtrant, & dignos denominant, denominatos ordinari* iubemus. Neque epiſcopus alium quempiam ordinandi habebat poteſtatem, niſi forte eos, qui ab ipſis electi fuerant, tamquam indignos ſacræ regulæ ordinari prohiberent. Alia *nouella* [*l*] epiſcopo eos examinandi deque eorum doctrinæ &

(*h*) Concil. Arauſic. I. c. X. (tom. III. p. 1449.)

(*i*) Conc. Arelat. II. can. XXXVI. (tom. IV. p 1015.)

(*k*) Iuſtin. nouell. CXXIII. c. XVIII. Εἴ τις εὐκτήριον οἶκον κατασκευάσει, καὶ βουληθείη ἐν αὐτῷ κληρικοὺς προβάλλεσθαι, ἢ αὐτὸς ἢ οἱ τούτου κληρονόμοι εἰ τὰς δαπάνας αὐτοὶ τοῖς κληρικοῖς χορηγήσουσι, καὶ ἀξίους ὀνομάσουσι, τοὺς ὀνομασθέντας χειροτονεῖσθαι· εἰ δὲ τοὺς παρ' αὐτῶν ἐπιλεγέντας, ὡς ἀναξίους κωλύουσιν οἱ θεῖοι κανόνες χειροτονηθῆναι, τηνικαῦτα ὁ τῶν τόπων θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος, οὓς ἂν νομίσοι καλλίονας, προβάλλεσθαι φροντιζέτω.

(*l*) Nouell. VII c. II. Διορίζομεν, ὥστε εἴ τις οἰκοδομήσας ἐκκλησίαν, ἢ καὶ ἄλλως χορηγῶν τοῖς ἐν αὐτῇ λειτουργοῦσι σιτήσεις, βούλοιτό τινας κληρικοὺς ἐγκαθιστᾶν αὐτῇ, μὴ εἶναι αὐτῷ παρρησίαν μηδεμίαν οὓς βούλεται κατ' ἐξουσίαν προσάγειν τῇ σῇ θεοφιλίᾳ, ἐφ' ὥστε χειροτονεῖν αὐτοὺς ἀκρίτως καὶ ἀνεξετάστως· ἀλλὰ προσαγομένους αὐτοὺς ἐξετάζεσθαι παρὰ τῆς σῆς ἁγιωσύνης, γνώμῃ τε τῇ σῇ καὶ τοῦ τὸν ἱερατικὸν θρόνον ἐπιτροπεύοντος, ἀεὶ τούτους δέχεσθαι τὴν χειροτονίαν οἵπερ ἂν τῇ τε σῇ μακαριότητι καὶ τοῖς μετ' αὐτὴν ἐπιτήδειοι δόξωσιν καθεστάναι καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ λειτουργίας ἄξιοι. Decernimus, ſi quis ædificans eccleſiam, aut etiam aliter expendens in ea miniſtrantibus alimenta, voluerit aliquos clericos ſtatuere, non eſſe ei fiduciam vllam, quos vult per poteſtatem deducere tuæ reuerentiæ ad ordinandos eos, ſed examinari a tua ſanctitate, ſententiaque tua, & qui pontificalem ſedem rexerit,

 vitæ

vitæ ratione iudicandi impertit libertatem; at si dignos eos deprehendisset, ordinare eos debebat, non habens in tali casu arcendi eos potestatem. Qui plura hac de re legere auet, is STILLINGFLEETVM [*m*] eruditum episcopum consulat, qui de huius rei progressione ad sequentia tempora ipsum erudiet; quod quum ab instituto nostro alienum sit, redimus ad negotium electionis in veteri ecclesia, & ad enarrandas diuersas proprietates, quæ in iis, qui ad aliquod munus siue dignitatem in ecclesia eligendi erant atque ordinandi, necessario requirebantur, progredimur.

LIBRI QVARTI
CAPVT TERTIVM
DE EXAMINATIONE ET QVALITATIBVS EORVM, QVI AD OFFICIVM ALIQVOD CLERICALE ORDINANDI ERANT IN ECCLESIA PRIMITIVA. ET PRIMVM QVIDEM DE EORVM FIDE ET MORIBVS.

§. I.

Triplex disquisitio de ordinandis instituta I. ratione fidei II. ratione morum III. ratione externi status & conditionis eorum.

ANtequam legitimo modo quis eligi vel ordinari ad officium aliquod clericale in ecclesia posset, electoribus & consecratoribus diuersæ intuitu eius faciendæ erant disquisitiones, quas ad hæc tria genera referri posse, existimo. Instituebatur videlicet disquisitio ratione *fidei*, *morum* & *externi status ac conditionis* eius in mundo. Duo priora inquirendi ac examinandi genera strictissime adhibebantur, propterea quod magis essentialia essent & ad ministerium necessaria: neque vero tertium omittebatur, quia peculiaris horum temporum ratio specialius id requirebat. Tunc enim homines legibus imperii ad obeunda, pro rerum ac fortunarum suarum conditione, reipublicæ officia tenebantur, & hæc officia plerumque cum officiis ecclesiæ vna

semper hos suscipere ordinationem, qui tuæ beatitudini & qui postea oportuni videbuntur exsistere & Dei ministerio digni.

(*m*) Stillingfl. *Ureasonableness of Separation* par. III. p. 327. vid. sub not. anteced. (g) p. 116.

consi-

consistere non poterant. Vnde necesse erat inquirere, antequam quis ordinaretur, an statui publico aliquo modo obligatus, vel vlli distinctæ potestati obnoxius esset, ne ecclesia in aliorum hominum iura inuadere videretur, vel molestiam in semetipsam deriuaret, si ipsius clerici ad vitam sæcularem reuocarentur.

§. II.

Regula ac methodus in fidem & eruditionem eorum inquirendi.

Probatio fidei ac orthodoxiæ eorum, sub qua ipsorum quoque eruditionem comprehendimus, triplici fiebat ratione: dum partim eligentes ad publicum de ipsis testimonium exhibendum obstringebantur; partim electi ad certas quæstiones, de doctrina sua sibi propositas, respondere; partim etiam certis fidei capitibus eo tempore, quo ordinandi erant, subscribere iubebantur. Secundum legem quamdam *Iustiniani* [a] illi, qui episcopum elegerant, decretum electionis scripto consignare & iureiurando adseuerare debebant, quod *scientes ipsum rectæ & catholicæ fidei & honestæ vitæ esse ipsum elegerint.* Et eadem lex iubet *exigi etiam ante omnia ab eo episcopo, qui ordinandus est, libellum eius propria subscriptione complectentem, quæ ad rectam eius fidem pertinent; enuntiari etiam ab ipso & sanctam oblationis formulam, quæ in sancta communione fit & eam, quæ fit in baptismate precationem, & reliquas deprecationes.* Hoc ipso significabat ordinandus, se liturgiam, siue publicum ecclesiæ cultum, agnoscere atque comprobare. Concilium *Carthaginense* quartum specialiorem examinandi formulam per interrogationes episcopo, qui ordinandus sit, proponendas præscribit, quæ longior est, quam vt heic inseri possit; complectitur autem potissimum eas quæstiones, quæ ad symbolum fidei eorum & ad doctrinas attinebant, quæ contra notissimas hæreses [b], tum quidem adhuc serpentes vel

(a) Iustin. nouell. CXXXVII c. II. (vid. supra c. II. §. XVIII. not. (d) p. g. 114.) Ibid. Ἀπαιτεῖσθαι δὲ πρότερον τὸν μέλλοντα χειροτονεῖσθαι παρὰ τοῦ χειροτονοῦντος λίβελλον μεθ᾽ ὑπογραφῆς ἰδίας, περιέχοντα τὸ περὶ τῆς ὀρθῆς αὐτοῦ πίστεως ἀπαγγέλλειν δὲ τοῦτον καὶ τὴν θείαν προσκομιδὴν τὴν ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ κοινωνίᾳ γινομένην, καὶ τὴν ἐπὶ τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι εὐχὴν, καὶ τὰς λοιπὰς προσευχάς.

(b) Conc. Carth. IV. c. I. (tom. II. conc. p. 1198) Qui episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vi-

nouissi-

nouissime in ecclesia longe lateque dominatas, erant directæ; Examinari etiam iubetur candidatus, an in lege domini bene instructus, an ad exponendum sacræ scripturæ sensum idoneus & in dogmatibus ecclesiasticis omnino exercitatus sit. Ex quibus iudicare poterimus, quantopere præcauere studuerint veteres, ne qui, nisi spectatæ fidei & orthodoxiæ, ad præcipuas ecclesiæ functiones admitterentur.

§. III.

Synesii *ordinatio, quæ a præscripta regula deflexit, consideratur.*

Quam ob caussam viris quibusdam doctis admodum difficile visum est decernere, quo loco habenda sit illa agendi ratio, quam in *Synesii* ordinatione iniit *Theophilus Alexandrinus*, eo quidem tempore, vbi doctrinam de resurrectione aliaque christianæ fidei capita se non posse credere, professus erat. BARONIVS [*c*], HABERTVS [*d*] & TAYLORIVS [*e*], eruditus ille episcopus nostras, hoc ipsum eum tantum simulasse & isthoc stratagemate vsum fuisse putant, vt impediret, quo minus ordinaretur. Quæ res vero si ita se habuit, vere canonica aduersus eum excipiendi caussa fuit. Canones enim vllum ordinari vetant [*f*], qui detestandi cuiusdam criminis reum semetipsum accusasset, siue ista accusatio vera esset, siue falsa. Istum enim se reum probare dicunt, vel veritatem confitendo, vel circa istud nego-

ta castus, si sobrius, si semper suis negotiis vacans, si humilis, si affabilis, si misericors, si litteratus, *si in lege domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus*. cætera.

(*c*) Baron. a.a. CCCCX. tom V. p. 315. edit. MDCX. (p 318 edit. Antvv MDCLVIII.) Errore maxime labuntur, qui putent hæc serio fuisse a Synesio inculcata. &c.

(*d*) Habert. archierat. p. 500. Ad hoc etiam meo iudicio non nihil fecit illa quamvis *simulata Synesii*, cum ad Cyrenensem episcopatum posceretur, *contestatio*, qua minabatur, se palam facturum, quid in mente haberet de animæ ante corpus exsistentia &c.

(*e*) Taylor duct. dubit. Book 3. c. 2. p. 495. Edit. germanic. Brem. 1705. p. 180. ita habet: Diesen allen ohngeachtet, vveihete ihn doch der Bischoff zu *Alexandria*, *Theophilus*, zum Bischoffe ein, vvohl vvissende, dass alles dieses sein vorgeben nichts als ein griff und fund vvare einer alten albern phantastischen demuth.

(*f*) Conc. Valent. c. IV. (tom. II. concil. p. 905.) Quicunque sub ordinatione vel diaconatus vel presbyterii vel episcopatus, mortali crimine se dixerint esse pollutos, a supradictis ordinationibus esse submouendos, reos scilicet *vel veri confessione vel mendacio falsitatis*.

tium

tium mentiendo. Quæ quidem de ſe *Syneſius* dicebat, non ficta erant & commentitia, ſed ipſe ingenue & ex animi ſui ſententia loquebatur; vt non tantum ex iis, quæ EVAGRIVS [*g*] hiſtoricus hac de re memoriæ prodidit, ſed ex narratione, quam ipſe in epiſtola quadam [*h*] ad *Euoptium* fratrem ſuum fecit, apparet: *Scis*, inquit, *philoſophiam cum plerisque ex peruulgatis iſtis pugnare decretis. Etenim numquam profecto mihi perſuaſero, animam origine eſſe poſteriorem corpore. Mundum ac cæteras eius partes vna interire numquam dixero. Tritam illam ac decantatam reſurrectionem ſacrum quidpiam atque arcanum* (ἱερόν τι καὶ ἀπόρρητον) *arbitror; longeque abſum ab vulgi comprobandis opinionibus - - ſed ſi ad epiſcopale munus vocer, nolo ementiri dogmata. Horum Deum, horum homines teſtes facio.* Hæc conteſtatio apertior videtur & firmior, quam vt a quopiam, qui omnium horarum hominem agit & ſenſa mentis ac conſilia callide diſſimulat, fieri poſſit; eamque ob cauſſam vero eſt ſimilius, ſerio & ex animo hæc eum dixiſſe, quemadmodum LVCAS HOLSTENIVS [*i*] peculiari quadam diſſertatione de hoc

(*g*) Euagr. lib. I. c. XV. οὗτος μὲν Συνέσιος ἦν μὲν τὰ ἄλλα πάντα λόγιος· φιλοσοφίαν δὲ οὗτος ἐς τὸ ἀκρότατον ἐξήσκησεν, ὡς καὶ παρὰ Χριστιανῶν θαυμασθῆναι, τῶν μὴ προσπαθείᾳ ἢ ἀντιπαθείᾳ κρινόντων τὰ ὁρώμενα. πείθουσι δ' οὖν αὐτὸν τῆς σωτηριώδους παλιγγενεσίας ἀξιωθῆναι, καὶ τὸν ζυγὸν τῆς ἱερωσύνης ὑπελθεῖν, οὔπω τὸν λόγον τῆς ἀναστάσεως παραδεχόμενον, οὐδὲ δοξάζειν ἐθέλοντα εὐθυβόλως, εὖ μάλα στοχασάμενοι, ὡς ταῖς ἄλλαις τ' ἀνδρὸς ἀρεταῖς ἕψεται καὶ ταῦτα τῆς θείας χάριτος μηδὲν ἐλλειπὲς ἔχειν ἀνεχομένης. καὶ οὐκ ἐψεύσθησαν τῆς ἐλπίδος. κ. τ. λ. Hic Syneſius cum reliquis diſciplinis excultus fuit, tum in philoſophia adeo excelluit, vt admirationi eſſet etiam chriſtianis, his ſcilicet, qui neque odio, neque gratia adducti de rebus iudicare ſolent. Perſuadent igitur illi, vt ſalutaris regenerationis lauacrum perciperet, & ſacerdotii iugum ſubiret, *tametſi reſurrectionis doctrinam nondum ſuſcepiſſet*, neque ita ſentire vellet: recte omnino coniicientes, ad reliquas eius viri virtutes iſta acceſſura, cum diuina gratia nihil imperfectum habere ſuſtineat. Nec ſpes eos fefellit. cætera.

(*h*) Syneſ. ep. CV. p. 397. edit. Par. MDCV. 8uo. (p. 249. edit. Par. MDCXXX. fol.) Οἶσθα δ' ὅτι πολλὰ φιλοσοφία τοῖς θρυλλουμένοις τούτοις ἀντιδιατέταται δόγμασιν. ἀμέλει τὴν ψυχὴν οὐκ ἀξιώσω ποτὲ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν· τὸν κόσμον οὐ φήσω καὶ τ' ἄλλα μέρη συνδιαφθείρεσθαι· τὴν καθωμιλημένην ἀνάστασιν ἱερόν τι καὶ ἀπόρρητον ἥγημαι, καὶ πολλοῦ δέω ταῖς τοῦ πλήθους ὑπολήψεσιν ὁμολογῆσαι καλούμενος δ' εἰς ἱερωσύνην οὐκ ἀξιῶ προσποιεῖσθαι δόγματα· ταῦτα θεὸν, ταῦτα ἀνθρώπους μαρτυρομαι.

(*i*) Holſten. diſſert. tert. de Syneſio ap. Valeſ. not. in Theodor. p. 203. Ipſa Syneſii verba adeo quidem perſpicua ſunt, adeo certa & manifeſta, vt qua ratione in du-

argumento contra BARONIVM id fusius demonstrat. VALESIVS ad defendendum *Theophilum*, *Synesium*, antequam episcopus fieret, opiniones suas mutasse dicit, [*k*]: sed hoc ipso plus adfirmat, quam probari potest. Optima huius rei ratio ab HOLSTENIO data est, quod tum admirabiles virtutes, & excellentissimæ animi dotes in eo elucentes, tum magna hominum penuria in istis calamitosis temporibus *Theophilum* ad eum ordinandum induxerint, ea spe nixum, fore, vt Deus eius mentem illuminaret, nec tam excellentem hominem istiusmodi erroribus in religione diu inhærere pateretur. Sed quicumque colores isti rei dati fuerint, innocentiam facti, regulis ecclesiæ adeo contrarii, difficulter probabunt. Exemplum prorsus singulare fuit, quod nullum ante se habuit nec imitatione expressum est vmquam: quandoquidem vniuersalis ecclesiæ consuetudo erat, vti ostensum est, hominum examinare orthodoxiam, ab eisque postulare, vt ante, quam ordinarentur, regulæ fidei adsentirent atque subscriberent.

§. IV.

De moribus ordinandorum curate instituta inquisitio.

Deinde in mores hominum ordinandorum inquirebatur, atque hæc inquisitio studiose diligenterque fiebat. Moris enim tunc generatim erat, eos solum ordinare, quos plebs vniuersa nosset, & quorum vitæ rationem comprobaret, adeoque de ipsis testimonium posset dicere. *Præsident apud nos*, inquit TERTVLLIANVS [*l*], *probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* CYPRIANVS [*m*] ait, *Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singu-*

bium vocari possint, plane non videam. Contestationes vero adeo sanctis ac religiosis verbis sunt conceptæ, vt qui iis ludere, aut eludere alios voluerit, eum & conscientiam fidemque profligasse, & veritatem, Deumque veritatis præsidem ludibrio habuisse iure merito credas. cætera.

(*k*) Vales. not. in Euagr. p. 120. lib. I. c. XV. Baronius cuncta illa non serio dici censet, sed ficte atque simulate, vt episcopatus onus declinaret. Verum hanc Baronii sententiam merito improbauit Petauius. Multo enim verisimilius esse dicit, Synesium hæc ad fratrem suum scripsisse, sicut tunc sentiebat. *Postea vero a Theophilo aut aliis sacerdotibus edoctum, antequam episcopus fieret, veram de resurrectione sententiam amplexum esse.*

Petau. vit. Synes. p. 4. Multo verisimilius est, hoc illum initio ita, vt in animo habebat, adseuerasse; ac paullo post ab Theophilo, aliisque doctis viris persuasum veritati cessisse, antequam episcopus fieret.

(*l*) Tertull apol. c. XXXIX.

(*m*) Cyprian. ep. LXVIII. al. LXVII. p. 172. (p. 114. edit. Par. MDCLXVI.)

lorum

lorum vitam plenissime nouit & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit.

§. V.

Cur nullum peregrinum in extranea quadam ecclesia ordinari oportuerit.

Quam ob caussam leges peregrinorum ordinationem in ecclesia, ad quam illi non pertinebant, fieri vetabant. OPTATVS [n] *Donatistis* praxin contrariam obiiciebat, *Quid est hoc*, inquiens, *quod pars vestra in vrbe Roma episcopum ciuem habere non potuit? Quid est, quod toti Afri & peregrini in illa ciuitate sibi successisse noscuntur?* E contrario autem ipsos prouocabat [o], idem ab ecclesia factum esse, vt ostenderent, dicens: *Numquid nos aliquem adduximus Hispanum aut Gallum? aut nos ordinauimus ignorantibus peregrinum?* In lege ciuili constitutionem aliquam HONORII imperatoris [p] habemus in eamdem hanc sententiam: *Clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo, vbi ecclesiam esse constiterit, ordinentur.* Si quis vero hoc decretum potius ex ratione status factum esse putet, idem illud in canonibus ecclesiæ legere poterit e. g. in concilio *Illiberritano* [q] ita decernente: *Omnes qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit, ad clerum non esse promouendos in alienis prouinciis.* Et hæc regula generatim obseruata fuit, si a casibus quibusdam extraordinariis discesseris, nimirum, si quis vel publica fama iam vbique inclaruisset, vel specialiores quædam rationes hanc legem migrari iuberent, qua de re alio loco [qq] egimus.

§. VI.

Nec vllum, qui publicam pœnitentiam in ecclesia egisset.

Inquisitionis huius ad mores hominum spectantis seueritas inde porro constare potest, quod criminis cuiusdam publicam offensionem habentis patratio, cuius caussa quis ad poenitentiam coram ecclesia agendam obligatus erat, secundum regulas & disciplinam horum temporum eiusmodi hominem ad sacra ministeria perpetuo inhabilem reddebat. Licet enim veniam impetrarent & ad communionem rursus admitterentur lai-

(n) Optat. lib. II. p. 48 edit. Par. MDCXXXI. fol. (p. 38. edit. Par. MDCLXXIX.)
(o) Ibid. p. 51. (p. 43.)
(p) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episcop. leg. XXXIII.
(q) Concil. Eliber. c. XXIV (tom. I. p. 973.)
(qq) Vid. lib. II. c. X. §. III. vol. I. p. 148.

corum homines malefici ac ſcelerati, qui publicæ pœnitentiæ diſciplinam admittebant; tamen ad dignitates clericales eos prouehere conſultum non videbatur, ſed ordinibus & officiis eccleſiaſticis arcebantur. Certe in plerisque eccleſiis occidentalibus ſæculo quarto & quinto ita obtinuit, quemadmodum ex *latinis* horum temporum ſcriptoribus apparet. SIRICII AC INNOCENTII epiſtolæ hanc ipſorum ætate conſuetudinem eccleſiæ *Romanæ* fuiſſe, oſtendunt. SIRICIVS [r] enim, *Poſt pœnitudinem*, inquit, *ac reconciliationem nulli vmquam laico liceat honorem clericatus adipiſci, quia quamuis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum ſacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.* Epiſtolæ INNOCENTII [s] eiusdem ſunt argumenti, & quod ad eccleſias *Gallicanas* attinet, teſtimonium habemus GENNADII [t] & concilii ſecundi *Arelatenſis* [u] & *Agathenſis* [vv]. Pro eccleſiis *Hiſpanicis* habetur canon in concilio [x] *Toletano* primo, qui nullum pœnitentem ordinari permittit, niſi neceſſitate ita exigente, & tunc ad inferiorem tantum ordinem, ianitorum vel lectorum, officia admitti iubet. Eccleſiarum *Africanarum* agendi ratio ex concilio *Carthaginenſi* quarto manifeſta eſt, quod ita decernit [y]: *Ex pœnitentibus (quamuis ſit bonus) clericus non ordinetur. Si per ignorantiam epiſcopi factum fuerit, deponatur clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem. Si autem ſciens epiſcopus ordinauerit talem, etiam ab epiſcopatus ſui ordinandi duntaxat poteſtate*

(r) Siric. ep. 1 ad Himer. Tarracon. c. XIV. (tom. II. concil. p. 1022.)

(s) Innoc. ep. XXII. c. III. (ibid. p 1274.) Vbi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus.

(t) Gennad. de eccleſ. dogmatic. c. LXXII. (apud Auguſtin. tom. III. edit. Frob. fol. p. 146.) Monitum duarum poſt baptiſmum matronarum clericum non ordinandum -- *neque eum, qui publica pœnitentia mortalia crimina deflet.*

(u) Concil Arelat. II. c. XXV. (tom. IV. p. 1014.) Hi qui poſt ſanctam religionis profeſſionem apoſtatant & ad ſæculum redeunt & poſtmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitus non accipiant, *quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti.*

(vv) Conc. Agath c. XCIII. (ibid. p. 1390.) De pœnitentibus id placuit obſeruare, quod ſancti patres noſtri ſynodali ſententia cenſuerunt, *vt nullus de his clericus ordinetur.* cætera.

(x) Concil. Tolet. I c. II. (tom. II. conc. p. 1223) Placuit, vt *pœnitentes non admittantur ad clerum*, niſi tantum neceſſitas aut vſus exegerit, & tunc inter oſtiarios deputentur vel inter lectores.

(y) Conc. Carth. IV. c. LXVIII. (ibid. p. 1205.)

priuetur.

priuetur. Ex quibus intelligi poteſt, quid ſibi velit OPTATVS, quando de *Donatiſtis*, qui pueros quosdam de eccleſia catholica ad publicam pœnitentiam in eccleſia agendam compulerant, loquens [z] dicit: *Inueniſtis pueros, de pœnitentia ſauciaſtis, ne aliqui ordinari potuiſſent.* Manifeſto enim ad hanc regulam eccleſiæ reſpicit, quod qui publicam pœnitentiam egiſſent, ad officium clericale gerendum inhabiles hoc ipſo facti ſint. Quæ etiam AVGVSTINI opinio videtur eſſe, cum de chriſtiano quodam aſtrologo, qui errati ſui pœnitentiam egerat, loquens [a], *Poſſet videri,* inquit, *quia ſic conuerſus eſt, clericatum quærere in eccleſia. Pœnitens eſt: Non quærit niſi ſolam miſericordiam;* ratus, quod homo in tali rerum ſtatu conſtitutus per regulas & canones eccleſiæ ordines ambire non poſſet. Sed notandum eſt, hoc ſemper de publica non priuata pœnitentia intelligendum eſſe. Concilium enim *Gerundenſe* [b] in *Catalonia* inter publicam pœnitentiam, quæ in eccleſia, & priuatam, quæ domi ab ægrotante fit, expreſſis verbis diſtinguit; illam, non hanc, homines ad recipiendos ordines inhabiles efficere, pronuntians. Et in reliquis canonibus vniuerſis, vbi hæc diſtinctio expreſſa non eſt, ſemper tamen intelligi debet. Nam pœnitentia ſigna quædam publica offenſionis hominibus relinquebat, quæ eos minus dignos eſſe prodebant, qui clero eccleſiæ adſcriberentur. At enim vero hæc

(z) Optat. lib. II. p. 59. (p. 55. edit. MDCLXXIX.)

(a) Auguſtin. append. enarrat. Pſalm. LXI. Vid Auguſt. epiſt. L. ad Bonifac. p. 87. (p. 232. edit. Altdorf. MDCLXVIII. 4to) Si ergo, inquiunt, oportet, vt nos extra eccleſiam & aduerſus eccleſiam fuiſſe pœniteat, vt ſalui eſſe poſſimus; quomodo poſt illam pœnitentiam apud nos clerici, vel etiam epiſcopi permanemus? Hoc non fieret, quoniam reuera, quod fatendum eſt, fieri non deberet -- Vt enim conſtitueretur in eccleſia, ne quisquam poſt alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat; non deſperatione indulgentiæ, ſed rigore factum eſt diſciplinæ -- ne forſitan etiam de cæteris criminibus, ſpe honoris eccleſiaſtici, animus intumeſcens ſuperbe ageret pœnitentiam, ſeueriſſime placuit, vt poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo ſit clericus, vt deſperatione temporalis altitudinis medicina maior & verior eſſet humilitatis.

(b) Concil. Gerundenſ. an. DXVII. c. IX. (tom. IV. pag. 1569.) Qui ægritudinis languore depreſſus, pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per communionem acceperit; & poſtmodum reconualeſcens caput pœnitentiæ in eccleſia publice non ſubdiderit, ſi prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

lex in extraordinariis casibus migrari poterat, & sunt viri quidam docti, qui eam tribus prioribus sæculis ecclesiæ non adeo stricte obseruatam fuisse, arbitrantur.

§. VII.

Nullum homicidam, nullum adulterum, nullum, qui tempore persecutionis fidem abnegauerat, ordinari licebat.

Quod ad specialia crimina attinet, ingens eorum multitudo erat, quæ homines inhabiles ad sacra ministeria reddebant, siue publice pœnitentiam illi egissent, siue non egissent; cuiusmodi sunt tria grandia crimina, *homicidium*, *adulterium* & *lapsus* tempore persequutionis. Concilium *Toletanum* [c] inter peccata, quæ homines a sacris ordinibus excludunt, primo loco nominat homicidium. Crimen fornicationis & adulterii eamdem ob rationem a sic dictis *canonibus apostolicis* [d], conciliis *Neo-cæsareensi* [e], *Nicæno* [f], *Illiberitano* [g], aliisque nonnullis notatum est. Quid? quod

(c) Concil. Tolet. I. can. II. (tom. II. p. 1223.) Pœnitentem dicimus, qui post baptismum, aut pro *homicidio*, aut pro diuersis criminibus, grauissimisque peccatis publicam pœnitentiam gerens, sub cilicio (al. concilio) diuino fuerit reconciliatus altario.

(d) Canon. apostol. c. LXI. Εἴ τις κατηγορία γένηται κατὰ πιστοῦ πορνείας, ἢ μοιχείας, ἢ ἄλλης τινὸς ἀπηγορευμένης πράξεως, καὶ ἐλεγχθείη, εἰς κλῆρον μὴ ἀγέσθω. Si aduersus fidelem aliqua accusatio intendatur, vt *fornicationis*, vel *adulterii*, vel alicuius alius prohibitæ actionis, & conuictus fuerit, *ad clerum ne prouehatur.*

(e) Concil. Neocæs. c. IX. (tom. I. p. 1481.) Πρεσβύτερος, ἐὰν προημαρτηκὼς σώματι προαχθῇ, καὶ ὁμολογήσῃ, ὅτι ἥμαρτε πρὸ τῆς χειροτονίας, μὴ προσφερέτω, μένων ἐν τοῖς λοιποῖς, διὰ τὴν ἄλλην σπουδήν. κ. τ. λ. Si presbyter, qui *corpore* prius *peccauerat*, promotus fuerit & si ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat, manens in aliis, propter aliud eius bonæ vitæ studium. c. X. Ὁμοίως ὁ διάκονος, ἐὰν ἐν τῷ αὐτῷ ἁμαρτήματι περιπέσῃ, τὴν τοῦ ὑπηρέτου τάξιν ἐχέτω. Similiter & diaconus, si in idem peccatum inciderit, ministri ordinem habeat.

(f) Concil. Nicæn. c. II. (tom. II p. 29.) Εἰ προϊόντος τοῦ χρόνου ψυχικόν τι ἁμάρτημα εὑρεθῇ περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐλέγχοιτο ὑπὸ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων, πεπαύσθω ὁ τοιοῦτος τοῦ κλήρου, si procedente tempore, *animale* aliquod *peccatum* circa personam inuentum fuerit, & a duabus vel tribus personis conuincatur, *cesset qui talis est a clero.*

(g) Conc. Eliber. c. XXX. (tom. I. p. 974.) *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati;* eo quod postmodum, per subrepti-

con-

concilium *Neo-Cæsareense* paullo vlterius progreditur & decernit [*h*]: *Si alicuius vxor, quum esset laicus, adulterata fuisse conuicta fuerit, is non potest ad ministerium accedere: sin autem etiam post ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere: quod si cohabitet, non potest sibi commissum ministerium exsequi.* De lapsus & sacrificationis crimine tempore persequutionis admisso ORIGENES [*i*] tradit, moris ætate sua fuisse in ecclesia, vt, qui ei obnoxii essent, ab omnibus dignitatibus & magistratibus ecclesiasticis excluderentur. Et ATHANASIVS [*k*] idem adfirmat, *Id ipsum,* inquiens, *heic & vbique placuit, nimirum vt iis, qui lapsi sunt; si impietatis fuerint præfecti, venia concedatur, si resipiscant, nec detur tamen locus in clero.* Si qui vero

onem, ad altiorem gradum promoueantur: vel si qui sunt in præteritum ordinati, amoueantur.

(*h*) Conc. Neo Cæs. c. VIII. Γυνή τινος μοιχευθεῖσα λαϊκοῦ ὄντος, ἐὰν ἐλεγχθῇ φανερῶς, ὁ τοιοῦτος εἰς ὑπηρεσίαν ἐλθεῖν οὐ δύναται. Ἐὰν δὲ καὶ μετὰ τὴν χειροτονίαν μοιχευθῇ, ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν, ἐὰν δὲ συζῇ, οὐ δύναται ἔχεσθαι τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ὑπηρεσίας.

(*i*) Origin. contr. Cels. lib. III. p. 142. 143. Οἵα δ' ἐστὶν αὐτοῖς ἀγωγὴ καὶ περὶ ἁμαρτανόντων, καὶ μάλιστα τῶν ἀκολασταινόντων, οὓς ἀπελαύνουσι τοῦ κοινοῦ οἱ κατὰ τὸν Κέλσον παραπλήσιοι τοῖς ἐν ταῖς ἀγοραῖς τὰ ἐπιῤῥητότατα ἐπιδεικνυμένοις; καὶ τὸ μὲν τῶν Πυθαγορείων σεμνὸν διδασκαλεῖον κενοτάφια τῶν ἀποστάντων τῆς σφῶν φιλοσοφίας κατεσκεύαζε, λογιζόμενον νεκροὺς αὐτοὺς γεγονέναι· οὗτοι δὲ ὡς ἀπολωλότας καὶ τεθνηκότας τῷ Θεῷ τοὺς ὑπ' ἀσελγείας ἤ τινος ἀτόπου νενικημένους, ὡς νεκροὺς πενθοῦσι· καὶ ὡς ἐκ νεκρῶν ἀναστάντας, ἐὰν ἀξιόλογον ἐνδείξωνται μεταβολήν, χρόνῳ πλείονι τῶν κατ' ἀρχὰς εἰσαγομένων ὕστερόν ποτε προσίενται εἰς οὐδεμίαν ἀρχὴν καὶ προστασίαν τῆς λεγομένης ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ καταλέγοντες τοὺς φθάσαντας, μετὰ τὸ προσεληλυθέναι τῷ λόγῳ, ἐπταικέναι. Iam erga peccantes quam seuera est disciplina, præcipue contaminatos libidine, quos e sua communione reiiciunt nostri, quantumuis Celsus eos nugacibus circulatoribus similes faciat? Et Pythagoreorum quidem reuerenda schola ponebat cenotophia disciplinæ suæ desertoribus, nimirum, quod haberet eos pro mortuis: hi vero vt perditos Deoque mortuos lugent eos, qui libidine aliove simili malo victi fuerint: ac rursum resipiscentes, haud secus quam rediuiuos recipiunt tandem, post longiorem melioris mentis approbationem, quamquam primum ad religionem discendam admitterentur, ea tamen conditione, vt, *quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus & magistratibus ecclesiasticis.*

(*k*) Athan. ep. ad Rufinian. tom. II. p. 41. edit. Par. MDCXXVII. (tom. I. p. 963. edit. Par. MDCXCVIII.) Ἤρεσεν ὅπερ ὧδε καὶ πανταχοῦ, ὥστε τοῖς μὲν καταπεπτωκόσι καὶ προϊσταμένοις τῆς ἀσεβείας, συγγινώσκειν μὲν μετανοοῦσι· μὴ διδόναι δὲ αὐτοῖς τόπον κλήρου.

per

per ignorantiam ordinati essent, simulatque cognoscerentur, secundum canonem quemdam magni illius concilii *Nicaeni* [*l*] removeri debebant. Quae regula non noua, sed antiqua totius ecclesiae catholicae regula erat. CYPRIANVS [*m*] enim *Romae* & in *Africa* & ab omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis decretum esse, dicit, *eiusmodi homines ad poenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.* Quam ob caussam ipsi etiam *Ariani*, quibus alioquin secundum regulas agere non adeo placebat, nonnumquam ordinationem alicui denegare consultum duxerunt; quemadmodum ATHANASIVS [*n*] & SOCRATES [*o*] *Asterio* sophistae eos fecisse perhibent, quem ad clerum admittere non voluerint, eo quod persequutionis tempore sacrificasset. Enim vero in huius regulae obseruatione non perstiterunt. Nam si PHILOSTORGIVS [*p*] vera narrat, praecipui sectae *Arianae* episcopi, *Eusebius Nicomediensis, Maris Chalcedonensis, Theognis Nicaenus, Leontius Antiochenus, Antonius Tarsensis, Menophantus Ephesinus, Numenius, Eudoxius, Alexander &*

(*l*) Concil. Nic. c. X. (tom. II. conc. p. 33.) Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ· γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται. Quicumque ex iis, qui lapsi sunt vel per ignorantiam, vel scientibus iis, qui promouerunt, ordinati sunt, hoc ecclesiastico canoni non praeiudicat; *Ii* enim *cogniti deponuntur.*

(*m*) Cyprian. ep. LXVIII. al. LXVII. p. 174. edit. Par. MDCXLVIII. (p. 114. edit. Par. MDCLXVI.)

(*n*) Athan. de synod. Arim. & Seleuc. tom. I. p 887. edit. Par. MDCXXVII. (tom. I. p. 731. E. edit. MDC XCVIII.) Ἀστέριος δέ τις ἀπὸ Καππαδοκίας, πολυκέφαλος σοφιστὴς, εἷς ὢν τῶν περὶ Εὐσέβιον, ἐπειδὴ θύσας ἐν τῷ προτέρῳ διωγμῷ, τῷ κατὰ τὸν πάππον Κωνσταντίου, οὐκ ἠδύνατο παρὰ αὐτῶν εἰς κλῆρον προαχθῆναι κ. τ. λ. Quidam Asterius ex Cappadocia, multiceps sophista, vnus ex Eusebianis, cum in priore persecutione sub Constantii auo diis sacrificasset, nec posset ab illis in clerum cooptari, *caetera.*

(*o*) Socrat. lib. I. c. XXXVI. Συνῆν δὲ ὁ Ἀστέριος συνεχῶς καὶ τοῖς ἐπισκόποις, τοῖς μάλιστα τὴν Ἀρειανῶν δόξαν μὴ ἀθετοῦσι· καὶ δὴ καὶ εἰς τὰς συνόδους ἀπήντα, ὑποδῦναι μιᾶς πόλεως ἐπισκοπὴν προθυμούμενος· ἀλλ' ἱερωσύνης μὲν ἠστόχησε, διὰ τὸ ἐπιτεθυκέναι κατὰ τὸν διωγμόν. Versabatur autem adsidue idem Asterius cum episcopis, ac praecipue cum illis, qui opinionem Arii minime reiiciebant. Quin etiam ad synodos frequens ventitabat, ad episcopatum cuiuspiam ciuitatis studens arrepere. Verum ille sacerdotium quidem minime est adsequutus, eo quod persecutionis tempore sacrificasset.

(*p*) Philostorg. lib. II. c. XIV.

Asterius

Asterius Cappadox persequutionis *Diocletianæ* tempore omnes diis gentilium sacrificarunt. Sed vero fatendum tunc est, quosdam ex hisce episcopis in ecclesia consecratos fuisse ante, quam hæresis *Ariana* apparere cœpisset: vnde concludi oportet, vel episcopis, qui eos ordinarunt, de eorum lapsu non innotuisse, vel ecclesiam nonnumquam in hoc etiam casu ab ordinaria regula discedendi vsam esse libertate. BARONIVS [q] & alii quidam, EVSEBIVM historicum incusant, quod persequutionis tempore sacrificauerit: PETAVIVS [r], HVETIVS [s] & ANTONIVS PAGIVS [t] eamdem labeculam *Origeni* ex EPIPHANIO, primo huius historiæ narratore, adspergunt: VALESIO interim [u] & DVPINIO [w] *Origenis* famam ab

(q) Baron. ad an. CCCXXXV. n. VIII. Potamon inuectus est voce magna contra Eusebium & dixit: Tu sedes Eusebi, & Athanasius innocens stans a te iudicatur? quis tulerit talia! Dic mihi tu: Nonne mecum fuisti in carcere tempore persecutionis? Et ego quidem oculum amisi pro veritate; tu vero nihil mutilatum in corpore habere videris, neque testimonium propter confessionem tribuisti, sed stetisti viuens, nulla parte detruncata. Quomodo discessisti e carcere? *nisi quod promisisti* iis, qui necessitatem nobis persecutionis intulerunt, *id quod nefarium est, te facturum esse, aut sane fecisti!*

(r) Petau. animaduers. in Epiphan hæres. LXIV. n. II. p. 159 Verisimile est, Origenem, cum in Decii persecutione adfecta iam ætate *lapsus esset*, in Palæstinam recessisse ac Tyri mortuum esse.

(s) Huet. Origenian. lib. I. c. IV. p. 21. 22. 23.

(t) Pagi critic. in Baron. A. CCLI. n. VI. Negat Baronius, Origenem in hac Decii persecutione lapsum, eiusque sententiam Valesius in notis Eusebianis sequutus est. Præferenda tamen sententia Petauii in animaduersionibus ad Epiphanium hæres LXIV. n. II. & ad librum eiusdem de ponderibus & mensuris c XVIII. atque Huetii lib. I. Origenianorum c. IV. sancto Epiphanio id adserenti fidem adhibendam censentium. Hæc Epiphanii verba: *ob eximiam sanctitatem & eruditionem summam in inuidiam est adductus* cætera. Quæ verba licet ab aliquo Origeniani nominis hoste in Epiphanii textum intrusa dicat Baronius, tamen vel ipsa stili similitudo, vt inquit Petauius, satis Epiphanio adiudicat. Facti illius etiam meminerunt Nemesius cap. XX. Leontius Byzantius, & Iustinianus imperator aduersus Origenis errores, qui a synodo quinta probatus est. Et profecto incredibile videtur, hunc imperatorem in encyclica epistola ad vniuersos episcopos destinata, quæ in concilii quinti acta refertur, vel qui nomine eius eamdem scripsit, mendacium re nulla postulante confictum, patribus in os obiecisse viris non illiteratis, & rei inauditæ nouitatem procul dubio miraturis eiusque falsitatem facile perspecturis.

(u) Vales. not. in Euseb. lib. VI. c. XXXIX. De Æthiope aduersus Originem subornato & de abrogata fide nihil heic dicit Eusebius: sed & Baronius cuncta hæc fabulosa esse merito censuit. Nemesius tamen in libro de natura hominis c. XXX. narrationem illam Epiphanii confirmat.

(w) Du Pin bibliotheque tom. I. p. 444. edit. anglic. Lond. MDCXCII. fol. (Tom. I.

hac tetra macula vindicare conantibus. Eamdem operam *Eusebio* HANCKIVS [x] & CAVEVS [y] commodarunt. Nihil in his controuersiis definiam, sed obseruabo solum, quod si accusationes contra hosce duos viros factæ iustæ fuerunt, consequatur necesse sit, vt homines lapsi potuerint ordinari, aut certe in clericatu manere, de gradu suo minime deturbati, vbi ecclesia ordinariam legem migrare consultum duxisset; quæ probabiliter non ita rigida fuit, quin admitteret exceptionem aliquam, si idoneæ caussæ & casus extraordinarii ipsam requirere viderentur.

---

p. 225. edit. lat n. Colon. MDCXCII. 4to.) Ab Epiphanio accusatur, quod ad altaria accesserit, simularitque tus diis offerre, quæ Epiphanius de Origene narrat, sunt falsa, fictaque a quodam Origenis inimico, a quo Epiphanius, vir satis credulus, deceptus est. Ad ostendendum hanc historiam esse commenticiam, sufficit obseruasse Origenis inimicos infensissimos, vti Theophilum, Hieronymum, Iustinianum &c. qui nihil eorum prætererunt, quibus eius fama minueretur, nihil de ea dixisse; eiusque defensores Eusebium & Pamphilum tantum abest vt eum ab hac culpa exemerint, vt contra illius firmitatem ac constantiam deprædicauerint. Fateor, Epiphanium non dicere sicut Nicephorum, id sub Decii persecutione euenisse; at quibusuis temporibus adsignes, pariter ruit iis, quæ a nobis obseruata sunt. Immo minus verisimiliter ad persecutionis Maximini tempora refertur; quis enim crediderit Origenem, post tam ineptam culpam, ita fuisse a Palæstinæ episcopis laudatum?

(x) Henckius de scriptor. Byzantin. par. I. c. I. n. CLVIII. Crimen illud, quod ab inimicis Eusebio per altercationes obiectum quidem, cuius autem conuictus non fuit, in dubium merito venit. Quin, cum credibile non sit, Eusebio si gentilium diis sacrificasset, per istius rei conscios Cæsariensem episcopatum postea vel collatum vel permissum fuisse; potius vero simile, quoniam Eusebius ex carcere saluus emissus erat, alios ea gratia non dimissos, suspicionis materiam consequutos, illum non sine culpa, vel sacrificantis, vel sacrificaturi, custodia digressum: cum tamen ex eo potuerit alio modo liberari.

(y) Caue histor. litter. vol. I p. 178. edit. Londin. (p. 112. edit. Genev. MDCCX. fol.) Postea nata aduersariis eius calumniandi materia, ipsum nempe carceri inclusum idolis immolasse. Obiecerunt id ei anno CCCXXXV. synodo Tyriæ inter alios præsidenti confessores Ægyptii & in his præcipue Potamo episcopus Heracliensis. Verum si accusasse sufficiat, quis erit innocens? odio & liuore ducti tela in illum vndique arripiebant: neque vllum hac in re testem proferunt, præter leuem quemdam rumusculum, seu rumoris potius suspicionem, quod nec ipse diffitetur Potamo, nulla alia ex caussa ortum, quam quod Eusebius ex carcere saluus & illæsus euaserat. Quid? quod si immolasset, ex rigida istius temporis disciplina, omni clericali gradu excidisset, certe ad superiorem ordinem neutiquam promouendus.

§. VIII.

§. VIII.

Nullum fœneratorem vel hominem seditiosum.

Aliud flagitium, quod homines hisce temporibus a clericali excludebat honore, erat seditio siue rebellio. Qui enim in rerum nouarum studio conuictus erat, eum numquam ordinari licebat. Hoc ex concilio *Carthaginensi* quarto [z], homines seditiosos & vsurarios coniungente & vtrisque ordinationem abiudicante, videre est. Quod ad crimen vsuræ attinet, eius naturam hoc loco non explanabo, id quod commodiore loco [zz] fiet, sed animaduertam tantum, quod hoc crimen eo sensu, quo veteres illud damnauere, tam odiosum fuerit tamque grauem apud omnes habuerit offensionem, vt obnoxium sibi hominem honore ac priuilegio ordinationis priuarit. Vnde GENNADIVS de praxi loquens ecclesiæ *latinæ* & de proprietatibus, in hominibus ordinandis requisitis, dicit, non debere esse tales, qui vsuras accepisse conuincantur [a]. In ecclesia *græca*, certe in *Cappadocia*, hæc regula non in vniuersum tam stricte obseruata videtur: Canones enim BASILII [b] tales homines non absolute a ministerio ecclesiastico arcent, *qui vsuras accipit,* inquientes, *si iniustum lucrum in pauperes consumere voluerit & ab auaritiæ morbo deinceps liberari: ad sacerdotium admitti potest.*

§. IX.

Neque eum, qui simetipsi aliquod corporis sui membrum voluntarie prætruncasset.

Aliud crimen, quod quem a priuilegio ordinationis repellebat, erat proprii corporis deformatio vel laceratio. Equidem si quis fortassis eunuchus natus esset, nulla lex eius ordinationem prohibebat: EVSEBIVS [c] enim *Dorotheum* presbyterum

(z) Conc. Carth. IV. c. LXVII. (tom. II. p. 1205.) *Seditionarios numquam ordinandos clericos, sicut nec vsurarios*, nec iniuriarum suarum vltores.

(zz) Infra lib. VI. c. II. §. VI.

(a) Gennad. de eccles. dogmat. CLXXII. (ap. Aug. tom. III. p. 146.) Neque illum, qui vsuras accepisse conuincitur.

(b) Basil. can. XIV. ap. Beuereg. pandect. tom. II. p. 71. (vel tom. II. concil. p. 1729.) Ὁ τόκους λαμβάνων, ἐὰν καταδέξηται τὸ ἄδικον κέρδος εἰς πτωχοὺς ἀναλῶσαι, καὶ τοῦ λοιποῦ, τοῦ νοήματος τῆς φιλοχρηματίας ἀπαλλαγῆναι· δεκτός ἐστιν εἰς ἱερωσύνην.

(c) Euseb. lib. VII. c. XXXII. (p. 323. edit. Vales.) Τὴν φύσιν εὐνοῦχος, οὕτω πεφυκὼς ἐξ αὐτῆς γενέσεως.

Antiochenum ab ipſo matris vtero eunuchum fuiſſe dicit; & SOCRATES [*d*] ac SOZOMENVS, *Tigrim* presbyterum *Conſtantinopolitanum* a barbaro quodam domino caſtratum, perhibent. Vel ſi quis a perſecutorum crudelitate membro aliquo orbatus eſſet; vti multis confeſſoribus ſub perſequutione *Deciana* dexter oculus effoſſus & femur ſiniſtrum infirmatum fuerat; hoc in caſu nulla lex eorum ordinationem prohibebat, niſi muneri miniſtrorum obeundo prorſus impares eſſent, cæci videlicet vel ſurdi vel muti redditi. *Canones* enim ſic dicti *apoſtolici* [*e*] decernunt: *Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæſus epiſcopatu autem dignus ſit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio. Qui autem eſt ſurdus & cæcus, ne ſit epiſcopus: non vt pollutus, ſed ne eccleſiaſtica impediantur.* Concilium *Nicænum* tertiam ſubiungit conditionem, qua hominem membro corporis truncatum ordinari licitum erat, ſi videlicet in periculoſiore quodam morbo medici regulam iſtam:

— Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur,

ſequendam eſſe duxiſſent. Iſtiusmodi omnes excepti erant, nec ad eos canonum ſpectabat prohibitio. Crimen autem erat, ſi quis, quum eſſet ſanus, ſe ipſum exſecuiſſet, vt canon *Nicænus* [*f*]

(*d*) Socrat. lib. VI. c. XV. ἐκέλευον δὲ παρεῖναι ἅμα αὐτῷ Σαραπίωνα, καὶ Τίγριν εὐνοῦχον πρεσβύτερον, καὶ Παῦλον ἀναγνώστην. Simul Serapionem diaconum & *Tigrim eunuchum presbyterum*, & Paulum lectorem adeſſe iubet. Sozomen. lib. VIII. c. XXIV. Ἐν τῷ τότε καιρῷ καὶ Τίγριος πρεσβύτερος τῆς ἐσθῆτος γυμνωθεὶς, καὶ κατὰ νώτου μαστιγωθεὶς, πόδας καὶ χεῖρας δεδεμένος διαταθεὶς, διελύθη τὰ ἄρθρα· ἐγένετο δὲ οὗτος βάρβαρος τὸ γένος, οὐκ ἐκ γενετῆς εὐνοῦχος· ἐν οἰκίᾳ δέ τινος τῶν ἐν δυνάμει τὰ πρῶτα δουλεύσας, καὶ ἐπαινεθεὶς παρὰ τοῦ κεκτημένου, μετέσχεν ἐλευθερίας. Tunc etiam *Tigrius presbyter* veſtimentis exutus & tergo flagris cæſus, victisque pedibus ac manibus in equuleo extenſus, membris diſſolutus eſt. Erat hic barbarus natione, *eunuchus* quidem ſed *non ab origine.* Qui cum in domo cuiusdam potentis ſeruus fuiſſet, domino ſuo probatus, libertatem meruerat.

(*e*) Can. apoſt. c. LXXVI. LXXVII. Εἴ τις ἀνάπηρος ἢ τὸν ὀφθαλμὸν, ἢ τὸ σκέλος πεπληγμένος, ἄξιος δέ ἐστιν, ἐπίσκοπος γινέσθω· οὐ γὰρ λώβη σωμάτων αὐτὸν μιαίνει, ἀλλὰ ψυχῆς μολυσμός· Κωφὸς δὲ ὢν καὶ τυφλὸς, μὴ γινέσθω ἐπίσκοπος· οὐχ ὡς βεβλαμμένος, ἀλλ᾽ ἵνα μὴ τὰ ἐκκλησιαστικὰ παρεμποδίζοιτο.

(*f*) Concil. Nicæn. c. I. Εἴ τις ἐν νόσῳ ὑπὸ ἰατρῶν ἐχειρουργήθη, ἢ ὑπὸ βαρβάρων ἐξε-

id

id reddit; neque eum in clerum cooptari conueniebat: vel si iam ordinatus illud facinus admisisset, honore clericali priuandus erat. *Canones apostolici* [g] hanc huius rei dant rationem, quod sit sui homicida & opificii Dei hostis. Neque vllam habebat excusationem, si quis ex quodam pietatis vel vitandæ fornicationis obtentu semetipsum exsecuisset. Isti enim statutæ canonibus pœnæ non minus quam alii vlli obnoxii erant; id quod a GENNADIO [h] & a concilio [i] *Arelatensi* obseruatum est, & prima quidem hunc canonem faciendi caussa erat, vt falsæ isti pietatis opinioni anteuerterent, quæ ORIGENIS [k] quon-

τμήθη, ὗτος μενέτω ἐν τῷ κλήρῳ· εἰ δέ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμε, τῦτον καὶ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦσθαι προσήκει καὶ ἐκ τῦ δεῦρο μηδένα τῶν τοιύτων χρῆναι προσάγεσθαι· ὥσπερ δὲ τῦτο πρόδηλον, ὅτι περὶ τῶν ἐπιτηδευόντων τὸ πρᾶγμα, καὶ τολμώντων ἑαυτὺς ἐκτέμνειν, εἴρηται· ὕτως εἴ τινες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνυχίσθησαν, ευρίσκοιντο δὲ ἄλλως ἄξιοι, τοὺς τοιύτυς εἰς κλῆρον προσίεται ὁ κανών. Si quis a medicis in morbo excisus, vel a barbaris exsectus est, is in clero maneat. *Si quis* autem, *quum esset sanus, se ipsum exsecuit, eum etiam in clero examinatum cessare conuenit*, & deinceps nullum talem oportet promoueri. Quemadmodum autem hoc manifestum est, quod de iis, qui de industria hoc agant, & se ipsos audent excidere, dictum est: ita si aliqui a barbaris vel dominis castrati sint, inueniantur autem & ii alioqui digni, tales in clerum admittit canon.

(g) Can. apost. c. XXI. ὁ ἀκρωτηριάσας ἑαυτὸν, μὴ γενέσθω κληρικός· αὐτοφονευτὴς γάρ ἐστιν ἑαυτῦ καὶ τῆς τῦ θεῦ δημιυργίας ἐχθρός. Qui se ipsum mutilauit, ne sit clericus: *est sui homicida & Dei opificii hostis.*

(h) Gennad. de eccles. dogm. c. LXXII. Neque eum (ordinandum) qui semetipsum quolibet corporis sui membro indignatione aliqua vel iusto iniustoue timore superatus truncauerit.

(i) Conc. Arelat. II. c. VII. (tom. IV. p. 1101.) Hos, qui se carnali vitio repugnare nescientes abscindunt, ad clerum peruenire non posse.

(k) Euseb. lib. VI. c. VIII. Ἐν τύτῳ δὲ τῆς κατηχήσεως ἐπὶ τῆς Ἀλεξανδρείας τὔργον ἐπιτελῦντι τῷ Ὠριγένει πρᾶγμά τι διαπέπρακται, φρενὸς μὲν ἀτελῦς καὶ νεανικῦς· πίστεως γε μὴν ὁμῦ καὶ σωφρωσύνης μέγιστον δεῖγμα περιέχον· τὸ γὰρ εἰσὶν εὐνῦχοι οἵτινες εὐνύχισαν ἑαυτὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν ὐρανῶν, ἁπλύστερον καὶ νεανικώτερον καὶ ἐκλαβὼν, ὁμῦ μὲν σωτήριον φωνὴν ἀποπληρῦν οἰόμενος· ὁμῦ δὲ καὶ διὰ τὸ νέον τὴν ἡλικίαν ὄντα, μὴ ἀνδράσι μόνον καὶ γυναιξὶ δὲ τὰ θεῖα προσομιλεῖν· ὡς ἂν πᾶσαν τὴν παρὰ τοῖς ἀπίστοις αἰσχρᾶς διαβολῆς ὑπόνοιαν ἀποκλείσειε, τὴν σωτήριον φωνὴν ἔργοις ἐπιτελέσαι ὡρμήθη. Origenes dum catechumenis apud Alexandriam instituendis vacaret, facinus adgreditur, quod minus perfecti sensus & iuuenilis cuiusdam audaciæ posit videri: fidei tamen & continentiæ maximum in se specimen continet. Nam cum verba illa, *sunt quidam eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum:* simplicius ac iuuenilius accepisset, partim vt ser-

dam occupauerat animum, qui hæc seruatoris verba, *sunt eunuchi, qui se ipsos castrarunt propter regnum cælorum*, erroneo quodam sensu accepta secundum litteram in semetipso impleuerat. Et *Valesii* hæretici paullo longius progrediebantur, hoc modo hominem Deo seruire oportere existimantes; eamque ob caussam tum semetipsos, tum omnes ad partes ipsorum transeuntes castrabant, quemadmodum AVGVSTINVS [*l*] auctor nobis est. Ad corrigendas impediendasque has erroneas opiniones & consuetudines ecclesia hanc regulam primum dedit; quæ adeo stricte obseruata fuit, vt vix duo exempla in contrarium sæculis subsequutis deprehendas. *Leontius* se ipsum exsecuerat, suspicionem ex consuetudine cum *Eustolio* virgine vitaturus; sed propter id facinus presbyteri officium ei abrogatum, & concilio *Nicæno* occasio hinc data est, antiquum canonem contra istas praxes renouandi; ita, vt quum postea *Ariani* episcopum *Antiochiæ* eum ordinassent, catholici, quemadmodum narrant historici [*m*], in

vatoris nostri verbum adimpleret, partim vt omnem obsceni rumoris & calumniæ occasionem infidelibus adimeret, eo quod ipsa ætate iuuenis non solum viris sed & fœminis diuinæ fidei præcepta tradebat, dictum seruatoris reipsa exsequi adortus est.

Epiphan. hæres. LXIV. n. III. *φασὶ δὲ καὶ τοῦτον τὸν Ὠριγένην ἐπινενοηκέναι ἑαυτῷ κατὰ τὸ σωμάτιον· οἱ μὲν λέγουσι νεῦρον ἀποτετμηκέναι διὰ τὸ μὴ ἡδονῇ ἐνοχλεῖσθαι, μηδὲ ἐν ταῖς κινήσεσι ταῖς σωματικαῖς φλέγεσθαί τε καὶ πυρβολεῖσθαι· ἄλλοι δὲ οὐχί φασιν, ἀλλὰ ἐπινενοηκέναι τι φάρμακον ἐπιθεῖναι τοῖς μορίοις, καὶ ἀποξηρᾶναι.* Eumdem illum Origenem narrant quiddam in corpusculum excogitasse suum; siue neruum sibi, vt quidam existimant, inciderit, quo se illecebrarum molestia liberaret, neque turpibus corporis motibus velut incendio quodam æstuaret. Siue, quod alii malunt, medicamento aliquo partibus illis imposito resiccarit.

(*l*) August de hæres. c. XXXVII. Valesii & se ipsos castrant, & hospites suos, hoc modo existimantes Deo se debere seruire.

(*m*) Socrat. lib. II. c. XXVI. - - *Λεόντιος ὁ τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίας τότε προεστώς· ὅστις ἡνίκα πρεσβύτερος ἦν, ἀφῃρέθη τῆς ἀξίας, ὅτι γυναικὶ συνδιημερεύων Εὐστολίῳ ὄνομα, καὶ τὴν εἰς αὐτὴν αἰσχρὰν ὑπόνοιαν ἐπικρύψαι σπουδάσας, τῶν γεννητικῶν ἐξέτεμεν ἑαυτὸν, καὶ τοῦ λοιποῦ παῤῥησιέστερον τῇ γυναικὶ συνδιῆγεν, ὡς μὴ ἔχων δι' ἃ εἰς αὐτὴν διεβάλλετο· γνώμῃ δὲ καὶ σπουδῇ τοῦ βασιλέως Κωνσταντίου τῆς ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐκκλησίας προεβλήθη ἐπίσκοπος μετὰ Στέφανον, ὃς Πλάκιτον διεδέξατο πρότερον.* - - Leontius, qui Antiochenæ ecclesiæ tunc temporis præsidebat. Qui quum esset presbyter, eo dignitatis gradu deiectus fuerat, propterea quod cum muliere quadam, Eustolio nomine, perpetuo degens, vt omnem turpis cum illa consuetudinis suspicionem adimeret, genitalia sibi membra præciderat: atque exinde liberius cum ea versabatur, vtque iam carens illis propter quæ antea in suspicionem criminis vocabatur. Postea tamen sententia ac studio imperatoris

ordi-

ordinationem eius tamquam minus canonicam generatim declamitauerint. Vnicum exemplum, quod ab hac regula exemtum videtur, habemus apud BARONIVM in *Timotheo* episcopo *Alexandrino*, *Ammonem* monachum *Aegyptium* ordinante, quippe qui, vt ordinationem effugeret, ipse sibi auriculam dextram præciderat, hoc modo se ipsum inhabilem redditurus; quem vero, BARONIO [n] adfirmante, nihilominus *Timotheus* episcopum ordinauit, factum illud his verbis defendens: *A iudæis lex ista seruatur. Ego, si dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, sed moribus probum, non eum dubitabo episcopum facere.* Sed datur ratio quædam de huius narrationis veritate dubitandi; nam non tantum PALLADIVS, quem citat BARONIVS, sed SOCRATES [o] etiam & SOZOMENVS hanc historiam commemorantes, potius significare videntur, quod non fuerit ordinatus. Sed quidquid verum esse statuamus, singulare hoc fuit exemplum, & vix aliud simile in vniuersa historia ecclesiastica obuium. Quod ostendit, quam caute in huius regulæ obseruatione versati fuerint veteres, ne qua ignominia vel offendiculi culpa in ecclesiam redundaret.

§. X.

Tantummodo de criminibus post baptismum commissis respondere debebant, qui ad ordinationem admittendi erant.

Verum in his omnibus & similibus casibus hoc inprimis notandum est, quod crimina, quæ quem recipiendo ordini ecclesiastico inhabilem fecerint, generatim ea tantum fuisse intelligenda sint, quæ post baptismum fuerint commissa. Omnia enim crimina ante baptismum designata, lauacro baptismi ita

Constantii, ad Antiochensis ecclesiæ episcopatum promotus fuerat post obitum Stephani, qui Flaccillo successerat.

Theodoret. lib II. c XXIV. Ἐν Ἀντιοχείᾳ μετὰ Στέφανον, ὃς Φλάκιλλον διαδεξάμενος τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐξηλάθη συλλόγων, Λεόντιος τὴν προεδρίαν ἐδέξατο, παρὰ τοὺς ἐν Νικαίᾳ γραφέντας ὅρους ταύτην λαβών· ἐκτομίας γὰρ ἦν, αὐτουργὸς γενόμενος τῆς τόλμης. Antiochiæ post Stephanum Flaccilli successorem, qui ecclesia eiectus fuerat, Leontius episcopatum obtinuit, *contra Nicænos canones* eum honorem sortitus. *Erat enim eunuchus, suaque manu se ipsum abściderat.*

(n) Baron. ann. CCCLXXXV. n XXX. p 522.

(o) Socrat, lib. IV. c. XXIII. Sozom. lib. I. c. XIV. Pallad. histor. Lausiac. c. XII.

depur-

depurgata esse credebantur, vt vniuersali eorum interposita obliuione, homo nihilosecius ad ordinationem recipiendam idoneus esset. Ita vt non tantum, quæ quis gentilitatis superstitioni adhuc addictus perpetrauerat, sed in quæ etiam, dum catechumenus esset, inciderat, in hoc examine, vbi in mores eorum ante ordinationem inquirebatur, condonarentur. Hoc non tantum ex iis patet, quæ cum *Augustino* acta sunt, cuius vitia tempore ordinationis numquam ei exprobrata fuerunt, quia baptismum eius antecesserant; sed etiam ex canone in concilio *Ancyrano* facto, de iis, qui in idololatriam prolapsi erant, quum essent solum catechumeni. Sic enim dicit [p] canon: *Ios qui ante baptismum sacrificarunt, & postea baptizati sunt, visum est ad ordinem promoueri, vt qui abluti sunt.* Verum quidem est, vnius tantum criminis sacrificationis, heic fieri mentionem; at ex eadem ratione hoc ad cætera crimina istius modi omnia extendi debet: atque hanc consuetudinem ecclesia plerumque sequuta est.

§. XI.

Excepto, si quid in ipso eorum baptismo regulæ minus conuenienter factum esset. Et quod ad baptismum attinet clinicorum.

Verumtamen heic rursus obseruandum est, quod si in ipso alicuius baptismo aliquid regulæ ecclesiæ contrarium factum esset, eiusmodi crimen ei semper obiectum fuerit, vt ab ordinatione prohiberetur. Ita sæpissime iis accidit, qui baptismum tantum *clinicorum*, morbo vel alia necessitate vrgente, receperant, si baptismum suum ad tam periculosum vsque temporis momentum secure distulissent, & maturius potuissent admitti, nisi sua ipsorum culpa neglexissent. Hæc baptismi dilatio in magnis semper criminibus posita dignaque habita fuit, in quam pœna quadam ecclesiastica animaduerteretur. Eamque ob caussam ecclesia inter alia remedia, quibus ad hanc consuetudinem impediendam vtebatur, eos, qui istius criminis rei essent, & sibimetipsis fatalem baptismi clinici necessitatem imposuissent, puniendos esse statuebat, denegando ipsis ordinationem. Canonem hunc in finem factum in concilio *Neo-Cæsareensi* [q] habemus:

(p) Conc. Ancyr. c. XII. (tom. I. p. 1460.) Τοὺς πρὸ τοῦ βαπτίσματος τεθυκότας καὶ μετὰ ταῦτα βαπτισθέντας, ἔδοξεν εἰς τάξιν προάγεσθαι, ὡς ἀπολουσαμένους.

(q) Conc. Neo-cæsar. c. XII. (tom. I. p. 1483.) Ἐὰν νοσῶν τις φωτισθῇ, εἰς πρεσβύτερον

bemus: *Si quis ægrotans fuerit baptizatus, non poteſt in presbyterum euehi. Fides enim eius non eſt ex inſtituto ſed ex neceſſitate: niſi ſorte propter conſequens eius ſtudium & fidem hominumque raritatem talis poſſit admitti.* Et hanc antiquam eccleſiæ regulam fuiſſe, ex iis apparet, quæ de *Nouati* in presbyterorum ordinem euectione narrat CORNELIVS [r]: Vniuerſum clerum multosque ex populo refragatos eſſe dicit, eo quod non liceret quemquam ex iis, qui vrgenti vi morbi in lectulo, perinde ac ille, perfuſi eſſent, in clerum adſumi; & poſtulaſſe ab iis epiſcopum, vt hunc ſolum ordinari a ſe paterentur. Quod, iſtiusmodi hominum ordinationem cum communi regula & conſuetudine eccleſiæ pugnauiſſe, indicat.

§. XII.

Nec non ad baptiſmum ab hæreticis datum.

Similiter, qui ab hæreticis baptizati erant, ad clericalem promotionem ordinarie non admittebantur, quum in ſinum eccleſiæ catholicæ rediiſſent. Concilium *Illiberritanum* [s] hac de re abſolute decernit: *Ex omni hæreſi*, inquiens, *qui ad nos fidelis venerit, minime eſt ad clerum promouendus: vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponentur.* INNOCENTIVS papa de [t] eadem conſuetudine in eccleſia *Romana* teſtatur, cum ait: *Noſtræ lex eccleſiæ eſt, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manus impoſitionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum ſubrogare.* Fatendum tamen eſt, concilium *Nicænum* hac lege *Nouatianos* [u] exemiſſe, permit-

———

ἄγεσθαι οὐ δύναται· Οὐκ ἐκ προαιρέσεως γὰρ ἡ πίστις αὐτοῦ, ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης· εἰ μὴ τάχα διὰ τὴν μετὰ ταῦτα αὐτοῦ σπουδὴν καὶ πίστιν, ἢ διὰ σπάνιν ἀνθρώπων.

(r) Ap. Euſeb. lib. VI. c. XLIII. (p. 199. edit. Amſtelod.) ὃς διακωλυόμενος ὑπὸ παντὸς τοῦ κλήρου, ἀλλὰ καὶ λαϊκῶν πολλῶν· ἐπεὶ μὴ ἐξὸν ἦν τὸν ἐπὶ κλίνης διὰ νόσον περιχυθέντα, ὥσπερ καὶ οὗτος, εἰς κλῆρόν τινα γενέσθαι, ἠξίωσε συγχωρηθῆναι αὐτῷ τοῦτον μόνον χειροτονῆσαι.

(s) Concil. Illiberrit. can. LI. (tom. I. conc. p. 976.)

(t) Innocent. ep. XXII. n. IV. (tom. II. conc. p. 1274.)

(u) Conc. Nic. c. VIII. (tom. II. p. 32.) Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. De his qui ſe Catharos, id eſt, puros, quandoque nominant, ad catholicam autem eccleſiam accedunt, ſanctæ magnæ ſynodo viſum eſt, *vt impoſitis eis manibus ſic in clero maneant.*

tendo eorum clericis, vt baptizati tamen & ordinati inter ipſos impoſitis manibus reciperentur, & ſic in clero manerent. Et patres *Africani* eamdem *Donatiſtis* gratiam indulſerunt, hoc modo eos, vt ad eccleſiæ catholicæ communionem redirent, allecturi. In concilio enim *Carthagine* ann. CCCXCVII. habito, quod codici *Africano* [*vv*] inſertum eſt, quæſtio proponebatur, annon qui infantes parentum ſuorum errore, non ſuo iudicio & conſenſu, penes *Donatiſtas* baptizati eſſent, ſi ad eccleſiam redirent, ad ordinationis priuilegium admitti poſſent? Et in proxime ſequenti concilio [*x*] hæc propoſitio acceptabatur, fiebatque in eorum gratiam decretum, *debere talibus ſuſcipiendum munus clericatus non impedire nomen erroris*, cætera. Ex quibus intelligi poteſt, fuiſſe hanc talem partem diſciplinæ, quæ obſervari vel etiam negligi potuerit, prout rectores eccleſiaſtici pro

(*w*) Cod. can Afric. c XLVIII, al. XLVII, (tom. II. concil. p. 1071.) *Ἤρεσεν, ἵνα ἐρωτήσωμεν τοὺς ἀδελφοὺς καὶ συνιερεῖς ἡμῶν Σιρίκιον καὶ Σιμπλικιανὸν περὶ μόνων τῶν νηπίων τῶν παρὰ τοῖς Δονατισταῖς βαπτιζομένων, μήπως τοῦτο, ὅπερ οἰκείᾳ προθέσει οὐκ ἐποίησαν, τῇ τῶν γονέων πλάνῃ ἐμποδίσῃ αὐτοῖς πρὸς τὸ μὴ προκόπτειν εἰς ὑπουργίαν τοῦ ἁγίου θυσιαστηρίου, ὅταν πρὸς τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν σωτηριώδει προθέσει ἐπιστρέψωσι.* De Donatiſtis placuit, vt conſulamus fratres & conſacerdotes noſtros Siricium & Simplicianum de ſolis infantibus, qui baptizantur penes eosdem: ne quod ſuo non fecerunt iudicio, cum ad eccleſiam Dei ſalubri propoſito fuerunt conuerſi, parentum illos error impediat, ne promoueantur ſacri altaris miniſtri.

(*x*) Ibid. c. LVIII al. LVII. *Ἐπειδὴ ἐν τῇ ἀνωτέρᾳ συνόδῳ ὁρισθὲν μέμνηται ἅμα ἐμοὶ ἡ ὑμετέρα ὁμοψυχία, ὥστε τοὺς παρὰ τοῖς Δονατισταῖς μικροὺς βαπτιζομένους, μηδέπω δυναμένους γινώσκειν τῆς πλάνης αὐτῶν τὸν ὄλεθρον, μετὰ τὸ εἰς χεῖρας λογισμοῦ δεκτικὴν παραγενέσθαι, ἐπιγνωσθείσης τῆς ἀληθείας, τὴν φαυλότητα ἐκείνων βδελυττομένους πρὸς τὴν καθολικὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν, τὴν ἀνὰ πάντα τὸν κόσμον διακεχυμένην, τάξει ἀρχαίᾳ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῆς χειρὸς ἀναδεχθῆναι,* τοὺς τοιούτους ἐκ τοῦ τῆς πλάνης ὀνόματος μὴ ὀφείλειν ἐμποδίζεσθαι εἰς τάξιν κληρώσεως, *ὁπόταν τὴν ἀληθινὴν ἐκκλησίαν ἰδίαν ἑαυτῶν ἐλογίσαντο τῇ πίστει προσερχόμενοι, καὶ ἐν αὐτῇ τῷ Χριστῷ πιστεύσαντες, τῆς τριάδος τὰ ἁγιάσματα ὑπεδέξαντο.* Quoniam ſuperiori concilio ſtatutum eſſe, mecum recognoſcit vnanimitas veſtra, vt hi, qui apud Donatiſtas paruuli baptizati ſunt, nondum ſcire valentes erroris eorum interitum: & poſteaquam ad ætatem rationis capacem peruenerunt, agnita veritate falſitatem eorum abhorrentes, ad eccleſiam Dei catholicam per vniuerſum mundum diffuſam, ordine antiquo, per manus impoſitionem recepti ſunt, *debere talibus ſuſcipiendum munus clericatus non impedire nomen erroris*, cum veram eccleſiam illorum putauerint, ad fidem accedendo, & ibi Chriſto crediderint; & trinitatis ſacramenta perceperint.

ſua

ſua ſapientia eccleſiæ maxime profuturum iudicarint. At vero ſi, qui ad eccleſiam redibant, ab iſtis hæreticis baptizati eſſent, quorum baptiſmus nullus adeoque in eccleſia iterandus erat, qualis *Paulianiſtarum* ſiue *Samoſatenianorum* hæreticorum baptiſmus erat; eos magnum concilium *Nicænum* ſtatuebat rebaptizatos ordinari [*y*] poſſe. Baptiſmus enim, vt notauimus ſupra, homines ab omnibus criminibus ablutos exhibet: & quum priſtinus eorum baptiſmus nullus eſſet, hic ipſorum tantum baptiſmus eſſe reputabatur, quem reuerſi ad eccleſiam catholicam ſuſceperant; neque vllum flagitium, quod antea commiſerant, eorum in eccleſia ordinationi fraudi eſſe poterat.

§. XIII.

Nullum ordinari licebat, niſi qui omnem familiam ſuam chriſtianos catholicos feciſſet.

Non poſſum, quin heic alius conditionis faciam mentionem, in illis, qui ordinandi erant, requiſitæ, eo quod magni vſus fuit in eccleſia; nimirum, quod neminem ad ſuperiores ſaltem epiſcoporum, presbyterorum ac diaconorum ordines admitti licuerit, priusquam omnes, qui in eius domo erant, ad eccleſiæ catholicæ communionem perduxiſſet. Hanc regulam in concilio *Carthaginenſi* tertio inuenimus [*z*], quæ ad *paganorum, iudæorum, hæreticorum* & *ſchiſmaticorum*, qui omnes chriſtianis catholicis opponebantur, conuerſionem promouendam æquabiliter collineabat. Et ſane apta & conueniens regula hac in re erat, ſiquidem nihil iniquius inhoneſtiusue religioni accidere poterat, quam ſi fulcrum aliquod atque occultum incitamentum aduerſariis illius ab iis daretur, qui ad miniſterium altaris

(*y*) Concil. Nic. c. XIX. Περὶ Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος· εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου. De Paulinianiſtis, qui deinde ad eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, vt ii omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore præterito in clericorum numero erant, ſi quidem a culpa & reprehenſione alieni viſi fuerint, *rebaptizati ordinentur* a catholicæ eccleſiæ epiſcopo.

(*z*) Concil. Carth. III, can. XVIII, (tom. II p. 1170.) Vt epiſcopi, presbyteri & diaconi non ordinentur, priusquam omnes, qui ſunt in domo eorum, chriſtianos catholicos fecerint.

erant designati, Accedit, quod hæc commoda esset aduersus gentilitatis superstitionem talione vtendi ratio: IVLIANVS enim christianis sese opponendi studio pro sacerdotibus suis paganis simile decretum fecerat, *Arsacium Galatiæ* sacerdotem cohortatus, „vt a sacerdotali ministerio remoueret [a], qui cum vxoribus & „liberis ac familiis suis ad deos non accederent, sed aut seruos, „aut filios aut coniuges *Galilæas* sustinerent, qui & impii essent „erga deos, & impietatem religioni præponerent.„ Ingens certe negligentia atque imprudentia in ecclesiæ christianæ rectoribus fuisset, si non eamdem in tuenda vera religione adhibuissent sollicitudinem, quam hic princeps *paganus* ad falsam religionem inter idolorum flamines in tuto collocandam impendit: adeoque etiamsi nihil nisi quædam æmulatio hac in re fuerit, fuit tamen idonea ratio, cur hoc omnibus christiani sacerdotii candidatis iniungeretur.

§. XIV.

Quam rationem inierint veteres ad præuertendum promotiones Simoniacas.

Vnum superest, quod sub hoc capite memorem, nempe, honesto & legitimo modo ad munera sua prouehi, nec obliquis ac sinistris artibus quamdam ordinationem sibi procurare eos oportuisse. Meritum non largitio aduocatus eorum esse, & in omnibus electionibus vnice spectari debebat. In tribus prioribus sæculis, vbi munera exilia, persecutiones autem magnæ erant, ab ambitiosis ingeniis haud multum periculi extimescendum, nec magna aduersus promotiones *Simoniacas* ferendi leges necessitas erat. Tum enim martyrium quasi res annexa erat episcopatui; & ecclesiæ doctores ac rectores, vt plurimum primi erant, quos petebat oppugnabatque aduersariorum furor. At in posterioribus sæculis ambitio largitionesque inter alia vitia inualescebant & tunc seueræ leges tam in ecclesia, quam republica ad crimina ista reprimenda ac præuertenda constituebantur. SVLPICIVS SEVERVS huius differentiæ inter tem-

(a) Iulian. ep. ad Arsac. ap. Sozomen. lib. V. c. XVI. τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας ἀπείργειν, εἰ μὴ προσέχοιντο μετὰ γυναικῶν καὶ παίδων καὶ θεραπόντων τοῖς θεοῖς, ἀλλὰ ἀνέχοιντο τῶν οἰκετῶν, ἢ υἱέων, ἢ τῶν γαλιλαίων γαμετῶν, ἀσεβούντων μὲν εἰς τοὺς θεοὺς, ἀθεότητα δὲ θεοσεβείας προτιμώντων.

pora

pora persequutionis, & inter ea, quæ eam sunt insequuta, facit mentionem, cum *certatim*, inquit [*b*], *gloriosa in certamina ruebatur multoque auidius tum martyria gloriosis mortibus quaerebantur, quam nunc episcopatus prauis ambitionibus appetuntur.* Quod ipsum ætate SVLPICII, nimirum sæculo quinto, a quibusdam artes illicitas, ad ingerendum sese in officia ecclesiastica, adhibitas fuisse, indicat. Quam ambitionem & mala consilia ecclesia emendatura seuere in omnes eos animaduertebat, qui *Simoniæ*, siue, vt tunc quidam [*c*] nominabant, *χριστεμπορείας*, hoc est, *impiæ ex Christo nundinationis*, rei erant. Concilium *Chalcedonense* decretum habet [*d*], vt, si quis episcopus ordinationem fecerit, siue vllum officium ecclesiasticum propter pecunias contulerit, de proprio gradu in periculum veniat, & qui ordinatus fuerit, de dignitate deiiciatur. Et lector diuersas alias eiusdem argumenti con-

(*b*) Seuer. histor. lib. II. p. 99. edit. Amstelod. MDCLVI. 8uo. (lib. II. c. XXXIII p. 248. edit. Lips. MDCCIII.)

(*c*) Epist. Alexandri Alexandrini ap. Theodoret. lib. I. c. IV. Οἱ δὲ τὴν ἐκείνου χριστεμπορείαν θεωροῦντες, οὐκ ἔτι τῆς ἐκκλησίας ὑποχείριοι μένειν ἐκαρτέρησαν. Illi vero *impiam* illius ex *Christo nundinationem* cernentes, non amplius ecclesiæ subiacere voluerunt.

(*d*) Concil. Chalced. c. II. (tom. IV. p. 755.) Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐπὶ χρήμασι χειροτονίαν ποιήσαιτο, καὶ εἰς πρᾶσιν καταγάγῃ ἐπὶ χρήμασιν ἐπίσκοπον, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ἕτερόν τινα τῶν ἐν τῷ κλήρῳ καταριθμουμένων, ἢ προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκόνομον, ἢ ἔκδικον, ἢ προσμονάριον, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος, δι' αἰσχροκέρδειαν οἰκείαν· ὁ τοῦτο ἐπιχειρήσας, ἐλεγχθεὶς, περὶ τὸν οἰκεῖον κινδυνευέτω βαθμόν· καὶ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ἐκ τῆς κατ' ἐμπορίαν ὠφελείσθω χειροτονίας ἢ προβολῆς, ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἢ τοῦ φροντίσματος, οὗπερ ἐπὶ χρήμασιν ἔτυχεν· εἰ δέ τις καὶ μεσιτεύων φανείη τοῖς οὕτω αἰσχροῖς καὶ ἀθεμίτοις λήμμασιν, καὶ οὗτος, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, τοῦ οἰκείου ἐκπιπτέτω βαθμοῦ· εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μονάζων, ἀναθεματιζέσθω. Si quis episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit, & propter pecunias ordinauerit episcopum, vel chorepiscopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum, qui in clero adnumerantur, vel propter pecunias promouerit oeconomum, vel defensorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem ex canone, turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse conuictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat: & qui est ordinatus, ex ordinatione vel promotione, quæ instar mercatorum venundatur, nihil iuuetur: sed sit a dignitate vel curatione alienus, quam pecuniis adeptus est. Si quis autem sequester & intercessor adeo turpibus & nefariis lucris apparuit, hic quoque, si sit quidem clericus, proprio gradu excidat: si sit autem laicus, vel monachus, anathematizetur.

ſtitutiones in ſic dictis *canonibus apoſtolicis* [e], in concilio *Conſtantinopolitano* [f], ſub *Gennadio* ann. CCCCLIX. celebrato, *Aurelianenſi* ſecundo [g], *Bracarenſi* [h] & multis aliis reperire poteſt. Leges etiam imperatoriæ ad hanc præcipue fraudem impediendam datæ exſtant. Nam lege quadam *Iuſtiniani* [i] ſancitur, vt quoties opus fuerit epiſcopum ordinari, clerici & primates ciuitatis, cuius futurus ſit epiſcopus, mox in tribus perſonis decreta faciant, propoſitisque eis ſacroſanctis euangeliis periculo ſuarum animarum dicant, „quod neque propter aliquam donationem, neque propter aliquam promiſſionem, aut amicitiam, aut „aliam quamlibet cauſſam, ſed ſcientes eos rectæ & catholicæ fi„dei & honeſtæ eſſe vitæ & litteras noſſe, hos elegerint„. Et alia eiusdem imperatoris lex [k], poſtquam eamdem conſtitu-

(e) Canon. apoſt. c. XXIX. Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι' αὐτῶν ἐγκρατὴς γένηται ἐκκλησίας, καθαιρείσθω, καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες. Si quis epiſcopus ſæcularibus principibus vſus, per eos eccleſiam adeptus ſit, deponatur, & ſegregetur, & omnes qui illi communicant.

(f) Conc. CP. epiſt. ſynod. (tom. IV p. 1025.) Ὁ δεσπότης ἡμῶν καὶ θεὸς καὶ σωτὴρ Ἰησοῦς Χριστὸς ἐγχειρίσας τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ μαθηταῖς τοῦ εὐαγγελίου τὸ κήρυγμα καὶ διδασκάλους τούτους ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἀνθρώποις ἐξαποστείλας, παρεκελεύσατο διαῤῥήδην, ἣν εἰλήφασι παρ' αὐτοῦ δωρεὰν, ταύτης καὶ αὐτοὺς τοῖς ἀνθρώποις μεταδιδόναι δωρεὰν, μὴ κτωμένους ὑπὲρ αὐτῆς χαλκὸν ἢ ἄργυρον, ἢ χρυσὸν, ἢ τινα περιουσίαν, ἄλλως ὅλως ὑλικὴν ἢ γεώδη - - ταύτην τὴν ἐντολὴν, οὐ μόνον ἐκείνοις, ἀλλὰ καὶ ἡμῖν δι' ἐκείνων ἐνετείλατο κ. τ. λ. Cum Dominus & Deus ſaluator noſter Ieſus Chriſtus ſuis diſcipulis euangelii prædicationem credidiſſet, eosque per vniuerſum terrarum orbem inter homines ad docendum miſiſſet, aperte iuſſit, vt quod gratis accepiſſent, eis quoque gratis darent, non aurum vel argentum, aut alios omnino materiales & terrenas facultates pro eis acquirentes - - Hoc autem præceptum non ſolum illis, ſed etiam nobis per illos dedit, cætera.

(g) Conc. Aurel. II. c. III. (ibid p. 1780) Ne quis epiſcopus de quibuslibet cauſſis, vel epiſcoporum ordinationem, cæterorumque clericorum, aliquid præſumat accipere: quia ſacerdotem nefas eſt cupiditatis venalitate corrumpi. Ibid. can. IV. Si quis ſacerdotium per pecuniæ nundinum exſecrabili ambitione quæſierit, abiiciatur vt reprobus: quia apoſtolica ſententia donum Dei eſſe præcipit, pecuniæ trutina minime comparandum.

(h) Conc. Bracar. III. c. III (tom. V. p. 897.) Placuit, vt de ordinationibus clericorum epiſcopi *munera nulla ſuſcipiant*, ſed, ſicut ſcriptum eſt, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Et non aliquo pretio gratia Dei & impoſitio manuum venumdetur.

(i) Iuſtin. nouel. CXXIII. c. I. vid. ſupra lib. IV. c. II. §. 18. not. (d) pag. 114.

(k) Nouel. CXXXVII. c. II. Ὅρκον δὲ ὑπέχειν καὶ αὐτὸν χειροτονούμενον κατὰ τῶν θείων γραφῶν, ὡς οὔτε δι' ἑαυτοῦ οὔτε δι' ἑτέρου προσώπου δέδωκέ τι ἢ ὑπέσχετο, οὔτε μετὰ

tionem

tionem repetiit, iubet, „iusiurandum ſuſcipere eum, qui ordi„natur, per diuinas ſcripturas, quod neque poſthac daturus ſit „vel ordinanti ipſum, vel his, qui ſacra pro eo ſuffragia fece„runt, vel alii cuiquam ordinationis de ipſo faciendæ nomine.„ Quibus dictis lex eadem ſtatim ſubiungit: „Si quis autem præ„ter memoratam obſeruationem epiſcopus ordinetur, iubemus „& ipſum omnibus modis epiſcopatu deiici & eum qui contra „talem obſeruationem eum ordinare auſus fuerit.„ Hæ erant quædam ex antiquis iſtis regulis, quæ in examinandis hominum vitis & moribus obſeruari debebant, antequam ad ſacram functionem ordinarentur, vel ad vllum præcipuum officium in ecclesia obeundum admitterentur.

LIBRI QVARTI
CAPVT QVARTVM
DE REQVISITIS ORDINANDORVM, RATIONE EXTERNI IPSORVM STATVS ET CONDITIONIS IN MVNDO.

§. I.

Nullum militem ordinari fas erat.

TErtia inquiſitio in externum hominum ſtatum ac conditionem inſtituebatur. Erant enim quædam vocationes & vitæ genera, quæ homines ab ordinationis priuilegio excludebant, non quod vocationes abſolute vitioſæ haberentur, ſed quia officia ad eas ſpectantia cum officiis clericorum plerumque ſociari non poterant, nec ſimul cum eis conſiſtere. Huiusmodi erant omnia iſta officia, quæ ſub generali nomine *militiæ Romanæ* comprehenduntur. Hac enim appellatione quæcumque officia, tam ciuilia quam militaria, intelligebant *Romani*, omnia inferiora officia nomine *militiæ* nuncupantes, quemadmodum GOTHOFREDVS & alii viri docti [a] obſeruarunt. Huius militiæ

ταῦτα δώσει, ἢ αὐτῷ χειροτονοῦντι αὐτὸν, ἢ τοῖς τὰ ψηφίσματα εἰς αὐτὸν ποιησαμένοις, ἢ ἑτέρῳ τῶν πάντων τινὶ ὑπὲρ τῆς εἰς αὐτὸν γενομένης χειροτονίας. Εἴ τις δὲ παρὰ τὴν μνημονευθεῖσαν παραφυλακὴν ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ, κελεύομεν καὶ αὐτὸν πᾶσι τρόποις τῆς ἐπισκοπῆς ἐκβάλλεσθαι, καὶ τὸν παρὰ ταῦτα τολμήσαντα χειροτονῆσαι.

(a) Gothofred. comm. in cod. Theod. lib. XII. tit. I. de decurion. leg. LXIII. p. 414. a.

tria

tria genera erant, *militia palatina*, *militia castrensis* seu *armata*, & *militia præsidialis* seu *cohortalis*. Prima ministros palatii imperatoris; secunda milites armatos seu castrenses; & tertia apparitores & ministros præsidum & præfectorum in prouinciis complectebatur; qui vniuersi officiis suis ita adstricti erant, vt de statione sua decedere non possent: eamque ob caussam leges imperii eorum quempiam tamquam ecclesiasticum tractari & inter clericos cooptari interdicunt. *Honorius* [b] imperator speciatim hunc in finem legem tulit, *Quoniam*, inquiens, *plurimos vel ante militiam vel post incohoatam vel peractam latere obiectu piæ religionis agnouimus, dum se quidem vocabulo clericorum & infaustis defunctorum obsequiis occupatos, non tam obseruatione cultus, quam otii & socordiæ amore defendunt, nulli omnino tali excusari obiectione permittimus.* Canones ecclesiæ hanc rem paullo longius extendisse videntur. Ordinationem enim eorum, qui post baptismum milites fuerant, prohibent, eo quod fortassis manus suas cruore infecerint. Hoc ex epistola INNOCENTII *primi* perspicimus, ecclesias *Hispanicas* [c] reprehendentis, quod eiusmodi homines in ordinem clericorum admiserint, & contra hoc factum ecclesiæ canones adlegantis. Concilium *Toletanum* primum eorum vllos diaconos ordinari vetat, etiamsi fundendo sanguini numquam interfuerint; quod [d], licet re ipsa sanguinem non fudissent,

Militiæ appellatione hoc æuo omne officium & obsequium publicum dictum est. Vales. not. in Sozom. lib. V. c. IV. Triplex fuit militia apud Romanos. Prima & honoratissima est palatina: eorum scilicet qui in palatio militabant. Secunda fuit castrensis siue armata. Tertia fuit cohortalis; eorum scilicet qui in officio præfectorum & præsidum militabant.

Pagi critic. in Baron. ann. CCCLXXV. n. XII Obserua: Gothofredus, hoc æuo *militiæ & militandi*, στρατείας καὶ στρατεύεσθαι voce designari quæcumque officia muniaque publica: vnde militia non tantum armata, sed etiam togata, palatina, officialium aduocatorum militia, λειτουργία, tandem omne publicum ministerium, atque adeo municipalia quoque seu curialia officia, muniaque pro patria.

(*b*) Cod. Theod. lib. VII. tit. XX. de veteranis leg. XII.

(*c*) Innocent. ep. XXIII. c. IV. (tom. II. conc p. 1281.) Quantos ex aliqua militia adscitos ad sacerdotium esse comperimus, qui quum potestatibus obedirent, seuera necessario præcepta sunt exsequuti. Ibid. c. VI. Ne quispiam qui post baptismum militauerit, ad ordinem debeat clericatus admitti. Ep. II. ad Victricium Rothomag. c. II. p. 1250. Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

(*d*) Concil. Tolet. I. c. VIII. (tom. II. p. 1224.) Si quis post baptismum milita-

tamen

tamen in militiæ disciplinam profecti ad hoc faciendum, occasione ita requirente, semetipsos obstrinxissent. Quod significare videtur, quod milites ad inferiora quidem officia, non autem ad sacros & superiores ecclesiæ ordines, admitti licuerit.

§. II.

Nec vllum seruum vel libertum sine domini consensu.

Aliud hominum genus, qui a priuilegio arcebantur ordinationis, erant serui & clientes beneficiarii in imperio *Romano*; qui quum antiquitus ex ipso ortu vel emtione dominorum suorum ministerio obligati essent, legitimo modo ordinari non poterant, propterea quod ecclesiæ ministerium cum reliquis eorum officiis haud posset sociari; nec quempiam obtutu ordinationis iure suo priuari conueniret. Hinc in tali casu patronus semper consulendus erat ante, quam seruus ordinaretur. Sic in ita dictis *canonibus* [e] *apostolicis* decretum inuenimus in hanc sententiam: *Seruos in clerum prouehi sine voluntate dominorum, non permittimus, ad eorum, qui possident, molestiam. Domorum enim euersionem talia efficiunt. Si quando autem etiam dignus seruus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, & domini concesserint, ac liberauerint & ædibus emiserint, fiat.* Concilium *Toletanum* [f] canonem eiusdem argumenti habet. Et concilium *Illiberritanum* [g] paullo longius progreditur & dicit, quod, etiamsi quis dominus sæcularis, hoc est, ALBASPINAEO interprete, gentilis seruum suum libertate donarit, ordinari tamen non conueniat. Cuius rei ratio hæc fuisse creditur, quod isti domini sub certa conditione eos manu emittebant, ius certa quædam officia ac operas ab eis exigendi sibi reseruantes, quæ ab illis præstari saluo ecclesiæ ministerio non poterant. Leges im-

---

verit, chlamydem sumserit, aut cingulum; etiamsi grauiora non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconii non accipiat dignitatem.

(e) Can. apost. LXXXI. Οἰκέτας εἰς κλῆρον προχειρίζεσθαι ἄνευ τῆς τῶν δεσποτῶν γνώμης, ἀνατροπὴν τὸ τοιοῦτο ἐργάζεσθαι· εἰ δέ ποτε καὶ ἄξιος φανείη ὁ οἰκέτης πρὸς χειροτονίαν βαθμοῦ, οἷος καὶ ἡμέτερος Ὀνήσιμος ἐφάνη, καὶ συγχωρῶσιν οἱ δεσπόται, καὶ ἐλευθερώσωσι, καὶ τοῦ οἴκου ἑαυτῶν ἐξαποστελῶσι, γινέσθω.

(f) Concil. Tolet. I. c. X. Clericos, si quidem obligati sint vel pro æquatione, vel de genere alicuius domus, non ordinandos, nisi probatum fuerit, & patroni consensus accesserit.

(g) Concil. Eliber. c. LXXX. (tom. I. conc. p. 979.) Prohibendum est, vt liberti, quorum patroni in sæculo fuerint, ad clerum prouehantur.

peratoriæ [h] etiam hac in re cauent, ne qui eum in modum obligati ad vllum munus clericale admittantur; vel si admissi fuerint, ideo tantummodo vt vinculum obligationis suæ euadant, dominis eorum potestatem concedunt in seruitium eos suum repetendi, nisi forte episcopi vel presbyteri fuerint vel triginta annos in alio quodam ecclesiæ ministerio transegerint. Vnde patet, eiusmodi hominum ordinationem ex ciuili tantum ratione fuisse prohibitam; non quod istud vitæ genus vitiosum esset, vel inhonorificum & iniuriosum functioni, eiusmodi homines ordinatos habere, sed quod ciuilis & ecclesiastici status munia consistere vna non possent.

§. III.

Nec vllum ex ciuili societate, vel sodalitio opificum, qui apud rempublicam locatas habebant operas.

Ex eadem ratione leges eorum ordinationem fieri vetant, qui collegio cuidam ad operam suam reipublicæ præstandam inscripti erant, nisi prius veniam a collegio & principe, sub quo ministerium obibant, nacti essent. Hæc legis [i] *Iustiniani* sententia est, quæ sic dictos ταξεώτας seu *cohortales*, hoc est ministros & apparitores iudicum, ordinari interdicit, nisi forsan monasticam vitam aliquis eorum non minus quindecim annis impleuisset. Et concilium primum *Aurelianense* [k] expressis verbis aut regis iussionem aut iudicis voluntatem requirit ante, quam quis ministrorum sæcularium ad clericatus officium proueh atur. Leges *Theodosii iunioris* [l] & *Valentiniani*

(h) Valent. III. nouel. XII. ad calcem cod. Theod. p. 26 Nullus originarius, inquilinus, seruus, vel colonus ad clericale munus accedat ---- vt vinculum debitæ conditionis euadat. --- Originarii sane vel *serui*, qui iugum natalium declinantes, ad ecclesiasticum se ordinem transtulerunt, exceptis episcopis & presbyteris, *ad dominorum iura recedant, si non in eodem officio annum tricesimum compleuerint.*

(i) Iustin. nouel. CXXIII. c. XV. Ἀλλὰ μηδὲ βουλευτὰς ἢ ταξεώτας κληρικοὺς γίνεσθαι - - πλὴν εἰ μὴ, ὡς εἰκὸς, μοναχικὸν βίον τὶς ἐξ αὐτῶν οὐκ ἔλαττον δεκαπέντε ἐνιαυτῶν διήνυσε.

(k) Concil. Aurelian. I. c IV. (tom. IV. conc. p. 1405) De ordinationibus clericorum id obseruandum esse decreuimus, vt *nullus sæcularium ad clericatus officium præsumatur, nisi aut cum regis iussione aut cum iudicis voluntate.*

(l) Theod. nouel. XXVI. de corporatis vrbis Romæ ad calcem cod. Theod. p. 13. Inlustris magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto sciat, *corporatum vr-*

tertii

tertii [*m*] quemcunque ex corporatis ordinari prohibent, & si qui forte in inferiorem clerum adoptati fuerint, a competenti collegio suo reuocandos esse, dicunt; si qui autem in superiorem aliquem gradum episcoporum, presbyterorum vel diaconorum sint adlecti, illi vicarios pro se reddere eosque de facultatibus suis instruere iubentur ad præstandam operam suam in collegio, vnde ipsi adsumti sint. Curiosus huius rei lector diuersas alias leges inuenire potest in *codice Theodosiano* [*n*], a *Valentiniano seniore* & *Theodosio magno* specialiorum ciuilium societatum, ad vsum publicum institutarum, respectu factas; ex quibus nullus ordinari poterat, quin aut facultates suas relinquere aut ad pristinam stationem, quam inexcusabili ratione deseruerat, redire cogeretur.

§. IV.

Neque vllum ex imperii Romani *curialibus*, *siue decurionibus*.

Ex similibus rationibus canones quempiam de sic appellatis in imperio *Romano curialibus* siue *decurionibus*, hoc est, curiæ

bis Romæ, qui non expleto ordine cœpti officii, priusquam ad primum iter fauos ad locum emeritus peruenerit ad militiæ cuiuslibet cingulum se credidit transferendum, corporibus cui nomen suum ante dicauerat, *oportere reuocari*: siue etiam in clericorum numero reperitur, vsque ad diaconi locum similis præcepti conditio teneatur &c.

(*m*) Valent. nouel. XII. ibid. p. 27. Ii qui diaconi ordinati sunt, suffectos pro se dare debebunt. Si non habent, vnde sibi hac ratione prospiciant, ipsi ad nexum proprium reducantur. Cæteris inferioris gradus ad competentia ministeria retrahenda: exceptis episcopis atque presbyteris: seruatis tamen, quæ de patrimonio talium personarum legum præcedentium statuta sanxerunt - - Ita vt huius conditionis *diaconus domino pro se vicarium reddat*, *omni pariter peculio restituto.*

(*n*) Cod Theod. lib. XIV. tit. IV. de suariis l g. VIII. Eos qui ad clericatus se priuilegia contulerunt, aut agnoscere oportet propriam functionem, aut ei corpori, quod declinant, proprii patrimonii facere cessionem.

Ibid. lib. XIV. tit. III. de pistoribus leg. XI. Hac sanctione generaliter edicimus, nulli omnino ad ecclesias, ob declinanda pistrina, licentiam pandi: Quod si quis ingressus fuerit, amputato priuilegio christianitatis sciant, se omni tempore ad consortium pistorum & posse & debere reuocari.

It. lib. VIII. tit. V. de cursu publico leg. XLVI. In his, qui non terrena sed cælestia priuilegia quæsiuerunt, hoc custodiendum esse sancimus, vt si quemquam ex huiusmodi genere hominum iam tenet religio sacrosancta, cuiusque operam non potest accipere mancipatus, facultates memorati cursus publicus consequatur.

 seu

ſeu communis concilii in vna quaque ciuitate membris, ordinari ſeuere interdicunt. Hi *curiales* ſiue *decuriones* erant homines, per facultates, quas poſſidebant, ad munia in patria ſua ſuſtinenda obſtricti; ita vt omnes adminiſtri ciuiles, cuiusque ciuitatis magiſtratus, publicorum redituum collectores, operum publicorum inſpectores, pontifices ſeu flamines, qui ludos publicos & ſpectacula præbebant populo, cum multis aliis, quorum officia numero viginti duo GOTHOFREDVS [o] recenſet, ex eorum collegio adſciſcerentur. Hi plerumque facultatibus diuites erant, quorum ſubſtantia ad trecentorum ſolidorum valorem adſcendebat; quæ ſumma a *Theodoſio iuniore* [p] definita eſt, vtpote ad efficiendum aliquem curiæ membrum neceſſaria. Et tum ipſimet, tum eorum facultates functionibus municipalibus ita tenebantur, vt nullum iſtius corporis membrum ad aliquod officium eccleſiaſticum admitti liceret, niſi prius propriæ vrbis munia & munera expleuiſſet, aut certe per ſuffectum tam

(o) Gothofred. paratitlon. cod. Theod. lib XII. tit. I. de decurionibus (tom. IV. p. 339.) Inter alia (curialium) munera hæc erant. (1.) Curæ publicæ iis committebantur. (2) Ad proſequutiones deſtinabantur. (3) Pecuniarum ciuitatis publicarum adminiſtratio eis committebatur (4) Exactio item annonarum. (5) Adſcriptio. (6.) Suſceptores in aliis prouinciis creabantur, compulſores. (7.) Suſceptores ſuo periculo nominabant. (8.) Iudicum præcepta exſequebantur. (9) Geſta municipalia coram his fiebant. (10.) Manſiones, horrea, pagi his committebantur. (11. Præpoſiti manſionum horreorum pagis creabantur. (12.) Procuratores metallorum ex his fiebant. (13.) Deſcriptionibus, contributionibus facultates eorum ſubiectæ erant. (14) Calefaciendis thermis apud Antiochiam aliquid præſtabant. (15) Adde & alia munera, veluti legationis &c. (16.) Vt poſtliminio reverſi ſuis ſedibus redderentur, auxilium ſuum deferre debebant. (17.) Palatiorum a tranſeuntium iniuriis & a ſenio vindicandorum cura ad eos quoque pertinebat, operum publicorum curam geſſere & reipublicæ pecuniæ. (18) Periculo ordinis complurima erant; Aurum coronarium ab his præſtabatur. (19.) Curſus publici mancipatus ad hos aliquando pertinuit, aliquando non. (20.) Non ſufficientibus his qui ad curſus clabularis procurationem eligendi erant, curiales ad hoc munus vocati. (21.) Prouidebant, quo pacto paſtui militarium animalium ſine læſione prouincialium conſuleretur. (22) Curialium munera inferiora fuere prototypiæ & exactiones: Scribæ & logographi curiarum munera.

(p) Theod. nouel. XXXVIII ad calcem cod. Theod. p. 17. a. Illam quoque partem diſpoſitio noſtra non præterit, vt quiſquis ciuis vel incola deinceps in nullo obnoxius (cuius tamen ſubſtantia trecentorum ſolidorum non exſuperet quantitatem) fuerit repertus, habeat adipiſcendi clericatus liberam facultatem. Eum vero, cuius patrimonium maiore quam definiuimus æſtimatione cenſebitur, liceat curiæ ſecundum vera ſtatuta ſociari.

perſo-

perſonalia quam patrimonialia officia & onera ſuſtineret; alias homo ita ordinatus ſecundum leges imperii de quibus libro proxime ſequenti [*pp*] agemus ſpecialius) ab eccleſiaſtica ad ſæcularem rurſus vitam per curiam reuocandus erat. Quod eccleſiæ adeo erat incommodum, vt ad cuiusuis ex his curialibus ordinationem prohibendam, turbasque ſimul & moleſtias, quæ iſtiusmodi ordinationem plerumque conſequebantur, præuertendas ipſa ſibi leges ferret. AMBROSIVS [*q*] presbyteros & diaconos ex curialibus ordinatos poſt triginta & plurium annorum miniſterium eccleſiaſticum ad officia curialia nonnumquam retractos fuiſſe, adfirmat. Huic igitur calamitati vt occurreret concilium *Illyricum*, THEODORETO [*r*] memoratum, decretum faciebat, vt presbyteri & diaconi ſemper ex inferiore clero, non autem ex curia aut militari officio, adſumerentur. INNOCENTIVS epiſcopus *Romanus* in epiſtolis ſuis frequenter ad hanc eccleſiæ [*ſ*] regulam reſpicit, vbi duas contra eorum ordinationem adfert rationes: *Primo*, quod ſæpius a curia repoſcantur ad ſeruiendum in officiis ciuilibus, quæ res eccleſiæ calamitatem importare ſoleat. *Secundo*, quod multi eorum officio flaminum [*t*] poſt baptiſmum functi & coronati fuerint, ſicut gentilium ſacerdotes, dum ludos publicos & ſpectacula populo exhiberent. Quod ipſum licet chriſtianis magiſtratibus a lege ciuili permiſſum eſſet, eccleſia tamen in criminibus ponebat, cuius cauſſa homines non numquam ad publicam pœnitentiam agendam ob-

(*pp*) Vid. infra lib. V. cap. III. §. XV.

(*q*) Ambroſ. ep. XXIX. Per triginta & innumeros annos presbyteri quidam gradu functi, vel miniſtri eccleſiæ retrahuntur a munere ſacro & curiæ deputantur.

(*r*) Ap. Theodoret. lib IV. c. IX. (it. tom. II. conc. p. 831.) ὁμοίως πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, ἐξ αὐτοῦ ἱερατικοῦ τάγματος -- καὶ μὴ ἀπὸ τοῦ βουλευτηρίου καὶ στρατιωτικῆς ἀρχῆς.

(*ſ*) Innocent. ep. IV. c III. (tom. II. conc. p. 1261.) De curialibus manifeſta ratio eſt, quoniam etſi inueniantur huiusmodi viri, qui debeant clerici fieri, tamen quoniam ſæpius ad curiam repetuntur, *cauendum ab his eſt, propter tribulationem, quæ ſæpe de his eccleſiæ prouenit.*

(*t*) Innocent. ep. XXIII. c. VI. (ibid. p. 1282.) *Neque de curialibus aliquem venire ad eccleſiaſticum ordinem poſſe*, qui poſt baptiſmum vel coronati fuerint, vel ſacerdotium ſuſtinuerint, & editiones publicas celebrauerint. Nam & hoc de curialibus eſt cauendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando a ſuis curiis, quod frequenter videmus accidere, repoſcantur.

ligabantur, vti ex concilii *Illiberritani* [u] canonibus liquet; & consequenter pro tali flagitio reputabatur, quod hominem ad ordinationem recipiendam inhabilem redderet. Vt adeo vtroque intuitu hi curiales ab ecclesiasticis ordinibus excludendi fuerint. Quæ regula etsi hominum importunitate interdum violabatur, leges tamen tum ecclesiasticæ, tum ciuiles istis ordinationibus acriter aduersabantur; nec raro in illos ipsos, qui eiusmodi ordinationem confecerant, pœnis ecclesiasticis animadvertebatur. Cuius rei illustre exemplum a SOZOMENO [w] narratur, qui *Neonæ* a concilio *Constantinopolitano* munus episcopale abrogatum, dicit, quod nonnullos ex his curialibus ordinasset. SOZOMENVS quidem eos πολιτευομένους appellat, sed id aliud duntaxat curialium nomen est, quos *græci* alias βουλευτὰς, & *latini municipes* & *minorem senatum* [x] nominant, vt a senatu maiore *Constantinopolitano* ac *Romano* eos distinguant. Isti homines, quocumque venerint nomine, officiis reipublicæ ita erant obnoxii, vt nisi aliqua ratione ea expleuissent, non possent ad vllum officium in ecclesia obeundum admitti.

§. V.

Nec vllum procuratorem, vsque dum officium eius exspirasset.

Sane vniuersaliter hac in re statutum erat, vti ex concilio quodam *Carthaginensi* [y] condiscimus, vt secularibus officiis obnoxii ne ordinarentur. Eamque ob caussam ab eodem concilio, ad minimum pro ecclesiis *Africanis*, decretum fuit, procuratores & actores pupillorum non debere ordinari antequam eo-

(u) Concil. Elib. c. III. Flamines, qui non immolauerint, sed munus tantum dederint, eo quod se funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit, in fine eis præstari communionem; *acta tamen legitima pœnitentia.*

(w) Sozom. lib. IV. c. XXIV. Νέωνα δὲ (καθαιροῦσι) ὡς ἀπείρους τινὰς ἱερῶν γραφῶν καὶ θεσμῶν ἐκκλησίας, ἀπερισκέπτως πολιτευομένους ὄντας, ἐπισκόπους καταστήσαντα. *Neonam* ideo *deposuerunt*, *quod* nonnullos sacrarum scripturarum & ecclesiæ legum penitus ignaros, cum *decuriones* essent, inconsiderate *episcopos ordinasset.*

(x) Maiorian. nouell I. ad calcem cod. Theod. p. 32. b. Curiales seruos esse reipublicæ ac viscera ciuitatum nullus ignorat, quorum cœtum recte appellauit antiquitas *minorem senatum.*

(y) Conc. Carth. I. c. IX. (tom. II. p, 1825.) Recte statutum est, vt obnoxii alienis negotiis non ordinentur.

rum

rum officium & administratio perfecte exspirasset; quod alias futurum esset, vt si ordinati [z] ab aliquo fuerint, ecclesia infamaretur. At vero, nisi me omnia fallunt, hæc prohibitio ad inferiores gradus extendenda haud est, sed ad eos duntaxat referenda, quorum erat ad altare ministrare.

§. VI.

Caussidicis ordinatio denegata in ecclesia Romana.

In quibusdam ecclesiis absoluta quædam prohibitio & regula contra aduocatos siue caussidicos videtur facta, non tantum quoad in isto vitæ genere persisterent, sed etiam in perpetuum. Hæc consuetudo in *Romana* & *Hispanicis* ecclesiis videtur obtinuisse. INNOCENTIVS enim episcopus *Romanus* in epistola [a] quadam ad concilium *Toletanum* de praua quadam consuetudine in ecclesias *Hispanicas* irrepente conqueritur, quod videlicet multi in forensi exercitatione versati ad sacerdotium admittantur. Ad quam prauam consuetudinem, vti eam vocat, corrigendam hanc regulam obseruandam proponit: *Ne quispiam ad ordinem debeat clericatus admitti, qui caussas post acceptum [b] baptismum egerit.* Quas caussas huius interdicti speciatim tum habuerit ecclesia *Romana*, ego quidem ignoro, neque vero hæc totius ecclesiæ catholicæ regula videtur fuisse. Nam concilium *Sardicense* [c] aduocatum etiam episcopum permittit ordinari, si

(z) Ibid. c. VIII. Magnus episcopus Aprungensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur, procuratores & actores, tutores etiam seu curatores pupillorum, si debeant ordinari? Gratus episcopus dixit: Si post deposita vniuersa & reddita ratiocinia, actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debent & cum laude, cleri, si postulati fuerint, honore munerari. Si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerint ordinati ecclesia infamatur. Vniuersi dixerunt: Recte omnia statuit sanctitas tua: ideoque tua, nostra est quoque sententia.

(a) Innoc. ep. XXIII. c. IV. d. (tom. II. p. 1281.) Quantos ex his, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitatione versati sunt, & obtinendi pertinaciam susceperunt, accitos ad sacerdotium esse comperimus.

(b) Ibid. c. VI. p. 1281. b.

(c) Conc. Sardic. c. X. (tom. II. p. 636) Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπε· καὶ τοῦτο ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω, ἵνα μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐπιμελείας ἐξετάζοιτο, ὥστε ἐὰν τις πλούσιος, ἢ σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῖτο ἐπίσκοπος γίνεσθαι, μὴ πρότερον καθίστασθαι, ἐὰν μὴ καὶ ἀναγνώστου, καὶ διακόνου, καὶ πρεσβυτέρου ὑπηρεσίαν ἐκτελέσῃ· ἵνα καθ' ἕκαστον βαθμὸν, ἐάνπερ ἄξιος

prius

prius lectoris & diaconi & presbyteri ministerium peregisset. Quod consuetudinem, quod speciatim ad hanc partem attinet, non vnam eamdemque in omnibus ecclesiis fuisse, indicat.

§. VII.

Nec non energumenis, scenicis, comœdis, aliisque non nullis, in omnibus ecclesiis.

Diuersas alias cautiones lector inuenire potest a GENNADIO [*d*] datas contra ordinationem eorum, qui in scena lusisse deprehensi fuerint, vel qui aliquando in furorem versi insaniuerint, vel adflictione diaboli vexati sint, vel qui concubinam habuerint, vel meretricem aut repudiatam matrimonio sibi iunxerint. Sed hisce immorari necesse non est, siquidem nuda eorum nominatio satis ostendit, eos in tali vitæ genere fuisse constitutos, quod pro idoneo impedimento ordinationis ipsorum merito reputari potuerit. Pluris autem refert inquirere, quid veteres per *digamiam* intelligant, quam secundum apostolum hominis cuiusdam ordinationi obstare, semper iudicauerunt? Et num vllum perpetui cœlibatus votum ab antiquis clericis exactum fuerit, si ad ecclesiæ ordines admitti voluerint? Quæ quæstiones quum in primis huc spectent, haud abs re fuerit distincte, breuiter tamen & strictim, ad eas capite sequenti respondere.

LIBRI QVARTI

CAPVT QVINTVM

DE DIGAMIA ET COELIBATV SIGILLATIM, ET DE LEGIBVS, QVAS DE VTROQVE, RATIONE VETERVM CLERICORVM, ECCLESIA STATVIT.

νομισθείη, εἰς τὴν ἁψίδα τῆς ἐπισκοπῆς κατὰ προκοπὴν διαβῆναι δυνηθείη. Osius episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, vt cum omni cura & diligentia examinetur; vt *si* quis diues, siue *quis ex foro scholasticus, episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam lectoris & diaconi & presbyteri ministerium peregerit:* vt in vno quoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad episcopatus fastigium per progressionem possit adscendere.

(*d*) Gennad. de eccles. dogmat. c. LXXII. (ap. Augustin. tom. III. p. 146. edit. Basil. MDXXVIII.)

§. I.

§. I.

Nullum digamum ex præſcripto apoſtoli ordinari licebat.

QVod ad digamiam attinet, primitiua & apoſtolica regula erat, epiſcopum vel diaconum vnius duntaxat vxoris virum eſſe oportere, qua regula omnes leges contra digamiam in eccleſia primitiua fundatæ erant. Obſeruandum autem eſt, quod inter veteres de huius apoſtolicæ regulæ ſenſu non exacte conuenerit; & hæc ipſa diuerſas notiones diuerſaſque praxes inter eos, ordinationis digamorum intuitu, genuerit.

§. II.

Tres diuerſæ opiniones inter veteres de digamia. I. Quod omnes, qui ſecundas nuptias poſt baptiſmum celebraſſent, tamquam digami ab ordinibus eccleſiæ prohibendi eſſent.

Communis & peruulgata regulæ apoſtolicæ acceptio erat, quod omnes ab ordinibus clericatus tamquam digamos prohiberi oporteret, qui poſt baptiſmum duas vxores, etſi legitimo & ſuccedente tempore alteram poſt alteram, matrimonio ſibi iunxiſſent. Quamquam enim ſecundas nuptias tamquam vitioſas & illegitimas cum *Nouatianis* & *Montaniſtis* non damnabant; tamen, quum apoſtolum homines poſt iteratas nuptias epiſcopos fieri nolle exiſtimarent, a ſuperioribus eccleſiæ ordinibus eos repellebant. Fuiſſe hanc quarumdam eccleſiarum tempore ORIGENIS conſuetudinem, ex commentario eius in *Lucam* euangeliſtam liquet, vbi, *Ab eccleſiaſticis*, inquit, *dignitatibus non ſolum fornicatio* [a] *ſed & nuptiæ repellunt: neque enim epiſcopus, nec presbyter, nec diaconus, nec vidua poſſunt eſſe DIGAMI.* TERTVLLIANVS quum ad *Montaniſtarum* caſtra tranſiiſſet, hoc argumentum arripiebat illudque ad abolendas ſecundas nuptias apud quoſcumque homines vrgebat, cauſſatus [b], quod laicus matrimonium iterandi licentiam ab eccleſiaſticis decenter petere non poſſet, quum eccleſiaſticos, epiſcopos, presbyteros & diaconos monogamos eſſe, videret. Quod ipſum in diuerſis ſcriptorum ſuorum partibus frequenter [c] repetit. Neque infici-

(a) Orig. hom. XVII. in Luc. p. 228. edit. Baſil. MDLXXI. (p. 145. d. edit. Pariſ. MDCIV.)

(b) Tertull. de monogam. c. XI. Qualis es id matrimonium poſtulans, quod eis, a quibus poſtulas, non licet habere? ab epiſcopo monogamo, a presbyteris & diaconis eiusdem ſacramenti &c.

(c) Tertull. de pœnit. c. IX. † De exhortat. caſtit. c. VII. In veteri lege animad-

as iri poteſt, multos ex ſcriptoribus antiquis, AMBROSIVM [*d*], HIERONYMVM [*e*], GENNADIVM [*f*], EPIPHANIVM [*g*], & concilium

---

verso caſtratam licentiam ſæpius nubendi - - apud nos plenius, atque inſtructius præſcribitur, vnius matrimonii eſſe oportere, qui alleguntur in ordinem ſacerdotalem. Viſque adeo memini digamos loco deiectos. Id, ad vxor. lib. I. c. VII.

(*d*) Ambroſ. de offic. lib. I. c. L. De caſtimonia quid dicam, quando *vna tantum, nec repetita permittitur copula*, & in ipſo ergo coniugio lex eſt, non iterare coniugium, nec ſecundæ coniugis ſortiri coniunctionem. Quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptiſmum iterato coniugio ad electionem muneris & ordinationis prærogatiuam impedimenta generentur, cum etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lauacri remiſſa fuerint ſacramento: Sed intelligere debemus, quia in baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt. In coniugio non culpa ſed lex eſt. Quod culpæ eſt igitur, in baptiſmo relaxatur, quod legis eſt, in coniugio non ſoluitur.

(*e*) Hieron. ep. II. ad Nepotian. (tom. I. p. 11. h. edit. Francof.) Prædicator continentiæ nuptias ne conciliet. Qui apoſtolum legit, *ſupereſt, vt qui habent vxores, ſic ſint, quaſi non habeant*: cur virginem cogit vt nubat? *Qui de monogomia ſacerdos eſt*, quare viduam hortatur, vt digama ſit? Ep. XI. ad Geront. p. 58. edit. cit. Conſidera, quod vidua non eligatur, niſi vnius viri vxor, & nos putamus, ſacerdotum hoc tantum eſſe priuilegium, *vt non admittatur ad altare, niſi qui vnum habuerit vxorem.* Non ſolum enim ab officio ſacerdotis digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna eccleſiæ, dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda coniugia deuoluta eſt: quamquam lege ſacerdotali teneatur & laicus, qui talem præbere ſe debet, vt poſſit eligi in ſacerdotium. *Non enim eligitur, ſi digamus fuerit.* Porro eliguntur ex laicis ſacerdotes: *Ergo & laicus tenetur mandato, per quod ad ſacerdotium peruenitur.* Id. epiſt. LXXXIII. (tom. II. p. 215. b. edit. cit.) In vtraque epiſtola (Timothei & Titi) ſiue epiſcopi, ſiue presbyteri - iubentur *monogami in clerum eligi.*

(*f*) Gennad. de eccleſ. dogmat. c. LXXII. (ap. Auguſt. tom. III. p. 146. edit. Baſil. MDXXVIII p. 207. edit. MDLXIX.) Maritum duarum poſt baptiſmum matronarum clericum non ordinandum.

(*g*) Epiph expoſit. fid n. XXI. Δευτερόγαμον οὐκ ἔξεστι δέχεσθαι ἐν αὐτῇ (ἐκκλησίᾳ) εἰς ἱερωσύνην, κἄντε ἐγκρατευόμενος εἴη χῆρος, ἀπαρχῆς τάξεως ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρου, καὶ διακόνου, καὶ ὑποδιακόνου· μετὰ ταύτην τὴν ἱερωσύνην λοιπὸν ἀναγνωστῶν τάγμα ἐξ ὅλων τῶν ταγμάτων, τουτέστι παρθένων, καὶ μοναζόντων, καὶ ἐγκρατευομένων, καὶ χηρευσάντων, καὶ τῶν ἐπ ἐν σεμνῷ γάμῳ. *Secundis nuptiis implicitus in eccleſia ad ſacerdotium non admittitur*; tametſi aut ſeſe ab vxore contineat, aut ſit viduus: Eiuſmodi, inquam, ab epiſcopi, presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi gradu reiicitur. Secundum hos gradus lectorum ordo ex omnibus ordinibus eligi poteſt; hoc eſt e virginibus, monachis, continentibus viduis, & iis, qui honeſtis matrimoniis alligantur.

Agathen-

Agathense [*h*] ac *Carthaginense* [*i*] eumdem verbis apoſtoli ſenſum dediſſe. Modo EPIPHANIVS inter ſuperiores ac inferiores ordines diſtinxit, regulamque hoc ſenſu illos non hoſce obligare ſtatuit.

§. III.

II. Alii hanc regulam ad omnes, qui vel ante vel poſt baptiſmum bis coniugium inierant, extenderunt.

Erant rurſus alii, qui hanc regulam ſenſu ſtrictiore accipiebant, eam non illos tantum ab ordinatione excludere, exiſtimantes, qui poſt baptiſmum ad ſecundas nuptias tranſiiſſent, ſed etiam eos, qui bis ante, vel ſemel ante & ſemel poſt, acceptum baptiſmum contraxiſſent matrimonium: qualiter multi gentiles & catechumeni illis temporibus, quando baptiſmus hominibus adultis dabatur, feciſſe deprehenſi ſunt. AMBROSIVS [*k*], hos ipſos ad ordinationem non admittendos eſſe, ſentiebat: atque ita ab INNOCENTIO epiſcopo *Romano* [*l*] & concilio *Valen-*

(*h*) Concil. Agath. c I. (tom. IV. conc. p. 1383) Placuit de *bigamis* aut internuptarum maritis, quamquam aliud patrum ſtatuta decreuerint, vt qui huc vſque ordinati ſunt, habita miſeratione, presbyterii vel diaconatus *nomen tantum obtineant; officium vero presbyteri conſecrandi, & miniſtrandi huiusmodi diaconus non praeſumat.*

(*i*) Conc. Carth IV. c LXIX. (tom. II. p. 1205.) Simili ſententiae ſubiacebit epiſcopus, ſi ſciens ordinauerit *clericum eum, qui* viduam aut repudiatam *vxorem habuit*, aut *ſecundam.*

(*k*) Ambroſ. ep. LXXXII. ad Vercellenſes (tom. V. p. 121. C. edit. Colon. MDCXVI.) Plerique ita argumentantur, vnius vxoris virum dici poſt baptiſmum habitae, eo quod baptiſmo vitium ſit ablatum, quo afferebatur impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur omnia, vt ſi quis contaminauerit ſuum corpus cum plurimis, quas nulla coniugii lege ſociauerit, remittantur ei omnia: ſed coniugia non reſoluuntur, ſi quis iterauerit. Culpa enim lauacro, non lex ſoluitur. Nulla enim culpa coniugii, ſed lex eſt. Ideo & apoſtolus legem poſuit, dicens: *Si quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir.* Ergo qui ſine crimine & *vnius vxoris vir*, tenetur ad legem ſacerdotii ſuſcipiendi: *qui* autem *iterauerit coniugium*, culpam quidem non habet coinquinati, ſed *praerogatiua exuitur ſacerdotis.*

(*l*) Innoc. ep. II. c. VI. (tom. II. concil p. 1251.) Ne ab aliquibus exiſtimetur, ante baptiſmum ſi forte quis accepit vxorem, & ea de ſaeculo recedente alteram duxerit, in baptiſmo eſſe dimiſſum, ſatis errat a regula: quia in baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur. Id. ep. it. XXII. c. VI. Nec illud debet admitti, quod aliquanti pro defenſione praui erro is opponunt, & adiſerunt, quod ante baptiſmum vxor accepta non debeat imputari,

tino [*m*] in *Gallia* decretum fuit. Sed hæc opinio, tamquam a ſententia apoſtoli alieniſſima, ab aliis generatim reiecta fuit.

§. IV.

III. Maxime probabilis eorum opinio, qui apoſtolum per digamos polygamos & tales, qui poſt diuortium aliam vxorem duxiſſent, intelligere exiſtimarunt.

Maxime probabilis iſtorum veterum ſcriptorum eſt opinio, qui regulam apoſtolicam interpretantur, tamquam quæ polygamorum, ſiue eorum prohibeat ordinationem, qui plures eodem tempore vxores haberent, & qui ſine cauſſa vxoribus ſuis repudiatis alias poſt prioris diuortium ſibi iunxiſſent; quæ res *iudæis* pariter & *gentilibus* tum valde vſitata, in ſe autem plena offenſionis & ab apoſtolo digna habita fuerit, quæ inter iuſta ordinationis impedimenta referretur. Hunc ſenſum CHRYSOSTOMVS [*n*]

quia in baptiſmo omnia dimittuntur. Non intelligentes huiusmodi, quod ſola in baptiſmo peccata dimittuntur, nec vxorum numerus aboletur.

(*m*) Concil. Valent. c. I. (tom. II. conc. p. 905.) Sedit, *neminem poſt hanc ſynodum*, qua eiusmodi illicitis vel ſero ſuccurritur, *de digamis*, aut internuptarum maritis, *ordinari clericum poſſe.* Nec requirendum, vtrumne initiati ſacramentis diuinis, an ne gentiles, hæc ſe infelicis ſortis neceſſitate macularint, cum diuini præcepti caſta ſit forma.

(*n*) Chryſoſtom. homil. X. in I Timoth. III, 2. (tom. VI. p. 464. c. d. edit. Francof.) -- *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα· οὐ νομοθετῶν τοῦτό φησιν, ὡς μὴ εἶναι ἐξὸν ἄνευ τούτου γίνεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀμετρίαν κωλύων· ἐπειδὴ ἐπὶ τῶν ἰουδαίων ἐξῆν καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταυτὸν γυναῖκας· τίμιος γὰρ ὁ γάμος· τινὲς δὲ, ἵνα μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ ᾖ φασι τοῦτο εἰρῆσθαι.* *Vnius vxoris virum.* Non hoc velvti ſanciens dixit, quaſi non liceat abſque vxore epiſcopum fieri; ſed eius rei modum conſtituens. Iudæis quippe licitum erat etiam ſecundo matrimonio iungi, & duas itidem ſimul habere vxores: *honorabiles enim nuptiæ.* Quidam vero hoc ita intelligunt, vt ſcilicet ad epiſcopatum is adſumatur, qui vnius fuerit vxoris vir.

Id. homil. II. in Tit. I, 6. (tom. VI. p 629.) *ἐπιστομίζει τοὺς αἱρετικοὺς τοὺς τὸν γάμον διαβάλλοντας, δεικνὺς, ὅτι τὸ πρᾶγμα οὐκ ἔστιν ἐναγὲς, ἀλλ᾽ οὕτω τίμιον, ὡς μετ᾽ αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον, ἐν ταυτῷ δὲ καὶ τοὺς ἀσελγεῖς κολάζων, καὶ οὐκ ἀφιεὶς μετὰ δευτέρου γάμου τὴν ἀρχὴν ἐγχειρίζεσθαι ταύτην· ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν, πῶς ἂν οὗτος γένοιτο προστάτης καλός; τίνα δὲ οὐκ ὑποσταίη κατηγορίαν; ἴστε γὰρ ἅπαντες, ἴστε ὅτι εἰ μὴ κεκώλυται παρὰ τῶν νόμων τὸ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, ἀλλ᾽ ὅμως πολλὰς ἔχει τὸ πρᾶγμα κατηγορίας, οὐδεμίαν οὖν παρέχειν λαβὴν τοῖς ἀρχομένοις τὸν ἄρχοντα βούλεται.* Obſtruere intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, oſtendens eam rem culpa carere, immo ita eſſe pretioſam, vt cum ipſa etiam poſſit quiſpiam ad ſanctum epiſcopatus ſolium ſubuehi. Caſtigat hoc ipſo etiam impudicos, dum non eos

& THEO-

& THEODORETVS [o] proponunt & defendunt, vtpote qui menti apoſtoli maxime omnium conueniat. Et certum eſt, ſecundas nuptias vllo alio ſenſu acceptas non ſemper inſeparabile aliquod impedimentum hominum in eccleſia chriſtiana ordinationi intuliſſe. TERTVLLIANVS [p] enim fatetur, inter catholicos fuiſſe epiſcopos digamos; licet ipſi *inſultantes apoſtolo* dicantur. Et ex epiſtolis SIRICII [q] atque INNOCENTII [r] conſtat, *Hiſpaniæ* & *Græciæ* epiſcopos non dubitaſſe digamos inter clericos ſuos generatim adlegere; huius enim rei cauſſa ipſos reprehendere ſibi ſumunt. THEODORETVS, pro eo atque ipſemet hac in re ſentiebat, *Irenæum* digamum conſecrabat epiſcopum: quam conſecrationem quum nonnulli ex hoc capite illegitimam dicerent, communi aliarum eccleſiarum conſuetudine eum defendebat.

permittit poſt ſecundas nuptias ad eccleſiæ regimen dignitatemque paſtoris adſumi. Nam qui defunctæ vxori beneuolentiam nullam ſeruaſſe deprehenditur, quo pacto hic eccleſiæ præceptor eſſe optimus poterit? Immo quibus criminibus non ſubiicietur indies? Noſtis enim profecto omnes, quod, etſi per leges ſecundæ nuptiæ permittuntur, multis tamen ea res accuſationibus patet: nullam ergo occaſionem præbere ſubiectis præſulem vult.

(o) Theod. in 1 Tim. III, 2. πάλαι εἰώθεισαν καὶ ἕλληνες καὶ Ἰουδαῖοι, καὶ δύο καὶ τρισὶ καὶ πλείοσι γυναιξὶ νόμῳ γάμου κατὰ ταυτὸν συνοικεῖν· τινὲς δὲ καὶ νῦν, καί τοι τῶν βασιλικῶν νόμων δύο κατὰ ταυτὸν ἄγεσθαι κωλυόντων γυναῖκας, καὶ παλλακῖσι μίγνυνται καὶ ἑταίραις· ἔφασαν τοίνυν, τὸν θεῖον ἀπόστολον εἰρηκέναι, τὸν μιᾷ μόνῃ γυναικὶ συνοικοῦντα σωφρόνως, τῆς ἐπισκοπῆς ἄξιον εἶναι χειροτονίας· οὐ γὰρ τὸν δεύτερόν, φησιν, ἐξέβαλε γάμον, ὅγε πολλάκις τοῦτο γενέσθαι κελεύσας. Olim conſueuerant & græci & iudæi cum duabus & tribus & pluribus etiam vxoribus ſimul iungi lege matrimonii. Quin nunc etiam nonnulli, tametſi leges imperatoriæ prohibeant duas ſimul vxores ducere, rem habent cum concubinis & meretricibus. Dixerunt ergo, diuinum apoſtolum dixiſſe, eum qui cum vna ſola vxore pudice cohabitat, dignum eſſe qui ordinetur epiſcopus. Neque enim ſecundum, inquiunt, reiecit matrimonium, qui illud ſæpe iuſſit fieri.

(p) Tertull. de monogam. c. XII. Quot enim & *digami præſident* apud vos, *inſultantes* vtique apoſtolo?

(q) Siric. epiſt. I. ad Himer. Tarrac. c. VIII. (tom. II. concil. p. 1021.) Apoſtolus vnius vxoris virum tam ſacerdotem, quam diaconum fieri debere mandauit. Quæ omnia ita a veſtrarum regionum deſpiciuntur epiſcopis, quaſi in contrarium magis fuerint conſtituta.

(r) Innocent. ep. XXII. ad epiſc. Maced. c. I. (ibid. p. 1271.) Eos qui viduas accepiſſe ſuggeruntur vxores, non ſolum clericos effectos agnoui, verum etiam vſque ad infulas ſummi ſacerdotii perueniſſe: quod contra legis eſſe præcepta, nullus ignorat.

Quod ad digamiam, inquiebat, *attinet* [s], *maiorum vestigiis inhæsimus. Nam & beatæ sanctæque memoriæ Alexander, qui apostolicam hanc sedem* (Antiochenam) *rexit, vna cum beatissimo Acacio Beroeæ episcopo beatæ memoriæ Diogenem digamum ordinauit: eodemque modo beatus Praylius Domninum Cæsareæ, qui digamus item erat. Consuetudinem ergo sequuti sumus & viros illustres scientiaque & vita celeberrimos. Ac multa etiam alia huiusmodi minime ignorans beatæ memoriæ Proclus, Constantinopolitanorum episcopus & ordinationem ipse admisit & laudans admiransque rescripsit. Similiter etiam Ponticæ dioeceseos primarii Deo carissimi episcopi & Palæstini omnes, neque vlla orta est hac de re controuersia.* Ex quibus intelligimus, diuersam hac in re fuisse ecclesiæ consuetudinem; adeoque BELLARMINVS & alii *Romanenses* lectoribus suis nimium quantum imponunt, quando ordinationem digamorum, intelligentes per eos duarum legitimarum vxorum maritos, tum regulæ apostoli tum vniuersali consensioni & consuetudini ecclesiæ contrariam esse, dictitant.

§. V.

Nullum cælibatus votum a clericis, tamquam ordinationis suæ conditio, tribus prioribus sæculis requisitum.

Sed adhuc magis lectores suos deludunt, perpetui cælibatus votum, seu abstinentiam coniugialis societatis a clericis, tamquam ordinationis suæ conditionem, ab apostolicis inde temporibus, requisitam esse, ementientes. Contrarium enim ex innumeris episcoporum & presbyterorum exemplis manifestum est, qui in matrimonio sine vllo ordinationis vel functionis suæ impedimento vixerunt. In hoc vetusti scriptores generatim concordant, quod apostolorum plerique vxores habuerint.

(s) Theodor. epist. CX. ad Domnum. εἰς τὸ τῆς διγαμίας, τοῖς πρὸ ἡμῶν ἠκολουθήσαμεν· καὶ γὰρ ὁ τῆς μακαρίας καὶ ὁσίας μνήμης Ἀλέξανδρος, ὁ τὸν ἀποστολικὸν τοῦτον διακοσμήσας θρόνον, σὺν τῷ μακαριωτάτῳ Ἀκακίῳ τῆς Βεροίας ἐπισκόπῳ, τὸν τῆς μακαρίας μνήμης Διογένην ἐχειροτόνησαι δίγαμον ὄντα· ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ μακάριος Πραΰλιος Δομνῖνον τὸν Καισαρείας δίγαμον ὄντα· ἔθει τοίνυν ἠκολουθήσαμεν, καὶ ἀνδράσιν ἐπισήμοις, καὶ ἐπὶ γνώσει καὶ βίῳ πολυθρυλλήτοις· πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τοιαῦτα δεδιδαγμένος ὁ τῆς μακαρίας μνήμης Πρόκλος, ὁ τῆς Κωνσταντινουπολιτῶν ἐπίσκοπος, καὶ αὐτὸς τὴν χειροτονίαν ἐδέξατο, καὶ ἔγραψεν ἐπαινῶν καὶ θαυμάζων· ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ πρωτεύοντες τῆς ποντικῆς διοικήσεως θεοφιλέστατοι ἐπίσκοποι, καὶ οἱ παλαιστῖνοι πάντες, καὶ οὐδεμία ἀμφιβολία περὶ τούτου γεγένηται.

rint. Nonnulli, omnes habuisse, dicunt, præter [t] *Paulum* & *Ioannem*. Alii *Paulum* itidem maritum fuisse statuunt, quod scripserit ad σύζυγον γνήσιον, quod *germanam comparem* reddentes vxorem eius intelligunt. Phil. IV, 3. Hæc CLEMENTIS ALEXANDRINI [u] erat opinio, quam ex eo adsumsisse videntur EVSEBIVS [vv] & ORIGENES [x] atque interpolatæ epistolæ [y] ad ecclesiam *Philadelphiensem* auctor, sub nomine IGNATII; quem recentiores quidam *Romanenses* genuinum *Ignatium* esse, falso sibi persuadentes minus sincere mutilarunt, expuncto ex ipso textu *Pauli* nomine; quam turpem agendi rationem VSSERIVS [z] episcopus detexit, & COTELERIVS [a] re ipsa hoc fatetur, quando auctorem

(t) Ambros. ad Hilar. in 1 Cor. XI. Omnes apostoli, excepto Ioanne & Paulo, vxores habuerunt.

Epiphan. hæres. LXXVIII. n. X. εἰ ἦσαν τέκνα τῇ Μαρίᾳ, καὶ εἰ ὑπῆρχεν αὐτῇ ἀνὴρ, τίνι λόγῳ παρεδίδου τὴν Μαρίαν τῷ Ἰωάννῃ, καὶ τὸν Ἰωάννην τῇ Μαρίᾳ; τίνι δὲ τῷ λόγῳ Πέτρῳ μᾶλλον οὐ παραδίδωσι; τίνι δὲ τῷ λόγῳ Ἀνδρέᾳ, Ματθαίῳ τε, καὶ Βαρθολομαίῳ; ἀλλὰ δῆλον ὅτι Ἰωάννῃ διὰ τὴν παρθενίαν. Si Maria liberos habuisset, aut superstes vir eius fuisset, cur illam Ioanni, Ioannem illi commendaret? Verum cur non Petro potius, vel Andreæ, vel Matthæo, Bartholomæoue commendat. Nimirum *Ioanni propter virginitatem* hoc tribuit.

Cotelerius citat Eusebium, Basilium & alios quosdam in eandem sententiam. not. in Ignat. ep. ad Philadelph. interpolat n. IV. vid. sequ. not. (a)

(u) Clem. Alex. stromat. III. p. 448. edit. Paris. M DC XLI. (pag 535. edit. Oxon. MDCCXV.) Καὶ ὅγε παῦλος οὐκ ὀκνεῖ ἔν τινι ἐπιστολῇ τὴν αὐτοῦ προσαγορεύειν σύζυγον, ἣν οὐ περιεκόμιζεν, διὰ τὸ τῆς ὑπηρεσίας εὐσταλές. Et Paulus quidem certe non veretur in quadam epistola *suam appellare coniugem*, quam non circumferebat, quod non magno ei esset opus ministerio.

(vv) Euseb. lib. III. c. XXX. vbi hæc Clementis verba recitantur.

(x) Origen. com. in Roman. I. p. 459. edit. Basil. (p. 296. L. edit. Paris. M DC IV.) Paulus ergo (sicut quidam tradunt) cum vxore vocatus est: de qua dicit ad Philippenses scribens: *Rogo te etiam germana compar, adiuua illas, quæ cum ipsa sunt.*

(y) Pseudo-Ignat. ep. ad Philad. n. IV. ὡς Πέτρου καὶ Παύλου καὶ τῶν ἄλλων ἀποστόλων τῶν γάμοις προσομιλησάντων. Sicut Petri & *Pauli* & aliorum apostolorum, qui in nuptiis versati sunt.

(z) Vsser. dissert. in Ignat. c. XVII. tot. (apud Coteler. tom. II. p. 226 227. 228.)

(a) Coteler. not. in loc. (tom. II. patr. apostolic. p. 80. n 43.) Amplectitur Ignatiaster opinionem Clementis Alexandrini στρωματέων III. p. 448. & aliorum quorumdam, ortam ex prauo intellectu Paulinorum textuum Philipp. IV, 3. & 1 Cor. V, 9. quam refert etiam nec refellit Eusebius histor. lib III. c. XXX. vt modeste fit a Nicephoro c XLIV. lib. II. quæque per Origenem initio *explanationum* in epistolam ad Romanos simpliciter cum opposita sententia proponitur.

hoc

hoc scripsisse & in eo CLEMENTIS ALEXANDRINI, ORIGENIS & EVSEBII opinionem amplexum esse dicit. Sed prætermissis illis, quæ ad *Pauli* coniugium attinent, (quippe de quo viri eruditi inter se controuersantur atque concertant, plerisque eorum perpetuum ipsius cælibatum defendentibus,) negari nequit, alios quosdam ex apostolis vxores habuisse. Et in proxime insequutis sæculis episcopos, presbyteros ac diaconos, sine vlla reprehensione vel dignitatis imminutione, vxoribus iunctos deprehendimus. Tales erant, vt pauca quædam exempla adferamus, *Valens* presbyter *Philippensis* POLYCARPO [*b*] memoratus, *Chæremon Nili* vrbis episcopus grandæuus, qui vna cum coniuge in *Arabicum* montem tempore persecutionis fugit, vbi ambo simul periere, vti auctor est EVSEBIVS [*c*]. *Novatus* presbyter erat *Carthaginensis* illigatus coniugio, quemadmodum ex epistolis CYPRIANI [*d*] discimus. *Cyprianus* ipse, fatente PAGIO [*e*], in matrimonio vixit. Ita etiam *Cæcilius* [*f*] presbyter, qui eum ad agnitionem veræ diuinitatis ex gentili errore perduxerat. Sicut & *Numidicus*, alius presbyter *Carthaginensis*, de quo CYPRIANVS [*g*] historiam notatu dignam narrat, quæ *De-*

(*b*) Polycarp. ep. ad Philipp. n. XI. (apud Coteler. tom. II. p. 189.) Valde contristor pro eo (Valente) & pro coniuge eius.

(*c*) Euseb. lib. VI. c. XLII. Χαιρήμων ἦν ὑπέργηρως τῆς Νείλου καλουμένης ἐπίσκοπος πόλεως, οὗτος εἰς τὸ ἀράβιον ὄρος ἅμα τῇ συμβίῳ ἑαυτοῦ φυγὼν, οὐκ ἐπανελήλυθεν.

(*d*) Cyprian. ep. XLIX. al. LII. ad Corn. Vterus *vxoris* (Nouati) calce percussus & abortione properante in parricidium partus expressus, & damnare nunc audet sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est.

(*e*) Pagi critic. in Baron. ad ann. CCXLVIII. n. IV. edit. Par MDCLXXXIX. (NB. in edit. Antwerp. MDCCV. tom. I. p. 231. n. V. Baronio, Cæcilium coniugatum fuisse, adfirmanti, contradicit, adeoque erronea hæc est adlegatio.)

(*f*) Pontic. vit. Cyprian. Erat sane illi etiam de nobis contubernium viri iusti & laudabilis memoriæ Cæcilii, & ætate tunc & honore presbyteri, qui cum ad agnitionem veram diuinitatis a sæculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni obseruantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non iam vt amicum animæ coæqualem, sed tamquam nouæ vitæ parentem. Denique ille demulsus eius obsequiis, in tantum dilectionis immensæ merito prouocatus est, vt de sæculo excedens, arcessitione iam proxima *commendaret ill. coniugem ac liberos suos*, & quem fecerat de sectæ communione participem, postmodum faceret pietatis heredem.

(*g*) Cypr. epist. XXXV. al. XL.

ciana

cianæ perſecutionis tempore contigit. *Numidicus presbyter,* inquit, *vxorem adhærentem lateri ſuo, concrematam ſimul cum cæteris, (vel conſeruatam magis dixerim) lætus adſpexit. Ipſe ſemiuſtulatus & lapidibus obrutus & pro mortuo derelictus, dum poſtmodum filia ſollicita pietatis obſequio cadauer patris inquireret, ſemianimis inuentus & extractus & refocillatus eſt.* *Phileas* eccleſiæ *Thmuitarum* epiſcopus & *Philoromus*, perhibente EVSEBIO [*h*], vxores habuerunt & liberos. Ex hoc enim capite, vt nimirum vxoribus ac liberis ſuis conſulere vellent, ſub perſequutione *Diocletianea* ad abnegandam religionem ſuam vrgebantur; ſed virili animo hoc argumentum contemnentes leges CHRISTI eis omnibus præponebant. EPIPHANIVS [*i*], *Marcionem* hæreticum, epiſcopi filium fuiſſe & ab ipſo parente ob inceſtum eccleſia pulſum, dicit. *Domnus* etiam epiſcopus *Antiochiæ* [*k*] *Demetriani*, eiuſdem ciuitatis quondam e-

(*h*) Euſeb. lib. VIII. c. IX. Οἷος Φιλόρωμος ἦν. - - Φιλέας τε τῆς Θμουιτῶν ἐκκλησίας ἐπίσκοπος -- οἱ δὲ μυρίων ὅσων πρός αἵματός τε καὶ τῶν ἄλλων φίλων ἀντιβολούντων, ἔτι μὴν τῶν ἐπ᾽ ἀξίας ἀρχόντων, πρὸς δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ δικαστοῦ παρακαλοῦντος, ὡς ἂν αὐτῶν οἶκτον λάβοιεν, φειδῶ τε παίδων καὶ γυναικῶν ποιήσοιντο· οὐδεμῶς πρὸς τῶν τοσούτων ἐπὶ τὸ φιλοζωῆσαι μὲν ἑλέσθαι, καταφρονῆσαι δὲ τῶν περὶ ὁμολογίας καὶ ἀρνήσεως τοῦ σωτῆρος ὑμῶν θεσμῶν ὑπήχθησαν. Huiusmodi fuit Philoromus. - - Huiusmodi etiam fuit Phileas eccleſiæ Thmuitarum epiſcopus - - qui cum innumeri cognati atque amici, quidam etiam ex magiſtratibus atque honoratis eos rogarent; cum iudex ipſe eos cohortaretur, vt ſui ipſorum miſereri & *vxoribus ac liberis ſuis* conſulere vellent: numquam his omnibus adduci potuerunt, vt vitæ ſuæ conſeruandæ cauſſa diuinas leges de confeſſione & negatione nomine Chriſti latas contemnerent.

(*i*) Epiphan. hær. XLII. n. I. τὴν φθορὰν ἀπεργασάμενος ἐξεῶται τῆς ἐκκλησίας ὑπὸ τοῦ ἰδίου πατρός· ἦν γὰρ αὐτοῦ πατὴρ δι᾽ ὑπερβολὴν εὐλαβείας τῶν διαφανῶν καὶ σφόδρα τῆς ἀληθείας ἐπιμελομένων, διαπρέπων ἐν τῇ τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίᾳ. Ob hunc inceſtum eccleſia *ab ipſo parente* pulſus eſt (Marcion); viro cum primis religioſo & veritatis amore flagrantiſſimo, & in hac epiſcopalis muneris adminiſtratione præſtanti.

(*k*) Euſeb lib. VII. c. XXX. Ἠναγκάσθημεν ἀντιτασσόμενον αὐτὸν τῷ θεῷ καὶ μὴ εἴκοντα ἐκκηρύξαντες, ἕτερον ἀντ᾽ αὐτοῦ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ καταστῆσαι ἐπίσκοπον θεοῦ προνοίᾳ ὡς πεπείσμεθα, τὸν τοῦ μακαρίου Δημητριανοῦ καὶ ἐπιφανῶς προστάντος πρὸ τούτου τῆς αὐτῆς παροικίας υἱὸν Δόμνον ἅπασι τοῖς πρέπουσιν ἐπισκόπῳ καλοῖς κεκοσμημένον. Hunc Deo bellum indicentem nec cedere volentem, cum a communione noſtra abdicaſſemus, neceſſe habuimus, alium eius loco eccleſiæ catholicæ epiſcopum ordinare, non abſque diuina vt credimus prouidentia: *Demetriani* ſcilicet beatæ memoriæ *epiſcopi*, qui ante hunc magna cum laude eam-

piſcopi, filius fuiſſe perhibetur. Facile eſſet, innumera exempla alia ſubiungere; ſed hæc ſufficiunt ad oſtendendum, quod cuiuslibet conditionis homines primis eccleſiæ temporibus ad epiſcoporum & presbyterorum dignitatem euecti fuerint.

§. VI.

Contrariarum opinionum vanitas.

Doctiſſimi quique eccleſiæ *Romanenſis* aduocati non habuerunt vmquam, quod his omnibus opponerent, niſi ſuam, quam animo ipſimet finxerunt, omni fundamento deſtitutam opinationem, quod omnes coniugati, vbi ordinandi eſſent, promiſerint, ſe ab vxoribus ex compacto ſeparatos vitam in poſterum acturos, id quod voto cælibatus ab aliis facto reſponderit. Hoc omne eſt, quidquid PAGIVS [l] aut SCHELSTRATVS [m] hac in cauſſa poſt ſcriptores omnes alios, qui ipſis præiuere, dicere potuerunt. Quod vero non tantum ſine probatione, ſed & aduerſus euidentiſſima antiquorum hiſtoricorum documenta, contrarium manifeſto demonſtrantia, ſtatuitur. *Nouato* enim presbytero *Carthaginenſi*, cuius cauſſam examinat PAGIVS, certe poſt ordinationem cum vxore procreandis liberis operam dare licuit: vt ex querimonia conſtat, quam de ipſo habet CYPRIANVS [n], quod vterum vxoris calce percuſſerit atque ita abortionem ei importarit, ob quod crimen ille certe non presbyterio tantum ſed eccleſia etiam pulſus fuiſſet, niſi ſubito exorta perſequutio examinationi & condemnationi illius anteuertiſſet. *Cyprianus* interim eum non accuſat, quod poſt ordinationem matrimonio vſus liberos procreaſſet; ſed quod liberos a ſe genitos occidiſſet; quod poſterius certe ſcelus erat, quo eiectionem tam ex

dem rexit eccleſiam, *filium Dominum*; virum omnibus, quæ epiſcopum decent, dotibus exornatum.

(*l*) Pagi critic. in Baron. an CCXLVIII. n. VI. (p. 232. edit. Antuerp. MDCCV.) Hæc ſingularia exempla aliud non probant, quam ex matrimonio iunctis ad ſacerdotium fuiſſe promotos, quos poſtea matrimonio vſos oſtendere debuiſſet Pearſonius, vt eius argumentum vim haberet.

(*m*) Schelſtrat eccleſ. Afric. diſſert III. c. IV. p. 157 edit. Pariſ. MDLXXIX.) Hos omnes nihil aliud voluiſſe, quam ex matrimonio iunctis ad ſacerdotium fuiſſe promotos, recte adnotat Pamelius addens, nullibi ſcriptum reperiri, hos poſtea matrimonio vſos: quod omnis antiquitas ſemper tradiderit continentiæ legem ſacris illis ordinibus eſſe adnexam, vnde & canon: *Pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant.*

(*n*) Cypr. epiſt. XLIX. al. LII. ad Cornel. vid. ſupra not. (d) pag 160

officio

officio quam ecclesia commeruerat: prius autem nulla lege, quæ tum in *Africana* vel in vniuersa ecclesia obtinuit, pro crimine fuit reputatum. In nonnullis quidem locis ad introducendam eiusmodi legem vnius & alterius zelotæ animus paullulum videtur inclinasse; sed simulac res ista vrgeri cœpisset, illico sapientum virorum consilio atque auctoritate suppressa fuit. Ita obseruat EVSEBIVS, *Pinytum*, ecclesiæ *Gnossiorum* in *Creta* insula episcopum, ad legem cælibatus fratribus suis imponendam fuisse propensum: *Dionysium* autem episcopum *Corinthiorum* missa epistola eum admonuisse [o], *ne graue onus castitatis fratrum ceruicibus tamquam necessarium imponeret, sed eius, quæ in plerisque hominibus insit, infirmitatis rationem haberet.* Atque ita res per tria sæcula durauit sine vlla lege, qua cælibatum clericorum tempore ordinationis eorum requisitum fuisse, constet.

§. VII.

Clericis sua libertas relicta a concilio Nicæno.

In concilio *Nicæno* ann. CCCXXV. repetebatur huius rei propositio, legem videlicet ferendam esse, vt quicumque in sacrum ordinem adlecti essent, ab omni vxorum, quas ante ordinationem matrimonii iure sibi sociassent, coniugali commercio abstinerent. Sed vix hæc propositio facta erat, quum *Paphnutius* celebratissimus episcopus *Ægyptiacus*, ipse non modo coniugii sed muliebris etiam congressus penitus expers, vehementer vociferaretur, „non esse imponendum clericis & sacerdotibus „graue hoc iugum; honorabiles nuptias & torum immaculatum esse, dicens; ne ex nimia seueritate damnum potius inferrent ecclesiæ. Neque enim omnes ferre posse tam districtæ „continentiæ disciplinam: ac forsitan inde euenturum esse, vt „cuiusque vxoris castitas minime custodiretur. Congressum „viri cum vxore legitima castitatem esse, adserens. Satis esse, „vt qui in clerum fuissent adscripti, iuxta veterem ecclesiæ traditionem iam non amplius vxores ducerent: non tamen quem-

(o) Dyonys. ep ad Pinytum ap. Euseb. lib. IV. c. XXIII. Ταύταις ἄλλη ἐγκατείλεκται πρὸς Κνωσσίους ἐπισολὴ, ἐν ᾗ Πίνυτον τῆς παροικίας ἐπίσκοπον παρακαλεῖ, μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι, τῆς δὲ τῶν πολλῶν κατασοχάζεσθαι ἀσθενείας. In eodem volumine continetur etiam epistola ad Gnossios, in qua Pinytum ecclesiæ illius episcopum monet, (Dionysius) *ne graue onus castitatis*, cætera.

„quam ſeiungendum eſſe ab ea, quam antehac tunc, quum „eſſet laicus, legitime duxiſſet. Quibus dictis vniuerſus ſacerdotum cœtus adſenſus eſt, & ſuppreſſa, quæ facta erat, motione, priſtinam ſuam cuique libertatem reliquit. Ita SOCRATES & SOZOMENVS [p] rem narrant. Contra quam narrationem poſt BELLARMINVM nihil aliud monet VALESIVS [q], quam quod eam ſibi ſuſpectam videri dicat, & ab hiſtoricis ſuis diſſentiendi veniam expetat. Quod autem merum effugium eſt ex ipſius DVPINII iudicio, ob hanc rem ita in eos [r] animaduertentis: *Nonnulli de veritate illius hiſtoriæ dubitant. Credo, eos ad eam in dubium reuocandam potius adductos eſſe, quia verentur, ne factum illud hodiernæ diſciplinæ aliquantum noceat, quam quia ſolido aliquo argumento ad id adſerendum inducuntur. Verum qui ita adfecti ſunt, cogitare deberent, totum huiusmodi præſcriptum ad diſciplinam pertinere, & eccleſiæ diſciplinam ſecundum tempora mutari poſſe, nec neceſſe eſſe ad eam adſerendam probare, illam ſemper in omnibus locis eamdem fuiſſe.* Vt adeo ex huius docti ſcriptoris pontificii ſententia non ſit fas dubitare, concilium *Nicænum* in clericorum coniugatorum gratiam decreuiſſe, quemadmodum hiſtorici illi tradunt; & iſtius æui conſuetudinem a præſentis eccleſiæ *Romanæ* conſuetudine fuiſſe diverſam: qua de re mundo perſuaſum eſſe, alii tam ægre ferunt.

§. VIII.

Et ab aliis iſtius æui conciliis.

Ex aliis iſtius æui conciliis patet, quod clericis matrimonio iunctis in miniſterio eccleſiæ manere permiſſum nec vllum abſtinentiæ votum in ipſorum ordinatione ab illis requiſitum ſit. SOCRATES memoriæ prodidit, in concilio *Gangrenſi* condemnatum eſſe *Euſtathium* hæreticum, eo quod homines ſe ſeparare [s] doceret ab illis presbyteris, qui vxores ſuas retinebant, quas, dum eſſent laici, legitimo modo ſibi copulauerant, eorum benedictionem & communionem inſtar piaculi declinandam eſſe,

(p) Socrat. lib. I. c. XI. Sozom. lib. I. c. XXIII.

(q) Valeſ. not. in Socrat. lib. I. c. XI. Tota hæc narratio de Paphnutio & de cælibatu clericorum prorſus ſuſpecta mihi videtur.

(r) Du Pin. bibliotheque vol. II. pag. 253. edit. Lond. MDCXCII. (pag. 555. edit. Colon. MDCLXXXXIII.)

(s) Socrat. lib. II c. XLIII πρεσβυτέρου γυναῖκα ἔχοντος, ἣν νόμῳ λαϊκὸς ὢν ἠγάγετο, τὴν εὐλογίαν καὶ τὴν κοινωνίαν, ὡς μύσος ἐκκλίνειν ἐκέλευεν.

dictitans.

dictitans. Decretum illud etiamnum inter illius concilii canones [t] reperitur, his verbis expressum: *Si quis de presbytero, qui vxorem duxit, contendat, non oportere eo sacra celebrante oblationi communicare, sit anathema.* Concilium *Ancyranum* diaconis post ordinationem vxorem ducere permittit; *Quicumque*, inquiens, *diaconi constituti* [u], *in ipsa ordinatione testificati sunt, & dixerunt, oportere se vxores ducere, quum non possint sic manere, ii si vxorem postea duxerint, sint in ministerio, eo quod hoc sit illis ab episcopo concessum.* Et quamquam concilium *Neo-Cæsareense* canone quodam [w] presbyteros, si post ordinationem vxorem duxerint, ordine suo moveri iubet; eos tamen, qui ante ordinationem matrimonium inierint, alio quodam canone in officio [x] sine vlla censura manere sinit, separationem ab vxoribus tantum exigens, si adulteratæ fuisse conuictæ fuerint. Concilium quidem *Illiberitanum* [y] & quædam istius temporis alia paullo seuerius contra clericorum matrimonium agere cœperunt: Sed eorum leges non adeo magnam vim habuisse videntur. Nam SOCRATES [z], sua æ-

(t) Conc. Gangrens. c. IV. (tom. II. p. 419.) Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω.

(u) Conc. Ancyran. c. X. (tom. I. p. 1460) Διάκονοι, ὅσοι καθίστανται, παρ' αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ ἐμαρτύραντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμῆσαι, μὴ δυνάμενοι οὕτως μένειν, οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες, ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου.

(w) Conc. Neo-Cæs. can. I. (tom. I. p. 1480.) Πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι. Presbyter si vxorem duxerit, ordine suo moueatur.

(x) Ibid. c. VIII. γυνή τις μοιχευθεῖσα λαϊκοῦ ὄντος, ἐὰν ἐλεγχθῇ φανερῶς, ὁ τοιοῦτος εἰς ὑπηρεσίαν ἐλθεῖν οὐ δύναται· ἐὰν δὲ καὶ μετὰ τὴν χειροτονίαν μοιχευθῇ, ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν· ἐὰν δὲ συζῇ, οὐ δύναται ἔχεσθαι τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ὑπηρεσίας. Si alicuius vxor, cum ille et laicus, adulterata fuisse conuicta fuerit, is non potest ad ministerium accedere. Sin autem etiam post ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere Quod si cohabitet, non potest sibi commissum ministerium exsequi.

(y) Concil. Illiberrit. c. XXXIII. (tom. I. conc. p. 974.) Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris & diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, *abstinere se a coniugibus suis & non generare filios*: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

Conc. Arelat. II. c. II (tom IV. p. 1011) Adsumi aliquem ad sacerdotium non posse in coniugii vinculo constitutum, nisi fuerit præmissa (al promissa) conuersio.

(z) Socrat. lib. V. c. XXII (p. 287. c. edit. Amstelod. MDXCVI.) Ἔγνων ἐγὼ καὶ ἕτερον ἔθος ἐν Θεσσαλίᾳ, γενόμενος κληρικὸς ἐκεῖ, ἣν νόμῳ γαμήσας πρὶν κληρικὸς γένη-

tate in ecclesiis orientalibus multos, episcopatus etiam sui tempore, liberos ex legitimo coniugio suscepisse, & qui ab vxoribus abstinuerint, nulla lege aut necessitate constrictos sed sua sponte id fecisse, perhibet. Tantummodo in *Thessalia*, *Macedonia* & *Achaia* clericos ad abstinendum ab vxoribus suis sub pœna ecclesiastica obligatos fuisse; cuius consuetudinis auctorem dicit fuisse HELIODORVM episcopum, dum libros *Aethiopicos* inscriptos composuerit. Vt ita eo tempore nondum vniuersale aliquod decretum aduersus episcopos, multo minus aduersus presbyteros & diaconos in coniugio constitutos, in ecclesia *græca* extitisse, certum sit. Concilium autem *Trullanum* ann. DCXCII. differentiam inter episcopos & presbyteros statuit, presbyteris, diaconis & cunctis inferiorum ordinum clericis post ordinationem cum vxoribus suis cohabitandi [a] concedendo libertatem;

ται, μετὰ τὸ κληρικὸς γενέσθαι συγκαθευδήσας αὐτῇ, ἀποκήρυκτος γίνεται· τῶν ἐν ἀνατολῇ πάντων γνώμῃ ἀπεχομένων, καὶ τῶν ἐπισκόπων, εἰ καὶ βούλοιντο, οὐ μὴν ἀνάγκῃ νόμου τοῦτο ποιούντων· πολλοὶ γὰρ αὐτῶν ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ παῖδας ἐκ τῆς νομίμης γαμετῆς πεποιήκασιν. ἀλλὰ τοῦ μὲν ἐν Θεσσαλίᾳ ἔθους, ἀρχηγὸς Ἡλιόδωρος, Τρίκκης τῆς ἐκεῖ γενόμενος, οὗ λέγεται πονήματα ἐρωτικὰ βιβλία, ἃ νέος ὢν συνέταξε, καὶ αἰθιοπικὰ προσηγόρευσε· φυλάσσεται δὲ τοῦτο τὸ ἔθος ἐν Θεσσαλονίκῃ, καὶ αὐτῇ Μακεδονίᾳ καὶ Ἑλλάδι. Aliam consuetudinem in Thessalia esse cognoui. Clericus ibi promotus, si post clericatum dormierit cum vxore, quam ante clericatum legitimo matrimonio sibi copulauerat, abdicatur: cum in oriente cuncti sua sponte, etiam episcopi, ab vxoribus suis abstineant, nulla tamen lege aut necessitate constricti id faciant. *Multi enim illorum, episcopatus etiam sui tempore liberos ex legitimo coniugio susceperunt.* Huius porro in Thessalia consuetudinis auctor fuit Heliodorus, Triccæ, quæ eius regionis vrbs est, episcopus: cuius nomine circumferuntur amatorii libri, quos ille, dum iuuenis esset, composuit & Aethiopicos inscripsit. Eadem consuetudo Thessalonicæ & in Macedonia atque Achaia obseruatur.

(*a*) Concil Trull. c. XIII. (tom. VI. conc. p. 1147) Ἐπειδὴ ἐν τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἐν τάξει κανόνος παραδεδόσθαι διέγνωμεν, τοὺς μέλλοντας διακόνου ἢ πρεσβυτέρου ἀξιοῦσθαι χειροτονίας καθομολογεῖν, ὡς οὐκέτι ταῖς αὐτῶν συνάπτονται γαμεταῖς· ἡμεῖς τῷ ἀρχαίῳ ἐξακολουθοῦντες κανόνι τῆς ἀποστολικῆς ἀκριβείας καὶ τάξεως, τὰ τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν κατὰ νόμους συνοικέσια καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν ἐρρῶσθαι βουλόμεθα· μηδαμῶς αὐτῶν τὴν πρὸς γαμετὰς συνάφειαν διαλύοντες, ἢ ἀποστεροῦντες αὐτοὺς τῆς πρὸς ἀλλήλους κατὰ καιρὸν τὸν προσήκοντα ὁμιλίας κ. τ. λ. Quoniam Romanæ ecclesiæ pro canone traditum esse cognouimus, vt promouendi ad diaconatum, vel presbyteratum, profiteantur, se non amplius vxoribus suis coniungendos; nos antiquum canonem apostolicæ perfectionis ordinisque seruantes, hominum, qui simul in sacris legitima coniugia deinceps quoque firma & stabilia esse volumus,

& ec-

& ecclesiam *Romanam* ob contrariam consuetudinem grauiter reprehendendo; sed tamen episcopis [*b*] iniungendo, vt ab vxoribus suis separati vitam agant, de vxoribus [*c*] autem præcipiendo, vt monasterium ingrediantur, vel etiam ad diaconatus in ecclesia dignitatem proueхantur. Atque ita res in ecclesia *græca*, quod ad episcopos, non autem vllos alios, mutata est. In ecclesia *latina* etiam mutatio, sed lentis gradibus multis in locis, facta est. Nam in *Africa* ipso concilii *Trullani* tempore ipsi episcopi cum vxoribus suis cohabitarunt, vt ex modo memoratorum canonum aliquo istius concilii [*d*] constat. Sed in hanc disquisitionem vlterius descendere non fert instituti mei ratio; quum, quæ iam dicta sunt, ad demonstrandum sufficiant, quod clericis vxores habentibus in prioribus sæculis ministerio suo fungi licuerit; & quod cælibatus hisce temporibus non fuerit necessaria quædam ordinationis conditio, vti quidem præsentis ecclesiæ *Romanæ* scriptores polemici falso dictitant. Atque ita diuersas veterum clericorum qualitates & requisita, de quibus ante ipsorum ordinationem disquisitio facta fuit, hactenus perstrinximus. Nunc proximo loco ad solemnium rituum rei ipsius nec non legum ac consuetudinum, ordinationis tempore obseruatarum, considerationem progredimur.

---

nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem dissoluentes, vel eos mutua tempore conuenienti consuetudine priuantes, cætera.

(*b*) Ibid. can. XII. *Καὶ τοῦτο εἰς γνῶσιν ἡμετέραν ἦλθεν, ὡς ἔν τε Ἀφρικῇ καὶ Λιβύῃ καὶ ἑτέροις τόποις, οἱ τῶν ἐκεῖσε θεοφιλέστατοι πρόεδροι συνοικεῖν ταῖς ἰδίαις γαμεταῖς, καὶ μετὰ τὴν ἐπ' αὐτοῖς προελθοῦσαν χειροτονίαν οὐ παραιτοῦνται - - - ἔδοξεν ὥστε μηδαμῶς τὸ τοιοῦτον ἀπὸ τοῦ νῦν γίνεσθαι, κ. τ. λ.* Porro hoc quoque ad cognitionem nostram peruenit, quod in Africa & Lybia & aliis locis quidam ex iis, qui illic sunt, religiosissimi præsules cum propriis vxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio, vna habitare non recusant - - nobis visum est, vt nihil eiusmodi deinceps vllo modo fiat, cætera.

(*c*) Ibid. c. XLVIII. *Ἡ τοῦ πρὸς ἐπισκοπῆς προεδρίαν ἀναγομένου γυνὴ κατὰ κοινὴν συμφωνίαν τοῦ οἰκείου ἀνδρὸς προδιαζευχθεῖσα, μετὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονίαν ἐν μοναστηρίῳ εἰσίτω, πόῤῥω τῆς τοῦ ἐπισκόπου καταγωγῆς ᾠκοδομημένῳ, καὶ τῆς τοῦ ἐπισκόπου προνοίας ἀπολαυέτω· εἰ δὲ καὶ ἀξία φανείη, καὶ πρὸς τὸ τῆς διακονίας ἀναβιβασθήσεται ἀξίωμα.* Vxor eius, qui ad episcopalem dignitatem promouetur, communi viri sui consensu prius separata, postquam in episcopum ordinatus est ac consecratus, *monasterium ingrediatur* & episcopi prouidentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad diaconatus dignitatem prouehatur.

(*d*) Concil. Trull. c XII. vid. not. anteced. (b).

LIBRI

LIBRI QVARTI

CAPVT SEXTVM

DE PRISCORVM CLERICORVM ORDINATIONE ET LEGIBVS INIBI GENERATIM OBSERVATIS.

§. I.

Statuta ecclesiæ auribus clerici inculcari oportebat, antequam episcopus eum ordinaret.

Electione cuiusdam personæ debitis dotibus instructæ, secundum ante memoratas regulas facta, episcopi vel etiam metropolitani, si electus ipse esset episcopus, officium erat, ipsam ordinare. Qui antequam ad ordinationem adgrederetur, aliæ quædam leges & regulæ obseruandæ erant. Nam vt ne iurisiurandi contra *Simoniam* & subscriptionum, quas antiquitus ab ordinandis requisitas fuisse, supra [*e*] ostendi, denuo faciam mentionem: non committendum mihi est, vt monere obliuiscar, in ecclesia *Africana* regulam a patribus concilii *Carthaginensis* (*a*) tertii factam & inde in codicem (*b*) *Africanum* translatam esse, vt ordinandis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis decretum conciliorum auribus eorum inculcaretur, ne se deinde aliquid contra statuta concilii fecisse pœniteret. Hæc regula efflagitante & satagente *Augustino* facta est, vti POSSIDIVS in vita eius (*c*) memoriæ prodidit. Quum enim viuo adhuc *Valerio* episcopus *Hipponis* ordinatus esset, quod contra concilii *Nicæni* statuta, ipsi quidem tempore ordinationis adhuc ignota, factum erat; a patribus *Africanis* supplicando impetrauit, vt canones ecclesiæ in cuiusuis ordinatione legi oportere decernerent. Hæc regula tacitum inuoluebat promissum, quod ordinatus.

(*e*) Vid. cap. III. §. II. p. 119. & §. XIV. p. 140.

(*a*) Conc. Carth. III. c. III. (tom. II. p. 1167.)

(*b*) Cod. Afric. can. XIIX. (ibid p. 1057.) Ἤρεσεν, ὥστε χειροτονουμένους ἐπισκόπους ἢ κληρικούς, πρότερον ἀπὸ τῶν χειροτονούντων αὐτοὺς τὰ δεδογμένα ταῖς συνόδοις εἰς τὰς ἀκοὰς αὐτῶν ἐντίθεσθαι ἵνα μὴ ποιοῦντες κατὰ τῶν ὅρων συνόδου μεταμεληθῶσιν.

(*c*) Possid. vit. Aug c VIII. Quod in se ipso fieri non debuisse, vt viuo suo episcopo ordinaretur, postea & dixit & scripsit, propter concilii vniuersalis vetitum, quod iam ordinatus didicit: Nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. Vnde etiam sategit, vt conciliis constitueretur episcoporum, ab ordinatoribus deberi ordinandis, vel ordinatis, omnia statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda.

natus canones ſibi prælectos vellet obſeruare: ſed maioris ſecuritatis gratia deinceps in explicitum promiſſum commutatum eſt lege quadam *Iuſtinianea (d)*, qua vnusquisque clericus poſt regularum lectionem profiteri iubetur, ſe, quantum ab homine præſtari poſſit, completurum hæc, quæ his contineantur. Vnde ſine vllo dubio orta eſt recentior illa obedientiæ, ſeptem generalium conciliorum canonibus præſtandæ, profesſio in eccleſia *græca*; & iusiurandum *S. Petro* apoſtolo ab epiſcopis *Romanis* praeſtandum in eccleſia *latina*, quo octo vniuerſalium conciliorum decreta ſeſe obſeruaturos, promittunt. Prioris iſtius profeſſionis formulam in amplitudine ſua apud HABERTVM (*e*), poſterius autem apud BARONIVM (*f*) & in ſic dicto *libro diur-*

(*d*) Iuſtin nouell c. I. n. VIII Οὕτως αὐτὸν διακείμενον καὶ πρὸς τὴν ἐπισκοπὴν παρασκευαζόμενον προσῆκόν ἐστι τοὺς εὐαγεῖς καὶ πανταχόθεν ἐκκεκριμένους ἀναγινώσκειν κανόνας πρὸ τῆς χειροτονίας οὓς ἡ ὀρθὴ καὶ ἀμώμητος ἡμῶν ἐδέξατο πίστις, καὶ ἡ καθολικὴ τοῦ Θεοῦ καὶ ἀποστολικὴ προσήκατό τε καὶ παραδίδωσιν ἐκκλησία. - - Εἰ καταδέξοιτο, καὶ φήσειεν ὡς καθ' ὅσον ἀνθρώπῳ δυνατὸν πληρώσει τὰ τούτοις περιεχόμενα, τηνικαῦτα νουθετεῖν αὐτὸν, καὶ λέγειν ὡς, εἰ μὴ ταῦτα φυλάξει, θεοῦ τε ἀλλότριος ἔσται, καὶ ἐκπεσεῖται τῆς δοθείσης τιμῆς. Sic eum conſtitutum & ad epiſcopatum præparatum, competens eſt venerabiles & vndique probatos legere regulas ante ordinationem, quas recta & inuiolata noſtra ſuſcipit fides, & catholica Dei apoſtolicaque diſpoſuit & tradidit eccleſia. - - Si ſuſceperit & dixerit, quia quantum homini eſt poſſibile, complebit hæc, quæ his continentur, tunc monere eum & dicere, quia niſi hæc obſeruauerit, & a Deo alienus erit & cadet a iam dato honore.

(*e*) Habert. archierat. p. 496. Πρὸς τούτοις ἀποδέχομαι τὰς ἁγίας καὶ οἰκουμενικὰς ἑπτὰ συνόδους, αἵ τινες ἐπὶ φυλακῇ τῶν σεπτῶν δογμάτων συνηθροίσθησαν, καθομολογῶν τοὺς ὑπ' αὐτῶν διωρισμένους στέργειν καὶ φυλάττειν κανόνας· καὶ τὰς ἁγίας διατάξεις, ὅσαι τοῖς ἱεροῖς ἡμῶν πατράσι κατὰ διαφόρους καιροὺς καὶ χρόνους ἐτυπώθησαν, πάντας οὓς ἀποδέχονται, συναποδεχόμενος, καὶ οὓς ἀποστρέφονται συναποστρεφόμενος κ. τ. λ. Præter hæc *recipio ſanctas & vniuerſales ſeptem ſynodos*, quæ conſeruationis ſanctorum dogmatum cauſſa fuere coactæ, promittens me ſtatutos ab eis canones amplexurum & ſeruaturum: ibidemque ſanctas conſtitutiones, quæcumque ſanctis a patribus noſtris promulgatæ ſunt diuerſis occaſionibus & temporibus, omnes quas ipſi recipiunt, cum eis recipio, & quas auerſantur, cum eis auerſor.

(*f*) Baron. an. DCCCLXIX. tom. X. p. 433. (p. 421. 422 num. LXXII. edit. MDCXVIII.) Ego N. ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus, vel presbyter, aut epiſcopus cardinalis electus, vt fiam per Dei gratiam huius ſanctæ apoſtolicæ ſedis humilis miniſter, profiteor tibi beate Petre apoſtolorum princeps *cætera* - - De cæteris eccleſiæ dogmatibus ſicut in vniuerſalibus conciliis & conſtitutionibus apoſtolicorum pontificum, probatiſſimorumque eccleſiæ doctorum ſcriptis ſunt com-

no (ff) lector, qui eos consulere voluerit, videre potest.

§. II.

Nullum clericum ἀπολελυμένως licebat ordinari.

Secundo, alia regula, quam in hoc negotio oportebat obseruari, erat, vt quilibet in ordinatione sua ad certam quandam ecclesiam designaretur, nec libertas ei, vbicumque vellet, ministrandi relinqueretur, ad deuitandum diuersa incommoda, quæ ex isthac consuetudine solebant oboriri. Hæc regula ad episcopos æque atque inferiores clericos spectabat. Nam *nullatenses* recentiorum temporum, quemadmodum *titulares* & *vtopicos* episcopos appellat PANORMITANVS, in primitiua ecclesia rarius noti erant. Etsi enim quilibet episcopus certo sensu totius ecclesiæ catholicæ episcopus ordinatus erat, vti antehac *(g)* ostendimus; ordinis tamen caussa certæ cuidam regioni, quod ad ordinarium potestatis suæ exercitium attinebat, semper adstringebatur. Atque ita etiam presbyteri & reliqui inferiores clerici omnes episcopi sui diœcesi adstricti erant, neque poterant ordinari, nisi locum quemdam haberent, in quo functionem exercere suam possent. Hæc vetusta erat ecclesiæ consuetudo, quam concilium *Chalcedonense* canone quodam confirmauit, ita habente *(gg)*: *Nullum absolute ordinari* (conuenit), *nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi specialiter in ecclesia ciuitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio, is qui ordinetur, designetur. Eos autem, qui absolute ordinantur, decreuit sancta synodus, irritam ac inuali-*

mendata, id est, quæ ad rectitudinem nostræ vestræque orthodoxæ fidei a te traditionem recipiunt, conseruare, *sanctaque octo vniuersalia concilia*, id est Nicænum, Constantinopolitanum, & Ephesinum primum, Chalcedonense, quintum quoque, & sextum item Constantinopolitana, & septimum item Nicænum, octauum quoque Constantinopolitanum vsque ad vnum apicem immutilate seruare, & pari honore ac veneratione digna habere cætera.

(ff) Garneri liber diurn. Romanor. pontific. Par. MDCLXXX. 4to p. 29. vbi eadem verba leguntur.

(g) Vid lib. II. c. V. tot. vol I. pag. 111. sqq.

(gg) Conc. Chalced. c. VI. (tom. IV. p. 758) Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν ἐκκλησιαστικῷ τάγματι· εἰ μὴ ἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης, ἢ μαρτυρίῳ, ἢ μοναστηρίῳ, ὁ χειροτονούμενος ἐπικηρύττοιτο· τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν, καὶ μηδαμοῦ δύνασθαι ἐνεργεῖν ἐφ' ὕβρει τοῦ χειροτονήσαντος.

dam

dam habere eiusmodi manuum impositionem, & nusquam exercere ac operari posse alcius, qui ordinauit, iniuriam. Hanc ordinationem *latini localem*, & homines, qui ita ordinati erant, *locales* appellabant, quod ad certum aliquem locum essent designati. Ita in concilio, *Valentiæ* (*h*) in *Hispania* habito, canonem reperimus, quempiam ordinari prohibentem, *qui localem se futurum primitus non spoponderit: vt per hoc nullus a regula vel disciplina ecclesiastica deviare permittatur impune*, quod facile possent facere, si de loco in locum transire eis liceret. *Leonis* episcopi *Romani* stilo hæc est *ordinatio* (*i*) *loco fundata*, siue, vt nos iam dixerimus, *titulus*; cuiusmodi quæ non sit ordinatio, vanam nec auctoritate munitam dicit. Obseruandum autem est, quod *titulus* tum non semper denotet ecclesiam quamdam parochialem, siue distinctum beneficium curiale; hæc enim regula erat, antequam dioeceses in parœcias dispescerentur: sed coarctatio clericorum, in eorum ordinatione facta, eo spectabat, vt episcopi sui dioecesi alligati in adsignato sibi loco sacris operarentur.

§. III.

Exceptiones huius regulæ admodum raræ.

Erant quædam paucæ huius regulæ exceptiones, sed admodum raræ & non nisi extraordinariis occasionibus admissæ. PAVLINVS (*k*) diserte hoc de se ipse testatur, *Ea conditione*, inquiens, *in Barcinonensi ecclesia consecrari adductus sum, vt ipsi ecclesiæ non alligarer; in sacerdotium tantum domini, non in locum ecclesiæ dedicatus.* Et HIERONYMVS (*kk*) de ordinatione sua *Antiochiæ* eadem narrat; quod presbyter consecratus fuerit ea conditione, vt monacho porro esse, & ad monasterium suum reuerti sibi liceret. Eadem de *Barse* & *Eulogio* duobus monachis EDESSAE commemorat SOZOMENVS (*l*), quod ambo episcopi fuerint, non alicuius vrbis sed ho-

(*h*) Concil. Valent. c. VI. (tom. IV. conc. p. 1260.)

(*i*) Leo epist. XCII. ad Rustic. c. I. (tom. III. concil. p. 1405.) Vana habenda est ordinatio, quæ nec *loco fundata* est nec *auctoritate munita.*

(*k*) Paulin. ep. VI. ad Seuer. p. 101.

(*kk*) Hieron. ep. LXI. ad Pammach. tom. II. p. 181. edit. Basil. MDLXV. (p. 123 e. edit. Francof. MDLXXXIV.) *Si sic presbyterium tribuis, vt monachum non auferas:* tu videris de iudicio tuo. Sin autem sub nomine presbyteri tollis mihi, propter quod sæculum dereliqui: ego habeo, quod semper habui.

(*l*) Sozom. lib. VI. c. XXXIV. Βάρσης τὲ καὶ Εὐλόγιος, οἱ καὶ ἐπισκόπω ἄμφω ὕστερον

 noris

noris duntaxat cauſſa, tamquam ad repenſanda præclara ipſorum facinora, in ſuis monaſteriis ordinati. Iſtiusmodi ordinatio erat, quam, teſte THEODORETO (m), *Flauianus* epiſcopus *Antiochenus Macedonio*, notiſſimo anachoretæ *Syro*, tribuit, quem ille e cella, quam in deſerto incolebat, abduxit ideo tantum, vt in numerum ſacerdotum eum cooptaret, poſtmodum in deſertum eum reuerti paſſus. Hæc exempla huius generis omnia ſunt, quæ in antiquæ hiſtoriæ monimentis me inuenire memini. Nondum iſte mos obtinebat, ſecundum quem partibus infidelium ordinantur epiſcopi, qui epiſcopatus ſuos numquam videre

ἐγενέσθην, οὐ πόλεως τινὸς, ἀλλὰ τιμῆς ἕνεκεν, ἀνταμοιβῆς ὥσπερ τῶν αὐτοῖς πεπολιτευμένων, χειροτονηθέντες ἐν τοῖς ἰδίοις μοναστηρίοις.

(m) Theod. hiſt. relig. c. XIII. (tom. III. p. 835. d. ed. Par. MDCXLII) Ἐπειδὰν ὁ μέγας Φλαβιανὸς τὴν μεγάλην τοῦ Θεοῦ ποίμνην ποιμαίνειν ἐτάχθη, τὴν δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἔμαθεν ἀρετὴν, ᾔδετο γὰρ, καὶ ἐν τοῖς ἁπάντων ἐφέρετο στόμασιν· ἄγει μὲν αὐτὸν ἐκ τῆς τοῦ ὄρους κορυφῆς ὡς γραφῆς κατ' αὐτοῦ γενομένης. τῆς δὲ μυστικῆς ἱερουργίας προκειμένης, προσάγει τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ τοῖς ἱερεῦσι ἐγκαταλέγει· ὡς δὲ τέλος ἔλαβεν ἡ λειτουργία, καί τις αὐτὸ τοῦτο μεμήνυκε, πάμπαν γὰρ ἠγνόει τὸ γεγονὸς, τὰ μὲν πρῶτα ἐλοιδορεῖτο, καὶ λόγους ἔβαλλεν ἅπαντας: ὕστερον δὲ τὴν βακτηρίαν λαβὼν, εἰώθει γὰρ σκηριπτόμενος διὰ τὸ γῆρας βαδίζειν, ἐδίωκεν αὐτόν τε τὸν ἀρχιερέα, καὶ τοὺς ἄλλους, ὅσοι παρῆσαν· ὑπελάμβανε γὰρ τὴν χειροτονίαν τῆς τοῦ ὄρους αὐτὸν κορυφῆς, καὶ τῆς ποθουμένης διαίτης ἀποστερήσειν. ἀλλὰ τότε μὲν αὐτὸν μόλις τινὲς τῶν συνήθων ἀγανακτοῦντα κατέπαυσαν ἐπειδὰν δὲ ὁ τῆς ἑβδομάδος συνεπεράνθη κύκλος, καὶ ἧκε πάλιν τῆς δεσποτικῆς ἑορτῆς ἡ ἡμέρα, αὖθις αὐτὸν ὁ μέγας Φλαβιανὸς μετεπέμψατο, τῆς πανηγύρεως κοινωνῆσαι σφίσι παρακαλῶν. ὁ δὲ πρὸς τοὺς ἀφικομένους, οὐκ ἀπόχρη ὑμῖν, ἔφη, τὰ ἤδη γεγενημένα, ἀλλὰ πάλιν με βούλεσθε προβάλλεσθαι πρεσβύτερον; τῶν δὲ λεγόντων, ὡς οὐ δυνατὸν εἴη δὶς τὴν αὐτὴν ἐπιτεθεῖναι χειροτονίαν, οὐκ εἶξεν, οὐδὲ ἀφίκετο, ἕως αὐτὸν ὁ χρόνος καὶ οἱ συνήθεις τοῦτο πολλάκις ἐδίδαξαν. Poſtquam magnus Flauianus magno Dei gregi paſtor eſt ordinatus, & viri (*Macedonii*) virtutem cognouit, prædicabatur enim & per omnium ora ferebatur, de montis illum vertice per ſpeciem obiectæ accuſationis abduxit, & ſub myſticum ſacrificium altari admouit, coaptauitque in numerum ſacerdotum. Cumque peracta liturgia hoc illi quidam indicaſſet, ignorabat enim prorſus, quid egiſſent, primum quidem conuiciis verbisque aſperis proſcidit vniuerſos: deinde arrepto baculo, quo innixus propter ſenium incedebat, pontificem ipſum, & alios qui aderant, inſequutus eſt, ordinationem hanc ratus montis verticem ſibi optatamque habitationem erepturam. Sed tum quidem ſic indignantem ægre tandem amici quidam ſedauerunt. Expleto autem hebdomadis circulo, cum rediiſſet dies dominicus, iterum euocat illum magnus Flauianus, rogatque vt celebritati cum ipſis interſit. Tum ille ad eos qui venerant, An vobis, ait, non ſufficiunt, quæ iam acta ſunt, ſed iterum me presbyterum creare vultis? Et reſpondentibus illis, fieri non poſſe, vt his eadem fiat manuum impoſitio, non acquieuit, nec profectus eſt, donec illum tempus & familiares hoc ſæpius edocuerunt.

animum

animum inducunt. Quamquam posterioribus temporibus hæc regula neglecta est, vti ZONARAS *(n)* de ecclesia *græca* queritur, & HABERTVS *(o)* non potest, quin id æque lugeat in *latina*; prisca tamen ecclesia in legibus obseruandis accuratior fuit, vix vllum vmquam vel episcopum vel inferiorem aliquem clericum ordinans, quin eos certæ cuidam diœcesi addiceret, ex qua sine consensu superiorum in aliam transferri non poterant.

§. IV.

Nulli episcopo alienum clericum, nisi consentiente eius episcopo, licebat consecrare.

Tertio: Alia hinc circa ordinationes enata est regula, vt nulli episcopo ordinare vel admittere in ecclesiam suam clericum quempiam liceret, qui ad aliam spectaret ecclesiam, sine istius episcopi consensu, cui antea addictus fuerat. Concilia [*p*] seueram hac de re in decretis suis sententiam pronuntiant; in-

---

(*n*) Zonar. not. in conc. Chalced. c. VI. *ὥσπερ νῦν ἕκαστον τῶν ἀρχιερέων τῆσδε τῆς πόλεως ἐπίσκοπον ὁ χειροτονῶν αὐτὸν προβληθῆναι λέγει, οὕτως τὸ παλαιὸν πᾶς χειροτονούμενος τῆς δε τῆς ἐκκλησίας ἱερεὺς, ἢ διάκονος, ἢ κληρικὸς ἁπλῶς ὠνομάζετο, εἰ καὶ νῦν τοῦτο πάντη καταπεφρόνηται.* Vt nunc dierum quemlibet antistitum certæ cuiusdam ciuitatis episcopum, qui eum ordinat, promoueri dicit, sic quicumque olim ordinibus insignitus esset, certæ cuiusdam ecclesiæ sacerdos, diaconus, clericusue (*quamuis hæc postea tota ratio sit neglecta*) simpliciter nuncupabatur.

(*o*) Habert. archierat. ad can. VI. Chalced. p. 351. Hanc ecclesiæ legem ac disciplinam antiquam esse, recte in eum canonem Zonaras animaduertit, εἰ καὶ νῦν τοῦτο πάντη καταπεφρόνηται, *quamuis*, inquit, *ea nunc plane in contemtum abierit*, quod nobis peræque lugendum est.

(*p*) Conc. Carth. III. c XXI. (tom. II. p. 1170.) Vt clericum alienum, *nisi concedente eius episcopo*, nemo audeat vel retinere vel promouere in ecclesia sibi credita.

Conc. Chalced. c XX. (tom. IV. p 766.) Κληρικοὺς εἰς ἐκκλησίαν τελοῦντας, καθὼς ἤδη ὡρίσαμεν, μὴ ἐξεῖναι εἰς ἄλλης πόλεως τάττεσθαι ἐκκλησίαν κ. τ. λ. Clericos in ecclesiis ministerio fungentes, quemadmodum iam statuimus, *non licere in alius ciuitatis ecclesia ordinari.*

Conc. Arausian I. c. VIII. (tom. III. p 1449.) Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putauerit, prius definiat, vt cum ipso habitet. Sic quoque *non sine consultatione eius episcopi, cum quo ante habitauit*, eum, qui fortasse non sine caussa diu ab alio ordinatus non est, ordinare præsumat.

primis magnum illud concilium *Nicænum* [q], *Sardicense* (r) & *Arelatense* secundum [s] vniuersas eiusmodi ordinationes vanas & irritas declarant. Concilium *Carthaginense* [t] primum ad ipsos etiam laicos, ad aliam ecclesiam spectantes, istam prohibitionem extendit. Sic enim statuit: *Non debere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum vsurpare sibi de plebe aliena, vt eum ordinet sine conscientia eius episcopi, de cuius plebe est.* Quarum legum hæc erat ratio, quod quilibet episcopus peculiare aliquod & proprium ius in vniuersum diœceseos suæ clerum ac populum habere credebatur; atque ad pacem & bonum ordinem in ecclesia custodiendum apprime faciebat, tales regulas tueri atque obseruare. Tantum in ecclesia *Africana* episcopus *Carthaginensis* hac in re quodam gaudebat priuilegio, quia exarchus & primas omnium prouinciarum *Africanarum* erat. Ex antiqua enim consuetudine, canone quodam concilii *Carthaginensis* tertii [u], qui codici *Africano* [vv] etiam

(q) Conc. Nic. c. XVI. (tom. II. p. 36.) Εἰ τολμήσειέ τις ὑφαρπάσαι τὸν ἐν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα, καὶ χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ, μὴ συγκατατιθεμένου τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, οὗ ἀνεχώρησεν ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος, ἄκυρος ἔστω ἡ χειροτονία. Si ausus fuerit quispiam eum, qui ad alium pertinet surripere, & in ecclesia, *non consentiente proprio episcopo*, a quo recessit, qui in canone censetur, *irrita sit ordinatio.*

(r) Conc. Sardic. c. XV (tom. II. p 640) Εἴ τις ἐπίσκοπος ἐξ ἑτέρας παροικίας βουληθῇ ἀλλότριον ὑπηρέτην, χωρὶς τῆς συγκαταθέσεως τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, εἰς τινα βαθμὸν καταστῆσαι, ἄκυρος καὶ ἀβέβαιος ἡ κατάστασις ἡ τοιαύτη νομίζοιτο. Si quis episcopus ex alia parochia velit alienum ministrum *sine consensu proprii episcopi* in aliquo gradu constituere, *irrita & infirma eiusmodi constitutio* existimetur.

(s) Concil. Arelat. II. c. XIII. (tom. IV. p. 1012.) Quod si, aliquo commorationis tempore, *inuito episcopo suo*, in aliena ecclesia habitans, ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, *huiusmodi ordinatio irrita* habeatur.

(t) Conc. Carth. I. c. V. (tom. II. p. 1824.)

(u) Conc. Carth. III. c. XLV. (ibid. p. 1176.) Fuit semper hæc licentia huic sedi, vnde vellet, & de cuius nomine fuisset conuentum, pro desiderio cuiusque ecclesiæ ordinare episcopum.

(vv) Cod. can. Afric. c. LV. (ibid. p. 1078.) Περὶ τοῦ ἐξεῖναι τῷ ἐπισκόπῳ Καρχηδόνος, ὅθεν θέλει, κληρικὸν χειροτονεῖν. Vt Carthaginensi episcopo, vnde voluerit, clericum liceat ordinare. Ibid. p. 1079. b. Ἀεὶ ὑπῆρξεν ἡ αὐθεντία αὕτη τῷ θρόνῳ τούτῳ, ἵνα ὅθεν ἤλθε, (ἤθελε) καὶ περὶ οἱουδήποτε προσγράφῃ ὀνόματος κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν ἑκάστης ἐκκλησίας ἐχειροτονήθη ἐπίσκοπον. Fuit semper hæc licentia &c, vid. not. (u).

insertus

insertus est, confirmata episcopo *Carthaginensi* ex alia ecclesia clericum aliquem adsumere, eumque in ecclesiæ cuiusdam, iurisdictioni suæ subiacentis, ministerium ordinare licitum erat. Enimuero exceptio in speciali ipsius casu regulam in reliquis omnibus confirmat.

§. V.

Nulli episcopo permissum erat, vt in aliena diœcesi aliquem ordinaret.

Quarto: Alia regula ad seruandum bonum ordinem hac in re erat, vt quilibet episcopus in sua ipsius ecclesia se contineret, nec sibi potestatem in aliena diœcesi quempiam ordinandi arrogaret. Ita concilium *Antiochenum* [x] & sic dicti *canones apostolici* [y] præcipiunt, *ne quis episcopus audeat extra suos fines facere ordinationes in vrbibus & pagis ei non subiectis.* AVGVSTINVS huic regulæ insistere necesse habebat, quum ciues *Hipponenses Pinianum* etiam inuitum ab ipso ordinari vellent presbyterum, minitantes, si id facere detrectaret, sese alium postulaturos episcopum, a quo ordinaretur. AVGVSTINVS illis indicabat [z], ab alio episcopo in ecclesia sibi tradita, nisi se interrogato ac permittente, eum ordinari haud posse; & quum promissione de illo inuito non ordinando detineretur, se a promissi fide non posse deflectere, nec permittere, vt ab alio episcopo ordinaretur. *Epiphanius*, teste SOCRATE [a], diaconum in diœcesi *Chry-*

(x) Conc. Antioch. c. XXII. (tom. II. p. 572.) Ἐπίσκοπον μὴ ἐπιβαίνειν ἀλλοτρίᾳ πόλει τῇ μὴ ὑποκειμένῃ αὐτῷ, μηδὲ χώρᾳ τῇ αὐτῷ μὴ διαφερούσῃ ἐπὶ χειροτονίᾳ τινὸς, μηδὲ καθιστᾶν πρεσβυτέρους, ἢ διακόνους, εἰς τόπους ἑτέρῳ ἐπισκόπῳ ὑποκειμένους, εἰ μὴ ἄρα μετὰ γνώμης τοῦ οἰκείου τῆς χώρας ἐπισκόπου. εἰ δὲ τολμήσειεν τις τοιοῦτο, ἄκυρον εἶναι τὴν χειροτονίαν, καὶ αὐτὸν ἐπιτιμίας ὑπὸ τῆς συνόδου τυγχάνειν. Episcopus in alienam ciuitatem, quæ ei subiecta non est, non adscendat, nec in regionem quæ ad eum non pertinet, ad alicuius ordinationem, *nec presbyterum vel diaconum constituat in locis alii episcopo subiectis*, nisi cum voluntate proprii illius regionis episcopi. Si quis autem tale quid ausus fuerit, infirma sit ordinatio & ipse a synodo puniatur.

(y) Can. apost. c. XXXV. ἐπίσκοπον μὴ τολμᾶν ἔξω τῶν ἑαυτοῦ ὅρων χειροτονίας ποιεῖσθαι εἰς τὰς μὴ ὑποκειμένας αὐτῷ πόλεις καὶ χώρας.

(z) Aug. epist. CCXXV. ad Albinam. Dicebam ego, quibus poteram, qui ad nos in absidem honoratiores & grauiores adscenderant, nec a promissi fide me posse dimoueri, *nec ab alio episcopo in ecclesia mihi tradita, nisi me interrogato ac permittente, posse ordinari.*

(a) Socrat. lib. VI. c. XII. Προσορμήσας τῷ ἐπὶ Ἰωάννην μαρτυρίῳ. ἀπῄει δὲ τοῦτο ἑπτὰ

ſoſtomi Conſtantinopolitana ordinare auſus fuerat: *Chryſoſtomus* vero ei dicebat, quod contra regulas egiſſet, dum in eccleſiis iurisdictioni ſuæ non ſubiectis ordinationem feciſſet. Quod ipſum oſtendit, fuiſſe hanc vniuerſalem legem, quæ tam in orientalibus, quam occidentalibus eccleſiis inualuerit. Et ſecundum eamdem regulam omnes metropolitani cum epiſcopis ſuis prouincialibus ſuæ ipſorum prouinciæ adligati erant, nec vllum epiſcopum in alia prouincia poterant ordinare, niſi ab iſtius prouinciæ epiſcopis, vt ſibi ſubſidio venirent, inuitati. Quæ regula in concilio generali *Conſtantinopolitano* [*b*] ſtatuta & in concilio *Epheſino* [*c*] confirmata fuit, occaſione controuerſiæ inter eccleſias *Cypricas* & patriarcham *Antiochenum* ortæ, vtpote qui poteſtatem ordinandi in his eccleſiis ſibi ſtudebat adſerere, quod autem illius ſtudium reiiciebatur, propterea quod extra eius diœceſin ſub alius iurisdictione eſſent conſtitutæ. Sed vero obſeruandum eſt, has regulas de ordinariis caſibus, pacis & concordiæ inter eccleſiæ antiſtites conſeruandæ gratia, factas eſſe, vnoquoque interim in ſuo ipſius circuitu res ſuas agente & fines ac limites, quibus eum leges circumſcripſerant, tuente. Alias enim, vti antehac oſtendimus [*cc*], quilibet epiſcopus vniuerſæ catholicæ eccleſiæ erat epiſcopus, & hoc intuitu ordinandi, alioſue officii epiſcopalis actus in quacumque mundi parte, neceſſitate atque extraordinaria occaſione ita

σημεῖα τῆς πόλεως, καὶ ἐξελθὼν τῆς νεὼς, σύναξίν τε ἐπιτελέσας καὶ διάκονον χειροτονήσας αὖθις εἰς τὴν πόλιν εἰσέρχεται. Qui (Epiphanius) cum ad baſilicam S. Ioannis appuliſſet, quæ ſeptem paſſuum millibus ab vrbe diſtat, mane egreſſus, collectam ibi celebrauit: & *ordinato diacono* ciuitatem ingreſſus eſt. c. XIV. Παρὰ κανόνας πράττεις πολλὰ, ὦ Ἐπιφάνιε, πρῶτον μὲν χειροτονίαν ἐν ταῖς ὑπ' ἐμὲ ἐκκλησίαις ποιησάμενος κ. τ. λ. Multa contra regulas agis, o Epiphani, cui primum quidem *in eccleſiis ſub diſpoſitione mea conſtitutis ordinationem feceris* &c.

(*b*) Conc. Conſtant. c II. (tom. II, p 947.) Ἀκλήτους ἐπισκόπους ὑπὲρ διοίκησιν μὴ ἐπιβαίνειν ἐπὶ χειροτονίαις, ἢ τισιν ἄλλαις οἰκονομίαις ἐκκλησιαστικαῖς. *Non vocati epiſcopi vltra dioeceſim ne tranſeant ad ordinationem* vel aliquam aliam adminiſtrationem eccleſiaſticam.

(*c*) Concil. Epheſ. act. VII decret. de epiſc. Cypr. (tom. III, p. 801) Vid. lib. II. c. XVII. §. IX not. (g vol I. p. 244.

(*cc*) Lib. II. c. V. vol. I. p. 111. ſeqq.

fe-

ferente, peragendi habebat auctoritatem. Quemadmodum *Athanasius* & *Eusebius Samosatensis Arianæ* hæresis longe lateque dominantis tempore fecerunt, ordinantes episcopos & presbyteros in quacumque prouincia vel dioecesi, (licet cum littera huius legis id pugnaret,) eum quidem in finem, vt fides catholica & orthodoxorum hominum successio conseruaretur. Vt adeo hæc regula tantummodo fuerit pro communibus & ordinariis casibus. Et in *Cypro*, EPIPHANIO testante [*d*], hæc regula plane non fuit obseruata, sed quiuis episcopus in quacunque alia dioecesi ordinabat, prout necessitas hoc requireret, & id quidem caritatis vinculis minime ruptis. Nam generalem quamdam veniam sibi inuicem indulserant, vt, quemadmodum ecclesiæ istius provinciæ omnium maxime expediret, eiusmodi libertate inter se se mutuo vterentur; etsi priuilegia sua aduersus omnium peregrinarum sedium & speciatim *Antiochenæ* inuasiones strenue tuebantur.

§. VI.

Quatuor solemnium temporum ordinationis origo.

Proxime nunc in hoc negotio considerandum est tempus & locus ordinationis. De tempore varie potest institui quæstio I. An ecclesia antiquitus certa & statuta ordinationis tempora habuerit, vti nunc quatuor tempora per annum habet? II. An dies dominicus semper fuerit ordinationi constitutus? III. An ordinationes semper ad matutinam liturgiam fuerint adligatæ? Ad *primam quæstionem* quod attinet, non liquet, ecclesiam ante sæculum quartum certa anni tempora ordinationi statuisse. HABERTO enim recte obseruante [*e*], vsitatius tum erat, singulos ordinare, prout cuiusque ecclesiæ necessitas postulabat. LEO [*f*] quidem papa *ieiunia quatuor temporum*, quæ apud nos in *Britannia* nunc vulgo dicuntur *Ember-weeks*, ab apostolica deriuat traditione. At vero, vti PAGIVS [*g*] & QVESNEL-

(*d*) Epiph. ep. ad Ioan Hierosolym. tom. II. p. 313. Multi episcopi communionis nostræ presbyteros in nostra ordinauerunt prouincia. cætera.

(*e*) Habert. archier. t. part. VIII. obseruat. IV. p 130. Tunc *singuli, & quidem rari*, non vero tam multi ac hodie, *ordinabantur*.

(*f*) Leo serm. II. de ieiun. Pentecost. p 77. Item serm. IX. de ieiun. 7. mensis, siue de ieiunio quatuor temporum p. 88. it. serm. VII.

(*g*) Pagi critic. in Baron. ann. LXVII. n. XV. Per canones, inquit Quesnellus, nil ali-

LVS [*h*] in animaduerſionibus in hunc auctorem obſeruant, nihil ei familiarius eſt, quam legem apoſtolicam appellare, quæ ipſe vel in ſua ipſius eccleſia vſitata, vel in *Damaſi* & *Siricii*, anteceſſorum ſuorum decretis ſancita inuenit. Vt adeo, quum omnes ante LEONEM auctores hac de re ſileant, illius auctoritate valde niti haud poſſimus. Accedit, quod ne ſemel quidem indicet, ieiunia iſta ſtatutorum & ſolemnium ordinationis temporum intuitu, ſed ex alia quadam generaliore ratione, fuiſſe indicta. Adeoque certum non eſt, eccleſiam tunc, quum LEO ſcriberet, ann. CCCCL. vlla fixa ordinationis tempora habuiſſe. Et in ſæculis antegreſſis non habuiſſe magis liquet. De epiſcopis enim certum eſt, eccleſiam eorum ordinationi certum tempus non præſtituiſſe; ſed ſimul ac epiſcopus aliquis mortuus eſſet, alius in eius locum omni adhibita feſtinatione eligebatur atque ordinabatur; & in quibusdam locis ſecundo vel tertio die ab eius obitu hoc fiebat, quemadmodum iam antea [*hh*] oſtendimus. De presbyteris & diaconis aliisque hiſce inferioribus itidem manifeſtum eſt, quod in tribus prioribus ſæculis quouis tempore ordinati fuerint, prout res eccleſiæ id exegit. *Cyprianus Aurelium* lectorem ipſis calendis *decembribus* ordinauit, quemadmodum PEARSONIVS [*i*] ſecundum criticas ſupputandi regulas iudicat, & *Optatum* hypodiaconum menſe *auguſto* [*k*]; quo-

ad Leo intelligit, quam regulam eccleſiaſticam ſolo vſu & traditione eccleſiaſtica firmatam, quomodo ſæpius vſurpare videtur. - - - Familiare eſt Leoni, vt cum de apoſtolica traditione ſermonem habet, de ea loquatur, quam ab apoſtolo Petro eccleſiæ Romanæ relictam putabat. Ea vero ex b. Petri traditione deſcendere exiſtimauit, quæ & olim obſeruata & decretis ſancita inueniebat eorum eccleſiæ ſuæ pontificum, quorum monumenta ſupererant illa ætate.

(*h*) Queſnell. ap. Pagium vid not. antec.

(*hh*) Lib. II. c. XI. §. II. volum. I. p 157. 158.

(*i*) Pearſon. annal. Cyprian. ann. CCL. n. XX. p. 25. (p. 20. edit. Amſtelod. MDCC.) Menſe decembri ineunte, Cyprianus cum collegis ſuis, inconſulto clero ſuo, Aurelium confeſſorem ordinauit lectorem, & quidem vt opinor, ipſis calendis decembribus. cætera.

(*k*) Pearſon. ibid. n XV. *Scripſit epiſtolam XXVII. menſe Auguſto* ineunte ad clerum Romanum. Scripſit etiam eodem tempore ad Moyſem & Maximum reliquoſque confeſſores Romæ in carcere conſtitutos epiſtolam XXVIII. - - Vt autem hæ litteræ ſolemniter, iuxta morem eccleſiæ, mitterentur; Cyprianus *fecit lectorem Saturum & hypodiaconum Optatum* confeſſorem, eaſque per eosdem miſit, cuius rei ſtatim clerum ſuum certiorem fecit epiſtola XXIX.

rum

rum neutrum solemne ordinationis tempus fuit. *Paulinus*, qui sæculo quarto vixit, die nati seruatoris memoriæ sacro ordinatus est, vti ipse [l] nos facit certiores. Neque tamen is vnus ex quatuor diebus fuit, quos deinceps stata ordinationis tempora fecerunt. *Pontificale Romanum* sub nomine DAMASI in plerorumque episcoporum vitis memorat, quas in prouincia *Romana* episcoporum, presbyterorum & diaconorum ordinationes per totam quisque vitam suam fecerint; & ordinationes semper mense *decembri* factæ dicuntur. Quod ipsum, si liber iste magnæ cuiusdam auctoritatis esset, probaret, vnum fixum ordinationis tempus *Romæ* fuisse; non quatuor. Sed huius libri fides, fateor, nulla ratione primorum sæculorum historiæ innititur, quia multo recentioris æui est, quam quidem inscriptio præ se fert. Et auctor fortassis de rebus vetustis loquitur ex sui ipsius temporis consuetudine, vbi vnum ex his quatuor temporibus in vsum exiit: quod ante tempus *Simplicii* an. CCCCLXVII. factum videtur. *Liber* enim *pontificalis* in vita eius [m] *decembri* addit *februarium*; quemadmodum hoc etiam in vita *Gelasii* facit. Et in decreto quodam *Gelasii* [n] quinque tempora ordinationi præstituuntur. Dicitur enim ibi: *Ordinationes presbyterorum & diaconorum nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis ieiunio, septimi, & decimi, sed & etiam quadragesimalis initii ac mediana quadragesimæ die, sabbathi ieiunio circa vesperam nouerint celebrandas.* AMALARIVS FORTVNATVS [o] mutationis tempore *Simplicii* factæ meminit, cum *primi apostolici*, inquit, *semper in decembrio mense, in quo natiuitas domini nostri Iesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant vsque ad Simplicium, qui fuit a Petro quadragesimus nonus. Ipse primus sacrauit in Februario.* Quod ille sine dubio ex ante memoratis locis *libri pontificalis* adsumsit, quippe qui interdum de vno, interdum vero de duobus solemnibus tempo-

(l) Paulin. ep. VI. ad Seuer. p. 101. *Die Domini, quod nasci carne dignatus est,* repentina vi multitudinis - - *presbyteratu initiatus sum.*

(m) Pontifical. vit. Gelas. (tom. IV. conc. p. 1055.) Hic *fecit ordinationes* duas in vrbe Roma per *menses februarium & decembrem*, presbyteros triginta duos, diaconos duos, episcopos per diuersa loca numero sexaginta septem.

(n) Gelas. ep. IX. ad episc. Lucaniæ c. XI. al. XIII. (ibid. p. 1191.)

(o) Amalar. de offic. eccles. lib. II. c. I. (Bibl. SS. patr. tom. VI. p. 927. edit. Paris. MDLXXXIX.)

ribus ordinationis, numquam vero de quatuor, loquitur. Quod argumento est, quatuor ista nondum fuisse constituta, quum liber ille conficeretur, qui cum interpolatione, quam nunc habet, non nisi post *Iustiniani* tempora exstitit, vti virorum doctorum concordans est opinio. Atque adeo ampliori aliorum disquisitioni id relinquimus, an vlla eiusmodi statuta ordinationis tempora, cuiusmodi hi auctores memorant, quatuor vel quinque, prioribus sæculis in ecclesia *Romana* fuerint. In aliis ecclesiis de nullo relatum legimus, sed exempla producta contrarium potius demonstrant. Studiosus huius rei lector plura istiusmodi exempla alia in promtu facile habebit, ex quibus colligi poterit, tempora ordinationis prioribus quatuor sæculis non fuisse certa & stata, siquidem nullus antiquus scriptor intra hoc intervallum vllam eorum mentionem iniicit. Quocirca necesse haud est, vt cum BARONIO [p] & BELLARMINO [q] *ieiunia quatuor temporum* apostolicæ traditioni adscribamus, sed sufficit, de iis loqui tamquam vsitato ecclesiæ more, qui ecclesiastica institutione, aliquot sæculis post facta, fundetur.

§. VII.

Ordinationes quolibet hebdomadis die indiscriminatim factæ per tria priora sæcula.

Idem ad *secundam quæstionem* responderi oportet, an dies dominicus semper fuerit dies ordinationis? Manifestum est, quod per tria priora sæcula haud fuerit. PAGIVS [r] enim ante *Con-*

(*p*) Baron. ann. LVII. n. CCIX. Ipsa *quatuor anni temporum ieiunia*, quæ in ecclesia seruari solent, *ex apostolica institutione* sumsisse principium, sanctus Leo absque vlla dubitatione confirmat. cætera.

(*q*) Bellarm. de verbo Dei non scripto lib. IV. c. III. p. 206 (p. 67. H. edit. Colon. MDCXV. (Sextum mendacium est: *Calixtus ieiunia quatuor temporum instituit, ergo falsum est, quod sint ex apostolica traditione.* Mendacium est, quod Calixtus omnia instituerit quatuor temporum ieiunia. Ipse enim in epist. 1. dicit, se tantum addidisse vnum ieiunium ad tria, quæ antea erant. Quocirca quod sanctus Leo sermon. II. de ieiunio Pentecostes, & serm. VIII. de ieiunio septimi mensis dicit, illa ieiunia esse ex apostolica traditione, non pugnat cum decreto Calixti.

(*r*) Pagi critic. in Baron. ann. LXVII. n. XIV. edit. Paris. MDCLXXXIX. (n. XVIII. edit Antuerp MDCCV.) Ante constitutam a Constantino magno ecclesiæ pacem, pontificum Romanorum ordinationes quocumque die indiscriminatim peractæ. Hanc regulam tertiæ ecclesiæ sæculo tot exemplis comprobabimus, vt ea in dubium reuocari minime possit. In martyrologio Hieronymiano ad diem

stantini

ſtantini magni tempora ipſorum pontificum *Romanorum* ordinationes quocumque hebdomadis die indiſcriminatim peractas, & ſæculo demum quarto diem dominicum aliosque dies feſtos ſolemniores ordinationibus præſtitutos eſſe, firmiſſimis argumentis & rationibus, ex certiſſimis chronologiæ regulis petitis, exemplisque contra PAPEBROCIVM comprobauit. Vt ita, quum LEO papa [s] ordinationes, alio quam dominico die factas, canonibus & patrum traditioni contrarias dicit, de ſui temporis conſuetudinibus loqui, vt antea, intelligendus ſit; ſi modo id moris tum fuit, cum LEO vixit. Datur enim ratio dubitandi de auctoritate epiſtolarum vel LEONIS, vel GELASII, qui non longe poſt vixit. GELASIVS [t] enim, ordinationes presbyterorum ac diaconorum ſabbathi ieiunio circa veſperam celebrandas eſſe dicit. Vt adeo vel alterutram harum epiſtolarum ſpuriam eſſe, vel conſuetudinem in vno eodemque ſæculo in eccleſia *Romana* variaſſe, neceſſe ſit.

§. VIII.

Cærimonia iſta tempore oblationis in ſacris matutinis peragi ſolita.

GELASIVS, fateor, in hac decreti ſui parte ſingularis eſt, ordinationes circa veſperam fieri iubens. Etſi enim veteres non ſemper certo cuidam diei anni vel certo cuidam diei hebdomadis præciſe inhærebant; accuratius tamen tempus diei obſeruabant, vt ordinationes durante cultu Dei matutino peragerent. Hæc antiquiſſima eccleſiæ regula fuit, vti ex iis, quæ *Nouatiano* obiectata fuere, condiſcere poſſumus, quod videlicet inter alia minus legitime facta ὥρᾳ δεκάτῃ, *hora decima*, ſiue *quarta pomeri-*

XXVIII. Decembris legitur: *Romæ Felicis & Bonifacii epiſcopi de ordinatione;* quæ vltima verba a librario corrupta & poſita loco iſtorum: *Epiſc. dies ordinationis*, id eſt, *epiſcoporum*. Nam in martyrologiis aliquando legitur: *Ordinatio N. epiſcopi* vel *epiſcopatus N.* vel *natale epiſcopatus N.* vel *natale cathedræ;* id eſt, S. Petri Anthiochiæ. Quare S. Felix huius nominis primus anno centeſimo ſexageſimo nono die viceſima octaua menſis decembris, quæ in feriam tertiam incidebat, ordinatus eſt. Mitto lia exempla ſuis locis adducenda. Poſt itaqua tria priora eccleſiæ ſæcula in morem inductum, vt ordinationes tam Romanorum pontificum, quam cæterorum epiſcoporum, diebus dominicis vel feſtis ſolemnioribus peragerentur.

(s) Leo ep. LXXXI. ad Dioſcorum c. I. tot. (tom. III. conc. p. 1374. 1375.)

(t) Gelaſ. ep. IX. ad epiſcop. Lucan. c. XI. vid. not. antec. (n) in textu, pag. 179.

diana, eaque minus canonica, ordinatus fuerit, quemadmodum CORNELIVS [u] in epiſtola ſua ad *Fabianum* huius rei eum incuſat. Concilium *Laodicenum* in definiendo tempore multo adhuc accuratius eſt, cum dicit, non oportere ordinationes ſub conſpectu audientium & catechumenorum [w], ſed tempore oblationis, celebrari. Cuius rei ratio fuit, vt ordinatus eo tempore, quo ipſius ordinatio fieret, vel conſecrare vel certe participare ſacram euchariſtiam poſſet. Hinc THEODORETVS de *Macedonii* anachoretæ loquens ordinatione, eam [x] τῆς μυστικῆς ἱερουργίας προκειμένης, myſtici ſacrificii, hoc eſt, ſacræ ſynaxeos tempore factam, dicit. Atque ita EPIPHANIVS *Paulinianí*, fratris *Hieronymi*, ordinationem repræſentat [y], quem presbyterum ordinauit, quum in ſanctis ſacrificiis ad altare miniſtraret. Sed hoc de tribus ſuperioribus epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum ordinibus præcipue, ſi non ſolum, intelligendum eſt: de reliquis enim perinde erat, quo tempore ordinarentur, dummodo id in eccleſia, durante quadam diuini cultus parte, fieret.

§. IX.

Eccleſia vnicus legitimus ordinationis locus.

Enimuero extra eccleſiam nulla ordinatio legitime fieri poterat. Quamquam hoc diſcrimen ſuperiores inter & inferiores ordines intercedebat, vti iſti intra ſanctuarium ſeu partem altaris, hi autem extra eam conferrentur; in hoc tamen

(u) Ap. Euſeb. lib. VI. c. XLIII. p. 193. Οὓς παραγενομένους ἅτε δὴ ἀνθρώπους ἀπλουστέρους περὶ τὰς τῶν πονηρῶν μηχανάς τε καὶ ῥᾳδιουργίαν, συγκλεισθέντας ὑπό τινων ὁμοίων αὐτῷ τεταγμένων ἀνθρώπων, ὥρᾳ δεκάτῃ μεθύοντας καὶ κραιπαλῶντας, μετὰ βίας ἠνάγκασεν εἰκονικῇ τινι καὶ ματαίᾳ χειρεπιθεσίᾳ ἐπισκοπὴν αὐτῷ δοῦναι. Qui quum aduenissent homines ſimplicioris ingenii, nec in his verſutorum hominum artibus ac fallaciis ſatis triti, eos ille a quibusdam ſui ſimillimis, quos ad id comparauerat, incluſos *hora decima* temulentos & crapula oppreſſos, adumbrata quadam & inani manuum impoſitione epiſcopatum ſibi tradere per vim coëgit.

(w) Conc. Laodic. c. V. (tom. I. p. 1497.) Περὶ τοῦ μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γίνεσθαι.

(x) Theodoret. histor. relig. c. XIII. vid. ſupra §. III. not. (m) pag. 172.

(y) Epiphan. ep. ad Ioan. Hieroſol. (tom. II. p. 313.) *Cum miniſtraret in ſanctis ſacrificiis*, rurſus cum ingenti difficultate tento ore eius *ordinauimus presbyterum* & iisdem verbis, quibus antea ſuaſeramus, impulimus, vt ſederet in ordine presbyterii.

vtrique

vtrique conueniebant, vt ecclesia esset locus proprius creandi omnes istos ordines, qui in ecclesiastico quopiam officio versarentur. Quocirca GREGORIVS NAZIANZENVS [z] merito exprobrat *Maximo Cynico*, qui in sedem *Constantinopolitanam* ipse se intruserat, quod exclusus ecclesia in ædibus cuiusdam aulœdi ordinatus fuerit. Quod *Vrsino* etiam, in sedis *Romanæ* petitione cum *Damaso* concurrenti, obiectabatur, quod non in ecclesia [a] sed in obscuro quodam loco basilicæ, cui nomen *Sicinæ*, ordinatus esset.

§. X.

Ordinatio flexis coram altari genibus recepta.

Quod ad ritus in ipso ordinationis actu visitatos attinet, præter id, quod antea nobis notatum fuit, vbi de quolibet ordine speciatim loquuti sumus, æquum fuerit, generatim de illis nonnulla obseruare. Primum quidem, quod episcoporum, presbyterorum ac diaconorum ordinationes flexo ante altare vtroque poplite recipi consueuerint. Ita auctor qui sub nomine DIONYSII [b] delitescit, rem repræsentat in libro de *hierarchia ecclesiastica*. Et THEODORETVS [c] eiusdem rei tamquam con-

(z) Nazianz. Carm. de vit. (tom. II. p. 15.)

Εἰς γὰρ χοραύλου λυπρὸν οἰκητήριον
Ἀχθέντες οἱ σεμνοί τε καὶ θεῷ φίλοι,
Λαοῦ τ' ἔχοντες τῶν ἀποβλήτων τινάς,
Κυνῶν τυποῦσι τὸν κάκιστον ποιμένα
Κείραντες, οὐ δήσαντες, οὐδὲ σὺν βίᾳ;
Κύων γὰρ ἦν πρόθυμος εἰς τὰ κρείσσονα.
Namque *in chorauli sordidam ingressi domum*,
Graues, superno & Numini cari viri,
Ac quosdam habentes fæce de vulgi infima,
Cane resecta præsulem signant coma
Nequissimum, haud vi, nec ligatum. nam canis
Ad summa quæque promtus ac feruens erat.

(a) Socrat. lib. IV. c. XXIX. χειροτονεῖται οὐκ ἐν ἐκκλησίᾳ, ἀλλ' ἐν ἀποκρύφῳ τόπῳ τῆς βασιλικῆς, καὶ ἐπικαλουμένης Σικίνης.

(b) Dionyſ. de hierarch. eccleſ. c. V. contempl. III. §. 2. p. 364. §. 8. p. 368. 369 (tom. I. edit. Antuerp. MDCXXXIIII)

(c) Theodoret. lib. IV. c. XV. Πάντων τὸν Ἀντιόχου ψηφισαμένων τοῦ θείου διάδοχον, καὶ παρὰ τὴν ἱερὰν τράπεζαν ἀγαγόντων τε καὶ κλῖναι βιασαμένων τὰ γόνατα

sueti

ſueti ritus meminit, quando de epiſcopi cuiusdam ordinatione loquens, eum ad ſacram menſam adductum & genua flectere vi coactum eſſe, dicit.

§. XI.

Ad impoſitionem manuum & preces data.

Deinde ipſe ritus conferendi ordines ſuperiores ſemper fiebat cum impoſitione manuum & precibus. Id quod ex HIERONYMO [*d*] patet, quando ait, χειροτονία, *id eſt ordinatio clericorum, non ſolum ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem completur manus: ne ſcilicet vocis imprecatio clandeſtina clericos ordinet neſcientes.* GREGORIVS quidem NYSSENVS [*e*] miram nobis hiſtoriam de ordinatione *Gregorii Thaumaturgi* refert, quem *Phædimus* eccleſiæ *Amaſæenſium* epiſcopus ſolis precibus ſine manuum impoſitione ordinauit: aberat enim fuga in ſolitudinem ordinationem euitaturus: quo non obſtante *Phædimus* eccleſiæ *Neo-Cæſareenſis* epiſcopum eum conſecrauit, quod munus poſtea ſuſcepit. Sed ex viri cuiusdam docti [*f*] coniectura veroſimillimum eſt, quod aliam habuerit ordinationem; ſin minus, hæc actio ſingulare aliquod exemplum, communi regulæ & ſtabilito eccleſiæ ordini contrarium, haberi debet. *Græci* hanc manus impoſitionem & χειροτονίαν & χειροθεσίαν appellant, vti in canonibus concilii *Nicæni* [*g*] & *Chalcedonenſis* videre eſt. Nonnum-

κ. τ. λ. Cum vniuerſi Antiochum ſucceſſorem patrui elegiſſent, & ad ſacram menſam (i. e. altare) eum adducerent, & *genua flectere* cogerent, cætera.

(*d*) Hieron. lib XVI. in Ieſai. c. LVIII. p. 265. edit. Baſil. MDLXV. (tom. V. p. 184. G. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

(*e*) Nyſſen. vit. Greg. Thaum. (tom. III. p. 544.) Ὁ Φαίδιμος - ἀντὶ χειρὸς ἐπάγει τῷ Γρηγορίῳ τὸν λόγον ἀφιερῶσαι τῷ Θεῷ τὸν σωματικῶς ὀ παρόντα. Phædimus - loco manus impoſitionis Gregorio adhibet ſermonem, Deo conſecrans eum, qui corpore coram non adeſſet.

(*f*) Caue hiſtor. litterar. vol. I. p. 94. edit. Lond. (p 82. edit. Geneu. M DCCXX.) A Phædimo Amaſeæ antiſtite Neo-Cæſareæ epiſcopus ordinatur, modo plane mirabili & hactenus inaudito. Cum enim Gregorius in ſolitudinem ſeceſſerat, ne a philoſophiæ ſtudiis diſtraheretur animus, & vt Phædimi conſilium euitaret, nouas ſubinde latebras quæreret; Phædimus impetu quodam diuino prouectus, oratione primum ad Deum conuerſa, deinde ſermone ad Gregorium habito eum, quaſi iam præſenti manus imponeret, Deo & eccleſiæ iſti epiſcopum conſecrauit. Quam prouinciam, Deo animum eius ſuauiter diſponente, *Gregorius more conſueto, vti credi par eſt, prius ordinatus*, poſtea lubens ſuſcepit.

(*g*) Concil. Nic. c. XIX. (tom II. conc. p. 37.) Ἐμνήσθημεν δὲ διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν, ὥστε ἐξάπαντος ἐν

quam

quam tamen hæc vocabula inter ſeſe diſtinguuntur, vti in auctore *conſtitutionum*, qui dicit [*h*] πρεσβύτερος χειροθετεῖ οὐ χειροτονεῖ, "*Presbyter manum imponit non ordinat;* Vbi manifeſtum eſt, per manus" impoſitionem non intelligi ordinationem, ſed aliam quamdam benedictionem eccleſiæ, in qua manuum impoſitio æque vſitata fuerit atque in ordinatione. Neque vero χειροτονία ordinationem in antiquis ſcriptoribus ſemper, etſi vt plurimum, ſignificat; quemadmodum FRONTO DVCAEVS [*i*] aliique viri docti oſtenderunt: ſed interdum nihil denotat amplius, quam deſignationem ſiue electionem: vt cum IGNATIVS phraſi χειροτονῆσαι θεοπρεσβύτην [*k*] vtitur, ad ſignificandam duntaxat electionem ſeu conſtitutionem alicuius tabellarii ad perferendas alio ec-

τοῖς λαϊκοῖς αὐταὶ ἐξετάζεσθαι. Diaconiſſarum meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec vllam habent *manuum impoſitionem*, vt omnino inter laicos ipſæ connumerentur.

Conc. Chalced. c. XV. (tom IV. conc. p. 763.) Εἰ δέ γε δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν, καὶ χρόνον τινὰ παραμείνασα τῇ λειτουργίᾳ, ἑαυτὴν ἐπιδῷ γάμῳ, ὑβρίσασα τὴν τοῦ θεοῦ χάριν, ἡ τοιαύτη ἀναθεματιζέσθω μετὰ τοῦ αὐτῇ συναφθέντος. Si poſtquam *ordinatione ſuſcepta* in miniſterio aliquo tempore permanſit (diaconiſſa) ſe ipſam matrimonio tradiderit, Dei gratiæ iniuriam faciens, ea vna cum illo, qui ei coniunctus eſt, anathematizetur.

(*h*) Conſtit. apoſtol. lib. VIII. c. XXVIII.

(*i*) Front. Duc not. in Chryſoſtom. hom. I. ad pop. Antiochen. p. I. περὶ χειροτονιῶν *de ordinationibus.*] Brixianus interpres verterat *de electionibus*, atque apud profanos quidem ſcriptores χειροτονία, quæ proprie manuum extenſionem ſonat, decretum ſignificat, vel ſuffragiorum lationem, qua in populi comitiis magiſtratus deferebantur, & χειροτονεῖν *per ſuffragia creare*, ſed apud chriſtianos & ſacros auctores peculiariter pro eccleſiaſticorum miniſtrorum ordinatione ſumitur, qui plerique per impoſitionem manuum accipiebant poteſtatem, cætera.

(*k*) Ignat. ep. ad Smyrn. n. XI. Πρέπει εἰς τιμὴν Θεοῦ χειροτονῆσαι τὴν ἐκκλησίαν ὑμῶν θεοπρεσβύτην κ. τ. λ. Decet ad Dei honorem, vt eccleſia veſtra *eligat ſacrum legatum*, cætera.

Id. epiſt. ad Philadelph. n. X. πρέπον ἐστὶν ὑμῖν χειροτονῆσαι διάκονον εἰς τὸ πρεσβεῦσαι ἐκεῖ θεοῦ πρεσβείαν. Decet vos *eligere diaconum, qui obeat* ibi *legationem* Dei.

Id. ep. ad Polycarp. n. VII. Πρέπει, συμβούλιον ἀγαγεῖν θεοπρεπέστατον καὶ χειροτονῆσαί τινα, ὃν ἀγαπητὸν λίαν ἔχετε καὶ ἄοκνον, ὃς δυνήσεται θεόδρομος καλεῖσθαι. Decet concilium cogere Deo decentiſſimum & *eligere aliquem*, quem valde carum habeatis & impigrum, *qui poterit diuinus curſor appellari.*

clesiæ epiſtolas. Quod ipſum ideo adnoto, vt lectorem aduerſus quorumdam auctorum errores præmuniam, qui ordinationes cum electionibus confundunt, quia inter criticos verborum ſenſus ita non diſtinguunt, quemadmodum ſubſtrata materia id poſtulat.

§. XII.

Signum crucis in ordinatione vſurpatum.

Porro obſeruandum eſt, quod ſicut a priſcis chriſtianis multis occaſionibus, ita peculiariter in ordinationibus, ſignum crucis adhibitum fuerit. Id quod e CHRYSOSTOMO diſcimus, qui plus vice ſimplice eius hac occaſione mentionem iniicit. *Cum*, inquit, *regeneramur*, (videlicet in baptiſmo) *crux domini adeſt; cum ſacratiſſimo alimur cibo, ac in ordine* [*l*] *conſecrandi ſtatuimur, vbique ac ſemper id victoriæ inſigne nobis adſiſtit.* In hanc rem SVICERVS [*m*] ex perſonato DIONYSIO obſeruat, quod manuum impoſitio vocata ſit σφραγὶς & ςαυροειδὴς σφραγὶς[*n*], propterea quod ſignum crucis capiti conſecrandi imprimeretur.

§. XIII.

Nulla autem vnctio vel ritus tradendi inſtrumenta in presbyterorum & diaconorum manus adhibitus.

Quod ad vnctionis ritum attinet, alio iam loco nouitatem eius [*nn*] oſtendendi habuimus occaſionem; nec minus conſuetudinis tradendi vaſa quædam ſacra in manus ordinatorum. Quam vaſorum porrectionem HABERTVS numquam in conferendis ſu-

(*l*) Chryſoſtom. hom. LV. in Matth. Κἂν ἀναγεννηθῆναι δέῃ, ςαυρὸς παραγίνεται, κἂν τραφῆναι τὴν μυςικὴν ἐκείνην τροφὴν κἂν χειροτονηθῆναι, κἂν ὁτιοῦν ἕτερον ποιῆσαι, πανταχοῦ τοῦτο τῆς νίκης ἡμῖν παρίςαται σύμβολον.

(*m*) Suicer. theſaur. voce σφραγὶς tom. II. p 1199. Manuum impoſitio, quæ fiebat ad ordinationem, σφραγὶς, *conſignatio* dicebatur, quia, dum manum imponerent capiti, ſignum crucis etiam in capite conſecrandi faciebant. Dionyſius Areopagita cap. V. de eccleſ. hierarchia p. 314. ςαυροειδῆ σφραγῖδα vocat, & pag. 312.- explicat myſterium ſacerdotalis conſecrationis: ἑκάςῳ κ. τ. λ. vid. not. ſeq. (n)

(*n*) Dionyſ. de hierarch. eccleſ. c. V. p. 312 314. edit. Pariſ. MDCXLIV. (p. 364. edit. Antuerp. MDCXXXXIV.) Ἑκάςῳ αὐτῶν ἡ ςαυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τοῦ τελοῦντος ἱεράρχου σφραγὶς: Vnicuique eorum *ſignum crucis* a conſecrante pontifice *imprimitur*. vid. etiam p. 365. §. 4.

(*nn*) Lib. II. c. XIX §. XVII. vol. I. p 291.

periori-

perioribus ſed inferioribus tantum ordinibus ex præſcripto concilii *Carthaginenſis* quarti, hanc præcipuam ordinationis eorum partem conſtituentis, vſitatam fuiſſe dicit. Quamquam idem HABERTVS [*o*] & alii quidam genuini huius concilii auctoritatem in dubium vocant, omnes eius canones pro ſpuriis habentes. Sed hoc tantum ὡς ἐν παρόδῳ.

§. XIV.

Ordinationes oſculo pacis finitæ.

Finitis conſecrationis ritibus clerici tunc præſentes recens ordinatum oſculo pacis [*p*] conſalutare ſolebant. Atque ita in

(*o*) Habert. archieratic. p. 323. Martinus Becanus IV. parte de ſacram. tract. de ordin. qu. IV. concluſione III. *Impoſitio manuum videtur eſſe materia eſſentialis huius ſacramenti & a Chriſto inſtituta: porrectio vero inſtrumentorum videtur eſſe accidentalis & ab eccleſia introducta. Concilium enim Florentinum in inſtructione Armenorum ſolum meminit materiæ accidentalis, quæ ab eccleſia fuit inſtituta; non autem ſubſtantialis, quam Chriſtus præſcripſit, quia hæc ex ſcripturis & antiquis patribus erat ſatis cognita, non autem illa. Addo, ſi hoc argumentum valeret, poſſet ita optime retorqueri: Antiqua concilia non aſſignant aliam materiam niſi manuum impoſitionem.* Contra quæ poſtrema Becani verba, quia proferri poſſent canones ordinationum concilii IV. Carthaginenſis, in quibus porrectionis inſtrumentorum fit aliqua mentio: monendus eſt lector, primo fieri mentionem ſolius manuum impoſitionis in trium ordinum hierarchicarum, epiſcopi, presbyteri & diaconi conſecratione: porrectionis vero calicis & aliorum inſtrumentorum in aliorum ordinatione. Secundo, *canones illos primos non eſſe concilii Carthaginenſis* nec temporis illius; ſed ex libris ritualibus poſterioris ſæculi illuc tranſpoſitos, vt alibi plenius oſtenditur.

(*p*) Dionyſ hierarch. eccleſ c. V. p. 367. (p. 364 edit. Antuerp.) Ἑκάστῳ δὲ αὐτῶν ἡ σταυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τοῦ τελοῦντος Ἱεράρχου σφραγὶς, καὶ καθ' ἕκαστον ἀνάῤῥησις ἱερὰ γίνεται, καὶ τελειωτικὸς ἀσπασμὸς, ἀσπαζομένου παντὸς ἱερατικοῦ παρόντος ἀνδρὸς, καὶ τοῦ τελέσαντος ἱεράρχου τὸν πρός τι τῶν εἰρημένων ἱερατικῶν ταγμάτων ἀποτελεσθέντα. Vnicuique eorum ſignum crucis a conſecrante pontifice imprimitur & ſingulis ſancta prædicatio perficiensque ſalutatio adhibetur, cunctis præſentibus eccleſiaſticis vna cum pontifice conſecrante, *conſalutantibus illum, qui in aliquem dictorum ordinum ſacrorum eſt cooptatus.*

Conſtit. apoſt. lib. VIII c. V. μετὰ τὴν προσευχὴν εἷς τῶν ἐπισκόπων ἀναφερέτω τὴν θυσίαν ἐπὶ τῶν χειρῶν τοῦ χειροτονηθέντος· καὶ τῇ ἕωθεν ἐνθρονιζέσθω εἰς τὸν αὐτῷ διαφέροντα τόπον παρὰ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων, πάντων αὐτὸν φιλησάντων τῷ ἐν κυρίῳ φιλήματι. Poſt preces vnus ex epiſcopis offerat hoſtiam in manus ordinati & mane in ſolio ſuo a reliquis epiſcopis collocetur, *cunctis eum in domino oſculantibus.*

loco ad eius officium pertinente collocatus, si esset episcopus vel presbyter, primum sermonem ad populum habebat. Sed hac de re quantum ad episcopos attinet, iam antehac exposuimus; quantum vero ad presbyteros in ecclesia *graeca*, vbi concionari presbyteris erat vsitatius, istiusmodi sermonum exempla reperire lector potest inter homilias CHRYSOSTOMI [q] & GREGORII NYSSENI [r], quas die consecrationis suae recitarunt.

§. XV

Dies ordinationis episcopi anniuersaria solemnitate celebratus.

Non possum, quin vnum adhuc notem, cuius me iam alio loco oportebat meminisse, quia honos erat, ordini episcoporum speciatim exhibitus, nimirum, quod multis in locis dies ordinationis eorum inter dies festos, vertente quouis anno celebrari solitos, relatus fuerit. His diebus cogebantur conuentus ecclesiastici, fiebant sermones ad populum, & omnes solemnitates festi cuiusdam diei adhibebantur. Id quod ex AVGVSTINI patet sermonibus, quorum duo [s] anniuersaria suae ipsius ordinationis die fuerunt recitati; & in alio quodam [t], a SIRMONDO in lucem dato, sub eodem titulo diei anniuersarii consecrationis suae meminit. In quarto quodam itidem de die anniuersario ordinationis *Aurelii* [u] episcopi *Carthaginensis* loquitur, inuitans plebem, vt veniant festumque diem celebrent in basilica *Fausti*, quae nota erat aedes ecclesiastica *Carthagine*. Inter homilias etiam LEONIS episcopi *Romani* tres priores die anniuersario collocationis eius in pontificatu habitae sunt. Et recentior quidam eruditus criticus [w] obseruauit, quod in *Hieronymiano* aliisque quibusdam vetustis martyrologiis nonnumquam eiusmodi festa annua occurrant, sub titulis *ordinatio episcopi*, & *natale episcopatus* huius illiusue antistitis.

(*q*) Chrysostom. homil. quum presbyter esset designatus tom. IV. p. 953.

(*r*) Gregor. Nyssen hom. in suam ordinat. tom. II. p. 40.

(*s*) Aug. homil. XXIV. & XXV. ex quinquaginta. (tom. X. p 472 473 sq. edit. Basil. MDLXIX.)

(*t*) Id hom. XXXIX edit. a Sirmond. tom XIII. p 841.

(*u*) Id. hom. XXVII de verb domini: Dies anniuersarius ordinationis domini senis Aurelii crastinus illucescit. Rogat & admonet per humilitatem meam caritatem vestram, vt ad basilicam Fausti deuotissime venire dignemini.

(*w*) Pagi critic. in Baron ann. LXVII n. XIV. (n. XVIII. edit. Antuerp.) In martyrologio Hieronymiano caetera, vid. supra cap. VI. §. VII. not. (r) pag. 180.

tistitis.

tiſtitis. Qui dies anniuerſarii ordinationis eorum initio ſine vllo dubio fuerunt, quos ipſimet, dum viuerent, egerunt, & quorum celebratio poſt obitum in memoriam eorum continuata fuit. Quo pacto martyrologiis inſeri cœperunt, tamquam ſtatæ ſolemnitates, denotantes ibi non diem natalem, nec emortualem, vt nonnulli falſo arbitrantur, ſed diem conſecrationis eorum atque prouectionis ad thronum epiſcopalem. Sed hac de re plura, vbi de diebus feſtis eccleſiæ agendum erit.

LIBRI QVARTI

CAPVT SEPTIMVM

DE COACTIS ET ITERATIS ORDINATIONIBVS.

§. I.

Coactæ ordinationes in eccleſia primitiua creberrimæ.

ANtequam hunc librum finiamus, nonnihil de coactis & iteratis ordinationibus addemus, quippe quæ ſæpiſſime in eccleſia primitiua acciderunt. Antiquitus enim, vbi populares permittebantur electiones, nihil erat populo vſitatius, quam homines vi corripere inuitosque epiſcopo exhibere ordinandos. Etſi enim, vt SVLPICIVS SEVERVS queritur, officia eccleſiaſtica prauis ambitionibus appetebantur; erant tamen, qui non minori ſtudio illa auerſabantur, quam alii ea ambibant, & quos nihil niſi illata quædam vis ordinationi alicui ſubmittere poterat. Vidimus iam vnum duoue exempla in AVGVSTINO [x] & PAVLINO; & hiſtoria eccleſiaſtica plura nobis ſuppeditat. Nam, vt ne eorum mentionem iniiciam, qui fugam pararunt, vel ſe abdiderunt ordinationem ita deuitaturi, vti *Cyprianus* [a], *Gregorius Thaumaturgus* [b], *Auguſtinus* [c],

(x) Vid. ſupra cap. II. §. VIII. pag. 104.

(a) Pont. vit Cyprian. Iudicio Dei & plebis fauore, ad officium ſacerdotii & epiſcopatus gradum adhuc neophytus, & vt putabatur nouellus, electus eſt: -- cum in dilectionem eius & honorem totus populus adſpirante Deo proſiliret, *humiliter ille ſeceſſit*, antiquioribus cedens & indignum ſe titulo tanti honoris exiſtimans. cætera.

(b) Gregor. Nyſſen. vit. Gregor. Thaumaturg. tom. III, p. 544. conf. ſupra c. VI. §. XI. not. (c) pag. 24.

(c) Sozom. lib. II. c. XVII. Τόνγε Ἀθανάσιον φασὶν ἀποφυγεῖν πειραθῆναι, καὶ ἄκοντα

 Euagri-

Euagrius [*d*] & *Ambrosius* [*e*] fecerunt; erant etiam alii, qui prorsus inuiti ordinabantur; sicut *Nepotianus*, de quo HIERONYMVS narrat, quod quum ab *Heliodoro* auunculo suo presbyter ordinatus esset, gemuerit [*f*] & eiulauerit nec sibi potuerit temperare, quin iram in ordinantem euomeret, quamquam tunc primum & solum id fecerit. *Martinus Turonensis* ecclesiæ episcopus adeo a suscipiendo episcopatu abhorrebat, vt dolo quodam a monasterio suo erui & sub quadam custodia ad ordinationem suam deduci eum oporteret, quemadmodum historia sacra [*g*] tradit. Et *Macedonii* anachoretæ, quam *Flauianus Antiochenæ* ecclesiæ episcopus peragebat, ordinatio adeo inuito eo fiebat, vt non auderet quispiam ei, quid ageretur, exponere, antequam res esset confecta; & quum presbyterum se ordinatum esse intelligeret, furore quodam in *Flauianum* & omnes huius negotii consortes accendebatur, ratus, hanc ordinationem sibi aliam vitæ rationem adlaturam regressumque ad montis verticem & optatam habitationem interclusuram. Ita THEODORETVS in orientalium religiosorum vitis [*h*] historiam enarrat. Et hunc morem his temporibus valde communem fuisse, ex eo apparet, quod de consuetudine, quæ in *Cypro* obtinuerit, dicit EPIPHA-

βιασθῆναι πρὸς Ἀλεξάνδρου, τὴν ἐπισκοπὴν ὑποδέξασθαι· Athanasius ipse fugam parauisse dicitur, & *per vim* ab Alexandro *coactus* esse, *vt sacerdotium susciperet*.

(*d*) Socrat. lib IV. c. XXIII. exeunte. p. 238. Ἐπειδὴ δὲ χρόνῳ ὕστερον καὶ Εὐάγριος ὑπὸ Θεοφίλου τοῦ ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας πρὸς ἐπισκοπὴν συλληφθεὶς ἀπέφυγεν κ. τ. λ. Postea vero cum & ipse Euagrius ad episcopatum raptus a Theophilo Alexandrinæ vrbis episcopo *aufugisset*, cætera.

(*e*) Paulin. vit. Ambros. Ille quum videret, nihil intentationem suam posse proficere, *fugam parauit*: egressusque noctis medio ciuitatem, quum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam ciuitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, inuenitur. - - Qui inuentus cum custodiretur a populo, missa relatio est ad clementissimum imperatorem Valentinianum. - - Pendente relatione iterum fugam parauit, atque in possessione cuiusdam Leontii clarissimi viri aliquandiu delituit. cætera.

(*f*) Hieron. epist. III. epitaph. Nepotian. Presbyter ordinatur. Iesu bone, qui gemitus, qui eiulatus, quæ cibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium! Tunc primum & solum auunculo iratus est.

(*g*) Sulpic. Seuer. vit S. Martin. lib I. p. 224. (c. IX. p. 312. edit Lips.) Dispositis in itinere ciuium turbis sub quadam custodia ad ciuitatem vsque deducitur, cætera.

(*h*) Theod. histor. relig. c. XIII. vid. supra c. VI. §. III. not. (m) pag. 172.

NIVS

NIVS [*i*], quod qui in iſta prouincia ab epiſcopis ſuis ordinationem euadendi cauſſa profugiſſent, eos ab alio epiſcopo comprehendi & conſecrari, atque ita ad epiſcopos ſuos, a quibus profugi facti, remitti oportuerit. Quod argumento eſt, ordinationes coactas his temporibus conſuetas pariter fuiſſe & licitas.

§. II.

Nulla excuſatio hoc in caſu accepta, niſi quis forte iureiurando, ſe ordinari nolle, conteſtatus eſſet.

Neque vero preces & obſecrationes, quascumque ad ordinationem auertendam in eiusmodi caſibus quis faceret, locum vllum habebant, niſi interpoſito iureiurando ordinationi publice contradiceret. In tali enim caſu libertati ſuæ relinquendus, nec aduerſus tam ſolemnem contradictionem ordinandus erat. Hoc ex quodam BASILII canone manifeſtum eſt, vbi dicitur: *Qui* [*k*] *iurarunt, ſe ordinationem non admiſſuros: ſi eam detrectent, ne cogantur peierare.* Et hoc etiam ex iis colligi poſſe exiſtimo, quæ EPIPHANIVS cum *Pauliniano*, fratre HIERONYMI, tali occaſione ſe egiſſe narrat. Fugiſſe eum, dicit, ab epiſcopo ſuo metu ordinationis, ſed diſpenſatione Dei eo vbi ipſe fuerit, veniſſe. *Quum igitur*, inquit, EPIPHANIVS [*l*], *celebraretur collecta in eccleſia villæ, quæ eſt iuxta monaſterium noſtrum, ignorantem eum & nullam penitus habentem ſuſpicionem per multos diaconos apprehendi iusſimus & tenerios eius, ne forte liberari ſe cupiens adiuraret nos per nomen Chriſti, & primum diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei & compellentes vt miniſtraret.* Et paullo poſt pergit: *Quum miniſtraret in ſanctis ſacrificiis, rurſus eum ingenti difficultate tento ore eius ordinauimus presbyterum*, cætera. Quo ipſo videtur indicare, ſi per nomen Chriſti eum adiurare ſiuiſſet, ordinationem illius ſe tentare non potuiſſe: nihil autem niſi iſtiusmodi adiuratio immunitatem ipſi dare potuiſſe videtur. Et hoc iterum argumento eſt, quod his

(*i*) Epiphan. epiſt. ad Ioan. Hieroſol Multi epiſcoporum communionis noſtræ & presbyteros in noſtra ordinauerunt prouincia, *quos nos comprehendere non poteramus*, & miſerunt ad nos diaconos & hypodiaconos, quos ſuſcepimus cum gratia.

(*k*) Baſil. ep. canon. ad Amphiloch. c. X. (tom. II. conc. p. 1727.) Οἱ ὀμνύοντες μὴ καταδέχεσθαι τὴν χειροτονίαν, ἐξομνύμενοι, μὴ ἀναγκάζεσθωσαν ἐπιορκεῖν.

(*l*) Epiph. epiſt. ad Ioann. Hieroſol.

tempo-

temporibus inuitos ordinari licuerit, & eorum ordinatio legitima & non minus, quam cæteræ omnes, valida fuerit.

§. III.

Hæc consuetudo postmodum legibus imperialibus & canonibus ecclesiasticis prohibita.

Proxime autem insequuto æuo hæc consuetudo propter varia, quæ ex ea nasci obseruabantur, incommoda, prohibita fuit. LEO & MARCIANVS imperatores tulerunt legem multumque de ista consuetudine abroganda laborarunt. Decreuerunt enim, neminem inuitum [m] esse ordinandum. *Ad suscipiendum*, inquiunt, *clericatus officium vnicuique nos optionem dedimus, non legem: quia quamlibet sanctum onus, vt volentibus patimur imponi ita ab inuitis iubemus arceri. Nonnullorum enim persuasio sacerdotum reluctantibus istud onus imponit, vt improuidas mentes, violentiæ intercedentis offensa, ad odium piæ religionis instituat. Eo ergo licentiam huius præsumtionis excludimus, vt si quispiam probatus fuerit vi coactus, sub contumelia publica clericatus officia suscepisse spontaneis accusationibus, vel si ipse voluerit allegare perpessa, licentiam commodemus apud iudices competentes huiusmodi admissa damnare: vt si inter leges obiecta constiterint decem libras auri archidiaconus cogatur inferre ei, qui pertulerit exsoluendas: dehinc si ille desistit, accusatoribus, censibus & ciuitatis ordini profuturas. Illo suæ reddito voluntati, qui coactus non potuit consecrari. Et quia ab eiusmodi ausu nec episcopum a verecundia esse conuenit alienum, ad apostolicæ sedis deuocetur antistitem. In illa reuerendissima sede notam illicitæ præsumtionis incurrat.* Secundum hanc legem *Ioanni* ecclesiæ *Rauennatis* episcopo, qui tale quid faciendo deliquerat, SIMPLICIVS [n] episcopus *Romanus* an. CCCCLXXXII. priuationem potestatis ordinandi minatus est. Et concilium *Aurelianense* tertium [o] ann. DXXXVIII. pro ecclesiis *Gallicanis* decreuit, vt *episcopus, qui inuitum vel reclamantem præsumsisset ordinare, annuali pœnitentiæ subditus missas facere non præsumeret.* Tantum regulæ & consuetudines ecclesiasticæ sequentis sæculi ab iis, quæ in præcedenti obtinuerunt, discreparunt.

(m) Leo nouel. II. in append. cod. Theodos. p. 34.

(n) Simplic. ep. II. ad Ioan. Rauennat. (tom. IV. concil. p. 1069.) Denuntiamus, quod si posthac quidquam tale præsumseris & aliquem seu episcopum seu presbyterum, seu diaconum, *inuitum* facere forte credideris, *ordinationes tibi* Rauennatis ecclesiæ vel Aemiliensis *noueris auferendas.*

(o) Conc. Aurel. III. c. VII. (tom. V. concil. p. 297.)

§. IV.

§. IV.

Episcopus tamen inuitus ordinatus stationem suam relinquendi non habebat priuilegium.

Notandum vero est, post factam hanc emendationem discrimen aliquod inter coactam episcopi alicuius, & inferioris cuiusdam clerici, presbyteri, diaconi, aut cuiusuis alius ordinationem obseruandum esse. Quamquam enim ante memoratæ leges imperatoriæ omnibus inferioribus clericis in hunc modum ordinatis libertatem commodabant officium suum, quod adhibita vi illis impositum erat, deserendi, si ipsis ita placeret, & vitam sæcularem rursus amplectendi; episcopis tamen hoc priuilegium absolute [p] denegabant, decernentes, ordinationem eorum ratam & firmam manere, nec vlla actione, quam consecratoribus suis intenderent, inanem reddi vel abrogari oportere. Quod ipsum antiqua ecclesiæ regula fundatum videtur, quæ in concilio *Antiocheno* [q] memorata ac in concilio *Chalcedonensi* confirmata [r] fuit in hanc sententiam: *Si quis episcopus accepta ordinatione & manuum impositione episcopi & populo præesse iussus, munus non susceperit, nec vt ad sibi concreditam ecclesiam proficiscatur, persuaderi possit, is sit excommunicatus, donec coactus suscipiat, vel perfecta synodus episcoporum prouincialium de ipso aliquid decernat.* Quod decretum violentiæ vsionem in compellendo homines ad onus episcopalis functionis subeundum comprobare videtur; idque secundum aliam LEONIS & ANTHEMII legem in codice *Iustinianeo* [s], quæ hoc in requisitis episcopi cuiusdam ponit, vt tantum absit, vt munus ambiat, vt potius quæri & ad illud suscipiendum eum compelli oporteat. Hæ erant olim leges ecclesiæ & imperii de coactis ordinationibus.

(p) Leo nouel. II. ibid. *Si* qui sane *episcopus inuitus fuerit ordinatus*, hanc consecrationem nulla violari accusatione permittimus.

(q) Conc. Antioch. c. XVII. (tom. II. p. 569.) Εἴ τις ἐπίσκοπος χειροθεσίαν ἐπισκόπου λαβὼν, καὶ ὁρισθεὶς προεστάναι λαοῦ, μὴ καταδέξοιτο τὴν λειτουργίαν, μηδὲ πείθοιτο ἀπιέναι εἰς τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ ἐκκλησίαν, τοῦτον εἶναι ἀκοινώνητον, ἕως ἂν ἀναγκασθεὶς καταδέξοιτο, ἢ ὁρίσοι τι περὶ αὐτοῦ ἡ τελεία σύνοδος τῶν κατὰ τὴν ἐπαρχίαν ἐπισκόπων.

(r) Conc. Chalced. act XI. (tom. IV. conc. p 691.)

(s) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episcop. leg. XXXI. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, *vt quæratur cogendus*, rogatus recedat, inuitatus effugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi.

§. V.

Ordinationes iteratæ generatim damnatæ.

De ordinationibus iteratis, antequam ad quæstionem, quæ ad eas attinet, respondeamus, notandum est, quod distinguendum sit inter ordines, qui legitime & canonice a viris, in ecclesia iusto titulo condecoratis, collati, & eos, qui præter canones a viris, auctoritate destitutis vel ab hæreticis & schismaticis extra ecclesiam, dati fuerunt. Qui ordines modo regulis ecclesiæ conuenienti dati essent, illi non secus ac baptismus indelebilem quemdam characterem impressisse credebantur, vt adeo nulla vmquam occasione eos iterari necesse esset; quid? quod istiusmodi iteratio pro actione criminali haberetur. Concilium *Carthaginense* tertium plenariæ synodi *Capuensis* vestigiis insistens, decreuit, quod æque illicitum sit [t] baptismum iterare atque ordinationes. Et *canones* sic dicti *apostolici* [u] & ordinantem & ordinatum, qui vel dederit vel receperit secundam ordinationem officio deiici iubent. AVGVSTINVS [w] in ecclesia catholica licere negat, vel ordinationem iterari vel baptismum: neminem enim ordinationem suam [x], tamquam internum characterem & virtutem, perdere, licet ob aliquam culpam ab of-

(t) Conc. Carth, III, c. XXXVIII. (tom. II. p. 1172.) Illud suggerimus, mandatum nobis, quod etiam in Capuensi (al. Capsensi) plenaria synodo videtur statutum: *non liceat fieri* rebaptizationes & *reordinationes*, vel translationes episcoporum.

(u) Can. apost. LXVII. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος δευτέραν χειροτονίαν δέξεται παρά τινος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας. εἰ μήγε ἄρα συςαίη, ὅτι παρὰ αἱρετικῶν ἔχει τὴν χειροτονίαν· Τοὺς γὰρ παρὰ τῶν τοιούτων βαπτισθέντας ἢ χειροτονηθέντας, οὔτε πιςοὺς, οὔτε κληρικοὺς εἶναι δυνατόν. *Si quis* episcopus, vel presbyter, vel diaconus *secundam ordinationem ab alio susceperit, deponatur & ipse & qui ordinauit*, nisi vtique constiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati & ordinati sunt, vt fideles vel clerici sint, fieri non potest.

(w) Aug. cont. Parmen. lib. II. c. XIII. (tom. VII. p. 41. edit Basil. MDLXIX.) Nulla ostenditur caussa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Vtrumque enim sacramentum est: & quadam consecratione vtrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque *in catholica vtrumque non licet iterari.*

(x) Id. de bon. coniug c. XXIV. (tom. VI p. 809) *Manet in illis ordinatis sacramentum ordinationis*; & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, sacramento Domini semel imposito non carebit cætera.

ficii administratione remoueatur. Idem testatur OPTATVS [y], *Donatum* in concilio *Romano* sub *Melciade* propter iteratam episcoporum, persequutionis tempore lapsorum, ordinationem condemnatum esse commemorans; quod hoc ab ecclesiæ catholicæ consuetudine alienum esset. Et alii [z] *Arianis* eamdem culpam adsignant, quod catholicis episcopis ad se venientibus secundam ordinationem tribuerint.

§. VI.

Conditio a Cæciliano Donatistis *oblata examinatur.*

In OPTATO quidem locus de *Cæciliano*, *Carthaginensis* ecclesiæ episcopo, habetur, qui primo intuitu videtur dicere, quod *Cæcilianus* secundæ ordinationi se submittere voluerit. OPTATVS [a] enim a *Cæciliano Donatistis* mandatum dicit, vt si a *Felice* minus recte ordinatus esset, vti quidem illi existimarent, ipsi venirent & se tamquam adhuc diaconum ordinarent. At AVGVSTINVS, qui fortassis *Cæciliani* mentem melius perspexit, [b] hoc ab eo dictum

(y) Optat. lib. I. p. 44. edit. Par. MDCXXXI. (p. 27. edit. Par. MDCLXXIX.) In Donatum sunt hæ sententiæ latæ: Quod confessus sit rebaptizasse & *episcopis lapsis manum imposuisse: quod ab ecclesia alienum est.*

(z) Vid. Vales. not. in Sozom. lib. VI. c. XXVI. Arriani non solum rebaptizabant catholicos, sed etiam clericos eorum ad se venientes iterum ordinabant. Cuius rei insigne exemplum habemus in libello precum Marcellini presbyteri p. 81. sub finem: *Hic est egregius & sanctissimus ille episcopus, qui cum fuisset primum a catholicis episcopis ordinatus episcopus, postea ab impio Georgio in laicorum numerum redactus, nihilominus ab ipso Georgio episcopus ordinatus est in vexatione fidelium*; & paulo post: *Nisi quia atrocius gessit Theodorus, cum de episcopo catholico fit laicus, piam damnans fidem & subscribens Arrianæ impietati, vt ab hæretico iterum episcopus ordinaretur.* Idem quoque testatur Hieronymus in chronico, de Cyrillo Hierosolymitano loquens. *Cyrillus*, inquit, *cum a Maximo fuisset presbyter ordinatus, & post mortem eius ita ei ab Acacio episcopo Cæsariensi & cæteris Arrianis episcopatus promitteretur, si ordinationem Maximi repudiasset, diaconus in ecclesia ministrauit.* In quo Arriani Donatistas videntur imitati, qui vtrumque factitarunt.

(a) Optat. lib. I. p. 41. (p. 20) A Cæciliano mandatum est, vt si Felix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tamquam diaconum ordinarent Cæcilianum.

(b) August. breuic. collat. die III. c. XVI. (tom. VII. p. 784. edit. Basil. MDLXIX.) Dixerunt etiam scripsisse Optatum, quod Cæcilianus dixerit, si traditores sunt, qui me ordinauerunt, ipsi veniant & ordinent me. Quod quidem si dictum est, ideo dici potuit, ad illos deridendos, quibus hoc mandasse perhibetur, quo-

putat esse ad illos deridendos; non quod secundæ alicui ordinationi se submittere voluisset, certo enim scisse *Cæcilianum*, quod *Felix* & reliqui, qui se ordinassent, non traditores essent, quemadmodum ipsos conuiciarentur. Vt adeo nullum iteratæ ordinationis exemplum eorum in ecclesia habeamus, qui legitime fuerunt ordinati: quia, vt THEODORETVS [c] loquitur, *οὐ δυνατὸν δὶς τὴν αὐτὴν ἐπιτεθῆναι χειροτονίαν, fieri non potest, vt bis eadem fiat manuum impositio.* Vnde nec in translatione episcoporum ex ecclesia alia in aliam de vlla noua ordinatione, sed tantum de inthronisatione seu institutione, tamquam noua relatione in presbyterorum & diaconorum album, legimus, vbi ex alia ecclesia adsumti & in alia constituti fuerunt. CYPRIANVS, quum *Numidicum* ex alia ecclesia, vbi antea fuerat presbyter, in suam ipsius ecclesiam a se adsumtum esse narrat, non nouam ordinationem, sed nomen [d] tantum & sedem inter presbyteros *Carthaginenses* ei se dedisse, dicit. Et hæc constans ecclesiæ consuetudo fuit in eiusmodi casibus, quidquid etiam contrarium indicare videatur.

§. VII.

Schismatici nonnumquam iterum ordinati.

De iis, qui extra ecclesiam ab episcopo schismatico vel hæretico ordinati erant, res paullo aliter se habebat. Nam ecclesia non semper eorum ordinationes comprobabat, sed interdum disciplinam tuendi erroresque illorum detestandi caussa, nouam eos recipere ordinationem iubebat. Hoc decretum fuit a magno concilio *Nicæno* in caussa episcoporum ac presbyterorum, quos *Meletius* schismaticus in *Aegypto* ordinarat, posteaquam a metropolitano suo *Alexandrino* munere fuerat exutus. Non admittendi erant ad vllum ministerium in ecclesia catholica, nisi prius *μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντες sanctiore ordinatione* [e]

niam certus erat, ordinatores suos non esse traditores. Non enim ait, quia traditores sunt, sed, si traditores sunt cætera.

(c) Theod. histor. relig. c. XIII. conf. supra c. VI. §. III. not. (m) p. 172

(d) Cyprian. ep. XXXV. al. XL Admonitos nos & instructos sciatis dignatione diuina, vt Numidicus *presbyter adscribatur presbyterorum Carthaginensium numero* & nobiscum sedeat in clero.

(e) Ep. synod. ap. Socrat. lib. I. c. IX. Τοὺς ὑπ' αὐτοῦ κατασταθέντας, μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας κοινωνῆσαι ἐπὶ τούτοις ἐφ', ὥστε ἔχειν μὲν αὐτοὺς τὴν τιμὴν καὶ λειτουργίαν, δευτέρους δὲ εἶναι ἐξάπαντος πάντων τῶν ἐν ἑκάστῃ παροικίᾳ τε

confir-

confirmati, vt concilium in epiſtola ſua ad eccleſiam *Alexandrinam* id exprimit. Huic decreto morem geſturus *Theodorus* epiſcopus vrbis *Oxyrinchi* presbyteros partis *Meletii* ad eccleſiam redeuntes denuo ordinabat, ſicut VALESIVS [*f*] e libello precum MARCELLINI, quem obtulit *Theodoſio* imperatori, demonſtrat: & alii viri docti [*g*] idem ſentiunt. In quibusdam tamen caſibus eccleſia epiſcoporum & presbyterorum receptioni adſentiebat, ad accipiendam nouam ordinationem eos non compellens; ſicvt in *Africa*, AVGVSTINO [*h*] adfirmante, moris erat, ordinatio-

καὶ ἐκκλησίᾳ ἐξεταζομένων, τῶν ὑπὸ τοῦ τιμιωτάτου καὶ συλλειτουργοῦ ἡμῶν Ἀλεξάνδρου προκεχειρισμένων. Ii, qui ab ipſo (Meletio) conſtituti ſunt, *ſanctiore ordinatione confirmati*, ad communionem admittantur, ea lege, vt honorem quidem ac miniſterium ſuum retineant; ſecundo tamen ſemper loco ſint ab iis omnibus, qui in vnaquaque parœcia & eccleſia verſantur a cariſſimo collega noſtro Alexandro prius ordinati. vid. etiam Theodoret. lib I. c. IX.

(*f*) Valeſ. not. in Theodor. lib I. c. IX. Falſum eſt, quod adferunt viri doctiſſimi, eccleſiam illis temporibus non probaſſe reordinationes epiſcoporum & presbyterorum. Certe Marcellinus presbyter in libello precum, quem obtulit Theodoſio imperatori, diſerte teſtatur, Theodorum catholicum epiſcopum vrbis Oxyrinchi reordinaſſe presbyteros partis Meletii. Sic enim ſcribit pag. 83. *Sane hinc vult ſe catholicum videri, quod & ipſe quosdam nunc presbyteros ſeu diaconos Apollonii facit ſuaſu quodam laicos, & eos iterum ordinat, vt videatur turpiſſimæ iſtius ordinationis vicem referre, quam paſſus eſt.* Theodorus igitur catholicus cum Meletianos presbyteros iterum ordinauit, in eo ſequutos videtur decretum ſynodi Nicænæ.

(*g*) Du Pin biblioth. cent. IV. p. 251. edit. Anglic. Lond. MDCXCII. (tom. II. p. 557. not. i. edit. Pariſ. MDCXCII.) Vulgo contendunt hanc manuum impoſitionem, quæ a patribus concilii vocatur μυστικωτέρα χειροτονία, fuiſſe tantum cærimoniam; ſed optime probatum eſt a doctiſſimo Valeſio, *hanc eſſe nouam ordinationem*; idque hac voce proprie innuitur.

(*h*) Auguſt. contr. Parmen. lib. II. c. XIII. (tom. VII. p. 41. edit. Baſ. MDLXIX.) Si viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinati, ſed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra, cætera.

Vid. contr. Creſcon. lib. II. c. XI. (tom. VII. p. 226. cit. edit.) Quamuis cum apud vos ordinantur, non ſuper eos inuocetur nomen domini ſed Dei: *tamen* ita *ſuſcipiuntur*, vt videtur paci & vtilitati eccleſiæ conuenire.

It. Epiſt. L. p. 87. vid. not. ſeq (l) p. 198

Ep. CLXII. p. 279. (p. 767. edit. Altdorf. p. 731. edit. Baſil.) Qualis ipſius beati Melciadis vltima eſt prolata ſententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil conſtiterat, de collegio ſuo auſus eſt remouere &, *Donato ſolo, quem totius mali principem inuenerant, maxime culpato, ſanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras mittere, etiam iis, quos a Maiorino ordinatos eſſe conſtaret*, &c.

nem *Donatiſtarum* comprobare eoſque ad miniſterium, in quacumque ſtatione ante reditum ſuum ad eccleſiæ communionem miniſtraſſent, admittere, ordinatione eorum nihilo magis, quam ipſorum baptiſmo, repetita. Hoc in diuerſis ſcriptorum ſuorum partibus repetit. Atque ita rem ſe habuiſſe, tum ex conciliorum *Africanorum* [*i*] canonibus, tum ex conceſſionibus in collatione *Carthaginenſi* [*k*] factis apparet, vbi proponebatur, futurum, vt *Donatiſtæ* honoribus ac dignitatibus fruerentur, ſi ad catholicæ eccleſiæ vnitatem redire vellent. Hoc antea in concilio *Romano* ſub *Melciade*, in quo *Donatiſtæ* primum audiebantur, definitum erat. Ibi enim, vti AVGVSTINVS auctor eſt [*l*], decretum fuerat, damnato vno *Donato* auctore ſchiſmatis, reliquos omnes licet extra eccleſiam ordinatos, ſi reſipiſcerent, in iisdem officiis ac honoribus recipiendos eſſe, quibus antea ornati fuiſſent. Vt adeo diſciplinæ ſeueritas hoc intuitu vel acueretur vel mitigaretur, prout eccleſiæ vtilitas neceſſitasue id requirere videbatur.

§. VIII.

Hæretici etiam redeuntes ad eccleſiam in quibusdam locis.

Homines ab hæreticis ordinatos accipiendi ratio prorſus eadem fuit. Quidam canones eos omnes ſine vlla exceptione iterum ordinari iubent. Ita res ſe habuit in eccleſia *græca*, quo tempore *canones* ſic dicti *apoſtolici* facti ſunt. Idem enim canon [*m*], qui ordinationes iteratas in eccleſia fieri prohibet, eos excipit, qui ab hæreticis fuerint ordinati; ordinationem eorum vanam pronuntians, eosque iubens denuo ordinari.

(*i*) Cod. can. Afric. c. LXIIX. (tom. II. concil p. 1092. Placuit - vt & ipſi Donatiſtæ, quicumque clerici correcto conſilio ad catholicam vnitatem tranſire voluerint, ſecundum vniuſcuiusque epiſcopi catholici voluntatem, atque conſilium, qui in eodem loco gubernat eccleſiam; ſi hoc paci chriſtianæ prodeſſe viſum fuerit, *in ſuis honoribus ſuſcipiantur*, ſicut prioribus eiusdem diuiſionis temporibus factum eſſe manifeſtum eſt. vid etiam c. LXIX.

(*k*) Collat. Carth. die I. c. XVI. (tom. II. concil p. 1352. c.) Sic eccleſiæ nobiſcum teneant vnitatem, vt non ſolum viam ſalutis inueniant, ſed *nec honorem epiſcopatus amittant.*

(*l*) Aug. ep. L. ad Bonifac. p. 87. (p. 228. edit. Baſil. MDLXIX. p. 233. edit. Altdorf.) Damnato vno quodam Donato, qui auctor ſchiſmatis fuiſſe manifeſtatus eſt, cæteros correctos, etiamſi extra eccleſiam ordinati eſſent, in ſuis honoribus ſuſcipiendos eſſe cenſuerunt.

(*m*) Can. apoſt. c. LXVII. vid. ſupra §. V. not. (u) pag. 194

dinari.

dinari. Et hæc generatim omnium earum ecclesiarum sæculo tertio praxis erat, quæ baptismum ab hæreticis datum validum esse, negabant. Multo enim maiori animi contentione ordinationibus eorum valorem abiudicabant. Hinc FIRMILIANVS, qui hac erat opinione, narrat, concilium *Iconiense* [n] ann. CCLVI. decreuisse, hæreticis nec baptizare licere nec ordinare; immo vero nonnulli eorum, qui hæreticorum baptismum admittebant, ordinationes tamen eorum constanter reiiciebant; sicut *Innocentius* episcopus *Romanus* [o], qui ab *Arianis* aliisque hæreticis ordinatos a dignitatibus in ecclesia catholica arcendos esse statuebat, etsi baptismum eorum in nomine patris, filii & spiritus sancti perfectum, ratum esse permittebat. Alio loco [p] antiquam ecclesiæ *Romanæ* regulam fuisse dicit, istiusmodi ordinationes omnes abolere & irritas declarare; quamquam in quibusdam locis eas admissas esse, fateatur; *Anisium* enim episcopum *Thessalonicensem* vna cum episcopis suis prouincialibus statuisse, recipiendos esse eos, quos *Bonosus* episcopus hæreticus *Macedoniæ* ordinasset; ne ab eius partibus porro starent, ac fieret non mediocre offendiculum ecclesiæ. *Liberius* non solum episcopos *Macedonianos* in communionem recipiebat, sed eis etiam in officio manere permittebat, quum fidei synodi *Nicænæ* subscriberent, pristinis hæresibus suis damnatis; sicut SOCRATES [q],

(n) Firmilian. ep. LXXV. ap. Cyprian. p. 221 (edit. Paris. MDCLXVI. p. 146. it. tom. I. concil. p. 754. b.) *Hæretico* sicut *ordinare non licet*, nec manum imponere; ita nec baptizare.

(o) Innoc. ep. XVIII. ad Alexandr. c. III. (tom. II. concil. p. 1269.) *Arianos* cæterasque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conuersos ad dominum sub imagine pœnitentiæ ac sancti spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, *non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cuiuspiam suscipi debere dignitate*: quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod vtique in nomine patris, & filii & spiritus sancti perficitur, nec Spiritum S. eos habere ex illo baptismate illisque mysteriis arbitramur: quoniam cum a catholica fide eorum auctores descifcerent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt.

(p) Id. ep. XXII. ad episc. Maced. c. V (ibid. p. 1274.) Anisii quondam fratris nostri, aliorumque consacerdotum summa deliberatio hæc fuit, *vt quos Bonosus ordinauerat, ne cum eodem remanerent ac fieret non mediocre scandalum ecclesiæ, ordinati reciperentur.* - - Iam ergo quod pro remedio ac necessitate temporis statutum est, constat primitus non fuisse,

(q) Socrat. lib. IV. c. XII. tot.

& SOZO-

& SOZOMENVS [r], nec non BASILIVS [ſ] aliique teſtificantur. In *Gallia*, *Clodouco* regnante, moris fuit, clericis *Arianis* ad fidem catholicam redeuntibus manus denuo imponere, vti ex concilio *Aurelianenſi* primo conſtat, quod hac de re eiusmodi decretum [t] fecit. Sed hoc fortaſſis non nouam ordinationem indicat, ſed gratiæ duntaxat conciliationem, manuum impoſitione declaratam, quali pœnitentes in abſolutione impertiri ſolebant. Sin minus, eccleſiam probat diuerſa agendi ratione in hoc caſu vti conſueuiſſe, prout nimirum e re ſua omnium optime futurum iudicauerit; interdum ad cuſtodiendam diſciplinam & errores vlciſcendos ordinationes irritas & inualidas declarando; nonnumquam, ad auertendas maiores animorum offenſiones populumque diſperſum vna cum ductoribus ſuis ad catholicæ fidei vnitatem eo felicius reducendum, ratas eas eſſe permittendo. Quo intuitu concilium generale *Epheſinum* [u] de

(r) Sozom. lib VI. c. X. Ἀποκηρύττουσι πᾶσαν αἵρεσιν ἐναντιουμένην τῇ πίστει τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου -- ὡς δὲ τούτων ἔγγραφον ὁμολογίαν αὐτῶν ἔλαβε Λιβέριος, ἐκοινώνησεν αὐτοῖς. Omnem hæreſin fidei Nicæni concilii aduerſantem reiecerunt -- harum rerum confeſſionem ſcriptis proditam cum Liberius ab ipſis accepiſſet, cum eis communicauit.

(ſ) Baſil. ep LXXIV. ad epiſcopos occident (tom. III p. 125. c.) Οὕτως ἀπελαθεὶς τῆς ἐπισκοπῆς, διὰ τὸ ἐν Μελιτινῇ προκαθῃρῆσθαι, ὁδὸν ἑαυτῷ τῆς ἀποκαταστάσεως ἐπενόησε, τὴν εἰς ὑμᾶς ἄφιξιν· καὶ τίνα μὲν ἔστιν, ἃ προετάθη αὐτῷ παρὰ τοῦ μακαριωτάτου ἐπισκόπου Λιβερίου· τίνα δὲ, ἃ αὐτὸς συνέθετο, ἀγνοοῦμεν· πλὴν ὅτι ἐπιστολὴν ἐκόμισεν ἀποκαθιστῶσαν αὐτὸν, ἣν ἐπιδείξας τῇ κατὰ Τύανα συνόδῳ, ἀποκατέστη τῷ τόπῳ. Ita epiſcopatu deiectus (Euſtathius) propterea quod iam Meletinæ depoſitus eſſet, viam ſibi ipſi, per quam reſtitueretur, excogitauit, eam videlicet, vt ad nos proficiſceretur. *Quæ vero ſint illi a beatiſſimo epiſcopo Liberio propoſita, & ad quæ conſenſit*, nobis clam eſt: niſi quod *epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur:* eam vbi ſynodo Tyanenſi exhibuit, in ſuum locum reſtitutus eſt.

(t) Conc Aurel. I. c X. (tom. IV. conc. p 1406.) De hæreticis clericis, qui ad fidem catholicam plena fide ac voluntate venerint -- id cenſuimus obſeruari, vt ſi clerici fideliter conuertuntur & fidem catholicam integre confitentur, vel ita dignam vitam morum & actuum probitate cuſtodiunt, officium, quo eos epiſcopus dignos eſſe cenſuerit, *cum impoſitæ manus benedictione* ſuſcipiant.

(u) Conc. Epheſ. act. VII. decret. contr. Meſſalianit. (tom. III. conc. p. 809.) Placuit, *vt* omnes, qui per vniuerſam prouinciam hæretici *Meſſaliani* vel Euthuſiaſtæ ſunt, vel de eius hæreſeos morbo ſuſpecti, ſiue clerici ſiue laici ſint, conueniantur: & ſi quidem anathematizauerint, iuxta ea, quo in prædicta ſynodo ſcripto pronuntiata ſunt, in ſcriptis; ſi clerici fuerint, *maneant clerici*; ſi laici ad communio-

Meſſa-

Messalianis, qui & *Euchetæ* & *Enthusiastæ* appellabantur, definiebat, si qui ex eorum clericis ad ecclesiam redire & pristinos errores suos in scriptis damnare vellent, eos in eadem statione, quam habuissent antea, mansuros; quod si renuerent, fore, vt & a clero & a gradu & a communione ecclesiæ arcerentur. Simile decretum concilium *Nicænum* [w] in gratiam clericorum *Novatianorum* fecisse creditur, impositione manuum, reconciliatæ concordiæ teste, per absolutionem non ordinationis iterationem eis adiudicata. Neque vero quicquam est certius, quam quod patres *Africani Donatistas* ita tractarint; AVGVSTINVS præsertim in omnibus scriptis suis non minus pro valore ordinationis quam pro valore baptismi hæreticorum loquitur; & porro dicit, quod, si ecclesiæ [x] expedire iudicet, vt episcopis de parte *Donati* ad ecclesiam redeuntibus ministrare non permittat, hoc ipso tamen ordinationem eorum validam esse, non neget, sed eam sartam tectam manere statuat. Et hoc est, quod AVGVSTINVS intelligit per *sacramenta ordinationis*, vt verba eius habent, seu indelebilem characterem hac ipsa impressum; quod, etiamsi quis apostata fiat, vel ob crimen aliquod ab officio ad tempus vel in perpetuum remoueatur, & ecclesia tamen ipsum, pœnitentia acta & præstita satisfactione, ad ministerium rursus admittendum iudicet, nouam ei ordinationem nihilo magis, quam nouum baptismum conferri necesse sit; quum vtriusque character integer maneat. Hæc ecclesiæ *Africanæ* & plerarumque aliarum, tempore AVGVSTINI, doctrina fuit atque consuetudo.

---

nem admittantur. Quod si renuerint anathematizare, si presbyteri vel diaconi fuerint, vel in alio quopiam gradu ecclesiæ, excidant & a clero, & a gradu, & a communione: laici vero anathematizentur.

(w) Concil. Nicæn. c. VIII. (tom. II. p. 32) Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. De his, qui se Catharos, id est puros, quandoque nominant, ad catholicam autem ecclesiam accedunt, sanctæ magnæ synodo visum est, vt *impositis eis manibus sic in clero maneant.*

(x) Aug. contr. Parmen. lib. II. c. XIII. Cum expedire hoc iudicatur ecclesiæ, vt præpositi eorum venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent; non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos.

LIBER QVINTVS
DE PRIVILEGIIS, IMMVNITATIBVS ET REDITIBVS CLERICORVM IN ECCLESIA PRIMITIVA.

CAPVT PRIMVM
EXEMPLA QVAEDAM REVERENTIAE, QVAM SIBI MVTVO EXHIBVERVNT CLERICI.

§. I.

Clerici fratribus suis necessitate quadam vrgente peregrinantibus victum præbere debebant.

Qvando de necessariis clericorum requisitis & diuersis consuetudinibus, in ipsorum designatione ad munera ecclesiastica obseruatis, hactenus edisseruimus: expediet iam proximo loco de reuerentia atque honore exponere, qui officii, quod gerebant, intuitu exhibitus eis fuit. Sub quo capite comprehendemus, quidquid ad priuilegia, exemtiones, immunitates & reditus veterum clericorum attinet. Nonnulla specialiora honoris, huic vel illi ordini peculiaris, signa iam recensita sunt, vbi de his ordinibus actum fuit: Nunc autem ea enarrabimus, quæ magis vniuersalia fuerunt & omnibus ordinibus communia. Atque heic non incommodum erit, primo loco de officio blandaque accipiendi & tractandi hospites ratione non nihil dicere, quam antiqui clerici inter se mutuo inire debuerint. Cuius rei duo vel tria exempla obseruasse, in præsenti sufficerit. Primum quidem, vbicumque vrgente quadam necessitate peregrinabantur, a fratribus suis de clero in omnibus locis e publicis ecclesiæ reditibus foueri & ali eos oportebat: & flagitio vertebatur episcopo vel alii cuidam clerico, ecclesiæ hospitalitatem repudiare ab alioque eam accipere. SOCRATES & SOZOMENVS [a] historici *Epipha-*

(a) Socrat lib. VI c. XII τὴν μὲν προτροπὴν Ἰωάννου ἐξέκλινε, θεραπείαν καὶ ξενίας, ἐν ἰδιωτικῷ δὲ καταλύει οἴκῳ. *Ioannis quidem, a quo inuitaba-*

nium

nium hoc nomine tacite reprehendunt, quod, quum ad vrbem *Constantinopolin* venisset, vbi *Chrysostomus* omnem reuerentiam ac honorem ei exhibuerit, misso in occursum eius vniuerso clero salutans ipsum & inuitans, vt in ædibus ecclesiasticis more consueto manere vellet, repudiato, quod ita liberaliter obtulerit *Chrysostomus*, hospitio, in priuatum quoddam domicilium diuerterit. Hoc pro diremtæ catholicæ cum ipso coniunctionis signo habitum fuit; quod euentus etiam comprobauit. Eo enim consilio venerat a *Theophilo* ecclesiæ *Alexandrinæ* episcopo instigatus, vt actionem ei intenderet. Ab altera parte, si cui de clero tali occasione negaretur ecclesiæ hospitalitas, crimen multo minus excusabile erat, & pro asperrimo coniunctionem repudiandi modo reputabatur. Hinc FIRMILIANVS [*b*] grauiter perstringit *Stephanum* papam, quod ferociter & virum christianum minus decenter erga episcopos *Africanos*, ad ipsum ab ecclesiis suis legatos, sese gesserit, „vt eos nec ad sermonem col„loquii communis admiserit, adhuc præceperit vniuersæ fra„ternitati, vt venientibus non solum pax & communio sed & „tectum & hospitium negaretur.„ Quæ tanto maior eorum fuit despectio atque offensio, quod vulgares quique christiani, si litteris commendatitiis ab ecclesia sua instructi iter facerent, hoc priuilegium ex contesseratione hospitalitatis, quemadmodum TERTVLLIANVS [*c*] id exprimit, sibi vindicare, adeoque multo magis episcopi & clerici alii ab aliis deposcere poterant. Per leges ecclesiæ *Africanæ* cuilibet episcopo, nomine legati de synodo prouinciali ad sic dictam generalem seu plenam synodum proficiscenti, omnia in itinere necessaria ex liberalitate ecclesiæ

tur, refugit, vt gratificaretur Theophilo: in priuato autem quodam domicilio diuersatus est.

Sozom. lib. VIII. c. XIV. Ὁ δὲ Ἰωάννης εἰσιόντα αὐτὸν, τῇ ὑπαντήσει τοῦ παντὸς κλήρου ἐτίμησεν· Ἐπιφάνιος δὲ δῆλος ἦν εἴξας ταῖς κατ' αὐτοῦ διαβολαῖς· προτραπεὶς γὰρ ἐν οἰκήμασιν ἐκκλησιαστικοῖς καταμένειν, οὐκ ἠνέσχετο. Eum ingredientem Ioannes occursu cleri totius honorauit. At vero Epiphanius perspicue declarauit, quod calumniis aduersus Ioannem concinnatis fidem habuisset. *Inuitatus* enim *vt in ædibus ecclesiasticis manere vellet, neutiquam acquieuit.*

(*b*) Firmilian. ep. LXXV. ap. Cyprian. p. 228. (tom. I. conc. p. 760 b.)

(*c*) Tertull. de præscript. c. XX. Dum est illis communicatio pacis & appellatio fraternitatis & *contesseratio hospitalitatis.*

ſuppeditanda erant: quemadmodum ex canone quodam concilii *Carthaginenſis* [*d*] tertii videre eſt, qui binos duntaxat aut ternos ex qualibet prouincia legatos mitti iubet; vt ita & minus inuidioſi *minusque hoſpitibus ſumtuoſi exiſtant*. Hoc argumento eſt, vnamquamque eccleſiam, conſuetudine ſaltem id requirente, ad hoſpitium tranſeuntibus illis præbendum obligatam fuiſſe.

§. II.

Et indulgere eis honoris cauſſa euchariſtiam conſecrandi priuilegium.

Aliud conſuetæ reuerentiæ, quam clerici ſibi mutuo exhibere debebant, exemplum erat, quod, quum epiſcopus aliquis vel presbyter ad extraneam quamdam veniret eccleſiam, ſacris operandi atque euchariſtiam conſecrandi in eccleſia munus honoris cauſſa eis offerri oportebat. Hæc admodum antiqua fuit conſuetudo, vti ex iis pateſcit, quæ de *Aniceto* epiſcopo *Romano* narrat IRENAEVS, quod quum *Polycarpus Romam* veniſſet, controuerſiam de paſchatis celebratione cum ipſo compoſiturus, παρεχώρησεν τὴν εὐχαριςίαν τῷ Πολυκάρπῳ [*e*], quo non ſimpliciter ſignificatur, quod *euchariſtiam ei porrexerit*, vti primi interpretes EVSEBII reddiderunt; ſed *locum* ſeu *libertatem conſecrandi in eccleſia ſua ei conceſſerit*. Concilium *Arelatenſe*, quod hanc conſuetudinem in legem commutauit, eadem verborum forma hac de re vtitur [*f*], *De epiſcopis peregrinis*, inquiens, *qui in vrbem ſolent venire, placuit eis locum dari, vt offerant*. Et concilium *Carthaginenſe* quartum adhuc planius: *Epiſcopi vel presbyteri ſi cauſ-*

(*d*) Conc. Carth. III c. II (tom. II. p. 1167.) Placuit, vt propter cauſſas eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebium ſæpe veteraſcunt, ſingulis quibusque annis concilium conuocetur. Ad quod omnes prouinciæ, quæ primas ſedes habent, de conciliis ſuis *ternos legatos mittant*, *vt & minus inuidioſi minusque hoſpitibus ſumtuoſi* conuentus plena poſſit eſſe auctoritas.

(*e*) Iren. ep. ad Victor. ap. Euſeb. lib V. c. XXIV. Τούτων οὕτως ἐχόντων ἐκοινώνησαν ἑαυτοῖς· καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν εὐχαριςίαν τῷ Πολυκάρπῳ κατ᾽ ἐντροπὴν δηλονότι, καὶ μετ᾽ εἰρήνης ἀπ᾽ ἀλλήλων ἀπηλλάγησαν. Quæ cum ita ſe haberent, communicarunt ſibi inuicem: Et *Anicetus in eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſſa conceſſit*; tandemque cum pace a ſe inuicem diſceſſerunt.

(*f*) Conc. Arelat I. c. XIX. (tom. I. p. 1429.)

ſa

ſa [g] *viſitandæ eccleſiæ ad alterius eccleſiam venerint, in gradu ſuo ſuſcipiantur, & tam ad verbum faciendum quam ad oblationem conſecrandam inuitentur.* Ita ad omnem honorem, quem eis eccleſia exhibere poterat, admittendi erant; epiſcopus collegam ſuum in eodem ſolio iuxta ſe collocare, & presbyteri idem collegis ſuis facere debebant. Hoc enim canon per ſuſceptionem eorum in gradu ſuo intelligit. Quæ conſuetudo ab epiſcopis catholicis in collatione *Carthaginenſi* [h] adlegatur, vbi epiſcopis *Donatiſtis* promittunt, ſi ad eccleſiam redire vellent, fore, vt apud ſe collegarum loco habeantur, ſedentes eodem throno, *ſicut peregrino epiſcopo iuxta conſidente collega. Conſtitutionum apoſtolicarum* [hh] auctor hæc omnia coniungit. *Si quis frater*, inquit, *ex parœcia aduenerit --- ſi epiſcopus fuerit, cum epiſcopo ſedeat, eodem honore ab eo acceptus. Rogabisque eum, epiſcope, vt ſermonem habeat ad populum docendi cauſſa. -- Deinde, epiſcope, committes ei, vt offerat euchariſtiam: ſi vero tamquam ſapiens propter reuerentiam erga te, quo tibi honorem ſeruet, offerre noluerit, coge, vt ſaltem benedicat populo.*

§. III.

Litterarum formatarum *ſeu commendatitiarum vſus hoc intuitu.*

Obſeruandum autem heic eſt, hunc honorem peregrinis non fuiſſe exhibitum, vt mere peregrinis, ſed quatenus interdum orthodoxiam ac fidem catholicam eccleſiæ, ad quam veniebant, teſtatam facere poterant. Atque hoc reſpectu *litterarum ſyſtaticarum* ſeu commendatoriarum, vti eas appellitabant, magnus vſus erat in eccleſia. Nullum enim peregrinum ne ad ſacram euchariſtiam quidem percipiendam, multo minus conſecrandam in eccleſia, vbi vere peregrinus erat, ſine litteris epiſcopi ſui admitti licebat, vt ne qua ſubreptitia, vel *paſſiua*, quemadmodum canones [i] eam appellant, fieret *communio.* Et

(g) Conc. Carth. IV. c. XXXIII. (tom. II p. 1203.)

(h) Collat Carthagin. d e I. c. XVI. (ibid. p. 1352.)

(hh) Εἴ τις ἀπὸ παροικίας ἀδελφὸς ἐπέλθῃ - - εἰ ἐπίσκοπος, σὺν τῷ ἐπισκόπῳ καθεζέσθω τῆς αὐτῆς ἀξιούμενος ὑπ' αὐτοῦ τιμῆς, καὶ ἐρωτήσεις αὐτὸν ὦ ἐπίσκοπε, προσλαλῆσαι τῷ λαῷ λόγους διδακτικούς - - ἐπιτρέψεις δ' αὐτῷ καὶ τὴν εὐχαριστίαν ἀνοῖσαι· ἐὰν δὲ δι' εὐλάβειαν ὡς σοφὸς τὴν τιμήν σοι τηρῶν μὴ θελήσει ἀνενεγκαι· κἂν εἰς τὸν λαὸν εὐλογίαν αὐτὸν ποιήσασθαι καταναγκάσεις.

(i) Conc. Carth. I. c. VII. (tom. II. p. 616.) Clericus vel laicus non communicet in

 epiſco-

episcopi eadem lege litteras a metropolitano suo accipere tenebantur, si qua necessitate vrgente, in extraneam prouinciam iter facere instituerent, in qua alias nosci haud poterant. Concilium *Carthaginense* tertium [k] canonem habet huc spectantem: *Placuit, vt episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ sedis episcopo suæ cuiusque prouinciæ, vt ab eo præcipue possint sumere formatam*, hoc est litteras commendatitias. Et eamdem hanc disciplinam in omnibus ecclesiis obseruatam fuisse, e quodam ecclesiæ *græcæ* canone inter eos, qui vulgo apostolici dicuntur, liquido apparet, qui *Nullus*, inquit [l], *externorum episcoporum, vel presbyterorum, vel diaconorum* ἄνευ συστατικῶν, *sine commendatitiis, recipiatur: iisque afferentibus, examinentur. Sin minus, iis quæ sunt necessaria, aliis exhibitis, ad communionem ne admittantur: multa enim per subreptionem fiunt.* Versio quidem DIONYSII EXIGVI & necessaria iis denegat: sed manifesta hæc est textus *græci* corruptio, qui ipsis in externis rebus bonis communicari permittit, non autem in communione ecclesiastica. Et hoc est, quod per *communionem peregrinam* veteres intellexisse, nonnulli existimant, quando ii, qui sine litteris commendatitiis abierant peregre, li-

aliena plebe sine litteris episcopi sui; nisi hoc obseruatum fuerit, *communio* fiet *passiua*.

Conc. Laodic. c. XLI. (tom. I. p. 1504.) Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικὸν ἢ κληρικὸν ἄνευ κανονικῶν γραμμάτων ὁδεύειν. Quod non oportet eum, qui est sacratus vel clericus, *sine canonicis litteris* iter ingredi.

Conc. Antioch. c. VII. (tom. II. p. 564.) Μηδένα ἄνευ εἰρηνικῶν δέχεσθαι τῶν ξένων, Nullus externus *sine pacificis* suscipiatur.

Conc. Agath. c. XXXVIII. (tom. IV. p. 1389) Clericis *sine commendatitiis* epistolis episcopi sui licentia non pateat euagandi.

Conc. Chalced. c. XI. (ibid. p. 761.) Πάντας τοὺς πένητας καὶ δεομένους ἐπικουρίας, μετὰ δοκιμασίας, ἐπιστολίοις, εἴτουν εἰρηνικοῖς ἐκκλησιαστικοῖς μόνοις ὡρίσαμεν ὁδεύειν, καὶ μὴ συστατικοῖς· διὰ τὸ τὰς συστατικὰς ἐπιστολὰς προσήκειν τοῖς οὖσι μόνοις ἐν ὑπολήψει παρέχεσθαι προσώποις. Omnes pauperes & qui exilio indigent, cum examinatione, cum epistolis seu pacificis ecclesiasticis solis viam ingredi statuimus & non cum commendatitiis: quoniam litteras commendatitias iis solis personis, quæ sunt suspectæ, præberi oportet

(k) Conc. Carth. III. c. XXVIII. (tom. II. p. 1171.)

(l) Canon. apost. XI. (mihi XXXII. tom. I. concil. p. 31.) Μηδένα τῶν ξένων ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων ἄνευ συστατικῶν προσδέχεσθαι· καὶ ἐπιφερομένων αὐτῶν, ἀνακρινέσθωσαν· εἰ δὲ μήγε, τὴν χρείαν αὐτοῖς ἐπιχορηγήσαντες, εἰς κοινωνίαν αὐτοὺς μὴ προσδέξησθε· πολλὰ γὰρ κατὰ συναρπαγὴν γίνεται.

berali

berali hoſpitio excepti & rebus neceſſariis inſtructi, non autem ad euchariſtiam participandam admiſſi fuerunt, quod vitæ morumque teſtimonio non eſſent muniti. Alii autem aliam huius appellationis adferunt rationem, quam examinabo curatius, vbi de diſciplina eccleſiaſtica verba facienda erunt, ſub quo capite *communio peregrina*, tamquam genus quoddam cenſuræ eccleſiaſticæ, conſiderari debebit.

§. IV.

Clerici controuerſias ſuas quaſcumque dirimere inter ſemetipſos debebant.

Tertium aliquod reuerentiæ, quam clerici ſibi mutuo exhibuerunt, exemplum erat, quod, ſi qua inter ipſos ſubnata eſſet controuerſia, libere inter ſe conſtituerent ſine prouocatione ad ciuilis magiſtratus iudicium, epiſcopis ſuis & conciliis eam dirimendam tradere. Epiſcopi, vti iam oſtendimus [*ll*] antea, legibus imperialibus acceptam habebant poteſtatem, cauſſas ſæculares pecuniarias inter ipſos laicos noſcendi atque decidendi, ſi vtraque pars litigans de ipſis arbitris eligendis conſenſiſſet: ſed inter clericos ſpeciali iſtiusmodi compromiſſo opus non erat, ſed per leges & canones eccleſiaſticos generali cuidam obligationi ſubmiſſi erant, vt ne alii aliis moleſtiam coram magiſtratu ciuili faceſſerent, ſed lites ſuas quaſcumque eccleſiaſtici cuiusdam tribunalis cognitioni diiudicandas demandarent. Sed res aliter quodammodo ſe habebat, ſi quis laicus & clericus neceſſitate quadam adacti rem aliquam in iudicium ſimul deducerent: Nam tunc laico integrum erat forum ſuum eligere, neque cauſſam ſuam ad vllum eccleſiaſticum iudicem deferre cogebatur, niſi ex compromiſſo iſti obligationi ipſe ſeſe ſubieciſſet. Ita enim legibus imperialibus [*m*] hac in re cautum erat. Quamquam in *Gallia* tempore regum *Gothicorum* ſecus fiebat: „ibi enim clericum in iudicium ſæculare vocare, ſine permiſſu epiſcopi laico non licebat; quomodo ex aliquo concilii *Agathenſis* [*n*] canone, ſub *Alarico* ad annum DVI. facto, apparet, qui

(*ll*) Lib. II. c. VII. vol. I. p. 123. ſeqq.

(*m*) Valentin. nouell. XII. ad calcem cod. Theod. In clerico petitore conſequens erit, vt ſecundum leges pulſati forum ſequatur, ſi aduerſarius ſuus ad epiſcopi vel presbyteri audientiam non præſtat adſenſum.

(*n*) Conc. Agath. c. XXXII. (tom. IV. conc. p. 1388.) Clericus ne quemquam præſu-

& lai-

& laicum a clerico ad iudicem ſæcularem deterri, & vlli actioni, contra eum ibi inſtitutæ, reſponderi prohibet. Sed quæcumque differentia inter leges *Romanas* & *Gothicas* hac in parte interceſſerit, manifeſtum eſt, quod omnes controuerſias inter ipſos clericos exortas a iudicibus eccleſiaſticis decidi oportuerit; quemadmodum e quodam concilii *Chalcedonenſis* canone conſtat, qui ita habet: *Si quis clericus habet cum clerico litem aut negotium, proprium epiſcopum non relinquat & ad* [*o*] *ſæcularia iudicia non excurrat: ſed cauſſam prius apud proprium epiſcopum agat: vel de epiſcopi ſententia apud eos, quos vtraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis pœnis ſubiiciatur.* Quæ pœna in eccleſia *Africana* erat loci, hoc eſt dignitatis, amiſſio, quemadmodum hoc in caſu concilium *Carthaginenſe* tertium [*p*] decrevit, *Placuit*, inquiens, *vt quisquis epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum ſeu clericorum, cum in eccleſia ei crimen fuerit intentatum, vel ciuilis cauſſa fuerit commota, ſi relicto eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat & hoc in criminali iudicio. In ciuili vero perdat quod euicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos iudices vndique patet auctoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio iudicat, qui de vniuerſa eccleſia male ſentiendo, de iudicio ſæculari poſcit auxilium.* Concilia multa alia eamdem cauſſam eodem modo definiunt, vt *Veneticum* [*q*], *Cabillonenſe* [*r*] & *Matiſconen-*

mat apud ſæcularem iudicem, epiſcopo non permittente, pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat (NB. in Labbei edit. lego: reſpondeat) non proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio ſæculari proponere.

(*o*) Concil. Chalced. c. IX. (ibid p. 759) Εἴ τις κληρικὸς πρὸς κληρικὸν πρᾶγμα ἔχει, μὴ καταλιμπανέτω τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον, ϗ ἐπὶ κοσμικὰ δικαστήρια κατατρεχέτω· ἀλλὰ πρότερον τὴν ὑπόθεσιν γυμναζέσθω παρὰ τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ, ἢ γοῦν γνώμῃ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου, παρ' οἷς τὰ ἀμφότερα μέρη βούλεται, τὰ τῆς δίκης συγκροτείσθω· εἰ δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσει, κανονικοῖς ὑποκείσθω ἐπιτιμίοις.

(*p*) Conc. Carth. III. c. IX. (tom. II. p. 1168.)

(*q*) Conc. Venetic. c. IX. (tom. IV. p. 1056.) Clericis, niſi ex permiſſu epiſcoporum ſuorum, ſæcularia iudicia adire non liceat.

(*r*) Conc. Cabillon. I. c. XI. (tom. VI. p. 389. 390) Peruenit ad ſanctam ſynodum, quod iudices publice contra veternam conſuetudinem per omnes parochias, vel monaſteria, quæ mos eſt epiſcopis circuire, ipſi illicita præſumtione videantur diſcurrere; etiam & clericos vel abbates, vt eis proponant, inuitos atque diſtri-

ſe

ſe [s]. Et concilium *Mileuetianum* [t.u.] ſtatuit, vt ne quis ab imperatore iudices ſæculares ſibi petat, ſed tantum eccleſiaſticos, honoris priuationem denuntians ſecus facientibus. Tantam fiduciam clerici alii in aliis collocabant, tantumque fratrum ſuorum prudentiæ, integritati ac iudicio ſtatuebant pretium, vt tunc ad ſæculares iudices iuſtitiæ cauſſa ire minus neceſſarium eſſe crederent, omnes controuerſias ſuas ſuos intra parietes componere geſtientes. In quo inſtituto quum leges imperiales eos non impedirent ſed confirmarent potius, raro de eccleſiaſticis quoſpiam huic mori ſe oppoſuiſſe, legas, niſi factioſi eſſent atque turbulenti, aut eiusmodi deſignaſſent flagitia, vt cauſſam haberent metuendi, ne pœna eccleſiaſtica ſibi irrogaretur.

§. V.

Quæ cura in accipiendis contra epiſcopos & clericos eccleſiæ accuſationibus adhibita fuerit.

Vnum tantum, quod huc ſpectat, obſeruandum fuerit, nimirum, quantam rationem habuerint mutuæ exiſtimationis & dignitatis clerici; quæ res quum ſacra eſſet & neceſſaria in viris, iſtiusmodi munera gerentibus, malitioſis cuiusuis plebeii & falſi accuſatoris calumniis ac obtrectationibus eam exponi, haud æquum eſſe iudicabant. Sed primum in omnibus accuſationibus, ſpeciatim contra epiſcopos, duorum aut trium teſtium teſtimonia, ex præſcripto apoſtoli, requirebantur. Quocirca

ctos ante ſe faciant exhiberi: quod omnimodis nec religioni conuenit nec canonum permittit auctoritas. Vnde omnes vnanimiter cenſuimus ſentientes, vt deinceps iſta debeant emendare: & ſi præſumtione, vel poteſtate, qua pollent, exceptione, inuitatione abbatis vel archipresbyteri, in ipſa monaſteria vel parochias aliquid fortaſſe præſumſerint, a communione omnium ſacerdotum eos conuenit ſequeſtrari.

(s) Conc. Matiſcon. c. VIII. (tom. V, p. 968.) Vt nullus clericus ad iudicem ſæcularem quemcumque alium fratrem de clericis accuſare, aut ad cauſſam dicendam trahere quocumque modo præſumat, ſed omne negotium clericorum, aut in epiſcopi ſui, aut in presbyterorum, vel archidiaconi præſentia finiatur. Quod ſi quicumque clericus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat; ſin certe honoratior, triginta dierum concluſione mulctetur.

(t. u.) Conc. Mileuet. c. XIX. (tom. II. p 1541.) Placuit, vt quicumque ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem epiſcopale iudicium ab imperatore poſtulauerit, nihil ei obſit.

quum ſynodus *Antiochena* ex vnius tantum teſtimonio *Euſtathium* epiſcopum *Antiochenum* damnaſſet, hiſtoricus [w] id ipſum culpat, tamquam agendi modum contrarium regulæ apoſtolicæ, *Aduerſus presbyterum accuſationem ne recipito, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Deinde in horum teſtium exiſtimationem inquirendum erat prius, quam eorum teſtimonium admitteretur. Hæretico adverſus epiſcopum teſtimonium dicere non licebat, quemadmodum ex canonibus, qui apoſtolis vulgo tribuuntur, colligi poteſt, quorum aliquis vtrumque coniungit [x]: *In teſtimonium adverſus epiſcopum hæreticus ne admittatur: ſed nec vnus ſolus fidelis. In ore enim duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* ATHANASIVS huius legis priuilegium pro ſe adlegabat, quum accuſatus eſſet, quod *Macarius* presbyter eius, ipſo permittente, calicem confregiſſet. Vrgebat [y], accuſatores ſuos eſſe *Meletianos*, qui-

(w) Theod. hiſt. lib. I. c. XXI. Ἐκείνης μηδένα σχεῖν μάρτυρα τῆς κατηγορίας λεγούσης, ὅρκον πρoύτειναν οἱ δικαιότατοι δικασαί· καίτοι τοῦ νόμου διαῤῥήδην βοῶντος, ἐπὶ δύο καὶ τριῶν μαρτύρων εἶναι βέβαια τὰ λεγόμενα· καὶ ἄντικρυς τοῦ ἀποςόλου κελεύοντος, μὴ δὲ κατὰ πρεσβυτέρου γινομένην γραφὴν δίχα δύο ἢ τριῶν μαρτύρων προσδέχεσθαι· ἀλλὰ τῶν θείων οὗτοι νόμων καταφρονήσαντες, ἀμάρτυρον κατ' ἀνδρὸς τοσούτου κατηγορίαν ἐδέξαντο· ἐπειδὴ δὲ οἷς εἶπεν ἐκείνη τὸν ὅρκον προστέθεικε, βοῶσα οὗ μὴν Ευςαθίου τὸ βρέφος εἶναι, ὡς κατὰ μοιχοῦ λοιπὸν οἱ φιλαλήθεις τὴν ψῆφον ἐξήνεγκαν. κ. τ. λ. Cum illa neminem obiecti criminis teſtem habere ſe diceret, æquiſſimi iudices iusiurandum ei detulerunt: idque quamuis lex diſerte clamet, ea quæ dicuntur, duorum aut trium teſtimonio confirmari oportere: & apoſtolus aperte præcipiat, ne quidem contra presbyterum admittendam eſſe accuſationem abſque duobus aut tribus teſtibus. Verum iſti contemtis diuinis legibus, contra tantum virum accuſationem ſine vllo teſte admiſerunt. Itaque cum mulier dicta ſua addito iureiurando confirmaſſet, clamans infantem reuera Euſtathii eſſe, ſtatim iudices veritatis ſtudioſi tamquam aduerſus adulterum ſententiam tulerunt. cætera.

(x) Canon. apoſt. c. LXXIV. Εἰς μαρτυρίαν τὴν κατ' ἐπισκόπου αἱρετικὸν μὴ προσδέχεσθαι, ἀλλὰ μηδὲ πιςῶν ἕνα μόνον· ἐπὶ ςόματος γὰρ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων ςαθήσεται πᾶν ῥῆμα.

(y) Athan. apol. ad Conſtant tom. I. p. 731. (p. 295 C. edit. Par. MDCXCVIII.) Προσθήκη πρὸς φανερὰν ἀπόδειξιν, εἰ καταξιώσειας μαθεῖν, ὅτι παρόντων μὲν ἡμῶν οὐδὲν ἀπέδειξαν οἱ κατηγοροῦντες κατὰ Μακαρίου τοῦ πρεσβυτέρου· ἀπόντων δὲ ἡμῶν, κατὰ μόνας ἔπραξαν ἅπερ ἠθέλησαν· τὰ δὲ τοιαῦτα προηγουμένως μὲν ὁ θεῖος νόμος, ἔπειτα δὲ καὶ ἡμέτεροι νόμοι μηδεμίαν ἔχειν δύναμιν ἀπεφήναντο. Ecce nouam his licet euidentiſſimis argumentis acceſſionem (ſi modo illud etiam ediſcere digneris) præſentibus ſcilicet nobis nihil probaſſe accuſatores aduerſus Macarium presbyterum, abſentibus arbitrio ſuo rem geſſiſſe.

bus,

bus, vtpote ſchiſmaticis & eccleſiæ hoſtibus, fidem haberi haud liceret. A concilio *Carthaginenſi* ſecundo non hæretici tantum ſed alii quique criminibus, publicam offenſionem habentibus, irretiti, (z) aduerſus maiores natu quoscumque in eccleſia teſtimonium dare prohibentur. Concilium generale *Conſtantinopolitanum* primum cauſſas diſtinguit, de quibus accuſatio aduerſus epiſcopum fieri poſſit. Poterat enim quis priuatam habere querelam, quod nimirum detrimento aliquo vel iniuria aliqua ab ipſo adfectus eſſet: quo in caſu accuſatio, nulla dignitatis vel religionis accuſatoris habita ratione, audienda erat. Oportebat enim epiſcopi conſcientiam eſſe omnibus modis liberam, & eum, qui iniuriam ſibi factam eſſe dicebat, cuiuscumque eſſet religionis, ius ſuum conſequi. Si autem eſſet crimen mere eccleſiaſticum, quod epiſcopo intendebatur, tunc examinari perſonas accuſatorum oportebat; vt hæreticis non liceret orthodoxos epiſcopos [a] pro rebus eccleſiaſticis accuſare. Præterea autem & ſi aliqui eorum ab eccleſia ob aliquas cauſſas prius condemnati & eiecti vel excommunicati eſſent, ſiue ex clero, ſiue ex laicorum ordine, nec eis licebat epiſcopum accuſare, priusquam proprium crimen abſterſiſſent. Similiter autem & ii, qui prius rei facti accuſatique erant, non prius ad epiſcopi vel aliorum clericorum accuſationem erant admittendi, quam ſe obiectorum ſibi criminum inſontes oſtendiſſent. Concilium *Chalcedonenſe* [b] addit, *Clericos vel laicos, epiſcopos aut cleri-*

Cuiusmodi acta minime valere, primo diuinis, deinde noſtris legibus decernitur.

(z) Conc. Carth. II. c. VI. (tom. II. conc. p. 1160.) Placet vt is, qui aliquibus ſceleribus irretitus eſt, vocem aduerſus maiores natu non habeat accuſandi.

(a) Conc. Conſtant. general. I. c. VI. (tom. II. p. 950.) Εἰ ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἐπιφερόμενον ἔγκλημα τῷ ἐπισκόπῳ, τότε δοκιμάζεσθαι χρὴ τῶν κατηγορούντων τὰ πρόσωπα· ἵνα πρῶτον μὲν αἱρετικοῖς μὴ ἐξῇ κατηγορίας κατὰ τῶν ὀρθοδόξων ἐπισκόπων ὑπὲρ ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων ποιεῖσθαι· - - ἔπειτα δὲ καὶ εἴ τινες τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐπὶ αἰτίαις τισι προκατεγνωσμένοι εἶεν καὶ ἀποβεβλημένοι, ἢ ἀκοινώνητοι - μηδὲ τούτοις ἐξεῖναι κατηγορεῖν ἐπισκόπου, πρὶν ἂν τὸ οἰκεῖον ἔγκλημα πρότερον ἀποδύσωνται· ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς ὑπὸ κατηγορίαν προλαβοῦσαν ὄντας, μὴ πρότερον εἶναι δεκτοὺς εἰς ἐπισκόπου κατηγορίαν, ἢ ἑτέρων κληρικῶν, πρὶν ἂν ἀθώους ἑαυτοὺς τῶν ἐπαχθέντων αὐτοῖς ἀποδείξωσιν ἐγκλημάτων.

(b) Conc. Chalced. c. XXI. (tom. IV. p. 766.) Κληρικοὺς, ἢ λαϊκοὺς, κατηγοροῦντας ἐπισκόπων, ἢ κληρικῶν, ἁπλῶς καὶ ἀδοκιμάστως μὴ προσδέχεσθαι, εἰ μὴ πρότερον ἐξετασθῇ αὐτῶν ἡ ὑπόληψις.

eos accusantes, non indiscriminatim, nec citra inquisitionem ad accusationem recipi debere, nisi eorum existimatio prius examinata fuerit. Tantam hac in re adhibebant sollicitudinem, vt ne existimationem clericorum improbis consiliis vel sceleratis conspirationibus profligatissimorum quorumque hominum, quos malitia sua ad eos accusandos induceret, exponi sinerent. Denique si qua falsa siue publice siue priuatim fieret accusatio, in delinquentem seuere ac vehementer vindicabatur. *Si quis clericus,* inquit canon quidam [c] apostolicus, *episcopum contumelia adfecerit, deponatur, scriptum enim est: principi populi tui non maledices.* Et canon quidam concilii *Illiberritani* [d] dicit, *Si quis episcopum vel presbyterum aut diaconum falsis criminibus appetierit & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem.* Quæ vsitata pœna erat, quæ ab isto concilio grandibus & publice notis sceleribus constituebatur; quam ob caussam nonnulli ecclesias *Hispanicas Novatianismi* insimulauere, sed sine ratione, vti ostendemus, quando de disciplina ecclesiæ agendum erit. Heic obseruasse sufficiat, quod hoc in maximis criminibus posuerint, siquidem istiusmodi maleficis externam ecclesiæ pacem in ipsa mortis hora concedere recusarunt. Plura alia similis obseruantiæ exempla heic addi possent, sed ex his paucis lector iudicare poterit, quanta cum probitate & humanitate primitiuæ ecclesiæ clerici excipere atque tractare sese mutuo debuerint. Et præclare vtique cum omnibus ætatibus actum putauerim, si iisdem vestigiis institissent, & tam egregium exemplum imitando exprimere adlaborassent.

LIBRI QVINTI
CAPVT SECVNDVM
EXEMPLA REVERENTIAE CLERICIS A CIVILI MAGISTRATV EXHIBITAE. VBI SPECIATIM DE EORVM EXEMTIONE A SAECVLARIS IVDICII IN REBVS ECCLESIASTICIS COGNITIONE.

(c) Canon. apost. c. XLVII. (tom. I. conc. can. LIV. p. 38.) *Εἴ τις κληρικὸς ὑβρίζει τὸν ἐπίσκοπον, καθαιρείσθω· ἄρχοντα γὰρ τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς.*

(d) Conc. Illiberrit. c. LXXV. (tom. I. p. 978.)

§. I.

§. I.

Episcopi non arcessendi in iudicium sæculare ad dicendum testimonium.

Considerata ea, quam clerici mutuo sibi exhibuerunt, reuerentia, consultum fuerit loqui de honoribus, quibus ciuiles magistratus prosequi eos consueuerunt, qui maiores fuerunt vel minores, prout vel inclinatio & pietas imperatorum eos decerneret, vel temporum ratio requireret. Honores illi præcipue in hoc consistebant, vt a quibusdam rebus molestioribus, quibus alii obnoxii erant, exemti & certis priuilegiis ac immunitatibus, quas alii non habebant, donati essent. Istiusmodi reuerentiæ exemplum erat, quod leges IVSTINIANI [a] omnibus episcopis indulserant, vt nullus sæcularis iudex eos in iudicium ad dicendum coram se testimonium posset arcessere, sed de ministris suis quosdam, qui ex ore illorum intra priuatos parietes illud exciperent, mittere ad ipsos necesse haberet. Hæc lex etiam in codice *Iustinianeo* [b] repetitur, ibique a *Theodosio magno* primum lata dicitur; cuius lex quædam adhuc iisdem verbis exstat in codice *Theodosiano* [c]. GOTHOFREDVS vero hanc legem tamquam a *Theodosio* primum sancitam nihil amplius velle putat, quam clericos exemtos esse debere ab obligatione ad reddendam ciuilibus magistratibus rationem de iudiciis seu sententiis, quas de caussis sæcularibus, ipsorum arbitrio permissis, ipsi tulissent. Et manifestum quidem est, phrasin legis *ad testimonium deuocari* & εἰς μαρτυρίαν ἐπικαλεῖσθαι a patribus *Africanis* in concilio *Carthaginensi* quinto hoc sensu accipi, vbi decerni-

(a) Iustin. nouel. CXXIII. c. VII. Οὐδενὶ τῶν ἀρχόντων ἐξέσαι τὺς θεοφιλεςάτυς ἐπισκόπυς ἀναγκάζειν εἰς δικαςήριον παραγενέσθαι ὑπὲρ τῦ νεῖμαι μαρτυρίαν· ἀλλ᾽ ὁ δικαςὴς πεμπέτω πρὸς αὐτὺς τινὰς ἐκ τῶν προσώπων τῶν ὑπηρετυμένων αὐτῷ, ἵνα προκειμένων τῶν ἁγίων εὐαγγελίων, κατὰ τὸ πρέπον ἱερεῦσι, εἴπωσι ἅπερ γινώσκυσιν. *Nulli iudicum licebit*, Deo amabiles *episcopos cogere ad iudicium venire pro exhibendo testimonio*: sed iudex mittat ad eos quosdam ex personis ministrantium sibi: vt propositis sanctis euangeliis secundum quod decet sacerdotes, dicant quæ nouerint.

(b) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episc. leg. VII. Imperator Theodosius dixit, *nec honore nec legibus episcopus ad testimonium flagitetur.*

(c) Cod. Th. lib. XI. tit. XXXIX. de fide testium leg. VIII.

tur [d], *Petendum ab imperatoribus, vt ſtatuere dignentur, vt ſi qui forte in eccleſia quamlibet cauſſam, iure apoſtolico eccleſiis agere voluerint, & fortaſſe deciſio clericorum vni parti diſplicuerit, non liceat CLERICVM IN IVDICIVM AD TESTIMONIVM DEVOCARI eum, qui cognitor vel præſens* (forſan *præſes*) *fuerit. Et nulla ad teſtimonium dicendum eccleſiaſtici cuiuslibet perſona pulſetur.* Hoc non eo ſpectabat, vt clerici generatim a dicendo teſtimonio in ſæculari iudicio eximerentur, ſed eo tantum, vt a rixoſorum & turbulentorum hominum inſectatione liberarentur, qui quum ipſos arbitros elegiſſent, eorum arbitrio ſtare nolebant, ſed coram ciuilibus iudicibus eos perſequebantur, quaſi ſententiam contra ipſos adverſæ partis ſtudio dixiſſent. Et quamuis eiusmodi turbas eis dare legi eſſet contrarium, quia, vt alio loco [*dd*] oſtendimus, omnes iſtiusmodi ſententiæ abſolute decretoriæ erant, a quibus prouocari ad alium iudicem non licebat; probabile tamen eſt, quosdam iudices ſæculares in *Africa* talibus hominibus ad litem ita perſequendam animum addidiſſe. Quæ res effecit, vt patres *Africani* de iſta iniuria quererentur, eamque canone ante memorato cuperent abolitam, quo legem *Theodoſii* GOTHOFREDVS referendam eſſe arbitratur. An vero lex *Theodoſii* ita limitanda ſit, res eſt vlterioris diſquiſitionis. GOTHOFREDVS ipſe fatetur, *Iuſtinianum* latiori eam ſenſu accepiſſe; & hoc mihi ſatis fundamenti eſt, quo hoc epiſcoporum priuilegium ſuperſtruam, quod eos in ſæculare iudicium ad perhibendum teſtimonium, in quacumque cauſſa id eſſet, vocari haud licuerit.

§. II.

Nec ad dandum iureiurando teſtimonium obligandi, legibus Iuſtiniani *id fieri prohibentibus.*

(*d*) Conc. Carthag. V, c. I. (tom. II. conc. p. 1215.)
It. Cod. can. Afric. c. LIX. (ibid. p. 1086.) Δεῖ αἰτῆσαι ἔτι μὴν, ἵνα ὁρίσαι καταξιώσωσιν, ὥστε ἐάν τινες ἐν ἐκκλησίᾳ οἱανδήποτε αἰτίαν ἀποστολικῷ δικαίῳ τῷ ταῖς ἐκκλησίαις ἐπικειμένῳ γυμνάσαι θελήσωσι, καὶ ἴσως ἡ τομὴ τῶν κληρικῶν τῷ ἑνὶ μέρει ἀπαρέσοι, μὴ ἐξεῖναι πρὸς δικαστήριον εἰς μαρτυρίαν προσκαλεῖσθαι τὸν κληρικόν· ἐκεῖνον τὸν πρότερον τὸ αὐτὸ πρᾶγμα σκοπήσαντα, ἢ καὶ σκοπουμένῳ παρατυχόντα· καὶ ἵνα μηδὲ προσώπῳ τις ἐκκλησιαστικῷ προσήκων ἐναχθείη περὶ τοῦ ὀφείλειν μαρτυρεῖν. Et conc. vulgo dict. Africanum c. XXVI. (tom. II. concil. p. 1649.)

(*dd*) Lib. II. c. VII. §. III. IV. vol. I. p. 126 - 128.

Aliud

Aliud huius generis priuilegium, quod itidem magnam in episcopos obseruantiam prodit, erat, quod, quum testimonium eorum priuatim recipiendum esset, non vt alii testes iureiurando, sed fide tantum sua, prout decceret sacerdotes Dei, propositis sanctis euangeliis, illud dare deberent. Nam eadem IVSTINIANI [e] lex, quæ prius illud priuilegium eis indulget, hoc etiam in eorum gratiam statuit. Et hanc legem sequuta, vt probabile est, synodus *Triburiensis* [f] aliquod sæcula post decreuit, presbyteros non per iusiurandum sed per consecrationem suam interrogandos esse; ideo, quod ex leui quacumque caussa sacerdotes iurare non deberent. Non autem hoc priuilegium ante *Iustiniani* tempora episcopis concessum videtur. Concilium enim *Chalcedonense* [g] in certo quodam casu iusiurandum ab episcopis *Aegyptiacis* requisiuit, & concilium *Tyrium* [h] idem ab *Iba*, episcopo *Edessæ*, postulauit. Et dantur multa alia eiusdem generis exempla.

§. III.

An singulare vnius episcopi testimonium in lege contra multorum aliorum testimonia valuerit.

Constantinus magnus bene multa clero indulsit priuilegia; sed vero venditantur ipsius nomine quædam, numquam certe ab eo collata; exempli caussa celebratissima illa donatio, quæ

(e) Iustin. nouel. CXXIII. c. VII. vid. §. I. not. (a) p. 213.

(f) Concil. Tribur. c. XXI. (tom. IX. conc. p. 452.) Presbyter vice iuramenti per sanctam consecrationem interrogetur; quia sacerdotes ex leui caussa iurare non debent.

(g) Conc. Chalced. act. IV. (tom. IV. p. 517. C.) Μένοντες ἐπὶ τοῦ οἰκείου σχήματος οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι τῶν Αἰγυπτίων, ἢ ἐγγύας παρέξουσιν, εἰ τοῦτο αὐτοῖς δυνατὸν, ἢ ἐξωμοσίᾳ καταπιστωθήσονται, ἀναμένοντες τὴν χειροτονίαν τοῦ ἐσομένου ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλεως. Permanentes in proprio habitu reuerendissimi episcopi Aegyptiorum, aut dent fideiussores, si hoc illis est possibile; aut *per sacramentum eis credatur*, quia exspectant ordinationem futuri episcopi magnæ ciuitatis Alexandriæ.

(h) Conc. Tyr. in act. IX. conc. Chalced. (ibid. p. 630. e.) Πρὸς τοῦτο ἀπητήσαμεν ἡμεῖς λόγον (al. ὅρκον) τὸν θεοσεβέστατον ἐπίσκοπον Ἴβαν, ὡς πᾶσι τοῖς ἐν τῷ παρόντι πράγματι λυπήσασιν αὐτὸν, ἢ δόξασιν ἀντιπράττειν, ἀμνηστίαν δωρεῖσθαι. Super hæc nos *exigimus sacramentum a reuerendissimo episcopo Iba*, vt omnibus, qui cum in præsenti negotio contristassent, vel visi fuissent aliquid aduersus eum egisse, obliuionem donaret.

episco-

episcopis *Romanis* ab eo facta dicitur, quam ipse BARONIVS [*i*] pro fictitia habet, & PETRVS *de* MARCA [*k*] & PAGIVS [*l*] spuriam & sæculo nono suppositam esse dicunt, & quidem probabiliter ab eodem ISIDORO MERCATORE, qui epistolas decretales veterum pontificum *Romanorum* commentus sit. Dantur & alia priuilegia *Constantino* adsignata, quæ licet non æque manifesto ficta sint & commentitia atque priora, a viris tamen doctis pro dubiis habentur; cuiusmodi est, quod in lege quadam, nomen *Constantini* [*m*] præ se ferente, habetur sub finem codicis *Theodosiani*, qua omnes iudices vnius episcopi testimonium pro legitimo & indubio accipere, nec aliorum quorumcumque testimonia audire iubentur. GOTHOFREDVS, totum hunc titulum codicis *Theodosiani* spurium esse, existimat; & quod speciatim ad hanc legem attinet, duo argumenta sunt, quæ eam minus genuinam esse, probare videntur. Primum quidem, quia ipse CONSTANTINVS alia quadam lege [*n*] vnius testimonium non audiendum esse, di-

(i) Baron. an. CCCXXIIII. n. CXVIII. Iam reliquum foret, vt --- de vulgata illa omnium ore ageremus eiusdem Constantini donatione tot tantisque controuersiis agitata: sed parcimus, quod nihil præter illa, quæ ab aliis dicta sunt, adferre possemus, & eadem repetere, sit onerosum atque pariter otiosum; cum liberum sit cuique, quæ eo argumento a pluribus sunt scripta, consulere. cætera.

(*k*) Marca de concord. lib. VI. c. VI. n. VI. Alterum, quod mihi obseruasse videor notatu dignum, nempe pallium esse genus quoddam imperatorii indumenti, cuius vsum imperatores permisere patriarchis, videri prima fronte posset audaciæ plenum, nisi fideiussores optimos darem. Ecclesia namque Romana ita esse fatetur, quæ Constantini donationem, vbi scriptum est, pallium Romano pontifici tributum beneficio istius imperatoris, decreto Gratiani insertum suscepit. *Adsentior sane viris eruditis, qui donationem illam falsi arguunt, eo in primis argumento, quod a Constantino facta esse dicatur.*

(*l*) Pagi critic. in Baron. ann. CCCXXIV. n. XIII. (n. XVI. edit. Antuerp. MDCCV.) *Donatio Constantini prorsus supposititia, vt fere inter eruditos conuenit.* -- *Videtur donatio illa ab Isidoro Mercatore* cum veterum pontificum pseudographis epistolis *supposita.* Conuenit enim Isidori ingenio, stilo & characteri scribendi plane squalido, ac denique rationi temporis, quo primum audita, Carolo scilicet magno imperante; cum laudetur ab Hincmaro episcopo Rhemensi, qui tunc floruit.

(*m*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. XII. de episc. audient. leg. I. *Testimonium* etiam, *ab vno licet episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant*, nec alius audiatur, cum testimonium episcopi a qualibet parte fuerit repromissum.

(*n*) Cod. Theod. lib. XI. tit. XXXIX. de fide testium leg. III. Sancimus, *vt vnius omnino testis responsio non audiatur*, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat.

cit,

cit, etiamsi testis senatoris honore fulgeat. Deinde, quia leges tam ecclesiasticæ quam ciuiles duos testes requirunt, quemadmodum vltimo capite obseruauimus. Quæ argumenta, mea quidem sententia, sufficiunt ad probandum, quod tam enormia priuilegia episcopis a *Constantino* tributa esse nequeant: sed tamen ipsi lectori iudicandum relinquo, an meliora argumenta in contrarium reperire possit.

§. IV.

Presbyteri non tormentis, vt alii testes, cogendi erant.

Meliora alius cuiusdam priuilegii, presbyteris irrogati, argumenta nobis suppetunt, nimirum quod, si quis eorum ad perhibendum testimonium in publicum iudicium euocaretur, non adhibitis flagris tormentisue examinari eum oporteret, quemadmodum leges alioquin præcipiebant. Nam secundum leges *Romanas* graues quæstiones in testes veritatis declarandæ caussa haberi poterant: sicuti non tantum ex ipsis legibus [*o*] condiscimus, sed etiam ex AVGVSTINO [*p*], & SYNESIO [*q*], qui diuersa

(*o*) Vid. cod. Iustin. lib. IX. tit. XLI. de quæstionibus. tot.
Cod. Theod. lib. XIII. tit. IX. de naufragiis leg. II. Si quando caussitio est de impetu procellarum, medium ex his nautis numerum nauicularius exhibeat quæstioni, quos eum in naui, pro modo capacitatis, constat habuisse, *quo eorum tormentes plenior veritas possit inquiri.*

(*p*) Augustin sermon. XLIX. de diuers. tom. X. p. 520. (tom. X. serm. LII. ad fratres in eremo p. 1398. c. edit. Basil. MDLXIX.) Nauiculariam nolui esse ecclesiam Christi. Multi sunt quidem, qui etiam de nauibus acquirunt: tamen vna tentatio si esset, iret nauis & naufragaret. *Homines ad tormenta daturi eramus, & de submersione nauis secundum consuetudinem quæreretur: & torquerentur a iudice, qui essent de fluctibus liberati:* cætera.

(*q*) Synes. ep. LVIII. Ἀνδρόνικον τὸν Βερονικέα τὸν κακῇ Πενταπόλεως μοίρᾳ καὶ φύντα καὶ τραφέντα καὶ αὐξηθέντα, καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς ἐνεγκούσης αὐτὸν ὠνησάμενον, μήτε ἡγείσθω τις, μήτε καλείτω χριστιανόν· ἀλλ' ὡς ἀλιτήριος ὢν τῷ Θεῷ πάσης ἐκκλησίας ἀπεληλάσθω πανέστιος· οὐ διότι γέγονε Πενταπόλεως ἐσχάτη πληγή, μετὰ σεισμὸν, μετὰ ἀκρίδα, μετὰ λοιμὸν, μετὰ πῦρ, μετὰ πόλεμον, ἐπεξελθὼν ἀκριβῶς τοῖς ἐκείνων ἐγκαταλείμμασιν, ἄτοπα κολαστηρίων ὀργάνων γένη καὶ σχήματα πρῶτος εἰς τὴν χώραν εἰσενεγκών· ἔτι δὲ εἰπεῖν, ὅτι καὶ μόνος χρησάμενος δακτολήθραν, καὶ ποδοστράβην, καὶ πιεστήριον, καὶ ῥινολαβίδα, καὶ ἐυτάγραν, καὶ χειλοστρόφιον· ὧν οἱ προλαβόντες τὴν πεῖραν τε καὶ τὴν θέαν καὶ τῷ πολέμῳ προαπολόμενοι, παρὰ τῶν κακῶς περισωθέντων ἐμακαρίσθησαν. κ. τ. λ. Andronicum Beronicensem, infelicis Pentapoli fato editum & educatum & adultum, quique patriæ præfecturam pecunia redemit,

noua tormentorum genera, ab *Andronico* præfecto *Ptolemaidis* præter ea, quæ leges præſcripſerint, inuenta commemorat. Sed horum nullum eccleſiæ presbyteris imponi licebat: ab eo enim per legem quamdam *Theodoſii magni*, in vtroque codice [r] etiamnum exſtante, exemti erant, ex qua etiam conſtat, fuiſſe hoc peculiare priuilegium epiſcopis & presbyteris, præter hoſce autem nulli alii datum: nam cæteri clerici excepti & communi inquiſitionis modo, in aliis caſibus ſecundum leges adhiberi ſolito, relicti erant.

§. V.

Clerici ab ordinaria iudicii ſæcularis cognitione in omnibus cauſſis eccleſiaſticis exemti.

Quod nunc memorandum eſt priuilegium, magis vniuerſale erat & ad vniuerſos clericos ſeſe extendebat; eorum videlicet exemtio a ſæcularis iudicii cognitione in diuerſis cauſſarum generibus. Quam rem vt recte intelligamus, duo ſollicite diſtinguenda ſunt. Primum, diuerſa cauſſarum genera, in quibus clerici negotium habere poterant; & deinde poteſtas inferiorum iudicum diuerſa a poteſtate ſupremi magiſtratus, qui peculiari poteſtatis prærogatiua ſuper illos eminebat. Quarum diſtinctionum neglecta obſeruatio cauſſa eſt, quamobrem tantum confuſionis in hac materia apud hodiernos ſcriptores, & ſpeciatim apud ſcriptores pontificios, reperiatur, quorum multi in narrationibus ſuis nimium quantum parti ſuæ ſtudent, & dum iurium atque libertatis eccleſiæ aſſertores & vindices agere vo-

nemo aut exiſtimet aut appellet chriſtianum; ſed tamquam a Deo exſecratus, cum vniuerſa ſua familia ab omni ſit abiectus eccleſia: non quia Pentapolis extrema plaga fuit, poſt terræ motum, poſt locuſtam, poſt peſtilentiam, poſt incendium, poſt bellum, illorum omnium reliquias diligenter perſequens; *horrenda ad carnificinam inſtrumentorum genera, ac formas primus in prouinciam inferens:* vtinam dicere liceat, & his ſolus vtens! *digitale, pedum diſtortorium, prelum & naſipreſſorium & auribus ac labris diſtrahendis forcipes:* quorum qui experimentum ac ſpectaculum morte præuenerunt, quique ante bello ſublati ſunt, ab iis, qui male liberati fuerant, felices appellati ſunt. cætera.

(r) Cod. Theod lib. XI. tit. XXXIX. de fide teſtium leg. X. *Presbyteri citra iniuriam quæſtionis teſtimonium dicant;* ita tamen, vt falſa non ſimulent. Cæteri vero clerici, qui eorum gradum vel ordinem ſubſequuntur, ſi ad teſtimonium dicendum petiti fuerint, prout leges præcipiunt, audiantur. Vid. cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. leg. VIII.

lunt,

sunt, in ciuiles magistratus summopere iniuriosi sunt. Primo igitur loco, vt hanc materiam recte intelligamus, caussarum, in quibus controuersia viris ecclesiasticis cum quopiam intercedere poterat, varietas probe notanda est. Iam vero caussæ istæ quadruplices erant. Primo quidem pure ecclesiasticæ, exempli gratia, crimina contra fidem, siue canones & disciplinam bonumque ordinem ecclesiæ commissa, in quæ pœnis canonicis animaduertendum erat. Secundo, mere ciuiles & pecuniariæ inter clericum quemdam & laicum. Tertio, quæ ad res politicas attinebant, verbi caussa magna & publica flagitia contra leges & cum reipublicæ detrimento designata, vt crimen læsæ maiestatis, rebellio, rapinæ, homicidia, & id genus alia, quæ in legibus *atrocia delicta* appellantur. Quarto, quæ ad minora cuiusdem generis crimina referri poterant, & in legibus *leuia delicta* dicuntur. Pro hac caussarum distinctione clerici a fori ciuilis cognitione secundum leges imperii *Romani* exemti erant vel non erant. In omnibus caussis pure ecclesiasticis absolute exemti erant, quemadmodum GOTHOFREDVS [s], magnus ille iureconsultus, fateri non dubitat. Nam omnes istiusmodi caussæ non tantum per canones ecclesiæ sed leges etiam imperii ad episcoporum & conciliorum cognitionem reseruatæ erant.

§. VI.

Id quod demonstratur ex legibus Constantii.

Quod ipsum ex diuersorum imperatorum, qui continuata serie sibi successerunt, rescriptis, quorum pleraque in vtroque codice adhuc exstant, demonstrari potest. CONSTANTIVS ann. CCCLV. legem publicauit [t] in hanc sententiam: *Mansuetudi-*

(s) Gothofr. comment. in cod. Theod. lib. XVI. tit. II. leg. XXIII. De caussis ecclesiasticis, *τὰ ἐκκλησιαστικὰ ζητήματα* apud Basilium, id est, in quibus de religione agitur, seu in caussa fidei, vt Valentinianus sen. imperatoris nostri pater, in hac ipsa re lege sua dicebat, teste Ambrosio ep. XXXII. *in princ.* dubium nullum est, eas coram episcopis & synodis diœceseon audiri oportere - - - non vero *δημοσίοις δικαστηρίοις* ecclesiasticos *στηλιτεύεσθαι*: - - item dubium nullum est, caussas ecclesiastici alicuius ordinis, vt & delicta ecclesiasticorum proprie contra disciplinam ecclesiasticam & ordinem admissa, ibidem agitata, qui ecclesiastica *ἐγκλήματα* seu *ἁμαρτήματα* delicta dicuntur *can. VI. concilii Constantinopolitani & nouella Iustini* LXXXIII. c. I. - quæ scilicet pœnis canonicis, atque in his exauctoratione - communionis priuatione exercentur.

(t) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XII.

nis nostræ lege prohibemus in iudiciis episcopos accusari. ---- Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert, apud alios potissimum episcopos conuenit explorari, vt opportuna atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur. Quæ lex ad minimum de ecclesiasticis negotiis intelligenda est; quamquam GOTHOFREDVS & nonnulli alii dicunt, quod ad ciuiles & criminales etiam caussas extendi; & licet priuilegium aliquod esse videatur, nihilominus tamen tamquam laqueus spectari debeat, qui episcopis catholicis positus sit, ad eos in synodis *Arianis* istorum temporum opprimendos, vbi plerique episcoporum, in istiusmodi synodis congregatorum, factioni *Arianæ* vt plurimum fouebant, atque ita episcopi catholici maiorem gratiam & æquitatem ab sæcularibus iudicibus, quam hisce synodis, promittere sibi poterant. An vero lex ista ad omnes omnino ciuiles & criminales caussas extendenda fuerit, non facile est ad definiendum: quamquam certum est, quod, si ita fuerit, non multo post in hac parte abrogata sit, dum in altera parte durauit atque sequentium imperatorum legibus confirmata fuit.

§. VII.

Et Valentiniani *atque* Gratiani.

Valentinianus clericis eamdem in omnibus caussis ecclesiasticis immunitatem concessit; quemadmodum ex iis liquidum est, quæ AMBROSIVS [u] ad *Valentinianum iuniorem* de ipsius parente scripsit. *Augustæ memoriæ pater tuus*, inquiebat, *non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit in caussa fidei, vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt. Hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare.* Hæc lex nunc quidem in codice haud reperitur, alia tamen ibi exstat, a VALENTINIANO & GRATIANO data, in eamdem sententiam: *Qui mos* [w] *est caussarum ciuilium, iidem in negotiis ecclesiasticis obtinendi sunt: vt si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, leuibusque delictis ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis, & a suæ diœceseos synodis audiantur: exceptis quæ actio criminalis ab ordinariis* (proconsulibus & præfectis cuiusque prouinciæ) *extraordinariisque iudicibus aut illustribus potestatibus*, (h. e. præ-

(u) Ambros. epist. XXXII.

(w) Cod. Th. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XXIII.

fecto-

fecto-prætorio dioeceseos) *audienda constituit*. Ex quo planum est, quod licet actiones criminales contra leges imperii exceptæ fuerint, omnes tamen caussæ ecclesiasticæ a iudicibus ecclesiasticis, neque vero ab vllis aliis, nosci debuerint.

§. VIII.

Et Theodosii magni.

In *codicis Theodosiani* titulo vltimo lex habetur, nomen præ se ferens *Theodosii magni* eiusdem argumenti: *Continua lege sancimus* [x] *nomen episcoporum, vel eorum, qui ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum siue extraordinariorum iudicum pertrahatur: habent illi iudices suos, nec quisquam his publicis commune cum legibus, quantum ad caussas tamen ecclesiasticas attinet, quas decet episcopali auctoritate decidi.* Hæc lex citatur etiam in decreto GRATIANI, sed verbis *quantum tamen ad caussas ecclesiasticas pertinet* [y], dolose omissis, vt vulgari doctrinæ & hypothesi istius temporis seruiret, & lectori persuaderet, quod clerici olim immunitate a ciuilis iudicii cognitione, non in ecclesiasticis tantum sed etiam in reliquis omnibus caussis, gauisi sint. Cuius corruptelæ eo magis memini, quod nullus ex correctoribus GRATIANI vllam eius mentionem iniecit. A *Censoribus Romanis* silentio ea prætermittitur, immo vero ANTONII AVGVSTINI & BALVZII effugit diligentiam. GOTHOFREDVS quidem ipsam huius legis auctoritatem in dubium vocat; sed hoc non vrgebo tenaciter, siquidem nihil in ea deprehenditur, quod præcedentibus legibus, vel ei, quæ subsequitur, repugnet.

§. IX.

Et Arcadii *&* Honorii.

Arcadius & *Honorius* eiusdem priuilegii vsum clericis reliquerunt, confirmatis antiquis legibus, sic decernendo [z]: *Quotiens de religione agitur, episcopos conuenit iudicare: cæteras vero caussas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad vsum publici iuris pertinent, legibus oportet audiri.*

§. X.

Et Valentiniani tertii *&* Iustiniani.

Theodosius iunior & *Valentinianus* hanc *Honorii* legem de immuni-

(x) Cod. Th. lib. XVI. tit. XII. de episc. iudicio leg. III.

(y) Gratian. causs. XI. quæst. I. c. V.

(z) Cod. Theod. lib. XVI. tit. XI. de religione leg. I.

munitate & libertate clericorum, tamquam eo tempore vigentem, adlegant [*a*], quando in decreto quodam suo, *Constat*, inquiunt, *episcopos & presbyteros forum legibus non habere: nec de aliis caussis secundum Arcadii & Honorii diuialia constituta, quæ Theodosianum corpus ostendit, præter religionem posse cognoscere.* Vt ita omnes leges, quæ potestatem eis in caussis sæcularibus abiudicant, priuilegium iudicandi in caussis ecclesiasticis ipsis concedant; & ipsa reliquarum caussarum exceptio manifesto argumento est, quod istæ in disceptationem tempore *Iustiniani* non venerint, qui priuilegium a tot antecessoribus suis datum confirmauit. Nam in *nouella* quadam sua [*b*] sanxit, vt, *si ecclesiasticum sit delictum egens castigatione ecclesiastica & multa, Deo amabilis episcopus hoc discernat, nihil communicantibus prouinciæ iudicibus. Neque enim*, inquit, *volumus talia negotia scire ciuiles iudices: cum oporteat talia ecclesiastice examinari & emendari animas delinquentium per ecclesiasticam multam, secundum sacras & diuinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.*

§ XI.

Clerici etiam exemti in leuioribus caussis criminalibus.

GOTHOFREDVS [*c*] etiam putat, leuiores quasdam caussas criminales ecclesiasticorum ab episcopis earumque synodis similiter decidi oportuisse. Nam in ante memorata GRATIANI lege (*vid.* §. VII.) leuia delicta episcoporum cognitioni reseruantur. Et AMBROSIVS loquutus de decreto VALENTINIANI, quod omnes caussas ecclesiasticas ab episcopis iudicari iubeat, addit: *Quia etiam si alias quoque argueretur episcopus & morum* [*d*] *esset examinanda caus-*

(*a*) Valent. nouell. XII. ad calcem cod Theod.

(*b*) Iustin. nouel. LXXXIII c. I. Εἰ μέν τοι ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἁμάρτημα, δεόμενον σωφρονισμοῦ καὶ ἐπιτιμίων ἐκκλησιαστικῶν, ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος τοῦτο κρινέτω, μηδὲν ἐπικοινωνούντων τῶν λαμπροτάτων ἀρχόντων τῶν ἐπαρχιῶν· οὐδὲ γὰρ βουλόμεθα τοιαύτας ὑποθέσεις ὅλως οὐδὲ γινώσκεσθαι τοῖς πολιτικοῖς ἄρχουσι, δέον τὰ τοιαῦτα καὶ ἐκκλησιαστικὰ ἐξετάζεσθαι, καὶ ἐπικαρποῦσθαι ψυχὰς τῶν ἁμαρτανόντων διὰ τῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐπιτιμίων· κατὰ τοὺς ἱεροὺς καὶ θείους κανόνας, οἷς καὶ οἱ ἡμέτεροι κατακολουθεῖν οὐκ ἀπαξιοῦσι νόμοι.

(*c*) Gothofred. com. in cod. Theod. lib XVI. tit. II. leg. XXIII. p. 54 circ. med. Quinimo & hac quoque constitutione Gratianus: puta, vt *si delicta ecclesiasticorum leuia sint*, & ex quibusdam dissensionibus circa religionem exorta, de re ad religionem pertinente, inquit interpres, atque in negotia ecclesiastica incidant, *tum de huiusmodi delictis episcopi quoque iudices esse possint.*

(*d*) Ambros. ep. XXXII.

sa,

sa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere. Quae verba discrimen aliquod inter caussas criminales ecclesiasticas & ciuiles facere & vtrasque episcoporum eorumque synodorum iudicio reseruare videntur. At vero tunc, vt GOTHOFREDVS recte obseruat, de leuioribus caussis criminalibus tantum hoc intelligi debet: In grauioribus enim actionibus criminalibus clerici non minus quam reliqui omnes saecularium iudicum cognitionem admittere debebant. Id quod PETRVS *de* MARCA aliique nonnulli ingenui ecclesiae *Romanensis* scriptores libere fatentur. DE MARCA [*e*] enim, BARONII & canonistarum positionibus reiectis, *In codice*, inquit, *Theodosiano controuersiae, quae ad religionem pertinent, in quibus sunt crimina ecclesiastica & minora delicta e ciuilium numero, episcopis & cuiusque dioeceseos siue prouinciae synodis relinquuntur: seruata iudiciis publicis atrocium criminum, quae numero quinque, aduersus clericos cognitione; vt docent leges aliquot editae cura Sirmondi in appendice codicis Theodosiani.*

§. XII.

Non autem in grauioribus caussis criminalibus.

Nonnulli leges istas non adeo magnam auctoritatem habere existimant, quam ob caussam hanc positionem indubitatis legibus, in *codice Theodosiano* occurrentibus, confirmare malo. Cuiusmodi est illa *Theodosii* & *Gratiani* lex, quae speciatim grauiores actiones criminales [*f*] excipit, & ordinariis iudicibus, siue praefecto praetorio dioeceseos, audiendas constituit. Et aliae istae leges *Theodosii* & *Arcadii* & *Honorii* & *Valentiniani* III. quas in superioribus paragraphis [*ff*] adlegauimus, neque hoc loco repeti necesse est. Quibus lex *Valentiniani senioris* addi potest, quae omnes istos ecclesiasticos [*g*] ciuilibus submittit iudiciis, de quibus compertum sit, quod viduarum ac pupilla-

(*e*) Marca dissert. in cap. Clericus, ad calcem Antonii Augustini de emendat. Gratiani p. 577.

(*f*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XXIII. Exceptis, quae actio criminali ab ordinariis extraordinariisque iudicibus aut inlustribus potestatibus audienda constituit.

(*ff*) Vid. §. VIII. IX. X.

(*g*) Cod. Theod. lib XVI. tit. II. leg. XX. Ecclesiastici -- viduarum ac pupillarum domos non adeant: sed publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos ad fines earum vel propinqui putauerint deferendos.

rum

rum ædes frequentando in earum gratiam ita ſe inſinuauerint, vt cognatis exheredatis ipſos heredes ſuos conſtituerint. Item alia lex *Marciani* imperatoris, quæ in cauſſis criminalibus clerum *Conſtantinopolitanum* [*h*] ab omnium inferiorum iudiciorum, non autem a ſupremi iudicii præfecti prætorio in ciuitate regia, cognitione immunem pronuntiat. Quæ conſuetudo etiam *Romæ* videtur obtinuiſſe. Nam SOCRATES [*i*] obſeruat, quod, quum in conflictibus, qui in electione *Damaſi* papæ exſtitere, plurimi interiiſſent, multi tum clerici tum laici a *Maximino*, tunc præfecto prætorio vrbis *Romæ*, ſupplicio adfecti ſint. Ex *nouellis* [*k*] itidem *Valentiniani tertii* liquet, quod in iſtiusmodi actionibus criminalibus, vt ſunt cædes, ſepulcrorum violationes & ſimiles, epiſcopi æque ac reliqui clerici apud ciuilem magiſtratum per procuratores ſuos cauſſam dicere debuerint. IVSTINIANVS autem hoc priuilegium intuitu epiſcoporum paullo latius extendit, facto [*l*] decreto, vt ne epiſcopus in pecuniaria aliqua aut criminali cauſſa ad ciuilem militaremue magiſtratum, ſine imperiali iuſſione, inuitus perduceretur, vel ſiſteretur. Ita cum exemtione clericorum in hoc cauſſarum criminalium genere

(*h*) Cod. Iuſtin lib. I. tit. III. de epiſc. leg. XXV. Actor in nullo alio foro, vel apud quemquam alterum iudicem eosdem clericos litibus irretire, & ciuilibus vel criminalibus negotiis tentet innectere.

(*i*) Socrat lib. IV. c. XXIX. Ἐντεῦθεν συμπληγάδες τῶν ὄχλων ἐγίνοντο· ὥστε καὶ ἐκ τῆς παρατριβῆς πολλοὺς ἀποθανεῖν, καὶ διὰ τοῦτο πολλοὺς λαϊκούς τε καὶ κληρικοὺς ὑπὸ τοῦ τότε ἐπάρχου Μαξιμίνου τιμωρηθῆναι. Hinc crebra vtrinque iurgia & conflictus vulgi exſtitere, adeo vt ex ea concertatione plurimi interierint. Quam ob cauſſam *multi, tum clerici tum laici, a Maximino tunc præfecto vrbis, ſupplicio adfecti ſunt.*

(*k*) Valent. nouel. XV. de ſepulcr. violat. ad calcem codicis Theod. Quisquis ex hoc numero (clericorum) ſepulcrorum violator exſtiterit, illico clerici nomen amittat, & ſic ſtilo proſcriptionis addictus, perpetuo deportatione plectatur. Quod ita ſeruari oportere cenſemus, vt nec miniſtris nec antiſtitibus ſacræ religionis in tali cauſſa ſtatuamus eſſe parcendum.
Item nouel XII. Quam formam etiam circa epiſcoporum perſonam obſeruari oportere cenſemus. Vt ſi in huiusmodi ordinis homines actionem peruaſionis & atrocium iniuriarum dirigi neceſſe fuerit, per procuratorem ſolemniter ordinatum, apud iudicem publicum inter leges & iura confligant.

(*l*) Iuſtin. nouel. CXXIII. c. VIII. Ἀλλ' οὐδὲ ὑπέρ τινος χρηματικῆς ἢ ἐγκληματικῆς αἰτίας ἐπίσκοπον πρὸς ἄρχοντα πολιτικὸν ἢ στρατιωτικὸν ἄκοντα ἢ διάγεσθαι ἢ παρίστασθαι, δίχα βασιλικῆς κελεύσεως συγχωροῦμεν. Sed neque pro qualibet pecuniaria cauſſa vel criminali epiſcopum ad iudicem ciuilem aut militarem, inuitum producere aut exhibere citra imperialem iuſſionem permittimus.

manife-

manifesto comparatum fuit, quidquid etiam BARONIVS & alii istius partis auctores in contrarium dixerunt. Quid? quod aliquot sæcula post istiusmodi crimina, vt homicidia, furta, & veneficia ad ciuiles iudices in *Gallia* delata sunt, quemadmodum ex concilio *Matisconensi* [m], ann. DLXXXI. habito, apparet.

§. XIII.

Nec in caussis pecuniariis cum laicis.

Eodem prorsus modo se res habebat in omnibus ciuilibus controuersiis pecuniariis, quæ clericis cum laicis intercedebant. Quamquam enim omnes eiusmodi lites, quas clerici cum clericis habebant, coram suis ipsorum iudiciis, vel episcoporum synodo persequi poterant & finire, canones etiam hoc fieri iubebant, quemadmodum capite proxime antecedenti [mm] notauimus: tamen si qua eis controuersia intercederet cum laico, laicus caussam suam ad iudicii ecclesiastici cognitionem referre non tenebatur, nisi voluntarie ex compromisso de eligendis ex clero arbitris consensisset. Hoc e quadam *Valentiniani* III. constitutione patet, in qua, *Petitor laicus*, inquit, *seu in ciuili seu in criminali caussa, cuiuslibet loci clericum aduersarium suum* [n], *si id magis eligat, per auctoritatem legitimam in publico iudicio respondere compellat.* Et concilium *Epaonense* [o] secundum lectionem editionis SIRMONDI, idem dicit, *Clerici*, inquiens, *si pulsati fuerint, sequi ad sæculare iudicium non morentur.* Enimuero IVSTINIANVS rogatus a *Menna*, patriarcha *Constantinopolitano*, ciuitatis regiæ clero peculiare quoddam priuilegium indulsit, vt, si quis haberet aduersus eos quamlibet pecuniariam caussam [p], prius ad episcopum pergeret; siue-

(m) Conc. Matiscon. I. c. VII. (tom. V. conc. p. 968.) Vt nullus clericus de qualibet caussa extra discussionem episcopi sui, a sæculari iudicio iniuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quod si quicumque iudex cuiuscumque clericum *absque caussa criminali*, id est, *homicidio, furto, aut maleficio* hoc facere fortasse præsumserit, quamdiu episcopo loci illius visum fuerit, ab ecclesiæ liminibus arceatur.

(mm) Vid. c. I §. IV. pag. 207. 208.

(n) Valent. nouel XII.

(o) Concil. Epaonens. c. XI. (tom. IV. p. 1577) sed notandum est, quod aliæ editiones, e. g. Crabii & Binii contrariam plane lectionem exhibeant, nimirum: *sequi ad sæculare iudicium non præsumant.*

(p) Iustin. nouel. LXXXIII. Ἠτήθημεν παρὰ Μηνᾶ τοῦ θεοφιλεστάτου ἀρχιεπισκόπου τῆς εὐδαίμονος ταύτης πόλεως, καὶ οἰκουμενικοῦ πατριάρχου καὶ τοῖς εὐλαβεστάτοις κληρι-

ro propter caussæ naturam aut propter quamdam difficultatem episcopus decidere negotium non posset, tunc, non autem alia ratione, ad ciuiles iudices deferendi illud haberet libertatem. Ex quibus omnibus manifestum est, immunitates istiusmodi antiquitus non tamquam res diuini iuris spectatas esse, sed in solidum ab arbitrio & voluntate principum christianorum dependisse, quamuis sæcula posteriora aliam eis speciem induxerint.

§. XIV.

De necessaria distinctione inter supremum & subordinatos magistratus in hoc immunitatum negotio.

Immo vero obseruandum est, quod in ipsis etiam ecclesiasticis caussis magnum semper discrimen inter potestatem principis seu summi magistratus, & inter subordinatorum seu inferiorum iudicum potestatem intercesserit. Quamquam enim iudices ordinarii legibus prohibebantur, quo minus caussis ecclesiasticis sese immiscerent; in quibusdam tamen casibus ipse princeps extraordinarios interponebat constituebatque iudices, & interdum ipsemet caussas audiebat atque decidebat, vel ecclesiasticorum decreta pro summa sua, qua pollebat, auctoritate abolebat, quod faciendi ordinarii iudices non habebant potestatem. Sed hoc ad aliud argumentum spectat, quod locum in hoc opere habebit commodiorem, vbi de principum christianorum potestate edisseremus.

LIBRI QVINTI

CAPVT TERTIVM

DE CLERICORVM IMMVNITATIBVS RESPECTV TRIBVTORVM ET CIVILIVM MVNERVM ALIARVMQVE MOLESTIORVM FVNCTIONVM IN IMPERIO ROMANO.

κοῖς ταύτην δέχεσθαι τὴν προνομίαν, ὥστε εἴ τις ἔχοι τινὰ πρὸς αὐτοὺς χρηματικὴν δίκην, πρότερον παρὰ τὸν θεοφιλέστατον ἐπίσκοπον ἰέναι, τὸν ὑφ᾽ ὃν τελεῖ, καὶ ἐντυγχάνειν αὐτῷ - - εἰ δέ γε διὰ τὴν τοῦ πράγματος φύσιν, ἢ διά τινα ἴσως δυσκολίαν, οὐ γένοιτο δυνατὸν τῷ θεοφιλεστάτῳ ἐπισκόπῳ τεμεῖν τὴν ὑπόθεσιν, τότε ἄδειαν εἶναι, καὶ παρὰ τοὺς πολιτικοὺς ἄρχοντας ἰέναι κ. τ. λ.

§. I.

§. I.

Non diuinum ius ab antiquo clero adlegatum, quo a tributis semetipsos eximerent.

Aliud priuilegium, quo clerici, indulgentibus christianis principibus, fruebantur, erat, quod in certis casibus pro temporum ac locorum conditione a quibusdam tributis, quæ reliquis imperii *Romani* ciuibus irrogabantur, vacabant. Quidquid autem huius generis percipiebant, non tamquam ex diuino iure sibi debitum deposcebant, sed pietati, munificentiæ & favori christianorum imperatorum sese debere, libere profitebantur. Quocirca BARONIVS [a] magna eos iniuria adficit, grandisque præuaricationis reus est, cum dictitat, quod immunitatem a tributis ex Christi sententia sibi vindicarint; & quod nullus vmquam imperator tributum ab eis exegerit, nisi *Iulianus* apostata & *Valens Arianus* ac *Valentinianus iunior*, qui totus a matris suæ *Iustinæ*, imperatricis *Arianæ*, arbitrio dependerit; quod, quum *Ambrosius* imperante hoc *Valentiniano* tributum soluerit, id solum fecerit ex christiana mansuetudine, non vero quod vlla ratione alia ad id faciendum obligatus fuisset. Quam vere hæc dicantur, lector ex verbis AMBROSII quodammodo iudicare potest, quæ sic habent [b]: *Si tributum petit imperator, non negamus; agri ecclesiastici soluunt tributum --- Soluimus quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur.* Quibus tantum abest, vt vllam immunitatem ex diuino iure sibi arroget, vt contrarium manifesto adfirmet. Et alio loco docet, quod omnes christiani censum dare debeant, quia ipse [c] filius Dei eum soluerit Matth. XVII, 26. Et BARONIVS [d] tamen hunc ipsum locum euangelistæ citat, clericos iure diuino exemtos es-

(a) Baron. ann. CCCLXXXVII, tom. IV. p. 538. (edit. MDCLIIII. p. 548. 549. n. X-XV.)

(b) Ambros. orat. cont. Auxent. de tradend. basilicis ep. XXXII.

(c) Ambros. lib. IV. in Luc. V. (tom. III. p. 35. edit. Colon. MDCXVI.) Magnum quidem est & spirituale documentum, quo christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti, ne quis constitutionem regis terreni putet esse soluendam. Si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum? & ille censum soluit, qui nihil possidebat, tu autem qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Vid. hæc etiam apud Gratianum causs. XI. quæst. I. c. XXVIII.

(d) Baron. ann. CCCLXXXVII. n. XII. p. 538 (548.)

ſe probaturus, quia ſaluator noſter dixerit: *Igitur liberi ſunt filii. Si non*, inquit, *a filiis reges tributum exigunt, quos ſubditos habent, multo minus ab eis, quos ſibi ſuperiores eſſe cognoſcunt, absque nota criminis inuaſæ tyrannidis, ſub quorum cura principes omnes intelligunt, ſe ſub paſtoribus eſſe oues*, cætera. BELLARMINVS magis ingenue in huius argumenti tractatione verſatur. Contra canoniſtas [*e*] enim (quorum opinionem BARONIVS tueri adlaborat) ſtatuit, exceptionem clericorum in rebus politicis, tam quod ad perſonas, quam quod ad bona, iure humano introductam eſſe, non diuino: nec ipſo facto vmquam niſi a perſonali tributo eos immunes fuiſſe vſque ad tempus IVSTINIANI, vbi etiam a bonorum ac poſſeſſionum ſuarum tributis eximi cœperint. Adeo parum hi duo principes inter eccleſiæ *Romanæ* cardinales in huius materiæ enarratione, ſiue factum ſiue ius ſpectes, inter ſe concordant, vt omnino eorum adſertiones e diametro ſibi inuicem oppoſitæ ſint.

(*e*) Bellarm. de clericis lib. I. c. XXVIII. Exceptio clericorum in rebus politicis, tam quoad perſonas, quam quoad bona, *iure humano introducta eſt, non diuino.* Hæc propoſitio eſt contra canoniſtas. (NB. *In editione Colonienſi MDCXV. & Pragenſi noua, aliter prorſus hæc leguntur, quam Binghamus noſter ea exhibet, nimirum ita:* Exceptio clericorum - - - introducta eſt *iure humano pariter & diuino. Et addit ibi Bellarminus:* Et quidem quod iure humano introducta ſit, patet ex iis teſtimoniis, quæ attulimus in tertia & quarta propoſitione probanda. Quod autem ſit etiam introducta iure diuino, probandum eſt hoc loco. Sed antea tamen obſeruandum eſt, nos per ius diuinum non intelligere præceptum Dei proprie dictum, quod exſtet expreſſe in ſacris litteris, ſed quod ab exemplis, vel teſtimoniis teſtamenti veteris, vel noui per quamdam ſimilitudinem deduci poſſit. Atque hinc fortaſſe conciliari poterunt theologorum & iuriſperitorum ſententiæ. Illi enim cum negant, exemtionem clericorum eſſe iuris diuini, præceptum diuinum proprie dictum expreſſe in ſcripturis exſtare negant; iſti vero cum adfirmant, eamdem exemtionem eſſe iuris diuini, id ſolum adfirmant, quod theologi minime negant, deduci per ſimilitudinem ab exemplis & teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, Deum voluiſſe, vt clerici & ipſorum bona libera eſſent a poteſtate & iuriſdictione laicorum. *Paullo ante in propoſitione quarta hæc habet idem Bellarminus, ad quæ reſpexit auctor:* Vbi tamen obſeruandum eſt, ante Iuſtiniani tempora legibus priorum principum immunes fuiſſe clericos a tributis perſonalibus, vt etiam indicat S. Hieronymus in commentario ad c. XVII. Matth. non tamen fuiſſe liberos a tributis, quæ pendi ſolent ratione poſſeſſionum, vt colligitur ex S. Ambroſio in oratione de tradendis baſilicis, vbi dicit: *Agri eccleſiæ ſoluunt tributum*, & ex Theodoreto lib. IV. hiſtor. c. VII. vbi ſcribit, Valentinianum ſeniorem in epiſtola ad epiſcopos Aſiæ illa verba poſuiſſe: *Boni epiſcopi tributa perſitant regibus.*

§. II.

§. II.

Generatim tamen a tributis perſonalibus, ſeu cenſu capitum, exemti erant.

Cuius rei vt illuſtriorem demus cognitionem, neceſſe fuerit diuerſa tributorum, imperii *Romani* ciuibus impoſitorum, genera lectori paullo diſtinctius enarrare & oſtendere, quatenus ad clericos vnumquodque eorum referri potuerit; id quod optime fieri poterit, ſi *codicem Theodoſianum*, in quo pleræque leges, ad hoc argumentum ſpectantes, etiamnum exſtant, conſuluerimus. Et hoc ipſum tanto lubentius faciemus, quod BARONIVS eiusdem codicis auctoritatem adlegat, ſed cum magno partis ſuæ ſtudio diſſimulans, quæcumque hypotheſi ſuæ, quam tuendam ſuſcepit, non ſeruire velle intellexit.

Primum itaque tributorum genus, cuius iniicienda heic eſt mentio, illud eſt, quod *cenſus capitum*, ſeu *tributum perſonale*, a *cenſu agrorum* illud diſtinguendi cauſſa, vulgo nuncupatur. Ab hoc genere tributi clericos exemtos fuiſſe, apud omnes in confeſſo eſt, ſolo GOTHOFREDO plane ſingularem hac de re fouente ſententiam. Sub imperatoribus enim chriſtianis iſtiusmodi tributum a nullo ſolutum eſſe ſtatuit [f]; vt adeo exceptio clericorum hoc in caſu haud fuerit priuilegium aliquod eis peculiare & proprium, ſed cum reliquis imperio *Romano* ſubiectis commune. Sed in hoc vir ille doctus euidenter falli videtur. Primum enim ipſe fatetur, fuiſſe eiusmodi tributum ſub imperatoribus

(*f*) Gothofred. com. in cod. Th. lib. XI. tit. I. de annon. & tribut. leg. XV. §. Atque &c. It. comment. in lib. XIII. tit. X. de cenſu leg. IV. De immunibus tribus perſonarum generibus a cenſu ſeu a plebeia capitatione, eſt hæc Valentiniani ſen. conſtitutio, & quidem per Gallias, quod notandum: pariter vt altera *l. 6. infr.* quæ eumdem Valentinianum auctorem habet, & ad eumdem Viuentium PP. data eſt: ſic tamen vt illa ab hac in nonnullis recedat; mox vt oſtendetur. Et ſic pertinet hæc lex ad cenſum Gallicanum, pariter vt *duæ leges proximæ ſ. 6.* - - - Plerique vero interpretum id de tributo capitis, ſeu *capitis cenſu*, quod pro capite dabatur, accipiunt. De quo eſt ſane lex 3. *π. de cenſibus:* vbi ſimilis quoque immunitas continetur. *Aetatem in cenſendo ſignificare neceſſe eſt, quia quibusdam ætas tribuit, ne tributo onerentur: veluti in Syriis a quatuordecim annis maſculi, a duodecim feminæ vsque ad ſexageſimum quintum annum tributo capitis obligantur: ætas autem ſpectabatur cenſendi tempore.* Verum quum nullum iam amplius hoc æuo capitis ſeu pro capite libero tributum vſurparetur: eſt omnino hæc lex vt & *d. l. 6.* accipienda de capitatione & iugatione pro capitibus & iugis ſeu poſſeſſionibus. cætera.

ethnicis, a quibus, VLPIANO auctore [g], nemo nisi infra quatuordecim annos masculi & senes sexaginta quinque annos nati exemtus fuerit; neque vllam legem producit, quando & a quonam hic census aboleri iussus sit. Deinde THEODOSIVS IVNIOR, codicis *Theodosiani* auctor, expressam eius mentionem facit, quando in quadam *nouella* [h] inter *censum capitum* & *censum agrorum* distinguit. Denique diuersæ leges in codice *Theodosiano*, clericos a tributis eximentes reperiuntur, quæ de alio tributo, atque hoc capitis censu, commode intelligi non possunt. Vt quum *Constantius* clericis eamdem immunitatem a tributis quam iuuenibus attribuit, manifesto ad antiquam legem de minoribus, VLPIANO memoratam, respicit, & clericos eodem modo tractat, indulgendo eis hoc priuilegium, vt non ipsi solum, sed & eorum coniuges [i] & liberi, eorum serui & ancillæ immunes sint a tributo; intelligens tributum personale seu censum capitis. In eumdem modum duæ istæ VALENTINIANI [k] leges intelligendæ sunt, quæ in perpetua virginitate viuentibus & viduis ac pupillis ad vicesimum vsque ætatis annum eamdem immunitatem a tribu-

(g) Digest. lib. L. tit. XV. de censibus leg. III. Quibusdam ætas tribuit, ne tributo onerentur, cætera. vid. not. antec. (f).

(h) Theod. nouell. XXI. Repetita clementiæ nostræ præceptione sancimus, vt antiquatis omnibus priuilegiis, quæ vel dignitatibus delata fuerunt, vel diuersæ militiæ collegia meruerunt, aut nomine venerandæ religionis obtentum est, omnis vbique census, *qui non personarum, est sed agrorum*, ad vniuersa munia a noua duntaxat indictione, vt supra definiuimus, absque vlla discretione cogatur in quarta parte.

(i) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. & cler. leg. X. Clericis & iuuenibus praebeatur immunitas. - - Quod & coniugibus & liberis eorum, & ministeriis, maioribus pariter ac feminis indulgemus. Ibid. leg. XIV. Omnibus clericis huiusmodi prærogatiua succurrat, vt coniugia clericorum ac liberi quoque & ministeria (id est mares pariter ac feminæ) eorumque etiam filii immunes semper a censibus & separati ab huiusmodi muneribus perseuerent.

(k) Cod. Theod. lib XIII. tit. X. de censu leg. IV. In virginitate perpetua viuentes & eam viduam, de qua ipsa maturitas pollicetur ætatis, nulli iam eam esse nupturam, a plebeiæ capitationis iniuria vindicandas esse decernimus: Item pupillos in virili sexu ad viginti annos ab istiusmodi functione immunes esse debere; mulieres autem donec virum vnaquæque sortitur. Ibid. leg. VI. Nulla vidua, nemo pupillus ex vtroque sexu, donec eos ingrediatur annos, qui iam tutoribus, curatoribusue publicis non egeant, exactionem plebis agnoscat. Simili autem deuotione habeantur immunes, & si quæ se sacræ legis obsequio perpetuo dedicarunt.

to, siue, vt vocant, a plebeia capitationis iniuria concedunt. Ita etiam alia eius lex [l], qua pictoribus iuxta ac vxoribus ac liberis ipsorum simile priuilegium defert. Ex quibus omnibus non sine ratione concludere possumus, hanc a tributis personalibus exemtionem non fuisse rem omnibus communem, sed priuilegium certis artibus & vitæ generibus, inter quæ clericorum longe erat honoratissimum, peculiare.

Hoc porro ex vna alteraue obseruatione ex GREGORIO NAZIANZENO & BASILIO confirmari potest. NAZIANZENVS in epistola quadam [m] ad *Amphilochium* queritur, quod status ciuilis ministri ab *Euthalio* quodam diacono tributum exigere præter legem conati fuerint. Et hinc *Amphilochium* rogat, ne hac contumelia & detrimento adfici ipsum patiatur: *Nam* [n] *alioquin*, inquit, *vnus omnium hominum miserrima, & indignissima conditione esset, si temporum humanitate atque eo honore, qui sacri ordinis hominibus ab imperatoribus concessus est, minime frueretur*; Heic manifesto ad immunitatem quamdam a tributo respicit, quam imperatores clericis speciatim indulserint; quæ non bonorum poterat esse exceptio a tributo, nam non erat tunc lex eiusmodi in vsu, ad quam prouocari poterat; adeoque immunitatem eorum a tributis personalibus intelligat, necesse est, a quibus secundum VALENTINIANI & CONSTANTII leges iam memoratas exemti erant. Quibus maiorem adhuc lucem suffundet maiusque robur dabit testimonium BASILII, qui apud *Modestum* (præfectum prætorio *orientis* sub *Valente*) eadem querebatur de quibusdam, qui clericorum priuilegium, contra leges tributa ab eis exigendo, infregerant.

(l) Cod. Theod. lib. XIII. tit. IV. de excusat. artificum leg. IV. Picturæ professores, si modo ingenui sunt, placuit, neque sui capitis censione, neque vxorum, aut etiam liberorum nomine, tributis esse munificos.

(m) Naz. ep. CLIX. *Τούτων εἷς ἐστι καὶ ὁ συνδιάκονος ἡμῶν Εὐθάλιος· ὃν οὐκ οἶδ᾽ ὅπως εἰς μείζω τάξιν μεταχωρήσαντα διαγράφειν ἐπιχειροῦσι χρυσὸν, οἱ τῆς ἡγεμονικῆς τάξεως· τοῦτο μὲν ἀνεκτὸν φανήτω σοι καὶ χεῖρα ὄρεξον τῷ τε διακόνῳ καὶ τῷ κλήρῳ παντὶ, καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἡμῖν, οἷς σοι μέλει.* Horum e numero est condiaconus noster Euthalius, quem nescio quo pacto posteaquam ad sublimiorem gradum migrauit, expungere conantur ii, qui rei militari præfecti sunt. Hoc, quæso, ne tibi ferendum videatur: verum & diacono & vniuerso clero ac præsertim nobis, quorum tibi cura est, manum porrige.

(n) Ibid. *Δεινότητα ἂν πάθοι μόνος ἀνθρώπων μὴ τυγχάνων τῆς τῶν καιρῶν φιλανθρωπίας, καὶ τῆς δεδομένης τοῖς ἱερατικοῖς παρὰ τῶν βασιλέων τιμῆς.*

Qui

Qui Deo [*o*], inquiebat, *consecrati per ministerium erant, presbyteros nempe & diaconos, tributorum & census exactores prisci immunes esse patiebantur: at qui descriptioni faciendæ in præsenti præsunt, quasi nulla ipsis indulta huic negotio venia per illustrem tuam potestatem, & illos in tabulas censuales retulerunt omnes, nisi forte per ætatem nonnulli excusabantur. Rogamus igitur, vt tuæ erga nos beneficentiæ monumentum hoc apud nos deponas, quo in omnem deinceps posteritatem præclaram tui memoriam custodiamus: VTQVE IVXTA CONSVETVDINES ET LEGES ANTIQVAS, qui Deo in sacris ministeriis inseruiunt, liberi relinquantur a solutionibus,* cætera. BASILIVS hoc loco ad dua legum genera de hominum quorumdam a tributo immunitate respicit; quorum ad alterum antiquæ istæ ethnicorum imperatorum leges spectabant, quibus pueri tantum & senes a personalibus tributis eximebantur; ad alterum vero illæ CONSTANTII ac VALENTINIANI leges, quæ clericos etiam excipiebant, eamdem eis indulgentes immunitatem, qua soli impuberes antea gauisi erant. Et de hoc ipso conquerebatur, quod clericis christiananarum legum priuilegio perfruendi haud daretur copia, sed ipsis tantummodo secundum ethnicorum imperatorum leges per ætatem, hoc est, si vel infra viginti vel supra quinquaginta annos nati essent, immunibus esse liceret. Ex quibus omnibus liquido apparet, quod clerici vi legum peculiare immunitatis a tributo personali priuilegium sibi vindicare potuerint, & quod hoc non omnibus imperii *Romani* ciuibus commune fuerit, quidquid etiam GOTHOFREDVS & post ipsum PAGIVS [*p*] in contrariam sententiam monuerunt.

(*o*) Basil. ep. CCLXXIX. ad Modest. Τὸς τῷ Θεῷ ἡμῶν ἱερωμένους, πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ὁ παλαιὸς κῆνσος ἀτελεῖς ἀφῆκεν· οἱ δὲ νῦν ἀπογραψάμενοι, ὡς οὐ λαβόντες παρὰ τῆς ὑπερφυοῦς σου ἐξουσίας πρόσταγμα, ἀπεγράψαντο· πλὴν εἰ μήπου τινὲς ἄλλως εἶχον ὑπὸ τῆς ἡλικίας τὴν ἄφεσιν· δεόμεθα οὖν μνημόσυνον τῆς σῆς ἐνεργεσίας τοῦθ' ἡμῖν ἐναφεθῆναι, παντὶ τῷ ἐπιόντι χρόνῳ ἀγαθὴν περί σου μνήμην διαφυλάττον, καὶ συγχωρηθῆναι κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον τῆς συντελείας τοὺς ἱερατεύοντας κ. τ. λ.

(*p*) Pagi crit. in Baron. ann. CCCLIII. n. X. (n XIII p. 479 edit Antuerp. MDCCV) Data hoc anno a Constantio lex X. codicis Theodosiani *de episcopis*, qua plenissima immunitas omnibus clericis conceditur, *vt ecclesiarum cætus concursu populorum ingentium frequentetur*, quemadmodum in ea lege dicitur. Crescentibus namque iam vbique ecclesiis ac proficiente in dies religione christiana -- iam solito pluribus etiam immunitatibus homines ad clericatum inuitandi visi sunt, præter veteres immunitates iam concessas. Prima itaque immunitas est a censibus, qui possessionum nomine fisco dependuntur. Quæ immunitas a cen-

§. III.

§. III.

Sed ratione agrorum & possessionum suarum non excusati.

Proximum tributi genus erat, quod ab hominibus ratione agrorum & possessionum suarum exigebatur, quodque diuersis nominibus in lege ciuili & vetustis scriptoribus venit. Nonnumquam id vocatur *κανὼν*, vti ab ATHANASIO [q], quando canonis, in vsum ecclesiæ *Alexandrinæ Aegyptiis* impositi, nomine iniuste se delatum esse conqueritur. Ita in codice *Theodosiano* [r] integer titulus est *de canone frumentario vrbis Romæ*, quo ipso tributum frumenti, quod ex prouinciis *Africanis* in vrbis *Romæ* vsum exigebatur, intelligitur. Alias vocatur *iugatio* a vocabulo *iuga*, quod ex adnotatione GOTHOFREDI [s] terræ modum significat, cui colendo per annum iugo boum opus est: Et quoniam tributi exactio secundum hanc æstimationem fiebat, inde nomen *iugationis* & *iugorum* sortita est. Frequenter etiam dicitur *capitatio* & *capita*: Et quum ministri masculi & animalia possessionibus tributariis æque adnumerarentur atque agri, hinc in quibusdam legibus [t] altera *capitatio terrena*, altera vero *capitatio*

sibus & vectigalibus postea sæpius infracta, præsertim sub Valente, vt constat ex duabus Gregorii Nazianzeni epistolis, puta CLIX & CLVI. Basilius quoque epistola CCLXXIX. ad Modestum præfectum prætorio Orientis de eadem immunitate sub eodem Valente imperatore conculcata conqueritur, eamque instaurari petit. cætera.

(q) Athan. apol. II. p. 778. edit. Paris. M DC XXVII. (tom. I. p. 178. e. edit. Paris. MDCXCVIII.) Πολλὰ μὲν οὖν ζητήσαντες καὶ μὴ εὑρόντες, ὕστερον μετὰ γνώμης τῶν περὶ Εὐσέβιον συντιθέασι, καὶ πλάττονται πρώτην κατηγορίαν διὰ Ἰσίωνος καὶ Εὐδαίμονος καὶ Καλλινίκου, περὶ στιχαρίων λινῶν, ὡς ἐμοῦ κανόνα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπιβαλόντος, καὶ πρώτους αὐτοὺς ἀπαιτήσαντος. Multis conquisitis, cum nihil inuenissent, Eusebii tandem consilio hanc priorem, Isionis, Eudæmonis, & Callinici opera, confingunt criminationem; de lineis nempe sticharii, *quasi ego canonem Aegyptiis imposuissem*, ac ea primus exegissem ab illis. Collato Sozomeno, qui referens eamdem historiam lib. II. c. XXI. scribit: πρώτην ὑπομένει γραφὴν ὡς χιτωνίων λινῶν φόρον ἐπιθεὶς Αἰγυπτίοις, primum in crimen vocatur, quod *tributum* linearum tunicarum Aegyptiis imposuerit.

(r) Cod. Theod. lib. XVI. tit. XV.

(s) Gothofr. com. in cod. Theodos. lib. XIII. tit. X. de censu leg. II. p. 118. Caue *iuga*, a quibus *iugatio*: & *iugum* iugeris, vnde *iugeratio*, confundas: si quid in re obscura iudicii mei est, *ego iuga putem dicta terræ modum, cui colendo, per annum iugo boum opus est*: sicut iugum iugeris, quantum in die iugo boum exerceri potest.

(t) Cod. Theod. lib. XI. tit. XX. de conlat. donat. leg. VI. Exceptis his, quæ in ca-

humana & *animalium* siue *animarum descriptio* nuncupatur. Hæc tributa ternis per annum temporibus, semel post exactos quatuor menses, pendi solebant; vnde SIDONIO APOLLINARI [u] *tria capita* siue monstrum trium capitum, dicuntur, a quibus vt *Maioriani* imperatoris beneficio liberetur, quo melius vitam tolerare possit, ipsum orat. Nam in carmine quodam suo ita eum compellat:

Geryones nos esse puta, monstrumque tributum:
Heic capita, vt viuam, tu mihi tolle tria.

Quibus verbis, quæ nullus commentatorum recte intellexit, ad legem [w] quamdam VALENTINIANI & diuersas alias in codice *Theodosiano* respicit, in quibus hoc genus tributi tripertita solutione intra annum vel per quaternos menses, pendi iubetur, id quod phrasi SIDONII *tria capita*, seu *monstrum tributum* dicitur. Huius tributi exactores inde etiam *cephalæotæ* [x] in codice *Theodosiano* appellantur. Et quia hoc tributum plerumque ipsis speciebus, nimirum frumento, vino, oleo, ferro, cupro & similibus in vsum imperatoris pendi solebat, ideo *specierum collatio* sæpe dicitur. Quoniam etiam hoc iuge imperii tributum erat, itidem frequenter [y] vocatur *indictio canonica* in oppositione *superindictæ* & *extraordinariæ indictionis*, hoc est eiusmodi tributorum, quæ extraordinaria quadam occasione irrogabantur. Hæc omnia simul heic notare ideo volui, vt ne posthac, quotiescumque eorum rursus mentio iniicienda erit,

pitatione humana atque animalium, diuersis qualicumque concessa sunt; ita vt omnium, quæ prædicto tempore, atque etiam sub inclutæ recordationis auo nostro in *terrena* siue *animarum descriptione* reuelata sunt; cætera.

(u) Sidon carm. XIII. ad Maiorianum.

(w) Cod. Theod. lib. XI. tit. I. de annona & tribut. leg. XV. Vnusquisque annonarias species, pro modo *capitationis* & sortium præbiturus, per quaternos menses anni curriculo distributo, tribus vicibus summam conlationis implebit.

(x) Cod. Theod lib. XI. tit. XXIV. de patrocin. vicor. leg. VI. Nequaquam *cephalæotis*, hirerarchis, logographis chomatum, & cæteris liturgis, sub quolibet patrocinii nomine, publicis functionibus denegatis, cætera.

(y) Cod. Theod. lib. VI. tit. XXVI. de proximis comit b, &c. leg. XIV. Quamuis innumeris legibus scriniorum gloria decoretur, iubemus tamen, vt primo omnium sit eorum secura possessio ab omnibus sordidis muneribus excusata; *superindictum* non timeant, venalicium non petantur, solumque *canonicæ indictionis* præstent tributum: Glebalis auri solutionem nesciat labore dignitas conquisita, *extraordinarium* munus ignoret, cætera.

termi-

terminos istos semper explicare necesse habeam, qui reuera minus triti sunt, nec ad intelligendum faciles, nisi iis, qui in lege ciuili versati sunt.

Quod igitur ad propositam nobis quæstionem attinet, an clerici ab hoc ordinario & canonico tributo, hominum bonis ac possessionibus imponi solito, generatim exemti fuerint? contra BARONIVM hoc ipsum adfirmantem nego. Nonnullæ quidem ecclesiæ ex speciali principum gratia ab omni huius generis tributo exemtæ erant: sed ipsæ istæ exceptiones probant, quod quidquid ex gratia quibusdam ecclesiis indultum fuerit, non commune aliquod omnium ecclesiarum priuilegium esse potuerit. *Theodosius iunior* specialem ecclesiæ *Thessalonicensi* concedebat immunitatem, vt ne tributum ratione propriarum possessionum soluere [z] cogeretur, simul autem ab ipso cauebatur, ne aliena prædia in tutelam suam, ecclesiasticum illis nomen prætexendo, cum reipublicæ detrimento reciperet. *Constantinopolitanæ* & *Alexandrinæ* ecclesiis idem priuilegium [a] simili conditione indulgebat, vt ne vllos vicos maiores vel minores ad excusandum eos ab antiquæ capitationis solutione, sub patrocinio suo possiderent. GOTHOFREDVS etiam putat, quod sub initia imperii *Constantini*, quum ecclesia pauper, eiusque reditus non nisi tenues essent, illius bona & possessiones a tributo generatim immunes fuerint. Nam in *codice Theodosiano* lex reperitur, quæ in hanc sententiam explicari potest: quamquam verba adeo obscura [b]

(z) Cod. Theod. lib. XI. tit. I. de annona & tribut. leg. XXXIII. Quæ dispositio in perpetuum obseruanda initio indictionis octauæ congruum sumere debebit exordium: sacrosancta Thessalonicensis ecclesia ciuitatis excepta: ita tamen vt aperte sciat, propriæ tantummodo capitationis modum beneficio mei numinis subleuandum: *nec externorum grauamine tributorum rempublicam ecclesiastici nominis abusione lædendam.*

(a) Cod. Theod. lib. XI. tit. XXIV. de patrocin. vicorum leg. VI. Quidquid in tempus vsque dispositionis habitæ auro inlustri de esse sublimitatis tuæ ecclesiæ venerabiles (id est Constantinopolitana atque Alexandrina) possedisse deteguntur, id pro intuitu religionis, ab his præcipimus firmiter retineri: sub ea videlicet sorte, vt in futurum functiones omnes, quas metrocomiæ debent, & publici vici pro antiquæ capitationis professione debent, sciant procul dubio subeundas.

(b) Cod. Theod. lib. XI. tit. I. de annon. & tribut. leg. I. Præter priuatas res nostras & ecclesias catholicas & domum clarissimæ memoriæ Eusebii ex-consule &

 sunt,

ſunt, vt ſine ſubſidio tam ſapientis interpretis vix vllum eorum ſenſum liceret inueniri. Sed fac, ea ſignificare eiusmodi priuilegium, certum tamen eſt, non multos annos illud duraſſe. Sub proxime enim imperante *Conſtantio*, quum multum divitiarum in eccleſiam congeſtum eſſet, omnes clerici prædia poſſidentes ad tributa penſitanda non minus quam reliqui omnes vrgebantur: quemadmodum ex lege *Conſtantii* ad *Taurum* præfectum prætorio directa, & in vtroque codice [*c*] etiamnum exſtante, perſpicimus. Hoc porro ex teſtimonio VALENTINIANI patet, qui in epiſtola quadam ad epiſcopos *Aſiaticos*, THEODORETO [*d*] memorata, dicit, quod omnes boni epiſcopi publicas præſtationes iuxta leges inferre norint & imperatoriæ poteſtati neutiquam contradicant. Atque ita hæc res ad *Honorii* & *Theodoſii iunioris* vſque ætatem durauit, quorum in lege quadam [*e*] prædia eccleſiaſtica tributo ordinario, ſiue *canonicæ inlationi*, quemadmodum illic vocatur, obnoxia, etſi ab reliquis tributi generibus vniuerſis exemta, declarantur. Sine vlla igitur ratione BARONIVS tam audacter ſtatuit, quod nullus vmquam princeps, ſi a *Iuliano* apoſtata, *Valente Ariano* & *Valentiniano iuniore*, quia a muliere *Ariana* gubernatus ſit, diſceſſeris, a clericis tributum exegerit: quum tamen quemlibet imperatorem poſt *Conſtantinum* illud ex-

ex-magiſtro equitum & peditum & Arſacis regis Armeniorum, nemo ex noſtra iusſione præcipuis emolumentis familiaris iuuetur ſubſtantiæ.

(*c*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc & cleric. leg. XV. De his ſane clericis, qui prædia poſſident, ſublimis auctoritas tua non ſolum eos aliena iuga nequaquam ſtatuet excuſare, ſed etiam his, quæ ipſi poſſident, eosdem ad penſitanda fiſcalia perurgeri: Vniuerſos namque clericos poſſeſſores duntaxat prouinciales penſitationes fiſcalium recognoſcere iubemus. vid. etiam cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. leg. III.

(*d*) Theodoret. lib. IV. c. VIII. *Τὰ δημόσια κατὰ νόμους εἰσκομίζειν ἴσασι, καὶ οὐκ ἀντιλέγουσι τῇ τοῦ κρατοῦντος ἐξουσίᾳ.*

(*e*) Cod. Theod. lib. XVI. tit II. de epiſc. & clericis leg. XL. Placet rationabilis conſilii tenore perpenſo, deſtricta moderatione præſcribere, a quibus ſpecialiter neceſſitatibus eccleſiæ vrbium ſingularum habeantur immunes. Prima quippe illius vſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus cæleſtium ſecretorum dicata ſordidorum munerum faſce vexentur: nulla iugatione, quæ talium priuilegiorum ſorte gratulatur, muniendi itineris conſtringat iniuria; nihil extraordinarium ab hac ſuperindicticiumue flagitetur: nulla pontium inſtauratio: nulla tranſlationum ſollicitudo gignatur: non aurum cæteraque talia poſcantur. Poſtremo *nihil præter canonicam inlationem*, quod aduentitiæ neceſſitatis ſarcina repentina depopoſcerit, *eius functionibus adſcribatur*.

egiſſe,

egisse, manifestum sit, & BARONIVS hoc ignorare non potuerit, quia *codicem Theodosianum* vidit atque legit, in quo hæc omnia enarrantur.

§. IV.

De tributo, quod vocatur aurum tironicum, equi canonici, *&c.*

Si quo modo ab hoc tributo exemti fuerunt, ab ista obligatione fuerint necesse est, qua quædam prouinciæ nouos imperatori milites, *tirones* dictos, & equos nouos militares præstare tenebantur; qui quum ad modum tributi exhiberentur, ideo in lege dicuntur *equi canonici*, a ciuilis legis termino *canon* & *canonica*, qui, vt obseruauimus antea, tributum hominum prædiis ac possessionibus impositum significat. Interdum hoc tributum pecunia, equorum loco pensitabatur, & tunc dicebatur [*f*] *equorum canonicorum adæratio*: proinde ac pecuniæ summa, tyronum loco dari solita, *aurum tironicum* & *stratioticum* appellabatur, cuius SYNESIVS meminit, quando de *Andronico*, præfecto *Ptolemaidis*, loquens [*g*] dicit, fecisse eum *Thoantem* quemdam coactorem militaris auri, quod *tironicum* vocent; quod editor ex errore putat ita dictum, *quia soluebatur tironibus*, quum tamen aurum illud loco tironum per modum tributi ærario imperii pensitaretur. Iam vero quosdam episcopos, saltem in *Africa*, ab hoc tributo immunes fuisse, viri docti ex THEODOSII IVNIORIS lege [*h*]

(*f*) Cod. Theod, lib. XI, tit. XVII. de equor. conlat. leg. III. *Equos canonicos* militaris diœceseos Africanæ, secundum subiectam notitiam singularum prouinciarum, ex præsenti duodecima indictione iussimus *adærari*, cætera.

(*g*) Synes. epist. LXXIX. ad Anastas. p. 293. (p. 224. edit. Par. MDXXXIII.) Δεινὸς ἀνὴρ ὑποθέσεις εὑρίσκειν, τῇ τε ἑαυτοῦ καὶ τῇ Θόαντος φύσει πρεπούσας· ὃν ἐπὶ τῶν δεσμωτῶν ὄντα ταῖς ἀπαιτήσεσιν ἔταξε τοῦ στρατιωτικοῦ χρυσίου τοῦ καλουμένου Τιρωνικοῦ. Est ad inuestigandas rationes suo & Thoantis ingenio dignas solertissimus; quem ex commentariensi coactorem fecit *militaris auri*, quod *tironicum* vocatur.

(*h*) Cod. Theod. lib. VII. tit. XIII. de tironibus leg. XXII. Mansura in sæculum auctoritate præcipimus, pro-consularis prouinciæ non eamdem *sacerdotalium*, quæ est de cæteris, in præbendis tironibus habendam esse rationem: Non inique, siquidem ea potissimum ab hoc officio prouincia videtur excepta, quæ omnium intra Africam prouinciarum obtinet principatum, cuiusque maioribus sacerdotes fatigantur expensis, in quarum solatium indemnem esse conuenit dignitatem.

quadam colligunt, quæ certos homines sub nomine *sacerdotalium* in *Africa* proconsulari ab eo eximit, & hoc quidem ideo, quod iam tum aliis maioribus expensis in hac prouincia fatigentur. Iam vero quæritur, quinam per *sacerdotales* intelligantur? PETITVS [*i*], vir doctus, christianos episcopos intelligi dicit. Quod si esset, de eorum exceptione manifesto constaret. GOTHOFREDVS [*k*] autem sacerdotes paganos tunc adhuc exsistentes & aliis expensis, in exhibendis populo ludis sacerdotalibus, subiacentes potius significari existimat. Non quidem mihi hanc subtilem inter istos viros eruditos controuersiam decidere sumo, sed tamen ex ipsa GOTHOFREDI sententia inferri posse reor, si christiani imperatores tanta liberalitate in sacerdotes paganos vsi fuerint, non minorem certe munificentiam suis ipsorum episcopis exhibere, eamdemque illis immunitatem indulgere voluisse, censendi sint. Sed hanc rem vlteriori disquisitioni relinquo.

§. V.

Ecclesia iisdem oneribus obnoxia erat, quibus prædia ante eorum donationem subiacebant.

Vnum magis certum est, quod quæcumque onera prædiis ab initio incumberent, iisdem etiam, posteaquam ecclesiæ donata essent, obnoxia manserint, nisi ex specialiore imperatorum indulgentia ac fauore illis leuarentur. Hoc ex memorabili exemplo in peculiari casu, qui AVGVSTINO accidit, discimus, cuius relationem ipse memoriæ prodidit. Quæ res vt recte intelligatur, lectorem prius moneam, oportet, quod ex legibus imperii *Romani* sæpius certus artificum numerus alicui societati in vsum imperii ita adscribi consueuerit, vt eorum bona isti muneri ac officio obnoxia essent, ita quidem, vt quicumque ex illis aliquid haberet proprium, ad officia ei adnexa præstanda esset obligatus. Ita speciatim res se habuit cum adoptata *nauiculariorum* societate in *Africa* & *Aegypto*, quorum erat, anniuersarium frumenti tributum ex his prouinciis *Romam* & *Constantinopolin*

(*i*) Petit. variar. lection. lib. III. c. I. p. 28.

(*k*) Gothofr. com. in cod. Theod. lib. VII. tit. XIII. leg. XXII. *Sacerdotes* quoque *prouinciarum*, *paganos* scilicet tironibus præstandis obnoxios fuisse, singularis hæc lex ostendit; & recte: Nam & hi honoratis proximi in prouinciis fuerunt; iidemque aliis quoque expensis subiacebant: vt vel hæc lex testatur. Et quidem ludis exhibendis, cætera.

nopolin transportare. Ipſorum prædia huic negotio deſtinata erant, quemadmodum ex titulo quodam *codicis Theodoſiani* [*l*], qui de *prædiis nauiculariorum* agit, videre eſt: Et ita quidem deſtinata erant, vt ſi quando nauis procellarum impetu frangeretur vel ſideret, vniuerſum corpus ad bona imperatoris ærario compenſanda obligatum eſſet; & nauicularius quidem nautas, qui in naufragio aufugiſſent, quæſtioni poſtea exhibere [*m*] vel alioquin vniuerſæ ſarcinæ pretium ſoluere debebat, quod fraudis alicuius nomine in cauſſa contra reliquos ſocietatis ſuæ ſuſpectus eſſe poterat. Iam vero accidit, quum AVGVSTINVS eccleſiæ *Hipponenſis* eſſet epiſcopus, vt ex his nauiculariis quidam, *Bonifacius*, dominus nauis, omnia bona ſua eccleſiæ legaret; quæ vero AVGVSTINVS propter onera iis incumbentia accipere recuſabat. *Bonifacii*, inquiebat [*n*], *hereditatem ſuſcipere nolui; non miſericordia, ſed timore. Nauiculariam nolui eſſe eccleſiam Chriſti. Multi ſunt quidem, qui etiam de nauibus acquirunt: tamen vna tentatio eſt, ſi iret nauis & naufragaret: homines ad tormenta daturi eramus; vt de ſubmerſione nauis ſecundum conſuetudinem quæreretur: & torquerentur a iudice qui eſſent, a fluctibus liberati? Sed non eos daremus. Nullo enim pacto hoc facere deceret eccleſiam. Onus ergo fiſcale perſolueret? Sed vnde perſolueret? Enthecam nobis habere non licet. Non eſt enim epiſcopi ſeruare aurum, & reuocare a ſe mendicantis manum.* Hæc AVGVSTINI verba perſpicue euincunt, quod antea animaduertimus, nimirum quod poſſeſſiones eccleſiæ donatæ a tributo & officiis, quæ ab eis reſpublica alias depoſcebat, per donationem ordinarie non factæ fuerint immunes; ſed ſi eccleſia eas accipere vellet, vna cum oneribus, quæ eis incumberent, accipere debuerit. Senſus quidem iſtius loci, vt in AVGVSTINO ſine commentario legitur, non facilis, fateor, ad intelligendum eſt; neque vlli ipſius editores, ne ipſi quidem nouiſſimi *Benedictini*, eum explicare ſuſtinuerunt; hanc ipſam autem ob rationem & vt obſeruationem meam com-

(*l*) Cod. Theod. lib. XIII. tit. VI.

(*m*) Cod. Theod. lib. XIII. tit. de naufragiis leg. II. Si quando cauſſatio eſt de impetu procellarum, medium ex his nautis numerum nauicularius exhibeat quæſtioni, quos eum in naui pro modo capacitatis conſtat habuiſſe, quo eorum tormentis plenior veritas poſſit inquiri.

(*n*) Auguſtin. ſerm. XLIX. de diuerſis. tom. X. p. 520. edit. Par. MDCXXXVII. (Serm. CCCLV. tom. V. p. 1381. edit. Par. M DCC.)

proba-

probarem, eum heic recitare & ex his legibus & consuetudinibus imperii, ad quas manifesto respicit, explicare volui. Et eiusmodi digressionem, si qua digressio est, curioso lectori non ingratam fore, confido.

§. VI.

De chrysargyro *siue tributo lustrali & de clericorum huius intuitu immunitate.*

Sed nunc pergendum. Aliud tributi genus, quod ad clericos quodammodo spectabat, erat vectigal negotiationibus indictum. Hoc in antiquis scriptoribus [o] χρυσάργυρον *chrysargyrum*, hoc est, *argenti aurique collatio*, dicitur, quia vtraque hac moneta soluebatur. ZOSIMVS [p] quidem χρυσάργυρον aliter inter-

(o) Euagr. histor. eccles. lib. III. c. XXXIX. ὑπερμέγεθες δὲ κατεπράχθη αὐτῷ καὶ θεῖόν τι χρῆμα, ἡ τοῦ καλουμένου χρυσαργύρου ἐς τέλεον κωλύμη. Res praeterea eximia ac plane diuina ab eodem imperatore (Anastasio) gesta est, *vectigalis* scilicet, *quod chrysargyrum vocabatur*, abolitio.

(p) Zosim. lib. II. (p. 196. edit. Ienens. MDCCXIII. 8.) Κωνσταντῖνος ταῦτα διαπραξάμενος διετέλεσε δωρεαῖς οὐκ ἐνδέουσι γινομέναις, ἀλλὰ εἰς ἀναξίους καὶ ἀνωφελεῖς ἀνθρώπους τοὺς φόρους ἐκδαπανῶν καὶ τοῖς μὲν εἰσφέρουσι γινόμενος φορτικὸς, τοὺς δὲ μηδὲν ὠφελεῖν δυναμένους πλουτίζων· τὴν δὲ ἀσωτίαν ἡγεῖτο φιλοτιμίαν· οὗτος καὶ τὴν εἰσφορὰν ἐπήγαγε χρυσίου τε καὶ ἀργύρου πᾶσι τοῖς ἁπανταχοῦ γῆς μετιοῦσι τὰς ἐμπορίας, καὶ τοῖς ἐν ταῖς πόλεσι παντωνίαν προτιθεῖσι μέχρι καὶ τῶν εὐτελεστάτων· οὐδὲ δυστυχεῖς ἑταίρας ἔξω ταύτης ἐάσας τῆς εἰσφορᾶς· ὥστε ἦν ἰδεῖν, μέλλοντος τοῦ τετραετοῦς ἐνίστασθαι χρόνου, καθ' ὃν ἔδει τοῦτο τὸ τέλος εἰσφέρεσθαι, θρήνους ἀνὰ πᾶσαν πόλιν καὶ ὀδυρμούς· ἐνστάντος δὲ, μάστιγας καὶ βασάνους ἐπιφερομένας τοῖς σώμασι τῶν διὰ πενίας ἐσχάτης ζημίαν ὑπενεγκεῖν μὴ δυναμένων· ἤδη δὲ καὶ μητέρες ἀπέδοντο τοὺς παῖδας, καὶ πατέρες ἐπὶ πορνεῖον θυγατέρας ἔστησαντο, ἐκ τῆς τούτων ἐργασίας ἀργύριον τοῖς τοῦ χρυσαργύρου πράκτορσιν εἰσενεγκεῖν ἐπειγόμενοι κ. τ. λ. Constantinus his ita perfectis exhaurire non desinebat vectigalia largitionibus, quae non vbi par erat, sed in homines indignos ac inutiles fiebant: & collatoribus quidem tributorum grauis erat, illos autem cumulabat opibus, qui nulli esse vsui poterant. Nam profusionem pro munificentia ducebat. Idem & *auri argentique collationem imposuit omnibus vbique terrarum negotiationes exercentibus*, & dardanariis oppidorum, ad vilissimos vsque: ne miseris quidem meretriculis hac collatione liberatis. Itaque videre erat, quoties quartus quisque annus adpeteret, quo tributum illud pendendum erat, meras per vniuersam vrbem lacrimas & ploratus: vbi vero iam aduenisset, nonnisi flagra tormentaque corporibus eorum adhibita, qui propter paupertatem extremam sustinere iacturam hanc non possent. Quin & liberos ipsae matres distrahebant, & patres filias

preta-

pretatur, nimirum de turpi tributo, quod mares feminæque effusa libidine infames soluerint; & pro suo religionem christianam cauillandi studio, *Constantinum* huius tributi auctorem esse, comminiscitur; quam eius calumniam omni destitutam fundamento satis confutauit BARONIVS [q], & specialius adhuc eruditus [r] GOTHOFREDVS ac PAGIVS, quos huius rei studiosus lector consulere potest. Heic *chrysarygrum* in vulgari accipio significatione pro vectigali, legitimis opificiis ac negotiationibus imposito, quod BASILIVS [s] πραγματευτικὸν χρυσίον, *aurum negotiatorium*, vocat. In lege ciuili nomine *collationis lustralis* notum est, quia vertente quolibet lustro, siue finitis quatuor annis, exigebatur. Erat vtique molestum admodum tributum, speciatim pauperibus; nam ne vilissimus quidem opifex ab eo exemtus erat. EVAGRIVS [t] illud etiam, τοῖς ἐξ ἐράνε τὴν τροφὴν πορίζεσι, illis, qui *stipe collatitia victitarent*, impositum fuisse dicit. Vnde LIBANIO [u]

prostituebant: *ex harum quæstu chrysargyri exactoribus pecuniam offerre coacti.*

(q) Baron. an. CCCXXX. n. XXXVI. Quod de tributis a Constantino impositis extet aduersus eum querela Zosimi, sunt hæc accuratius examinanda: quod enim ait, auri argentique collationem impositam negotiatoribus, omnibus dardanariis, nempe fraudulentis venundatoribus annonæ, atque personis quibuscumque vilissimis ac meretricibus, confundit plane diuersa tributorum genera: nam quod impositum erat negotiatoribus, proprie auri & argenti erat, dictumque *chrysargyrum* diuersumque ab eo, quod pendere consueuerant lenones, meretrices & exoleti: quod quidem tantum abest vt a Constantino christianissimo principe impositum fuerit, vt etiam longe ante Alexandri imperatoris tempora Romæ exigi consueuerit; quod idem imperator æquissimus, cum ex turpi lucro colligeretur, vetuit in ærarium inferri, non tantum abstulit, sed ad publicas fabricas deputauit. cætera.

(r) Gothofr. com. in cod. Theod. lib. XIII. tit. I. de lustrali collatione leg. I. p. 4. §. *Sequitur*, tot.
Pagi critic. in Baron. an. CCCXXX n. VI. tot.

(s) Basil. epist. CCXLIII. τὴν δυσκολίαν τῆς συγκομιδῆς πραγματευτικῦ χρυσίυ, πάντων μάλιστα ἡ σὴ τιμιότης κατέμαθε. Quam difficulter atque ægre *aurum negotiatorium* transmitti soleat, & comportari, tuam dignitatem minime omnium fugit.

(t) Euagr lib. III. c. XXXIX. ἐπέκειτο δὲ ἑτέροις τε πολλοῖς, ἐξ ἐράνε τὴν τροφὴν πορίζεσι καὶ ταῖς ἀπεμπωλέσαις τὴν ὥραν τῦ σώματος κ. τ. λ. Impositum autem erat, tum aliis compluribus, qui stipe collatitia victitabant, tum mulierculis, quæ corpore quæstum faciebant. cætera.

(u) Liban orat. XIV. contr. Florent. tom. II. p. 427 (citante Valesio in adnotationibus ad lib. III. c. XXXIX. Euagr. p. 96.) Λεγέσθω τοίνυν καὶ τὸ τὰ ἄλλα πάντα νενικηκός· τῦτο δὲ ἐστιν ὁ ἀφόρητος φόρος, ἄργυρος καὶ χρυσὸς φρίττειν

intolerabile argenti & auri tributum dicitur, quo fiat, vt singula lustra, quoties iam propinqua sint, terrorem animis iniiciant. Et ex eadem ratione, vt auctor sub nomine AVGVSTINI [w] memorat, plerumque *aurum pannosum*, vel, vt aliæ editiones habent, *aurum pœnosum*, dictum fuit, quia a pauperibus exigebatur. Iam vero singularis ecclesiæ hac in re habebatur ratio; quum enim reditus eius essent exigui nec ad dandam vniuerso clero honestam alimoniam sufficerent, inferiorum ordinum clericis ad se ipsos alendos, sine vlla ad huiusmodi tributum soluendum obligatione, negotiari licebat. Hoc priuilegium primum a CONSTANTIO sine vlla restrictione datum fuit, vt, si qui [x] de illis alimoniæ caussa negotiationem exercere vellent, immunitate potirentur. Ne quis vero eorum hoc priuilegio ad auaritiam abuteretur, postea illorum negotiatio ad certam pecuniæ summam diuersis legibus restricta fuit, quam si excederent, vecti-

φρισσούσας ποιῶν τὰς δεινὰς πεντετηρίδας· ὄνομα μὴν γὰρ εὐπρεπὲς ἀπὸ τῶν ἐμπόρων πόρῳ τούτῳ· τῇ θαλάττῃ δὲ ἐκείνων εἰς διάδοσιν (διάθεσιν) χρωμένων, οἷς μόλις ἄρτου προσφέρουσιν αἱ χεῖρες, ἀπόλλυνται· διαφεύγει δὲ οὐδὲ νευρορράφος, οὓς ἐγὼ πολλάκις εἶδον τὴν σμίλην εἰς οὐρανὸν αἴροντας, ὀμνύντας μὴν ἐν αὐτῇ τὰ πάντα εἶναι σφίσιν· οὐ μὴν τοῦτό γε αὐτοὺς ἀπαλλάττει τῶν ἐγκωμίων (ἐγκειμένων), καὶ ὑλακτούντων. καὶ μόνον οὐ δακνόντων· οὗτος ὁ καιρός, ὦ βασιλεῦ, πλείω τὴν δουλείαν καθίστησιν ἐκβάλλων ἐλευθερίας τοὺς ὑπὸ τῶν γονέων πωλουμένους, οὐχ' ἵνα αὐτοῖς δέξηται τὴν τιμὴν τὸ κιβώτιον, ἀλλ' ἵνα αὐτὴν ἴδωσιν εἰς τὴν τοῦ κατεπείγοντος δεξιὰν ἐρχομένην. Iam vero dicamus etiam malum illud, quod reliqua cuncta longe superat. Id autem est *tributum intolerabile*, *chrysargyrum*: scilicet, quo fit, vt singula lustra, quoties iam propinqua sunt, terrorem animis iniiciant. Et nomen quidem huic collationi speciosum est ex mercatoribus. Sed cum isti mari vtantur ad merces suas diuendendas, ii quibus manus ægre panem suppeditant, funditus pereunt. Nec immunis ab hoc malo sutor. Quos quidem ego sæpius vidi, scalpro ad cælum sublato iurantes, in eo sua omnia reposita esse. Nec tamen istud eos liberat a vexatione eorum, qui ipsis incumbunt, & qui latrant, & tantum non mordent. Hoc tempus, imperator, seruorum numerum auget, spoliat enim libertate eos, qui a parentibus venundantur, non vt ipsi pretium venditionis in arcam suam referant, sed vt illud in manus compulsoris transire videant.

(w) Aug. quæst. vet. & nou. testam. c. LXXV. Didrachma capitum vel tributi exactio intelligitur; quod nunc *pannosum aurum* appellatur, quia & pauperes exiguntur.

(x) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. & cleric. leg. VIII. Si qui de vobis cæter. It. Cod. lib. XIII. lib. I. de lustrali collat. leg. I. Negotiatores omnes protinus conuenit aurum argentumque præbere: *clericos excipi tantum* (&) qui copiatæ appellantur, nec alium quemquam esse immunem.

gal

gal pendere debebant. Hoc ex alia eiusdem CONSTANTII [y] & quadam GRATIANI [z] lege intelligimus, vbi clerici intra *Illyricum* & *Italiam* ad denos ſolidos; intra *Galliam* autem ad quindecim ſolidos adſtringuntur. Verumtamen ſi qui vellent vlterius negotiari eo quidem fine, vt pecuniam in vſum pauperum conficerent, ex duabus [a] aliis CONSTANTII legibus tantam ſummam negotiationi impendere poterant, quantam volebant, ad nullum tributum huius reſpectu ſoluendum obligati. Porro notandum eſt, quod hæc immunitas ſolis catholicæ religionis [b] clericis, non aliis, ab *Honorio* conceſſa fuerit. Quod priuilegium tanti æſtimabatur, vt quidam auari mercatores ad officium aliquod titulare inter inferiores eccleſiæ clericos admitti diſcuperent, non alium ob finem, quam vt hac immunitate perfrui & negotiationem ſuam ſine luſtralis tributi ſolutione exercere ſibi liceret. Contra hanc fraudationem & aſtutiam ARCADIVS imperator ſeueram legem [c] ſanxit, de omnibus illis præcipiens, vt, ſi quæſtuoſæ mercaturæ operam dare vellent, hac clericorum immunitate priuarentur; vel ſi ſacro Dei miniſterio ſeſe deuouere cuperent, ab omnibus eiusmodi fraudulentis & callidis quæſtibus abſtinerent. *Diſtincta enim*, inquiebat, *ſtipendia*

(y) Ibid. lib. XVI. tit. II. leg. XV. *Clerici* vero, vel hi quos copiatas recens vſus inſtituit nuncupari, ita a ſordidis muneribus *debent immunes* atque *a conlatione praeſtari*; ſi exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum veſtitumque conquirent.

(z) Cod. Theod. lib. XIII. tit. I. de luſtrali collat. leg. XI. Etſi omnes mercatores ſpectat luſtralis auri depenſio, *clerici* tamen *inter Illyricum & Italiam in denis ſolidis; inter Galliam in quinis denis ſolidis immunem vſum conuerſationis exerceant*. Quidquid autem ſupra hunc modum negotiationis verſabitur, id oportet ad functionem aurariam deuocari.

(a) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II de epiſc. & cleric. leg X. *Negotiatorum diſpendiis minime obligentur* (clerici) cum certum ſit, quæſtus quos ex tabernaculis (leg. tabernis) atque ergaſteriis colligunt, *pauperibus profuturos*. Ibid. leg. XIV. Si quid - - mercatura - - congeſſerint, in vſum pauperum atque egentium miniſtrari oportet: aut id, quod ex eorumdem ergaſteriis vel tabernis conquiri potuerit & colligi, collectum id religionis æſtiment lucrum.

(b) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. leg. XXXVI. Quicumque *catholicæ religionis clerici*, intra eum modum, vnde victus, emendi vendendique vſum lege præfinitum exercent, ab auraria penſione habeantur immunes.

(c) Ibid. lib. XIII. tit. I. de luſtral. collat. leg. XVI. Omnes corporatos - - - præcipimus conueniri, vt aut commoda negotiatorum ſequentes a clericorum excuſatione diſcedant, aut ſacratiſſimo numini ſeruientes verſutis quæſtibus - - abſtineant: Diſtincta enim ſtipendia ſunt religionis & calliditatis.

sunt religionis & calliditatis. Eamque ob caussam sine dubio, ecclesiæ reditibus in tantum adauctis vt ad vniuersum clerum alendum iam sufficerent, VALENTINIANVS TERTIVS [*d*] legem fecit, *vt clerici nihil prorsus negotiationis exercerent: vel si vellent negotiari, scirent, se iudicibus subditos, clericorum privilegio non muniti.* EVAGRIVS [*e*] ipsum hoc chrysargyrum seu lustralem argenti aurique collationem ab *Anastasio* imperatore abolitam esse, adserit; & hæc caussa est, quamobrem postea nulla prorsus eius mentio in *codice Iustinianeo* iniiciatur.

§. VII.

De metato. *Quid per hoc intelligatur, & quod clerici ab eo exemti fuerint.*

Aliud onerum, quæ ciuibus imperii incumbebant, genus erat, quod imperatoris aulæ & stipatoribus, si quando proficiscendum eis esset, vel etiam iudicibus aut militibus, de loco alio in alium gradientibus, vitæ subsidia ministrare debebant. Hoc ipsum in lege ciuili [*f*] *metatum* & apud scriptores *græcos* μιτα̃τον appellatur, a vocabulo *metatores*, quod imperatorios hospitiorum designatores significat, qui diuersorii & alimenti apparandi caussa præmittebantur. Ad quam rem adludit CYPRIANVS [*g*], quando de *Rogatiano*, præstantissimo quodam presbytero *Carthaginensi*, qui primus omnium martyrum in persequutione *Deciana* in custodiam datus erat, loquens dicit, quod reliquorum *metator* exstiterit, ipsisque in carcere præparauerit hospitium. Et eodem sensu LVCIANVS martyr apud *Cyprianum* ipsum *Decium* [*h*] eleganter *metatorem antichristi* appellat, qui terribili illa persequutione hospitium aduentanti ei in mundum præparet. Ab hac vocabuli *metatoris* significatione officium illud præbendi imperatoris

(*d*) Valentin. nouel. XII. ad calc. cod. Theod.

(*e*) Euagr. lib. III. c. XXXIX. vid. not. (o) supra p. 240
prostituebant: *ex harum quæstu chrysargyri exactoribus pecuniam offerre coacti.*

(*f*) Cod Theod. lib. VII. tit. VIII. de metatis.
Cod. Iustin. lib. XII. tit. XLI. de metatis.

(*g*) Cyprian. ep. LXXXI. al. VI. edit Oxon. (edit. Par. MDCLXVI. p. 160.) Primum hospitium vobis in carcere præparauit & *metator* quodammodo vester, nunc quoque vos antecedit.

(*h*) Lucian. ap Cyprian. ep. XX. al XXII. (ep. XXI. cit. edit. p. 53.) Tu Deo volente ipsum anguem maiorem *metatorem antichristi*, nos tantum confessus deterruisti, cæter.. stipa-

ſtipatoribus, iudicibus atque militibus hoſpitia ac alimenta, in vtroque ciuilis legis codice *metatum* dicitur. Clerici autem ab hoc onere per legem [*i*] *Conſtantii* excepti erant, vbi eos a ſuſcipiendis hoſpitibus immunes pronuntiat: quo ipſo non a chriſtiano hoſpitalitatis officio erga pauperes ſed ab hoc ciuili imperii *Romani* officio, ad quod præſtandum cæteri ciues obligati erant, eos exemtos velle, cenſendus eſt. Vnde ſcite obſeruat GOTHOFREDVS [*k*], quod clerici hac in cauſſa eadem priuilegia habuerint cum ſenatorum domibus, ſynagogis iudæorum & chriſtianorum templis, quæ ædificia omnia ab hoc onere recipiendorum hoſpitum exemta erant. Et ſi *græcus* ille auctor, qui conſtitutiones eccleſiaſticas, a FABROTTO publicatas, ex *codice* collegit, non fallitur, hæc immunitas ad ipſorum etiam mancipia ſpectauit. Nam *Clerici*, inquit [*l*], *vel eorum mancipia nouis collationibus aut metatis ſubiecti non ſunt.*

§. VIII.

De collatione ſuperindicta & extraordinaria. *Clerici ab ea immunes.*

Et hinc porro apparet, quod ab omnibus exactionibus immunes fuerint, quæ *ſuperindictæ* & *extraordinariæ* appellabantur, hoc eſt, ab eis tributis, quæ imperatores imperio vel cuidam eius parti, præter ordinaria & canonica tributa, vrgente magna quadam neceſſitate, irroganda ducebant. Quemadmodum enim ordinaria tributa *indictiones*, ita hæc *ſuperindictiones* [*m*] vocabantur. Ab his clerici per diuerſas chriſtianorum imperatorum leges immunes erant. Exempli cauſſa per legem illam *Conſtantii* [*n*] in *codice Theodoſiano*, vbi ad præcedentem aliquam legem eiusdem argumenti remittit. *Iuxta ſanctionem*, inquiebat, *quam*

(*i*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc. leg. VIII. Præterea neque hoſpites ſuſcipietis.

(*k*) Gothofr. paratitl. ad cod. Theod. lib. VII. tit. VIII. de onere metati. tom. II. p. 264. *Immunes erant a metato clerici*, ſenatorum domus, ſynagogæ iudæorum, & religionum loca.

(*l*) Collat. conſtitut. eccleſ. ex cod. lib. I. tit. III. ſect. I. p. 1253. Οἱ κληρικοὶ καὶ τὰ ἀνδράποδα αὐτῶν οὐχ ὑπόκεινται καιναῖς εἰσφοραῖς, ἢ μετάτοις.

(*m*) Vid. cod. Theod. lib. XI. tit. VI. de ſuperindicto, & cod. Iuſtin. lib. X. tit. XVIII. de eodem.

(*n*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc. & cleric. leg. VIII.

du lum meruisse perhibemini, & vos & mancipia vestra nullus nouis collationibus obligabit, sed vacatione gaudebitis. GOTHOFREDVS in hunc locum dicit: *Ab extraordinariis collationibus immunes facti fuerunt, & nondum ab ordinariis & canonicis.* Atque ita res se habuit *Honorii* & *Theodosii iunioris* tempore, ann. CCCCXII. quando in lege quadam, multa alia ecclesiæ, ratione possessionum suarum, attribuente priuilegia, inter alia: *Nihil*, inquit, *extraordinarium ab hac* (ecclesia) *superindictitiumue flagitetur: - - Nihil præter* [o] *canonicam inlationem, quod aduentitiæ necessitatis sarcina repentina depoposcerit, eius functionibus adscribatur.* Quam legem *Iustinianus* [p] tandem confirmauit & in imperio *Romano* perpetuo obseruari iussit.

§. IX.

Clerici interdum exemti ab officio pecuniam ad viarum publicarum & pontium instaurationem contribuendi.

De aliis quibusdam officiis atque oneribus leges paullulum ab se inuicem discrepant. Interdum enim clerici ab eis exemti, interdum non exemti erant; quod speciatim de officio contribuendi pecuniam ad viarum publicarum & pontium conseruationem ac instaurationem obseruandum est. Secundum ante memoratam *Honorii* legem ann. CCCCXII. omnes ecclesiarum possessiones ab his officiis [q] exemtæ erant, & iniuria dicitur, si quis eas ad quidquam in hunc vsum conferendum adigere audeat. Verumtamen non multo post, nimirum ad ann. CCCCXXIII. *Theodosius iunior* legem pro imperio orientali tulit, nullum hominum genus ab hoc onere ferundo excipientem, sed suas ipsius possessiones (quæ horum temporum stilo *domus diuinæ* dicebantur) æque ac ecclesias [r] ad partem aliquam su-

(o) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. & cleric. leg XL.

(p) Iustin. nouel. CXXXI c. V. *Θεσπίζομεν, καὶ πασῶν τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν καὶ τῶν ἄλλων σεβασμίων οἴκων τὰς κτήσεις, μηδὲ ῥυπαρὰς λειτουργίας μήτε extraordinaριας διαγραφὰς ὑπομένειν.* Sancimus, *omnium* sanctarum *ecclesiarum* & omnium venerabilium domorum *possessiones*, neque sordidas functiones *neque extraordinarias descriptiones sustinere.*

(q) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. & cleric. leg. XL. Nullam iugationem, quæ talium priuilegiorum sorte gratulatur, muniendi itineris constringat *iniuria.* - - Nulla pontium instauratio: Nulla translationum sollicitudo gignatur.

(r) Cod. Theod. lib. XV. tit. III. de itin. muniendo leg. VI. Ad instructiones reparationesque itinerum pontiumque nullum genus hominum cessare oportet. Do-

stinen-

ſtinendam obligantem. Et circa idem tempus *Valentinianus tertius* legem [s] in eumdem finem in occidente ſtatuit. *Iuſtinianus Theodoſii* legem confirmauit codici [t] eam ſuo inſerendo aliamque legem a ſe ipſo factam, *nouellis* ſuis addendo, qua [u] etſi clericis immunitatem ab extraordinariis collationibus indulget, hæc nihilominus ſubiungit: *Si tamen itineris ſternendi aut pontium ædificii vel reparationis opus fuerit, ad inſtar aliorum poſſeſſorum, huiusmodi opus & ſanctas eccleſias & venerabiles domos complere*, (ſancimus) *dum ſub illa poſſident ciuitate, ſub qua tale ſit opus.*

§. X.

Ita etiam a ſic dictis angariis & parangariis, *cæteris.*

Leges itidem in alio officii genere, a ciuibus imperii requiri ſolito, variant, quo videlicet ad transportandum commeatum pro militibus aliaque huiusmodi ad imperatoris ærarium ſpectantia, equos ac carros exhibere tenebantur. Hoc officium in lege ciuili [w] dicitur *curſus publicus*, *angariæ*, *parangariæ*, *translatio* & *euectio*: & equi in hoc negotium adhibiti ſpeciatim *parauerdi* & *equi curſuales* nuncupantur. Iam vero clerici primum exemti ab hoc munere erant ex duabus *Conſtantii* [x] legibus, prioribus imperii ſui temporibus factis, quæ tum ipſosmet tum poſſeſſiones eorum a *parangariis* immunes diſerte ſta-

mos etiam diuinas *ac venerandas eccleſias tam laudabili titulo libenter adſcribimus.*

(s) Valent. nouel. XXI. ad calcem cod. Theod. Sancimus, vt antiquatis omnibus priuilegiis, quæ vel dignitatibus delata fuerunt, vel diuerſæ militiæ collegia meruerunt, aut *nomine venerandæ religionis* obtentum eſt, omnis vbique cenſus, qui non perſonarum eſt ſed agrorum, ad vniuerſa munia a noua dumtaxat indictione, vt ſupra definiuimus, abſque vlla diſcretione cogatur in quarta parte.

(t) Cod. Iuſtin. lib. I. tit. II. leg. VII. Ad inſtructiones itinerum pontiumque etiam diuinas domos & venerabiles eccleſias tam laudabili titulo adſcribimus: quia non eſt inter ſordida munera numeratum.

(u) Iuſtin. nouel. c. XXXI. c. V. Εἰ μὲν τι ὁδοστρωσίας, ἢ γεφυρῶν οἰκοδομῆς, ἢ ἀνανεώσεως χρεία γένηται, κατὰ μίμησιν τῶν ἄλλων κτητόρων, τὸ τοιοῦτον ἔργον καὶ τὰς ἁγίας ἐκκλησίας καὶ τοὺς ἄλλους σεβασμίους οἴκους πληροῦν· ἡνίκα ὑπ' ἐκείνην κέκτηνται τὴν πόλιν, ὑφ' ἣν τὸ τοιοῦτον γίνεται ἔργον.

(w) Cod. Theod. lib. VIII. tit. V. de curſu publico, *angariis & parangariis.* Cod. Iuſtin. lib. XII. tit. LI.

(x) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc. & cleric. leg. X. Parangariarum quoque parili modo (a clericis) ceſſet exactio. Ibid. leg. XIV. Ad parangariarum quoque præſtationem non vocentur, nec eorumdem facultates atque ſubſtantiæ

tuunt.

tuunt. Sed alia quadam lege ſub imperii ſui finem, nimirum ann. CCCLX. lata, hoc priuilegium abolet, clericosque ad *translationes faciendas*, vt ibi redditur [y], hoc eſt, ad equos carrosque in vſum imperatoris ſubminiſtrandos, obligat. Et hoc facit non obſtante, quod ſynodus *Ariminenſis* petierat, vt iuga, quæ ad eccleſiam pertinerent, a publica functione ceſſarent, quia hoc tum fiebat, quum *Conſtantius* ab ipſis diſſideret. Interim hæc lex viguit non tantum ſub *Iuliano*, ſed *Valentiniano* etiam atque *Theodoſio*, vsque dum contraria [z] quadam lege viginti circiter annis poſt, nimirum ann. CCCLXXXII. clericos in priſtinum priuilegii ſui vſum reſtituerent. Quæ immunitas porro eis ab *Honorio* ann. CCCCXII. confirmata fuit, cuius lex etiamnum in vtroque *codice* [a] exſtat. *Theodoſius* tamen *iunior* & *Valentinianus tertius* ann. CCCCXL. eorum priuilegio rurſus abolito poſſeſſiones eccleſiaſticas duabus legibus [b] ad munia *angariarum*, *parangariarum*, cætera (imperatore expeditionem aliquam vel iter faciente) implenda non minus quam reliquos adſtringunt. Ex quibus omnibus perſpicimus, non certam aliquam regulam hac in re fuiſſe obſeruatam, ſed clericos hoc priuilegium habuiſſe vel non habuiſſe, prout rerum ſtatus id ferret, vel imperatores ad illud indulgendum propenderent.

(y) Cod. Theod. ibid. leg. XV. Vt præterea - ad vniuerſa munia ſuſtinenda translationesque faciendas omnes clerici debeant adhæreri.

(z) Cod Theod. lib XI tit. XVI. de extraordin. & ſordid. muneribus leg. XV. Circa eccleſias, rhetores atque grammaticos eruditionis vtriusque vetuſto more durante - - Ne parauaredorum huiuſmodi viris aut parangariarum præbitio mandetur, cætera.

(a) Cod. Theod. lib. XVI tit. II. de epiſc. & cleric. leg. XL. Nulla *translationum* ſollicitudo gignatur, cætera. (alii ſignetur, vt in cod. Iuſtin. lib. I. tit. II. de ſacroſanct. eccleſ leg V.)

(b) Cod. Iuſtin. lib I. tit. II. leg. XI. Neminem ab angariis vel parangariis, vel pluſtris, vel quolibet munere excuſari præcipimus, cum ad feliciſſimam expeditionem noſtri numinis, omnium prouincialium per loca, qua iter arripimus, debeant ſolita nobis miniſteria exhiberi; licet ad ſacroſanctas eccleſias poſſeſſiones pertineant. It. lib. XII. tit. LI. de curſu publico leg. XXI. Nullus penitus cuiuslibet ordinis ſeu dignitatis, vel ſacroſancta eccleſia, vel domus regia tempore expeditionis excuſationem angariarum ſeu parangariarum habeat.

§. XI.

§ XI.

De tributo, quod vocabatur denariſmus, vnciæ *&* deſcriptio lucratiuorum: *& quod eccleſia immunis ab eo fuerit.*

Præter hæc publica tributa & munia priuatum quoque tributum erat, a quo omnia prædia, in eccleſiæ vel alius cuiusdam piæ rei vſum donata, ſecundum leges imperii vacabant. Hoc in lege ciuili vocatur *denariſmus*, ſiue *vnciæ* & *deſcriptio lucratiuorum*. Cuius appellationis ratio ex ipſa naturæ huius tributi explicatione intelligenda fuerit. Erat genus quoddam tributi, quod pendebatur non imperatoribus, ſed *curiæ* ſeu *curialibus* cuiusque ciuitatis, hoc eſt, iſti hominum ſocietati, quos vi poſſeſſionum ſuarum curiæ ſeu communis conſilii membra eſſe, & patriæ ſuæ munia implere oportebat. Iam vero contingere interdum ſolebat, vt quidam ex his *curialibus* facultates ſuas alii cuidam, qui non eſſet de *curia*, relinqueret; & facultates ita tranſeuntes ad ipſum tranſire dicebantur *ex cauſſa lucratiua*, quod in oppoſitione *cauſſæ onerosæ* eſt, quando quis bona ex donatione vel teſtamento, non ex emtione poſſidet. Iam vero ne in hoc caſu facultatum quarumdam alii cuidam extra curiam facta donatio reliquis curialibus maiori oneri exiſteret, is qui hac ratione eas accipiebat, curiæ ciuitatis annuum tributum ſoluere debebat, quod ex natura huius iuris poſſeſſorii *deſcriptio lucratiuorum* dicebatur. Et quia quodlibet *iugum* ſiue *caput*, vt leges id vocant, *denarium*, hoc eſt, *vnciam* argenti quotannis pendere debebat, hinc ipſum tributum *vnciæ* & *denariſmus* appellitabatur: vt in legibus [c] *Theodoſii magni* infra in margine citatis factum videmus. *Theodoſius iunior* & *Valentinianus tertius* hoc tributum duplicarunt, ſingulis poſſeſſionum iugis & capitibus [d]

(c) Cod. Theod. lib. XII. tit. I. de decurationibus leg. CVII. Quicumque heres curiali vel legitimus, vel electus teſtamento graduue ſucceſſerit - - vel ſi quem liberalitas locupletauerit ſorte viuentis, quos a curiæ nexu conditio ſolet dirimere, ſciant pecuniariis deſcriptionibus, pro ea tantum parte patrimonii, in quam quiſque ſucceſſit, ad *denariſmum* ſiue *vncias*, ſeſe auctoris ſui nomine retinendum.

It. leg. CXXIII. ibid. Quidquid ex ſubſtantia curialium ad vnumquemque diverſa largiendi occaſione peruenerit, *denariſmo* vel *vnciis* habeatur obnoxium in ea parte, in qua auctoris ſui nomine fuerat retentatum.

(d) Cod. Theod. lib. XII. tit. IV. de imponenda lucratiuis deſcriptione leg. vnic. Hi qui ex lucratiua cauſſa poſſeſſiones detinent, quæ aliquando curialium fuerint,

quatuor ſiliquas, hoc eſt duas argenti vncias, imponendo. Pro qua rata parte poſſeſſor quisque, qui bona quædam titulo ante memorato tenebat, ad tributum de illis curiæ ciuitatis, ad quam ſpectabant, pendendum obligatus erat. Quod ſi vero iſtiusmodi bona eccleſiæ donarentur, ab hoc tributo, ſi non antea, certe *Iuſtiniani* temporibus, exemta erant. Exſtant enim in hanc ſententiam duæ leges [c], in *codice* ipſius altera, altera in eius *nouellis*, in qua vtraque res ex *curialium* libertate ad eccleſiam aliquam, vel monaſterium vel orphanotropheum, aliasue id genus domus hoſpitales publicas, deſcendentes, ab iſta lucratiuorum deſcriptione ſpeciatim excipiuntur; & quidem, vt ibi dicitur, pietatis intuitu, & quod æquum ſit, diſcrimen facere inter res diuinas & humanas. An vero eccleſia hanc immunitatem ſub vllo alio principe ante *Iuſtinianum* habuerit, id equidem amplioris diſquiſitionis materiam aliis curioſis eſſe volo; & interea ad aliud immunitatis clericorum genus, quod erat vacatio a muneribus ciuilibus in imperio *Romano*, conſiderandum progredior.

§. XII.

Clerici ab vniuerſis ciuilibus iisque perſonalibus muneribus exemti.

Horum munerum alia erant perſonalia, alia patrimonialia, hoc eſt, quæ hominum bonis & poſſeſſionibus adnexa erant. Alia rurſus vocabantur *honores*; & alia *munera ſordida*. Ab

---

pro ſingulis earum iugis & capitibus *quaternas ſiliquas* annuæ (leg. annuas) ordinibus nomine deſcriptionis exſoluant.

(c) Cod. Iuſtin lib. I tit. II. de ſacroſanct. eccleſ. leg XXII. Sancimus, *res ad venerabiles eccleſias*, vel xenones, vel monaſteria, vel orphanotrophia, vel gerontocomia, vel pthochotrophia (vel noſocomia) vel brephotrophia vel denique ad aliud tale conſortium *deſcendentes ex qualicumque curiali liberalitate*, ſiue inter viuos, ſiue mortis cauſſa, ſiue in vltimis voluntatibus habita, *a lucratiuorum inſcriptionibus liberas immunesque eſſe:* lege ſcilicet, quæ ſuper huiusmodi inſcriptionibus poſita eſt, in aliis quidem perſonis ſuam robur obtinente: in parte autem eccleſiaſtica, vel aliarum domuum, quæ huiusmodi piis conſortiis deputatæ ſunt, vigorem ſuum, *pietatis intuitu*, mitigante. Cur enim non faciamus diſcrimen inter res diuinas & humanas? & quare non competens prærogatiua cæleſti fauori conſeruetur? Id. nouell. CXXXI. c. V. *Si quæ* vero *res ex curialium ſubſtantia ad* quamlibet ſacroſanctam *eccleſiam*, aut aliam venerabilem domum ſecundum leges *venerunt, aut poſtea venerint: liberas eas eſſe ſancimus deſcriptione lucratiuorum.*

his

his omnibus tam patrimonialibus quam perſonalibus, tam honorificis quam ſordidis muneribus clerici, ſecundum primas *Conſtantini* leges, generatim & omnino immunes erant: Sed ſubſequutis temporibus aliquod diſcrimen factum eſt ratione iſtorum clericorum, qui patrimoniales poſſeſſiones ſæculares ſibi proprias habebant, diſtinctas ab eis, quæ ad eccleſiam ſpectabant. Tales enim clerici nonnumquam munus ſuum eccleſiaſticum relinquere & ciuiles imperii functiones ſuſtinere cogebantur; qua de re paullo poſt. Quod autem ad munera mere perſonalia attinet, ab his clerici in totum exemti erant; vti ex lege quadam *Valentiniani* & *Gratiani* [*f*] in vtroque codice adhuc exſtante videre eſt, quæ omnes clericorum ordines, non ſolum presbyteros & diaconos, ſed ſubdiaconos etiam, exorciſtas, lectores, oſtiarios & acoluthos perſonalium munerum expertes eſſe præcipit. Et hic ſenſus eſt legis CONSTANTII, ATHANASIO [*g*] & SOCRATI [*h*] & SOZOMENO [*i*] memoratæ, qua ipſum clericis *Aegyptiis* *ἀλειτεργησίαν* & *ἀτέλειαν λειτεργημάτων* immunitatem ab obeundis muneribus publicis, ad quæ ſub perſecutione *Ariana* adacti fuerant, reſtituiſſe, dicunt.

§. XIII.

Et ab ſordidis muneribus tum patrimonialibus tum perſonalibus.

Similiter, quod attinet ad ſic dicta munera ſordida, non tantum perſonæ clericorum ſed poſſeſſiones etiam eccleſiæ iſtiusmodi oneribus liberæ erant. Duas leges [*k*] *Conſtantius* in hunc finem

(*f*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc. & cleric. leg. XXIV. Presbyteros, diaconos, exorciſtas, lectores, oſtiarios etiam & omnes perinde qui primi ſunt, perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus.
Cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. leg. VI. vbi eadem leguntur, tantum loco verborum; *omnes qui primi ſunt*, habetur: acolythos.

(*g*) Athan. apol. II. tom. I. p. 772. edit. Pariſ. MDCXXVII. (p. 173. C. edit. Par. MDCXCVIII.) *Τὴν ἀτέλειαν, ἧς ἔτυχον πάλαι καὶ ἅμα ἀυτῷ κληρικοὶ, τούτοις βεβαιωθῆναι προσηκόντως*, immunitas, qua clerici qui cum eo (Athanaſio) ſunt, olim fruebantur, illis vt decet confirmetur.

(*h*) Socrat. lib. II. c. XXIII. qui eadem verba habet.

(*i*) Sozom. lib. III. c. XXI. *προσέταξε - ὡς τὸ πρὶν ἀτέλειαν ἔχειν λειτεργημάτων τοὺς ἀυτοῦ κληρικούς.* Iuſſit - vt clerici illius priſtina, ſicut antea conſueuerant, immunitate fruerentur.

(*k*) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de epiſc. leg. X. Vt eccleſiarum cœtus concurſu po-

finem tulit, quas *Valentinianus* & *Theodosius* confirmarunt, clericis & aliis quibusdam hominum ordinibus eamdem, quam maximis imperii *Romani* dignitatibus, indulgendo immunitatem. Significabant [*l*] etiam, non esse hoc nouum priuilegium, sed quo ex more vetusto semper gauisi sint. Idem ab *Honorio* dicitur, quod hoc antiquum ecclesiæ priuilegium sit, a diuis antecessoribus suis ecclesiæ collatum, adeoque haud imminuendum. Idcirco duas leges speciatim in gratiam [*m*] episcopi *Romani* faciebat, vt nihil extraordinarii muneris vel sordidæ functionis ei imponeretur. Neque vmquam ad istiusmodi munus in imperio obeundum clericos vocatos fuisse legimus. Nam etsi GOTHOFREDVS in animaduersionibus in ante memoratam *Theodosii* legem [*n*], in qua diuersa ex his muneribus recensentur, *angarias*, viarum ac pontium constructionem sordidis muneribus adnumerat; antea tamen ostendimus, quod quidquid ab clericis, huius vtriusque rei intuitu, exigi consueuerit, tributi non autem muneris nomine venerit: & leges [*o*], quæ clericos in hanc rem

pulorum ingentium frequentetur, clericis ac iuuenibus præbeatur immunitas *repellaturque ab his exactio munerum sordidorum.* Leg. XIV. ibid. Omnis a clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur improbitas: *nullaque conuentio sit circa eos munerum sordidorum.*

(*l*) Cod. Th. lib XI. tit. XVI de extraord. & sordid. muner. leg. XV. Maximarum culmina dignitatum, Consistoriani quoque comites, notarii etiam nostri, & cubicularii omnes, atque ex cubiculariis, ob omnibus sordidis muneribus vindicentur: cæteris autem palatina vel militari intra palatium prærogatiua munitos, ita demum priuilegium simile contingat, si prioribus statut s se ad eiusmodi exactionem docuerint pertinere: vt non singulis indulta personis, sed in communi dignitati vel corpori eiusmodi beneficia doceantur *fuisse concessa circa ecclesias*, rhetores atque grammaticos eruditionis vtriusque *vetusto more durante*, cætera.

(*m*) Ibid. leg. XXI. *Priuilegia venerabilis ecclesiæ, quæ diui principes contulerunt*, imminui non oportet: Proinde etiam, quæ circa vrbis Romæ episcopum obseruatio intemerata custodiet: ita vt nihil extraordinarii muneris ecclesia vel sordidæ functionis agnoscat. Ibid. leg. XXIV. Priuilegia venerabilis ecclesiæ imminui non patimur, ita vt nihil extraordinarii muneris ecclesiæ, vel sordidæ functionis, agnoscant. Quidquid igitur præceptis veteribus reuerentia religionis obtinuit, mutilari, etiam pœnæ interminatione, prohibemus: ita, vt hi quoque, qui ecclesiæ obtemperant, his quibus cautum est, beneficiis perfruantur.

(*n*) Gothofr. in Cod. Theod. lib. XI. tit. XVI. leg XV. Quartum sordidum munus est, *paraueredorum & parangariarum* præbitio - - - Duodecimum munus inter sordida numeratur *viarum & pontium constructionis sollicitudo.*

(*o*) Cod. Theod. lib. XV. tit. III. de itinere muniendo leg. VI. Honor. & Theod. Iun.

contri-

contribuere iubent, isthæc officia sordidis muneribus non adnumeranda, nec vllum officium hoc nomine ab eis exigendum esse, verbis expressis inculcant.

§. XIV.

Nec non a curialibus ac municipalibus muneribus.

Quod ad alterum munerum genus attinet, ad *honores* videlicet siue honorifica vel municipalia munera, quæ alias munera curialia dici solebant, quod, qui ea sustinebant, *curiales* & *decuriones* appellabantur, omnes clerici, non habentes possessiones sibi proprias, sed ecclesiæ reditibus & possessionibus viuentes, prorsus ab eis exemti erant; quia officia ecclesiæ & reipublicæ in vno eodemque homine non bene vna consistere posse credebantur: & iniquum habebatur, ecclesiæ possessiones ciuilibus reipublicæ officiis onerare. *Constantinus* pacato vtens imperio statim post magnam istam decennalem, vulgo *Diocletianam*, persequutionem omnibus clericis, tam iis, qui possessiones vel patrimonium sibi proprium habebant, quam illis, qui ex reditibus ecclesiæ in solidum alebantur, plenam & nullis limitibus circumscriptam immunitatem hoc intuitu videtur indulsisse. Ita enim mentem suam ipse exprimit lege quadam ad *Anulinum* proconsulem *Africæ* directa, cuius meminit EVSEBIVS, & quæ ann. CCCXII. vel CCCXIII lata esse dicitur [p]. *Eos homines*, inquit, *qui intra prouinciam tibi concreditam in ecclesia catholica, cui Cæcilianus præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, quos clericos vocare consueuerunt, ab omnibus omnino publicis functionibus immunes volumus conseruari: ne errore aliquo aut casu sacrilego a cultu summæ diuinitati debito abstrahantur; sed vt potius absque vlla inquietudine propriæ legi deseruiant.* AVLINVS epistolam quoque etiamnum in

Absit, vt nos instructionem viæ publicæ & pontium stratarumque operam inter sordida munera numeremus. Vid cod. Iustin lib. I. tit. II. leg. VII. eiusd. Honor. & Theod citat. supra ad §. IX. not. (t) pag. 247.

(p) Constant. ep. ad Anulin. apud Euseb. lib. X. c. VII. Ἐκείνους τοὺς εἴσω τῆς ἐπαρχίας τῆς σοι πεπιστευμένης ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ᾗ Καικιλιανὸς ἐφέστηκε, τὴν ἐξ ἑαυτῶν ὑπηρεσίαν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ θρησκείᾳ παρέχοντας, ὅπερ κληρικοὺς ἐπονομάζειν εἰώθασιν, ἀπὸ πάντων ἁπαξαπλῶς τῶν λειτουργιῶν βούλομαι ἀλειτουργήτους διαφυλαχθῆναι· ὅπως μὴ διά τινος πλάνης ἢ ἐξολισθήσεως ἱεροσύλου, ἀπὸ τῆς θεραπείας τῆς τῇ θειότητι ὀφειλομένης ἀφέλκωνται, ἀλλὰ μᾶλλον ἄνευ τινὸς ἐνοχλήσεως τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἐξυπηρετῶνται.

AVGVSTINO [q] exſtantem non diu poſt ad *Conſtantinum* exarauit, in qua hoc priuilegium ei a ſe miſſum narrat, vt *Cæciliano* & clericis catholicis ſignificaretur. *Scripta cæleſtia maieſtatis veſtræ*, inquit, *accepta atque adorata Cæciliano & his qui ſub eodem agunt, quique clerici appellantur, deuotio paruitatis meæ inſinuare curauit, eosdemque hortata eſt, vt vnitate conſenſu omnium facta cum OMNI OMNINO MVNERE indulgentia maieſtatis veſtræ liberati eſſe videantur catholici, cuſtodita ſanctitate legis, debita reuerentia diuinis rebus inſeruiant.* Et hæc ANVLINI epiſtola etiam in *collatione Carthaginenſi* [r] ſed non ita emendate exhibetur. De hoc priuilegio adnotari meretur, quod ſolis catholicis clericis illud indultum fuerit: id quod *Donatiſtas* male habuit, quod eodem fauore frui ſibi non liceret: & hinc in catholicos tumultuoſi & turbulenti facti in quibusdam locis eo rem deduxerunt, vt clerici publicis muneribus nominarentur, recipiendisque publicis reditibus aliisque negotiis præficerentur. Qua de re quum ad *Conſtantinum* querimonia eſſet delata, nouum ille mandatum in *Africa* iuſſit publicari eiusdem cum priore argumenti. *Hæreticorum factione*, inquiens, *comperimus eccleſiæ catholicæ clericos* [s] *ita vexari, vt nominationibus ſeu ſuſceptionibus aliquibus, quas publicus mos expoſcit, contra indulta ſibi priuilegia prægrauentur. Ideoque placet, ſi quem tua grauitas inuenerit ita vexatum, eidem alium ſubrogari & deinceps a ſupra dictæ religionis hominibus huiusmodi iniurias prohiberi.* Hæc lex anno CCCXIII. publicata & prima huius generis eſt, quæ in *codice Theodoſiano* exſtat. Sex circiter annis poſt, ad ann. CCCXIX. aliam publicauit occaſione ſimilis querelæ in *Italia* factæ, quod nimirum clerici a propria functione ad munera publica obeunda auocentur: Et hac ipſa eamdem [t], quam antea, generalem eis immunitatem indulſit. Ita

(q) Anulin. epiſt. ad Conſtant. ap. Auguſtin. ep. LXVIII. (tom. II. p. 323. B. edit. Baſil. MDLXIX.)

(r) Collat. Carth. die III. c. CCXVI. (tom. II. conc. p. 1488.) Auguſtis noſtris Anulinus v. c. proconſul Africæ: Scripta eccleſia maieſtatis veſtræ accepta atque adorata, Cæciliano, & his qui ſub eodem agunt, quique clerici appellantur, deuotio mea apud acta paruitatis meæ inſinuare curauit. c. CCXX. Martialis exceptor ex ſuperioribus geſtis recitauit: Eosdem hortata eſt, vt vnitate conſenſu omnium facta munere maieſtatis veſtræ liberati eſſe videantur, catholica cuſtodita ſanctitati legis debita reuerentia, ac diuinis rebus inſeruiant.

(s) Cod. Iuſtin. lib. XVI. tit. II. de epiſc. leg. I.

(t) Cod. Theod. ibid. leg. II. Qui diuino cultui miniſteria religionis impendunt (id

rurſus

rursus ann. CCCXXX. facta querela de *Donatistis Numidiæ*, quod quum contra superiorum ordinum clericos, propter pristinam eis concessam immunitatem, nihil ex sententia efficere possent, hoc non obstante inferiores clericos ad sustinenda munera *curialia* cogerent, prætexentes, quod exceptio ad eos non attineret: *Constantinus*, vt omnem præcideret disputationem, aliam legem promulgauit, qua [u] speciatim clericos inferiores, lectores, hypodiaconos & reliquos a muneribus in curia subeundis exemit; eademque immunitate in *Africa*, quam in ecclesiis orientalibus haberent, potiri iussit.

§. XV.

Verum hoc vltimum priuilegium ad eos clericos, quibus nullæ, nisi quæ ad ecclesiam spectabant, possessiones essent, legibus Constantini *restrictum.*

Iam vero hæc immunitas tantum erat priuilegium, vt non solum ab hæreticis in summam raperetur inuidiam, sed etiam catholicos quosdam laicos (istiusmodi bona possidentes, quæ ipsos ad munera patriæ suæ implenda obligabant) ad aucupandam titularem quamdam ordinationem ad inferius aliquod ecclesiæ munus adliceret, quo hac immunitate potirentur; quum tamen illis non esset animus istius functionis officia implere vel ad vllum altiorem ordinem in ecclesia prouehi. Quæ res quum pro mere fraudulenta collusione haberetur, quæ rempublicam hominibus ad communem vtilitatem iuuandam idoneis priuaret, nec vlla ratione ecclesiæ esset beneficio, statim a *Constantino* in eam, tamquam indultæ immunitatis abusum, animaduertebatur; variæque leges tum ab ipsomet, tum ab ipsius successoribus, prout necessitas requirebat, ad eum reprimendum & corrigendum promulgabantur. *Constantinus* primum, quemadmodum antea obseruauimus, hanc immunitatem indiscriminatim omnibus clericis, priuata bona tam possiden-

est, hi qui *clerici* appellantur) *ab omnibus omnino muneribus excusentur:* Ne sacrilego liuore quorumdam a diuinis obsequiis auocentur.

(u) Cod. Theod. lib XVI. tit. II. leg. VII. Lectores diuinorum apicum, & hypodiaconi, cæterique clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad curiam deuocati sunt, absoluantur: & de cætero ad similitudinem orientis minime ad curias deuocentur, sed immunitate plenissima potiantur.

tibus

tibus quam non possidentibus, concedebat, quos in ministerio ecclesiæ re ipsa occupatos, quum pacatum haberet imperium, offendit. Neque forte aliquot annis post vllos homines a recipiendis ordinibus in ecclesia cohibuit. Videns autem hanc suam in ecclesiam indulgentiam versutorum & callidorum hominum artibus tantummodo in detrimentum reipublicæ verti, & diuites sub titulo quodam ecclesiastico, ad declinanda solum prouinciæ suæ munia, sese occultare; legem ferebat, vt nullus diues de plebe, per facultates suas ad seruiendum in curia obligatus & muneribus ciuilibus in ciuitate quadam obeundis opportunus, clericorum se consortio sociaret: vel si quis id faceret post legem promulgatam, vt ex statione sua dimitteretur ac curiæ ad explenda prouinciæ suæ munia restitueretur. Quo anno hæc lex lata sit, non adeo certo constat, nisi quod ante annum CCCXX id factum fuisse oporteat, vbi secunda lex ad istam priorem respiciens de eadem re publicata fuit. Et exinde discimus, quisnam sensus fuerit vtriusque: fuisse nimirum *Constantino* animum, discrimen facere inter illos clericos, qui ante primam legem latam & inter eos, qui postea ordinati essent; istos ab officiis ciuilibus eximebat, possessionibus licet instructos, non autem hosce: quod ex secundæ legis verbis liquido constat, quæ sic habent [w]: *Quum constitutio emissa præcipiat, nullum deinceps decurionem vel ex decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunum ad clericorum nomen obsequiumque confugere; sed eos de cætero in defunctorum dumtaxat clericorum loca subrogari, qui fortuna tenues, neque muneribus ciuilibus teneantur obstricti: cognouimus, illos etiam inquietari, qui ante legis promulgationem clericorum consortio se sociauerint: Ideoque præcipimus, his ab omni molestia liberatis, illos qui post legem latam obsequia publica declinantes, ad clericorum numerum confugerunt, curiæ ordinibusque restitui & ciuilibus obsequiis inseruire.* Alia *Constantini* lex exstat post hanc proximo a concilio *Niceno* anno CCCXXVI [x] publicata, quæ in eamdem sententiam loquitur,

(w) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. III.

(x) Ibid. leg. VI. Si inter ciuitatem & clericos super alicuius nomine dubitetur, si eum æquitas ad publica trahat munera & progenie municeps, vel patrimonio idoneus dignoscetur, exemtus clericis ciuitati tradatur: Opulentos enim sæculi subire necessitates oportet, pauperes ecclesiarum diuitiis sustentari.

& osten-

& oſtendit, fuiſſe hanc conſtantem regulam vltimis imperii *Conſtantini* temporibus, nullum ex clericis, qui patrimonio inſtructus eſſet, ab obeundis publicis imperii muneribus eximere.

§. XVI.

Leges Conſtantini *a ſequentibus imperatoribus in eccleſiæ gratiam paullulum immutatæ.*

Quamquam autem initio hoc ipſum fortaſſis ideo conſtituit *Conſtantinus*, vt quibusdam abuſibus occurreret, ſuccedente tamen tempore eccleſiæ illud detrimento exſtitit Hac enim ratione presbyteri & diaconi, quum viginti vel triginta in eccleſiæ miniſterio annos transegiſſent, a litigioſis hominibus ad obeunda civilia munera, quæ cum eccleſiaſticis conſiſtere ſimul non poterant, depoſcebantur adeoque eccleſiaſticam ſuam functionem deſerere cogebantur. Hæc tanta erat incommoditas, vt ſequentium imperatorum deceret ſapientiam, præſens ei remedium inuenire: id quod fecerunt legem *Conſtantini* moderando eiusque rigorem quodammodo imminuendo. Non enim ciuilium officiorum onera clericorum perſonis, ſed eorum tantum poſſeſſionibus ad eccleſiam haud ſpectantibus, impoſuerunt, & in quibusdam caſibus haſce etiam exemerunt. *Conſtantius* omnes epiſcopos, tam quod ad perſonas quam quod ad poſſeſſiones eorum, ab hoc onere immunes eſſe iuſſit. Ex eius enim legibus [*y*] poſſeſſiones ſuas retinere poterant, nec tamen ipſimet ciuilia munera obire, nec alium quempiam in locum ſuum ſubſtituere tenebantur. Et idem priuilegium presbyteris atque diaconis & reliquis omnibus indulſit, ſi curia conſentiente populoque vniverſo expetente eſſent ordinati. Quod ſi vero ea ratione ordinati haud fuerant, quidquid facere eos tum oportebat, hoc erat, vt poſſeſſionum ſuarum duas partes tertias cum filiis ſuis aut propinquitate proximis partirentur, eosque in locum ſuum ſubſtituerent: vel vt his deficientibus duas bonorum partes curiæ redderent, tertia ſibimetipſis reſeruata. *Valentinianus* ſub imperii ſui initia ann. nati Chriſti CCCLXIV legem iſtam paullo acuit, iſtiusmodi homines [*z*], ſi ordinati eſſent, omnes poſſeſſiones

(*y*) Cod. Theod. lib. XII. tit. I. de decurionibus leg. XLIX. *Solum epiſcopum facultates ſuas curiæ, ſicut antea fuerat conſtitutum, nullus adigat mancipare,* ſed antiſtes maneat, nec faciat ſubſtantiæ ceſſionem.

(*z*) Cod. Theod. lib. XII tit. I. leg. LIX. Qui partes elegit eccleſiæ, aut in propinquitate

ones suas in vnum ex propinquis suis conferre, eumque tamquam curialem in locum suum substituere, vel curiæ ipsi eas cedere iubendo. Quod qui facere detrectarent, illos in curiam reuocari & ad ciuilia munera obeunda tamquam laicos obligari, præcepit. Sed hanc obligationem non vltra imperii sui initia extendit: nam alia quadam lege, septem annis post, nimirum ann. CCCLXXI lata, omnes in ecclesiæ ministerio [a], quum ipse rerum potiretur, iam constitutos, licet possessionibus ad subeunda ciuilia officia obligantibus instructos, exemit. *Valens* eos vniuersos immunes esse iussit, qui decennium [b] in clericatu impleuissent; ita quidem, vt si intra illud temporis spatium a curia non essent reuocati, postea in perpetuum exemti manerent. *Valentinianus secundus* ipsos exemit [c] ea conditione, vt aliquem in locum suum substituerent. *Theodosius* istos omnes excepit, qui ante annum CCCLXXXVIII, qui erat imperii sui decimus, ordinati [d] fuerant. Ab iis autem, qui postea ecclesiæ

quum bona propria conferendo eum pro se faciat curialem, aut facultatibus curiæ cedat quam reliquit: ex necessitate reuocando eo qui neutrum fecit, quum clericus esse cœpisset, cætera.

(a) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XXI. Quæ ecclesiæ iuge obsequium deputarunt, curiis habeantur immunes, *si* tamen *ante ortum imperii nostri* ad cultum se legis nostræ contulisse constiterit.

(b) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. leg. XIX. Quicumque ex curialium natus genere ad clericatum venerit, & præiudicium sanguinis cœperit postulari, certi temporis definitione defendatur: vt *si in consortio clericatus decennium quietis impleuerit*, cum patrimonio suo in perpetuum habeatur immunis: si vero intra finitos annos fuerit a curia reuocatus, cum substantia sua functionibus subiaceat ciuitatis: obseruando hoc, vt hi quos decennium vindicat, petitione superflua minime fatigentur.

(c) Cod. Theod. lib. XII. tit. I. de decurion. leg. XCIX. Iussio, qua sibi iudææ legis homines blandiuntur, per quam eis curialium munerum datur immunitas, rescindatur: cum ne clericis quidem liberum sit, prius se diuinis ministeriis mancipare, quam patriæ debita vniuersa persoluant. Quisquis igitur vere Deo dicatus est, *alium instructum facultatibus suis ad munera pro se complenda constituat.*

(d) Ibid. leg. CXXI. Qui ante secundum consulatum mansuetudinis meæ ex ordine curiali vel presbyteri fastigium vel ministerium diaconi vel exorcistæ suscepit officium, omne eius patrimonium immune a curialibus nexibus habeatur ac liberum. Ii vero, qui se ad religiosa diuini cultus obsequia, quocumque sub nomine, post memorati consulatus tempora præscripta contulerint, omni sciant cedendum esse patrimonio. Leg. CXXIII. Euidens præcepto nostro tempus expres-

mini-

ministeriis se mancipassent, supra dictas duntaxat requisiuit [*e*] conditiones, vt videlicet vel in locum suum aliquem substituerent, vel possessiones post ordinationem suam curiæ cederent. Cuius rei ab AMBROSIO quoque fit mentio in responsione ad *Symmachum*, qua ostendit [*f*], quam inique & iniuste pro ethnicorum sacerdotum immunitate hac in re ille laboret, quum leges christianis clericis eam nonnisi istiusmodi conditionibus indulgeant. *Arcadius* quidem instigante *Eutropio* ann. CCCXCVIII, omnibus istis legibus æquissimis abrogatis, clericos seueræ *Constantini* constitutioni rursus subiecit, iubendo eos, qui [*g*] ex curialibus in ecclesia ordinati essent, adhibita vi ad curiam reuocari, beneficiumque harum legum, quæ ordinem in ecclesia suscipere eis permittunt, ipsis denegari, nisi quem vicarium de facultatibus suis substituerent, qui ipsorum loco munera publica obiret. Sed ista lex non diu obtinuit; *Chrysostomo* enim aliisque nonnullis in eam iuste declamitantibus, sequenti anno eam noua lege aboleuit, qua [*h*] clericis ex curialium societate in ecclesiæ ministerium adscitis idem priuilegium, quod sub parente *Theodosio* habuerant, concessit, vt nimirum, qui ante secundum *Theodosii* consulatum,

sum est, ex quo consulatu, si qui de curialibus ad ecclesiam confugissent, omni scirent patrimonio curiæ esse cedendum.

(*e*) Ibid. leg. CIV. Curiales, qui ecclesiis malunt seruire quam curiis, si volunt esse quod simulant, contemnant illa quæ subtrahunt: nec enim eos aliter, nisi contemtis patrimoniis liberamus: Quippe animos diuina obseruatione deuinctos non decet patrimoniorum desideriis occupari. Leg. CXV. Ad curiam clerici pertinentes sciant, ex patrimonio suo, si ipsi immunes cupiunt permanere, alios idoneos esse faciendos, qui recedentium præsentiam personamque restituant in publicis muneribus subeundis.

(*f*) Ambros. contr. Symmach. (tom. V. opp. edit. Colon. MDCXVI. p. 97. 98. 99.)

(*g*) Cod. Theod. lib. IX. tit. XLV. de his qui ad eccles. confug. leg. III. Decuriones & omnes, quos solita ad debitum munus functio vocat, vigore & sollertia iudicantium ad pristinam sortem, velut manu mox iniecta, reuocentur: Quibus legem veterum prodesse non patimur, quæ cessione patrimonii subsequuta, decuriones esse clericos non vetabat.

(*h*) Cod. Theod. lib. XII. tit. I. de decurion. leg. CLXIII. Si qui ex secundi diui patris nostri consulatu curiam relinquentes, clericorum se consortio manciparunt, si iam episcopi, vel presbyteri vel diaconi esse meruerunt, in sacris quidem & secretioribus Dei mysteriis perseuerent, sed aut substitutum pro se curiæ offerre cogantur, aut iuxta legem dudum latam tradant curiæ facultates. Residui omnes lectores, subdiaconi, vel hi clerici, quibus clericorum priuilegia non debentur, debitis mox patriæ muneribus præsententur.

 latum,

latum, ann. CCCLXXXVIII. ad religiosa diuini cultus obsequia se contulissent, plenissima immunitate sine vlla vexatione gauderent: Qui vero post illud tempus clericorum se consortio mancipassent, si essent de superioribus ordinibus, episcopi, presbyteri, vel diaconi, in sacris quidem & secretioribus Dei mysteriis permanerent, dummodo vel in locum suum quem sufficerent, qui pro se munera curialia compleret, vel facultates suas curiæ cederent, quemadmodum præcedentium legum statuta hac in re sanxissent. Hoc tantum requirebatur, vt inferiorum ordinum clerici, lectores, hypodiaconi, cæteri, reuocati ad patriæ munera per se obeunda obligarentur. Idem a *Theodosio iuniore* [i], *Valentiniano tertio* [k], & *Maioriano* [l], quorum leges ad calcem codicis *Theodosiani* reperiuntur, sancitum est. *Iustinianus* itidem constitutionem in eamdem sententiam habet, qua [m] inferioris gradus clericos, ex curia aliqua adsumtos, ei restitui iubet, nisi forsan monasticam vitam aliquis eorum non minus quindecim annis impleuisset; tales enim ordinari præcipit, quar-

(i) Theod. nouell. XXVI. Inlustris magnificentia tua pragmatici nostri tenore comperto sciat, *corporatum* vrbis Romæ, qui non expleto ordine cœpti officii, priusquam ad primum iter fauos ad locum emeritus peruenerit, ad militiæ cuiuslibet cingulum se credidit transferendum, *corporibus cui nomen suum ante dicauerat, oportere reuocari:* siue etiam in *clericorum numero reperitur vsque ad diaconi locum similis præcepti conditio teneatur*, cætera.

It. nouell. XXXVIII. Præsenti lege sancimus, vt quisquis ante huius sanctionis diem suscepit clericatus officium, non expletis vrbis propriæ muniis ac muneribus, in ea quidem, qua meruit, religionis obseruatione perduret, sed omnia per suffectum tam personalia quam patrimonii onera cogatur agnoscere, facultates suas pro virili portione singulis filiis diuidat, sibimet simili parte seruata. cætera.

(k) Valent. nouel. XII. Qui intra decennium transactum a die latæ huius legis diaconi ordinati sunt, suffectos pro se dare debebunt. Si non habent, vnde sibi hac ratione prospiciant, ipsi ad nexum proprium reducantur. Cæteris inferioris gradus ad competentia ministeria retrahendis: exceptis episcopis atque presbyteris: seruatis tamen, quæ de patrimonio talium personarum legum præcedentium statuta sanxerunt.

(l) Maiorian. nouel. I. Quicumque se sub nomine clericatus, seu quodam religionis obtentu curialis vel corporatus fortasse subtraxerit, secundum præcedentium legum statuta, si infra diaconatus gradum locatus probatur, ad originem suam sine dilatione reuocetur. Si vero iam diaconus, aut presbyter, aut episcopus latæ huius legis tempore reperitur, siue adhuc obnoxius functionibus, siue muniis persolutis, nihil de patrimonio suo alienaturum se esse cognoscat.

(m) Iust n. nouel. CXXIII. c. XV. ex epitom. Iulian. Antecess. Cod. lib. I. tit. III. de episc. post leg. IV.

ta bo-

ta bonorum ſuorum parte ſibi retenta reliquis partibus curiæ & fiſco vindicandis. Epiſcopis autem vicarium ſibi ſubſtituere & ipſosmet ab obeundis ciuilibus muneribus immunes eſſe, permittit, vti quidem IVLIANVS ANTECESSOR [n] in ſua *authenticarum* epitome ipſum intelligit. Sed fateor, ratio quædam ſuppetit cogitandi, *Iuſtinianum* initio paullo ſeueriorem in eiusmodi epiſcopos exſtitiſſe, quia antiquatam *Arcadii* legem [o] in codice ſuo renouauit. Quomodocumque autem hæc res ſe habeat, ex tota hac materia apparet, quod principes chriſtiani initio ſaltem magnum diſcrimen fecerint inter publicum eccleſiæ patrimonium, quod proprie eccleſiaſticum erat, & inter priuatas facultates eiusmodi clericorum, qui poſſeſſiones ciuili ſiue ſæculari quodam titulo notatas habebant. Iſtius intuitu ad nullam functionem vel ciuilium munerum onus ſuſtinendum obligati erant clerici, harum autem reſpectu omnino erant, neque ab eis eximi poterant, niſi vel earum portionem diuiderent, vel per ſuffectos ſibi debita munera explerent. Cuius rei ratio erat, quod iſti clerici minus legitime ad ordinem eccleſiaſticum prouecti eſſe credebantur: quum non minus ipſius eccleſiæ canonibus, quam legibus reipublicæ repugnet, vllum ex curialibus ad eccleſiaſticam admittere functionem, antequam curiæ, ex qua adſcitus eſſet, feciſſet ſatis, quemadmodum alio iam loco oſtenſum eſt. Ego in huius rei, quæ ad tributum & munera ciuilia attinet, fundamento diſquirendo tanto ſtudioſior fui, eaque ex ciuilis legis principiis tanto diſtinctius curatiusque enarraui, quia pauci hoſce fontes adeunt, ex quibus hanc materiam neceſſe eſt declarari: Et lector hoc argumentum in recentioribus auctoribus vix, niſi admodum imperfecte, & cum quodam partium ſtudio vel paullo confuſius expoſitum deprehendet.

(n) Vid. Iulian. epit. nouel. CXXIII. c. IV. poſt leg. XXXVIII. lib. I. tit. III. cod. de epiſc. Epiſcopalis ordo liberat a fortuna ſeruili, ſed non a curiali ſiue officiali; nam & poſt ordinationem durat; ita & per ſubiectam vel interpoſitam perſonam officium adimpleatur: niſi curiæ vel officio reſtituatur.

(o) Cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. de epiſc. leg. XII. Si quis curialis clericus fuerit ordinatus, nec ſtatim conuentione præmiſſa, priſtinæ conditioni reddatur, in vigore & ſollertia iudicantium, ad priſtinam ſortem, veluti manu iniecta mox reuocetur: Clericis enim vlterius legem prodeſſe non patimur; quæ ceſſione patrimonii ſubſequuta, decuriones clericos eſſe non vetabat.

LIBRI QVINTI
CAPVT QVARTVM
DE VETERVM CLERICORVM REDITIBVS.

§. I.

Diuersæ certam facultatum summam ad alendos clericos comparandi viæ. Primo : *Oblationes. Quarum aliæ hebdomadales.*

SEquitur iam, vt de veterum clericorum sustentatione exponamus. Qua in re consultum fuerit, primum in vias & rationes inquirere, quas ad inueniendum sustentationi vitæ eorum certam facultatum summam inierunt. Et vt heic decimarum considerationem aliquantisper seponamus, de quibus capite proxime sequenti dicendi locus erit, alias deprehendimus methodos, quibus honesta corporis alimenta antiquis temporibus ipsis fuerunt comparata. Nimirum per voluntarias populi oblationes, quarum duo fuisse genera nonnulli viri docti autumant; primo quidem hebdomadales, siue cotidianas oblationes, super altari fieri solitas; deinde menstruas oblationes, quæ in ecclesiæ ærarium inferri consueuerunt. Primum oblationum genus erat, quas diues quisque & locuples, quum ad sumendam sacram cœnam accederet, faciebat; vbi non panis tantum & vinum, vnde epulum eucharisticum conficiebatur, sed res etiam aliæ necessariæ & nonnumquam pecuniæ in ecclesiæ sustentationem leuamentumque pauperum offerebantur. Id quod ex verbis HIERONYMI euidenter patet, in commentario suo in *Ezechielem* prophetam [a] *Multos*, inquientis, *conspicimus, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, vt de multis parua pauperibus tribuant, & in suis sceleribus glorientur, publiceque diaconus in ecclesia recitet offerentium nomina: Tantum offert ille, tantum ille pollicitus est; placentque sibi ad plausum populi, torquente conscientia.* *Canones* sic dicti *apostolici* [b] etiam de fructibus, auibus & animalibus oblatis loquuntur

(a) Hieron. comm. in Ezech. XVIII. pag. 537. (tom. V. pag. 366. H. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

(b) Can. Apost. c III. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος παρὰ τὴν τοῦ κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, προσενέγκῃ ἕτερά τινα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἢ μέλι, ἢ γάλα, ἢ

tur, sed ea episcopo & presbyteris domum mitti iubent, diaconis & reliquis clericis distribuenda.

§. II.

Aliæ menstruæ.

Aliud oblationum genus erat, quæ singulis mensibus fiebant, quando homines qui poterant & qui volebant, stipem in arcam seu ærarium ecclesiæ pro lubitu solebant inferre. Cuius generis collationum speciatim a TERTVLLIANO [c] iniicitur mentio, qui, *Si quod arcæ genus est*, inquit, *non de ordinaria* (al. *honoraria*) *summa quasi redemtæ religionis congregatur, modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert.* BARONIVS [d] hanc arcam seu gazophylacium *corbonam* ecclesiæ nuncupatam fuisse, existimat, quod CYPRIANVS [e] hoc vocabulo vtatur, vbi de oblationibus populi loquitur; locupletem & diuitem quamdam fœminam increpans, quæ ad sacram synaxin nulla *corbonæ* habita ratione venerat, & epuli eucharistici particeps facta erat sine sacrificio de facultatibus suis oblato. Alii [f] putant, *corbonam*

ἀντὶ οἴνου σίκερα, ἢ ἐπιτηδευτά, ἢ ὄρνεις, ἢ ζῶά τινα, ἢ ὄσπρια, ὡς παρὰ τὴν διάταξιν κυρίου ποιῶν, καθαιρείσθω, πλὴν νέων χίδρων, ἢ σταφυλῆς τῷ καιρῷ τῷ δέοντι. Μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον εἰς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. Can. IV. Ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω ἀπαρχῆς τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ θυσιαστήριον. Δῆλον δέ, ὡς ὁ ἐπίσκοπος καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἐπιμερίζουσι τοῖς διακόνοις καὶ τοῖς λοιποῖς κληρικοῖς. Si quis episcopus, vel presbyter præter domini de sacrificio ordinationem, alia quædam ad altare attulerit, mel vel lac, vel pro vino siceram, vel confecta, vel aues, vel aliqua animalia, vel legumina præter ordinationem, deponatur, præterquam noua legumina, tempore opportuno. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare & incensum tempore sanctæ oblationis. Omnis autem alius fructus domum mittatur, primitiæ episcopo & presbyteris. Clarum autem est, quod episcopus & presbyteri diaconis & reliquis distribuunt.

(c) Tertull. apol. c. XXXIX.

(d) Baron. ann. XLIIII. n. LXIX. Idem etiam meminit de antiquo ecclesiarum vsu, qui hactenus perdurabat, vt & in ecclesiis essent *gazophylacia*, in quibus oblatæ pecuniæ conderentur, *quæ a Cypriano corbonæ nuncupantur.*

(e) Cypr. de oper. & eleemos. p. 203. (p 218. edit. Par. MDCLXVI.) Locuples & diues es, & dominicum celebrare te credis, quæ *corbonam* omnino non respicis; quæ in dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?

(f) Basnag. exercitat. in Baron. p. 597. Baronio adsentiri non possum de significa-

non

non gazophylacium, sed ipsum donum seu oblationem significare, & CYPRIANVM hoc sensu vocem illam adhibuisse, sacrificia & oblationes populi intelligendo. Sed *Matthaeus* euangelista c. XXVII, 6. BARONII sententiae potius fauere videtur. Quando enim dicit, primarios *iudaeorum* sacerdotes acceptis *Iudae Iscariotae* nummis argenteis, dixisse, non licere eos immitti εἰς τὸν κορβανᾶν, manifestum est, quod hoc ipso aerarium seu gazophylacium intelligat, quemadmodum plerique interpretes ita reddiderunt.

§. III.

Hinc mos ille diuisionis menstruae inter clericos ortus.

Sed quomodocumque haec res se habeat, admodum probabile est, quod hinc consuetudo semel per mensem oblationes inter clericos distribuendi orta sit. Sicut enim de collatione menstrua loquitur TERTVLLIANVS; ita diuisionis menstruae saepe meminit CYPRIANVS[g], in qua presbyteri aequalem quisque portionem & reliqui ordines in eumdem modum participarint. Vnde clerici ipsi dicuntur [h] *sportulantes fratres*; & quod nos nunc *suspensionem a beneficio* appellamus, ab eo [i] *suspensio a diuisione mensurna* redditur. Quod manifesto indicat, huiusmodi reditus ecclesiasticos singulis mensibus inter clericos diuidi consueuisse. Et fortassis in huius consuetudinis similitudinem factum est, vt quum haeretici *Theodotiani* cuidam *Natalio* confessori persuasissent, vt inter ipsos episcopum se creari pateretur, menstruos centum quinquaginta denarios ei promitterent, μηνιαῖα δηνάρια ἑκατον

tione Corban: *In ecclesiis erant gazophylacia, in quibus oblatae pecuniae conderentur.* N. LXIX. Arcula in quam pecunia congerebatur, non designatur a Cypriano voce hac *corbona*; sed donum ipsum a fidelibus oblatum. caetera.

(*g*) Cyprian. ep. XXXIV. al. XXXIX. (p. 49. edit. modo citat.) Presbyterii honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, & *diuisiones mensurnas* aequatis quantitatibus partiantur, caetera.

(*h*) Cypr. ep. LXVI. al. I. (p. 109. edit cit.) Quae nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in ecclesia domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis & negotiis saecularibus alligentur, sed in honore *sportulantium fratrum* tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant. caetera.

(*i*) Id. ep. XXVIII. al. XXXIV. (p. 41.) Interim *se a diuisione mensurna tantum contineant*, non quasi a ministerio ecclesiastico priuati esse videantur, sed vt integris omnibus ad nostram praesentiam differantur.

πεντή-

πεντήκοντα, vt EVSEBIVS [k], ad vſitatum ſingulis menſibus inter clericos diuidendi morem reſpiciens, rem exprimit.

§. IV.

Secundo: *Alii reditus ex agris & poſſeſſionibus eccleſiæ prouenientes.*

Aliud redituum, quibus clerici fruebantur, genus erat, qui ex agris & poſſeſſionibus eccleſiæ donatis prouenìebant. Hi quidem initio admodum tenues erant, propter continuas vexationes & perſequutiones, quibus eccleſia in tribus prioribus ſæculis ſubiacebat, vbi res immobiles periculis omnium maxime expoſitæ erant. Hinc eccleſiæ *Romanæ* hic mos erat, vt res immobiles non poſſideret poſt multa etiam ſubſequuta tempora, ſi THEODORO LECTORI [l] fas eſt credere, qui de hac re tamquam æuo ſuo an. DXX. vſitata loquitur. Sed ſi forte poſſeſſiones ei obuenirent, confeſtim eas vendebat & pretium in tres portiones diſtribuebat: quarum vna quidem tradebatur eccleſiæ, altera epiſcopo, tertia autem clero. Et VALESIVS nullam heic exceptionem ad tempus vſque *Gregorii magni* proximum inuenit. Sed ſi hæc fuit eccleſiæ *Romanæ* conſuetudo, prorſus ei ſingularis fuit. Cæteris enim eccleſiis res ſuæ erant immobiles, tum ædes tum prædia, ipſis etiam perſequutionis temporibus: quemadmodum ex conſtitutione *Maximini* imperatoris apparet, qua prioribus edictis ſuis, quibus perſequutionem excitauerat, antiquatis chriſtianam religionem ſequentibus non tantum ædes dominicas reædificandi indulget libertatem, ſed etiam ſancit, *vt ſi quæ domus aut loca ad ius chriſtianorum antehac pertinentia ad ius fiſci deuolutæ ſint, aut ab aliqua ciuitate occupata, aut certe vendita aut alicui dono donata,* [m] *cuncta ad priſtinum ius ac dominium chriſtianorum reuocentur.*

(k) Euſeb. lib. V. c. XVIII. Ανεπείσθη ὁ Ἀνατόλιος ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ σαλαρίῳ ἐπίσκοπος κληρωθῆναι ταύτης τῆς αἱρέσεως, ὥστε λαμβάνειν παρ' αὐτῶν μηνιαῖα δηνάρια ἑκατὸν πεντήκοντα. Hi perſuaſerunt Natali, vt accepto ſalario hæreſis illius epiſcopus crearetur, ea ſcilicet conditione, vt *menſtruos centum & quinquaginta denarios* ab illis acciperet.

(l) Theod Lect. collect lib. II p 567 Ἔθος τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς ῥώμης, ἀκίνητα μὴ κρατεῖν δίκαια· ἀλλ' εἰ καὶ περιέλθωσιν, εὐθέως πιπράσκεσθαι, καὶ εἰς μοίρας τρεῖς διαιρεῖσθαι τὸ τίμημα· καὶ τὸ μὲν, τῇ ἐκκλησίᾳ δίδοσθαι· τὸ δὲ τῷ ἐπισκόπῳ, τὸ δὲ κλήρῳ.

(m) Euſeb. lib. IX. c. X.

Quod hoc ipſum de domibus ac prædiis ad eccleſiam æque ac priuatos chriſtianos ſpectantibus intelligendum ſit, ex decreto *Conſtantini* ac *Licinii*, eodem anno CCCXIII promulgato, liquet. In quo inter alia hæc præcipiuntur: *Quoniam chriſtiani non ſolum ea loca, in quibus conuenire ſolebant, ſed etiam alia poſſediſſe noſcuntur, quæ non priuatim ad ſingulos ipſorum ſed ad ius corporis pertinerent; hæc omnia* [n] *poſt legem a nobis memoratam abſque vlla dubitatione iisdem chriſtianis, hoc eſt cuilibet corpori & conuenticulo ipſorum reſtitui iubebis.* Quæ lex in epiſtola CONSTANTINI ad ANVLIVM [o] & in aliis eius actis publicis, EVSEBIO [p] in vita ipſius memoratis, repetitur, vbi ædium, hortorum, agrorum aliarumque poſſeſſionum ad eccleſiam pertinentium, quibus vltimæ perſequutionis tempore ſpoliata atque nudata ſit, iniicitur mentio. Hæc teſtimonia euidentiſſime oſtendunt, quod quædam redituum eccleſiaſticorum pars ex conſtitutis eccleſiæ ædibus & prædiis prouenerint etiam ante, quam chriſtiani imperatores liberalitate ſua hanc in rem quidquam conferre potuerunt.

§. V.

Qui ex Conſtantini *legibus valde adaucti.*

Quando autem *Conſtantinus* tranquillatum habebat imperium,

(n) Apud Euſeb. lib. X. c. V. p. 318. D.

(o) Conſtant. epiſt. ad Anulium ap. Euſeb. ibid. Volumus, vt quæ ſupra dictæ eccleſiæ antea poſſederunt, ad earumdem ius omnino reuertantur. Cum ergo perſpiciat deuotio tua, huius noſtræ iuſſionis manifeſtiſſimum eſſe præſcriptum, operam dabis, vt ſiue horti, ſiue ædes, ſeu quodcumque aliud ad ius earumdem eccleſiarum pertinuerit, cuncta illis quantocyus reſtituantur.

(p) Euſeb. Vit. lib. II. c. XXXVII. Ἰδέτωσαν ἅπαντες, εἴ τε χωρίον· εἴ τ' οἰκίαν· εἴ τε κῆπον· εἴ τε ἕτερόν τι τῶν προειρημένων κατέχοιεν, καλὸν καὶ λυσιτελὲς αὐτοῖς εἶναι καὶ ὁμολογεῖν αὐτοῖς καὶ ἀποκαθιστάναι σὺν πάσῃ ταχύτητι. Omnes intelligant, ſiue *fundum*, ſiue *ædes*, ſiue *hortum*, ſiue aliud quid ex bonis eorum, quos ſupra memoraui, detinent recte atque ordine ſe eſſe facturos, ſi ſe ipſos vltro deferant, & rem abſque vlla dilatione reſtituant

Ibid. c. XXXIX. Ἅπαντα ὅσα ταῖς ἐκκλησίαις προσήκειν ὀρθῶς ἂν φανείη· εἴτ' οἰκίαι τὸ κτῆμα τυγχάνοιεν· εἴτ' ἀγροί τινες καὶ κῆποι· εἴθ' ὁποῖα δή ποτε ἕτερά τινα, οὐδενὸς τῶν εἰς τὴν δεσποτείαν ἐλαττουμένου δικαίου, ἀλλ' ἀκεραίων πάντων μενόντων, ἀποκαθίστασθαι προστάττομεν. Omnia quæ ad eccleſias recte viſa ſunt pertinere; ſiue *domus poſſeſſio* ſit, ſiue *agri*, ſiue *horti*, ſiue *quæcumque alia*; nullo iure quod ad dominium pertinet imminuto, ſed ſaluis omnibus atque integris manentibus, reſtitui iubemus.

um, reditus ecclesiastici in hoc genere valde adaugebantur. *Romae* enim legem sanciebat, quae in vtroque codice adhuc legitur, in hanc sententiam [q]: *Habeat vnusquisque licentiam sanctissimo catholicae* (ecclesiae) *venerabilique concilio decedens bonorum quod optauerit, relinquere.* Quo pacto piorum hominum liberalitas nimium quantum excitabatur, magnaeque statis ecclesiae reditibus fiebant accessiones. Quocirca BARONIVS in *Constantini* memoriam valde iniuriosus [r] est, adeoque a GOTHOFREDO [s] ac PAGIO [t] meritissimo castigatus, quando *Constantinum* ad gentilitatis superstitionem hoc ipso tempore, ad ann. CCCXXI. vbi hanc legem in ecclesiae gratiam publicauit, relapsum esse, comminiscitur.

§. VI.

Cuius leges a sequentibus imperatoribus confirmatae, non reuocatae, vti quidam falso arbitrantur.

Alii non minus iniuriosi in quosdam ipsius successores sunt, quando eos tamquam iniuriosos in ecclesiam repraesentant, dum viduis & pupillis legare quidquam ecclesiae interdixerint. BARONIVS temperare sibi non potest, quin de hac etiam re faciat querimoniam, licet sibi ipse contradicat. Nam vno loco [u] dicit: *Mirum dictu relaxata semel libertate fidelium in relinquendis vltima voluntate suis bonis catholicae professionis ecclesiis; adeo auctae sunt illarum diuitiae, vt posteriores imperatores, veriti ob eam caussam reipublicae detrimentum & paupertatem conati sint, iterum ab huiusmodi profusis largitionibus cohibere fideles.* Attamen quum de istis legibus speciatim dicere adgreditur, eas non [w] contra ecclesiam sed

(q) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. IV. It. Cod. Iustin. lib. I. tit. II. de sacrosanct. eccles. leg. I.

(r) Baron. an. CCCXXI n. XIIX. Quem hactenus tot tantaque adeo insignia pro christiana religione hoc anno atque superioribus temporibus statuisse vidimus, tum ex scriptis hisce ab eo legibus, tum ex aliis citatis auctoribus, in fine tamen huius ipsius anni (o dolendum facinus!) minus plane dignum atque adeo abhorrens a christiano imperatore rescriptum dedisse ad Maximum, praefectum vrbis, apparet, quo aruspices consulendos esse decernit, caetera.

(s) Gothofr. com. in cod. Theod. lib. XVI. tit. X. de paganis leg. I. p. 257. 258.

(t) Pagi critic. in Baron. an. CCCXXI. n. IV. V.

(u) Baron an. CCCXXI. n. XVII.

(w) Baron. an. CCCLXXI. n. CXXI. Qua quidem sanctione *nequaquam prohibentur ecclesiae hereditates accipere vel legata*, vel quid huiusmodi, sed ecclesiasticae personae, siue clerici, siue monachi, qui continentium nomine honestabantur:

quosdam auaros monachos factas esse, fatetur, qui quum essent ingenio auaro & parasitico, nomine pietatis & religionis in divitum viduarum ac pupillarum fauorem sese insinuantes ab eis magna legata & nonnumquam vniuersas possessiones cum legitimorum heredum & propinquorum detrimento acceperint. Quæ adeo turpis & indecora istorum hominum consuetudo erat, vt *Valentinianus* ad eam reprimendam legem sanciret in hanc sententiam [x]: *Ecclesiastici aut ex ecclesiasticis, vel qui continentium se volunt nomine nuncupari, viduarum ac pupillarum domos non adeant: sed publicis exterminentur iudiciis, si post hac eos ad fines earum vel propinqui putauerint deferendos. Censemus etiam, vt memorati nihil de eius mulieris, cui se priuatim sub prætextu religionis adiunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo iudicio, possint adipisci: & omne in tantum inefficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, vt nec per subiectam personam valeant aliquid, vel donatione, vel testamento percipere.* Qua lege, vt bene obseruat GOTHOFREDVS [y], non prohibentur mulieres ipsis ecclesiis aliquid relinquere; quod tamen perperam viri docti nonnulli putarunt; sed illa tantum ad corrigendam indignam quorumdam ecclesiasticorum praxin spectat, de qua vetusti scriptores ecclesiastici vno ore conqueruntur. AMBROSIVS, HIERONYMVS & alii huius legis mentionem faciunt, non autem in ipsam legem, sed flagitia, quorum caussa data fuerat, inuehuntur. HIERONYMVS [z] *Pudet dicere,* inquit, *sacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ & scorta, hereditates capiunt, solis clericis ac monachis hac lege prohibetur: & prohibetur non a persecutoribus sed a principibus christianis. Nec de LEGE conqueror, sed doleo cur MERVERIMVS hanc legem.* Et addit: *Prouida securaque legis cautio: & tamen ne sic refrenatur auaritia. Per fideicommissa legibus illudimus: & quasi maiora sint imperatorum scita, quam Christi, leges timemus & euangelium contemnimus.* Quæ verba mentem HIERONYMI nobis hac de re ostendunt, quod non imperatores huiusmodi legem sanciendo ecclesiam iniuria adfecisse, sed eos duntaxat reprehendendos

vt plane intelligas, *holce nebulones priuatim aucupantes hereditates, tamquam harpyas quasdam* inhiantes matronarum diuitiis, & impuris manibus cuncta foedantes *praescribere ab vrbe studuisse ipsos imperatores.*

(x) Cod. Theod. lib. XVI. tit. I., de episc. leg XX.

(y) Gothofr. in locum.

(z) Hieron. epist. II. ad Nepotian.

esse,

esse, existimarit, quorum auaritia & abiectissimis adulationibus ad ferendam eam compulsi fuerint. Et quisquis AMBROSIVM [a] vel auctorem sub hoc nomine [b] delitescentem consulere valet, is ipsos idem illud de huius legis caussis narrare deprehendet. THEODOSIVS quidem paucis annis post speciatim diaconissis ecclesiæ, ex illustri familia oriundis, legem [c] publicauit, in qua præter alia hæc præcipiuntur: *Nihil de monilibus & supellectili, nihil de auro, argento, cæterisque claræ domus insignibus, sub religionis defensione consumat* (diaconissa) *sed vniuersa integra in liberos proximos vel in quoscumque alios arbitrii sui existimatione transcribat: ac si quando diem obierit, nullam ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem scribat heredes:* cætera. Verum vt hæc lex e peculiaribus status rationibus facta erat, ita ecclesiæ haud fuit detrimento. Duobus enim interiectis mensibus idem imperator contraria eam lege [d] reuocabat, qua istiusmodi diaconissis de bonis suis, quoad viuerent, in cuiuscumque ecclesiæ vel clerici gratiam decernendi impertiebat libertatem. Et *Marcianus* legem paullo latius extendebat, data diaconissis & reliquis Deo dicatis feminis ve-

(a) Ambros. epist. XXXI. ad Valentin. p. 145. edit. Basil. MDLXIX. (tom. V. opp. edit. Colon. MDCXVI. ep. XII. p. 98.) Nobis etiam priuatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, qui dispendium non dolemus. - - Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur profanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune ius clauditur, a quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel grauium viduarum, nulla donatio. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio multa præscribitur. Quod sacerdotibus fani legauerit christiana vidua, valet: quod ministris Dei, non valet? Quod ego non, vt querar, sed vt sciant, quid non querar, comprehendi. Malo enim nos pecunia minores esse, quam gratia. Sed referunt, ea quæ vel donata vel relicta sunt ecclesiæ, non esse temerata, cætera.

(b) Id. Homil VII. (LXVI tom. V. p. 46 edit. Colon. MDCXVI.)

(c) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg XXVII.)

(d) Ibid. leg XXVIII. Legem, quæ diaconissis vel viduis nuper est promulgata, ne quis videlicet clericus, neue sub ecclesiæ nomine mancipia, supellectilem, prædam (velut infirmi sexus dispoliator) inuaderet, & remotis adfinibus ac propinquis, ipse sub prætextu catholicæ disciplinæ se ageret viuentis heredem, eatenus animaduertat esse reuocatam, vt de omnium chartis, si iam nota est, auferatur: neque quisquam, aut litigator ea sibi vtendum, aut iudex nouerit exsequendum.

nia [e] bona sua testamento vel codicillo, vel ecclesiæ, vel martyrio, vel clerico, vel monacho, vel pauperibus quibuscumque vel ex parte vel ex integro addicendi. Quam legem etiam confirmauit suoque codici inseruit [f] *Iustinianus*. Vt adeo legi *Constantini* suus semper plenissimus vigor constiterit, nec sequentes principes de priuilegio, quod hoc intuitu ecclesiæ tribuerat, quidquam derogarint, quasi veriti (vt BARONIVS arguit) ob istiusmodi liberalitatem in ecclesiam reipublicæ detrimentum atque paupertatem. Homines quidem his temporibus munera ac dona sua in ecclesiam liberalissime conferebant, nondum tamen ita prodigi erant, vt statutis *amortizationis* [*] ad cohibendum eos opus esset.

(e) Martian. nouel. V. ad calc. cod. Theod. Generali perpetuaque victura hac lege sancimus, vt siue vidua, siue diaconissa seu virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocumque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis femina nuncupetur, testamento vel codicillo suo - - ecclesiæ vel martyrio, vel clerico, vel monacho, vel pauperibus aliquid, vel ex integro vel ex parte in quacumque re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque constet. cætera.

(f) Cod. Iustin. lib. I. tit. II. de sacrosanct. ecclesf. leg. XIII. Generali lege sancimus, cætera, vt sub not. (e).

(*) In gratiam eorum, qui, quid significet *amortizatio*, ignorant, lubet huc transcribere, quæ illustris *Boehmerus* noster hac de re habet in *iure suo parochiali* sect. V. c. I. §. XXIII. p. 262. edit. tertiæ. Acquiruntur, inquit, bona parochialia sicuti cætera ecclesiastica, plurimis in locis per AMORTIZATIONEM; Quum enim ecclesia sit tale corpus, quod non moriatur, adeoque bona quæ semel accepit, non reddat sed perpetuo teneat, atque ita dicatur habere *manus mortuas*, merito prouidendum erat, ne bona immobilia, superstitione hominum ingrauescente, nimium vsibus reip. eximerentur, & per exsuperantes diuitias ecclesiarum respublica detrimentum caperet. Hinc multis in locis cautum, ne immobilia in ecclesiam transferre liceret sine consensu eius, qui reip. gubernacula tenet, sed vt huius demum voluntate potestas ecclesiæ fiat acquirendi & retinendi bona immobilia per *manum mortuam* - - Atque hoc ipsum est, quod dicitur *amortizatio*, denotatque *translationem bonorum immobilium consensu principis in manum mortuam seu possessorem immortalem*, qualis est ecclesia. - - Deducta hæc vox videtur a gallica voce *amortir*, quod est *exstinguere*, Nam bona in ecclesiam delata, quoad *emolumenta ciuilia* & *vsus publicos* videntur esse exstincta & ciuiliter mortua, cum generaliter oneribus, fundorum possessionibus impositis, hæc immunia & exemta sint - - adeoque hoc intuitu ex publicis catastris (*denen Steuerbüchern*) exstincta videantur, quin etiam a sæculari iurisdictione per principem exemta sint, - - Ratio huius iuris sat manifesta est, quia & iuris naturæ principium vult, vt nemini adeoque nec reip.

§. VII.

§. VII.

Tertio: *Alia pars redituum ecclesiasticorum de pensionibus ex ærario imperatorum constituta.*

Præter liberalitatem ciuium imperatores his temporibus ex publicis imperii reditibus clero pensionem fieri necessarium ducebant; quæ alius quidam prospiciendi eis alimenta modus erat. *Constantinus* in clericos, quotiescumque eorum res requirere videbantur, tum priuatim erat munificus, tum etiam statam eis pensionem ex ærario publico decernebat. In epistola quadam sua ad *Cæcilianum*, ecclesiæ *Carthaginensis* episcopum, EVSEBIO memorata [*g*], certiorem facit *Cæcilianum*, ad *Vrsum*, supremum *Africæ* quæstorem, litteras se dedisse eique significasse, vt τριχιλίους φόλλεις, *tria obolorum millia*, ipsi numeranda curet, quam pecuniam *Africæ*, *Numidiæ* & vtriusque *Mauritaniæ* clericis pro lubitu suo diuidere eum iubet. Quæ summa si præsenti eorum indigentiæ non sufficeret, quidquid necessarium ipsi videretur, ab *Heraclida*, prædiorum suorum procuratore, porro eum iubet petere. Non est, quod heic operosius disquiram, quantam pecu-

ius suum auferatur, quod tamen sæpe fit per translationem bonorum in ecclesiam, cætera.

(*g*) Euseb. lib. X. c. VI. Ἐπειδήπερ ἤρεσε κατὰ πάσας ἐπαρχίας, τάς τε Ἀφρικὰς καὶ τὰς Νουμιδίας, καὶ τὰς Μαυριτανίας, ῥητοῖς τισι τῶν ὑπηρετῶν τῆς ἐνθέσμου καὶ ἁγιωτάτης καθολικῆς θρησκείας, εἰς ἀναλώματα ἐπιχορηγηθῆναί τι, ἔδωκα γράμματα πρὸς Οὖρσον τὸν διασημότατον καθολικὸν τῆς Ἀφρικῆς, καὶ ἐδήλωσα αὐτῷ, ὅπως τριχιλίους φόλλεις τῇ σῇ στεῤῥότητι ἀπαριθμῆσαι φροντίσῃ. Σὺ τοίνυν ἡνίκα τὴν προδηλουμένην ποσότητα τῶν χρημάτων ὑποδεχθῆναι ποιήσεις, ἅπασι τοῖς προειρημένοις κατὰ τὸ βρέβιον τὸ πρὸς σε παρὰ Ὁσίου ἀποσταλὲν, ταῦτα τὰ χρήματα διαδοθῆναι κέλευσον· εἰ δ᾽ ἄρα πρὸς τὸ συμπληρωθῆναί μου τὴν εἰς τοῦτο περὶ ἅπαντας αὐτοὺς προαίρεσιν, ἐνδεῖν τι καταμάθοις, παρὰ Ἡρακλείδα τοῦ ἐπιτρόπου τῶν ἡμετέρων κτημάτων, ἀναμφιλέκτως ὅπερ ἀναγκαῖον εἶναι καταμάθοις, αἰτῆσαι ὀφείλεις. Quandoquidem placuit nobis, vt per omnes prouincias Africæ, Numidiæ & vtriusque Mauritaniæ, certis quibusdam legitimæ & sanctissimæ religionis catholicæ ministris ad sumtus necessarios aliquid præberetur; litteras dedi ad Vrsum virum perfectissimum rationalem Africæ, eique significaui, *vt ter mille folles tuæ grauitati numerari curaret.* Tu itaque vbi prædictam quantitatem acceperis, operam dabis, vt cunctis supra memoratis iuxta breuiarium ab Hosio ad te directum ea pecunia diuidatur. Quod si forte ad meum erga vos omnes in hac parte studium explendum deesse aliquid intellexeris, incunctanter quidquid necessarium tibi videbitur, ab Heraclida procuratore prædiorum nostrorum petere debes.

niæ

niæ ſummam iſti *ter mille ſolles* (Φόλλεις) confecerint (quamquam plus viginti librarum *anglicanarum* millia crediderim confeciſſe) quandoquidem *Conſtantinus* epiſcopum ſine vlla ſummæ ſignificatione petere iuſſit, quidquid ad neceſſarios clericorum ſumtus requiri ſibi videretur. Neque vero præſenti duntaxat eorum egeſtati ſuccurrit, ſed etiam certam eis partem, ad alimenta paranda ſufficientem ex publico ærario attribuit. THEODORETVS [*h*] enim & SOZOMENVS [*i*], legem eum promulgaſſe eaque prouinciarum rectoribus mandaſſe, dicunt, vt clericis, virginibus, & viduis eccleſiæ miniſterio conſecratis, annona (*ἐτήσια σιτηρέσια*) ex tributis ſingularum ciuitatum quotannis præberetur. Atque ita res durauit ad tempus vſque *Iuliani*, qui vniuerſam annonam ademit. *Iouianus* vero quodam modo eam inſtaurabat, tertiam priſtinæ annonæ partem eis tantum indulgendo, quia reditus publici ob diram famem valde erant imminuti; integram vero ſe rurſus daturum promittebat, quamprimum fame ſedata horrea publica melius repleta eſſent. Sed vero vel *Iouiani* obitus hoc conſilium anteuenit, vel clericorum res hoc ipſum non amplius efflagitarunt. Etſi enim SOZOMENVS dicere videtur, quod integra annona reſtituta ſit; THEODORETVS tamen, qui rem narrat accuratius, *τριτημόριον*, *tertiam* duntaxat *partem* fuiſſe eamque ſua adhuc ætate eccleſiis præberi conſ[…] iſſe,

(*h*) Theod lib. I. c. XI. *Καὶ μήν τοι καὶ γράμματα πρὸς τοὺς τῶν ἐθνῶν προεστηκότας δέδωκεν ἄρχοντας, καθ' ἑκάστην πόλιν χορηγεῖσθαι παρεγγυῶν ταῖς ἀεὶ παρθένοις καὶ χήραις καὶ τοῖς ἀφιερωμένοις τῇ θείᾳ λειτουργίᾳ,* ἐτήσια σιτηρέσια *φιλοτιμίᾳ μᾶλλον ἢ χρείᾳ ταῦτα μετρήσας.* Litteras quoque ad prouinciarum rectores dedit, quibus mandabat, vt per ſingulas ciuitates virginibus ac viduis, & iis qui diuino miniſterio erant conſecrati, *annona quotannis* præberetur: ex ſua potius liberalitate, quam ex vſu & neceſſitate modum annonarum definiens.

(*i*) Sozom. lib V. c. V. *Κληρικοὺς μέν τοι, πᾶσαν ἀτέλειαν καὶ τιμὴν καὶ* τὰ σιτηρέσια ἀφείλετο Κωνσταντίνου - - - *ἡνίκα γὰρ Κωνσταντῖνος τὰ τῶν ἐκκλησιῶν διέταττε πράγματα, ἐκ τῶν ἑκάστης πόλεως φόρων τὰ ἀρκοῦντα πρὸς παρασκευὴν ἐπιτηδείων ἀπένειμε τοῖς πανταχοῦ κλήροις καὶ νόμῳ τοῦτο ἐκράτυνεν, ὡς καὶ νῦν κρατεῖ, ἐξ οὗ τέθνηκεν Ἰουλιανὸς ἐπιμελῶς φυλαττόμενος.* Clericis quidem immunitatem omnem atque honorem & *annonas a Conſtantino præbitas* ademit (Iulianus) - - Nam cum Conſtantinus eccleſiarum ſtatum ordinaret, *ex tributis ſingularum ciuitatum, partem quæ ad alimenta paranda ſufficeret, clero cuiusque vrbis diſtribuit*, idque lege confirmauit: quæ quidem lex etiamnum manet, ex eo tempore quo Iulianus eſt mortuus, diligenter cuſtodita.

perhi-

perhibet. Hoc igitur ſenſu lex *Marciani* imperatoris, quam codici ſuo inſeruit *Iuſtinianus* [k], accipienda eſt: *Salaria, quæ ſacroſanctis eccleſiis in diuerſis ſpeciebus de publico hactenus miniſtrata ſunt, iubemus nunc quoque inconcuſſa, & a nullo prorſus imminuta præſtari.* Hæc non vniuerſam annonam a *Conſtantino* primum indultam eis adiudicat, (vti quidem ex generalioribus legis verbis perſuadere ſibi quis poſſet) ſed tertiam ſolum partem, quæ inde a *Ioniani* temporibus vſitata annona fuerat.

§. VIII.

Quarto: *Martyrum & confeſſorum ſine heredibus mortuorum bona a* Conſtantino *eccleſiæ attributa.*

Alium modum, quo reditibus eccleſiæ nonnihil incrementi datum fuit, ex lege *Conſtantini*, cuius in vita eius meminit [l] EVSEBIVS, perſpicimus. Narrat hic ibi, quod quemadmodum martyrum & confeſſorum, vel quicumque tempore perſequutionis facultatum iacturam ſuſtinuiſſent, bona omnia proximis cognatis tribui iuſſerit; ita, ſi quis eorum ſine cognatis deceſſiſſet, cuiusque loci eccleſiam hereditatem eius cernere decreuerit.

§. IX.

Quinto: *Bona clericorum ſine heredibus & facto teſtamento defunctorum in eumdem modum conſtituta.*

Theodoſius iunior & *Valentinianus tertius* aliam iſtiusmodi legem, reſpectu temporalium, quæ clericis erant, bonorum tulerunt, ita habentem: *Si quis epiſcopus* [m] *aut presbyter, aut diaconus, aut diaconiſſa, aut ſubdiaconus vel cuiuslibet alterius loci clericus aut monachus, aut mulier, quæ ſolitariæ vitæ dedita eſt, nullo condito teſtamento deceſſerit, nec ei parentes vtriusque ſexus, vel liberi, vel ſi qui agnationis cognationisue iure iunguntur, vel vxor exſtiterit, bona quæ ad eum peruenerint,*

(k) Cod. Iuſtin. lib. I. tit. II. de ſacroſanct. eccleſ. leg XII.

(l) Euſeb. Vit. Conſt. lib. II. c. XXXVI. Εἰ τῶν ἀγχιστέων μηδεὶς ὑπολείποιτο μηδενὸς τῶν προειρημένων κατὰ λόγον ἂν γενόμενος κληρονόμος, μήτε τῶν μαρτύρων φημὶ, μήτε τῶν ὁμολογησάντων, μήτε τῶν μετοίκων τῶν τῇ τοιαύτῃ μεταστάντων προφάσει ἡ καθ᾽ ἑκάστους ἀεὶ τόπους ἐκκλησία διαδέχεσθαι τὸν κλῆρον. Si nullus cognatus ſuperſit, qui prout rationi conſentaneum eſt, hereditatem capeſſat eorum, quos ſupra memoraui, martyrum ſcilicet & confeſſorum, aut illorum qui ob huiusmodi cauſſam ex patria migrarunt; cuiusque loci eccleſiam hereditatem adire decernimus.

(m) Cod. Theod. lib. V. tit. III. de bonis clericorum leg. I. Cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. de epiſcop. leg XX.

sacrosanctæ ecclesiæ, vel monasterio, cui fuerat destinatus, omnifariam socientur; exceptis iis facultatibus, quas forte censibus adscripti, vel iuri patronatus subiecti, vel curiali conditioni obnoxii, clerici vel monachi cuiuscumque sexus relinquunt. Quæ verba indicant, clericis de bonis suis temporalibus ex suo ipsorum arbitrio decernere licuisse, & ad ecclesiam ea tantum deuolui consueuisse, si intestato mortui essent. Concilium autem *Agathense* [n], in *Gallia* sub *Alarico* rege *Gothorum* ann. DVI celebratum, paullo longius procedit, *Episcopus*, inquiens, *qui filios aut nepotes non habuerit, alium quam ecclesiam non relinquat heredem:* vt editio CARANZAE, & GRATIANVS aliique nonnulli canonem istum legunt. Et concilium *Hispalense* [o] similem canonem pro ecclesiis *Hispanicis* fecit; ad quem CARANZA [p] hanc habet obseruationem: *Hic canon erat reuocandus in concilio, vt heres defuncti episcopi esset ecclesia, non tamen papa. Secundo, alienum est a sententia horum patrum, licere episcopo instituere primogenituras, vel locupletare consanguineos.* Quæ animaduersio inter alia forte effecit, vt, licet archiepiscopus esset *Toletanus*, de religione sub inquisitionem *Hispanicam* vocaretur. Quo facto decem annis *Romæ* in carcere adseruatus fuit, nonnullis eius libris in *indice Romano* legi prohibitis, de quibus SPONDANVS [q] in *annalibus suis*

(n) Concil. Agath. c. XXIV. al. XXXIII. ap. Gratian. causs. XII. qu. II. c. XXXIV. (Labbeus tom. IV. p. 1388 ita habet: Episcopus, qui filios aut nepotes non habens, alium quam ecclesiam relinquit heredem, si quid de ecclesia, non in ecclesiæ caussa aut necessitate præsumsit, quod distraxit, aut donauit, irritum habeatur.)

(o) Concil. Hispal. I. c. I. (tom. V. p. 1589.) Comperimus in canone (consulentes vetera statuta) vt episcopus, qui res proprias, excepto filiis & nepotibus, alteri, & non ecclesiæ suæ dimiserit, quidquid de ecclesiæ rebus, aut donauit, aut vendidit, aut quoquo modo ab ecclesia transtulit, irritum haberetur.

(p) Caranz. in loc.

(q) Spondan. annal. eccles. an. MDLIX. n. XXIX. Bartholomæus Caranza Mirandensis, archiepiscopus Toletanus --- æque de religione postulatus, captusque ab inquisitoribus (tanta est illorum in Hispania auctoritas) multis annis e vinculis caussam dixit. Qui postea iussu Pii V. Romam deductus anno MDLXVII. in Hadriani mole custoditus fuit & interrogatus: quousque demum anno MDLXXVI a Gregorio XIII. suspectus tamen iudicatus, post voluntariam omnis prauitatis hæreticæ detestationem, ac legitimam catholicæ fidei confessionem, certis pœnis iniunctis, absolutus fuit, & ad Dominicanorum sui ordinis monasterium Mineruæ remissus; ibique paullo post pie, riteque sacris ecclesiæ sacramentis procuratus obiit. --- Scripsit Caranza summam omnium conciliorum & pon-

lectorem

lectorem pluribus docet. Sed nos ad ecclesiam primitiuam revertimur.

§. X.

Sexto: *Paganorum templa eorumque reditus ecclesiæ interdum dati.*

Vbi aliam ad clericorum reditus accessionem ex gentilium templorum, nonnumquam etiam annonarum illis constitutarum, donatione factam obseruare licet. Quamuis enim harum plurimæ templis dirutis ad imperatoris transferrentur possessiones, vel valentibus apud imperatorem gratia sibique eas expetentibus donarentur; vt ex *Honorii* [r] & *Gratiani* aliisque nonnullis legibus in codice *Theodosiano* liquet; nonnullæ tamen ecclesiæ conferebantur. Nam *Honorius* [s] multiplicium constitutorum & decretorum suorum meminit, quibus ecclesiæ eiusmodi reditus adiudicauerit, quos in ecclesiarum patrimoniis sempiterna firmitate velit perdurare. Et alios quosdam imperatores templorum reditus ad eumdem vsum transtulisse, probabile est. Ipsa certe ædificia & statuæ argenteæ ac aureæ in illis repertæ in hunc modum adhibitæ fuerunt. SOZOMENVS [t] enim τὸ μίθριον, siue *templum solis Alexandriæ*, ecclesiæ *Alexandrinorum* a *Constantio* donatum esse dicit. Et e SOCRATE [u] discimus, quod tempore *Theo-*

tificum vsque ad Paulum III. nec non catechismum, qui in Romano indice prohibitus reperitur; & alia quædam.

(r) Cod. Th. lib XVI, tit. X. de paganis leg. XIX. Templorum detrahantur annonæ & rem annonariam iubent expensis deuotissimorum militum profuturæ. --- Ædificia ipsa templorum, quæ in ciuitatibus vel oppidis, vel extra oppida sunt, ad vsum publicum vindicentur, aræ locis omnibus destruantur: omniaque templa possessionibus nostris, ad vsus adcommodos transferantur.

Ibid. leg. XX. Omnia loca, quæ sacris error veterum deputauit, secundum diui Gratiani constituta nostræ rei iubemus sociari. cætera.

(s) Ibid. leg. XX. Ea autem, quæ multiplicibus constitutis ad venerabilem ecclesiam voluimus pertinere, christiana sibi merito religio vindicabit.

(t) Sozom. lib. V. c. VII. Πρὸς τούτοις καὶ τιόνδε τότε συνέβη περὶ τὸ καλούμενον παρ' αὐτοῖς μίθριον· τοῦτον γὰρ τὸν τόπον ἔρημον πάλαι γενόμενον, ἐδωρήσατο Κωνστάντιος τῇ ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ. κ. τ. λ. Acciderat præterea quidpiam in loco, quam Alexandrini *Mithrium* vocant. Hunc enim locum, cum iam pridem desertus esset, *Alexandrinæ ecclesiæ Constantius donauerat*, cætera.

(u) Socrat. lib. V. c. XVI. τὰ ἀγάλματα τῶν Θεῶν μετεχωνεύετο εἰς λεβῆτια καὶ εἰς ἑτέρας χρείας τῆς Αλεξανδρέων ἐκκλησίας, τοῦ βασιλέως χαρισαμένου τοὺς θεοὺς εἰς ἐκ-

dosii statuæ *Serapidos* aliaque deorum simulacra complura in ecclesiæ *Alexandrinæ* vsus conflata fuerint, quum imperator deos gentilium ad sustendandos pauperes donauisset.

§. XI.

Septimo: *Ita etiam hæreticorum conuenticula eorumque reditus.*

Simile decretum de reditibus ad hæreticorum conuenticula spectantibus an. CCCCXII. *Honorius* fecit, quo ecclesias vel conuenticula ipsa & omnia prædia [w], quæ in ecclesias hæreticorum praua largitas contulisset, fisco adiudicat & possessionem ecclesiae catholicæ propriam, sicut iam dudum statuerit, fieri iubet. Et harum legum virtute, reor, factum est, vt *Cyrillus* episcopus *Alexandrinus*, clausis omnibus *Nouatianorum* templis, sacra eorum vasa auferret, & episcopum *Theopemptum* omnibus suis facultatibus nudaret; quamquam SOCRATES [x] hanc historiam enarrans, rem paullo inuidiosius ob oculos proponit, quasi *Cyrillus* priuata auctoritate & potestate arbitraria vsus hæc omnia fecisset: id quod vix fidem apud vllum inueniet, qui has leges *Honorii* latas esse considerauerit ante, quam *Cyrillus* thronum episcopalem conscendit, quod ann. CCCCXII. nondum factum erat, vbi hæ leges potestate imperiali confirmabantur.

§. XII.

Octauo: *Bonæ clericorum ecclesiam relinquentium ecclesiæ adiudicata.*

Dum in hoc argumento versamur, non incommode porro

πωνήματι τῶν πτωχῶν. Statuæ in lebetes & in alios Alexandrinæ ecclesiæ vsus conflatæ, cum imperator deos gentilium ad sustentandos pauperes ei donasset.

(w) Cod. Theod. lib. XVI. tit. V. de hæretic. leg. LII. Clerici ministrique eorum ac perniciosissimi sacerdotales ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt, in exilium viritim ad singulas quasque regiones sub idonea prosequutione mittantur; ecclesiis eorum vel conuenticulis, prædiisque, si qua in eorum ecclesiis hæreticorum largitas praua contulit, proprietati potestatique catholicæ (sicut iam dudum statuimus) vindicatis.

(x) Socrat lib. VII. c. VII. Εὐθέως Κύριλλος τὰς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ναυατιανῶν ἐκκλησίας ἀποκλείσας, πάντα μὲν αὐτῶν τὰ ἱερὰ κειμήλια ἔλαβεν· τὸν δὲ ἐπίσκοπον αὐτῶν Θεόπεμπτον, πάντων ὧν εἶχεν ἀφείλετο. Statim Cyrillus, clausis Nouatianorum ecclesiis, quotquot erant Alexandriæ, primo quidem sacra eorum vasa atque ornamenta abstulit: deinde episcopum illorum Theopemptum omnibus suis facultatibus nudauit.

obser-

obſeruauerimus, quod ex *Iuſtiniani* legibus [y], ſi qui clerici, vel monachi, temporalibus inſtructi bonis, eccleſia vel monaſterio relicto ad vitam redirent priuatam, omnia ipſorum bona eccleſiæ vel monaſterio, ad quod ſpectarint, addici oportuerit. Atque hæ diuerſæ methodi & viæ ſunt, quas præter primitiarum & decimarum collationem, de qua poſtea pluribus, ad augendos emendandosque eccleſiæ reditus olim inierunt.

§. XIII.

Inhoneſtæ reditus eccleſiaſticos augendi viæ non approbatæ. Parentum non erat, filios ſuos exheredare, vt eccleſiæ heredem conſtituerent.

Obſeruandum autem eſt, quod quemadmodum omnes iſtæ methodi generatim in legitimis & conceſſis poſitæ fuere, ita nonnullæ aliæ generatim prohibitæ atque damnatæ fuerint. Speciatim *Auguſtini* tempore regulam in eccleſia *Africana* legimus obtinuiſſe, non accipiendas eſſe poſſeſſiones eccleſiæ in detrimentum & præiudicium communis iuris aliorum donatas. Si exempli cauſſa pater quiſpiam, liberis ſuis exheredatis, eccleſiam heredem nominaret, nullus epiſcopus eius donationem accipere volebat. POSSIDIVS [z] in vita *Auguſtini* narrat, aliquas eum hereditates hoc modo ſibi oblatas recuſaſſe, quoniam iuſtum & æquum eſſe viderit, vt a mortuorum vel filiis vel parentibus vel adfinibus magis poſſiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerint. Et hoc cum ita feciſſe, ex ipſiusmet verbis in ſer-

(y) Cod. Iuſtin. lib. I. tit. III. de epiſc. leg. LIII. Si illi monaſteria aut eccleſias relinquant, atque mundi fiant; omne ipſorum ius ad monaſterium aut eccleſiam pertinet.

Nouell. V. c. IV. Εἴ τις ἅπαξ ἑαυτὸν καθιερώσας τῷ μοναστηρίῳ καὶ τοῦ σχήματος τυχὼν, εἶτα ἀναχωρῆσαι τοῦ μοναστηρίου βουληθείη καὶ ἰδιώτην τυχὸν ἑλέσθαι βίον, αὐτὸς μὲν ἴσω ποίαν ὑπὲρ τούτου δώσει τῷ Θεῷ τὴν ἀπολογίαν, τὰ πράγματα μέντοι ὁπόσα ἂν ἔχοι ἡνίκα εἰς τὸ μοναστήριον εἰσῄοι, ταῦτα τῆς δεσποτείας ἔσαι τοῦ μοναστηρίου, καὶ οὐδ᾽ ὁτιοῦν παντελῶς ἐξάξει. Si quis forte ſemel dedicatus, ſchemateque poſitus, deinde a monaſterio diſcedere voluerit, & priuatam fortaſſis eligere vitam: ipſe quidem ſciat, quam pro hac dabit Deo ſatisfactionem: *res autem quaſcumque habuerit, dum in monaſterium intrabat, eas dominii eſſe monaſterii, & nihil penitus eiciat.* vid. etiam c. VI. it nouel CXXIII. c. XLII.

(z) Poſſid. Vit. Aug. c. XXIV.

mone de *vita clericorum* [a] manifestum est, vbi, *Quando donaui filio*, inquit, *quod iratus pater moriens abstulit, bene feci.* Et post paullo: *Quicumque vult exheredato filio heredem facere ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; immo Deo propitio neminem inueniat.* Eodem loco memorabile iuxta ac laudabile magnanimitatis atque aequitatis exemplum, quod *Aurelius*, ecclesiae *Carthaginensis* episcopus, simili in casu praebuerit, narrat. *Quidam*, inquit, *quum filios* [b] *non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi vsufructu, donauit ecclesiae. Nati sunt illi filii, & reddidit episcopus nec opinanti, quae ille donauerat.* Quibus addit AVGVSTINVS: *In potestate habebat episcopus non reddere; sed iure fori non iure poli.* Adeoque per religionem ad earum restitutionem ipsum se obligatum credidisse, significat. Hoc certe indicat, quanta sanctitate omnes istas deuitarint augendi reditus ecclesiae methodos, quae iniquae, vel parum decentes ac honestae vel turpes etiam haberi potuerint; sequuti hac in re regulam illam apostolicam: τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις, *Aequitas vestra innotescat omnibus hominibus;* & quod lucri caussa nihil duri admiserint, nec vllam e rigore legis captarint vtilitatem, si ipsorum conscientia & caritas ipsis hoc interdixisset.

§. XIV.

Nihil pro sacramentorum ecclesiae administratione vel consecratione ecclesiarum, vel mortuorum sepultura exigendum erat.

Vt deuitarentur offendicula & cuncta in omnium hominum conspectu honeste fierent, pro sacramentorum ecclesiae administratione quidquam expeti, prohibebant. Concilium *Illiberritanum* innuere videtur, homines quosdam in baptismo suo nummos tamquam donum gratuitum pro ecclesiae ministro in peluim conicere consuetuisse; sed hoc ipsum ibi canone quodam prohibitum fuit, *ne sacerdos* [c] *quod gratis acceperit, pretio distrahere videretur.* Vnde concludere possumus, quod si populo quidquam

(a) Aug. sermon. XLIX. de diuersis tom. X. p. 510. edit. Par. an. MDCXXXVII. (ed. Basil. MDLXIX. serm. LII. p. 1398.)

(b) Id. ibid.

(c) Concil. Illiberit. c. XLVIII. (tom. I. conc. p. 975.) Emendari placuit, vt hi qui baptizantur, (vt fieri solebat) nummos in concham non mittant; ne sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur.

offerre

offerre haud licuerit, multo minus ſacerdotibus pro adminiſtrato baptiſmi ſacramento quidquam expetere vel exigere conceſſum fuerit. In aliis eccleſiis voluntaria dona ab illis, qui poterant & volebant, fieri permittebantur; ſed omnes iſtiusmodi exactiones a pauperibus prohibitæ ſemper fuerunt, ne forte ſemetipſos vel liberos ſuos baptiſmo offerre dubitarent. Ita in eccleſia *Romana* tempore GELASII obtinuit, quemadmodum ex epiſtolis [*d*] ipſius perſpicimus; nec non in eccleſia *græca* GREGORII NAZIANZENI æuo, qui obiectioni pauperum [*e*] reſpondet, quam, quum ad baptiſmum omni feſtinatione properare monerentur, faciebant, *Vbi eſt munus*, inquientes, *quod propter baptiſmum offeram? Vbi ſplendida veſtis, in qua exſplendeſcam? Vbi ea, quæ ad initiatores meos excipiendos requiruntur?* Dicit eis, non eſſe hæc neceſſaria, nec ab ipſis exſpectatum vel exactum iri. *Te ipſum*, inquit, *offer, Chriſtum indue, honeſta & laudabili vita me ale: ſic ego excipi lætor, ſic etiam Deus, qui maxima quæque beneficia nobis elargitur.* cætera. Hoc indicat, quod homines, quum eo tempore baptizarentur, voluntaria munera offerre, miniſtri autem ea, quaſi iure ſibi debita, expetere non conſueuerint, veriti, ne cui hoc ipſum offendiculo exſiſteret. Nonnullæ GRATIANI editiones [*f*] & VICECOMES [*g*] canonem aliquem tertii vel quarti concilii *Carthaginenſis* in eamdem ſententiam adlegant; quæ adlegatio ſi recte ſe habet, eamdem conſuetudinem in *Africa* fuiſſe, demon-

(*d*) Gelaſ. epiſt. I. al. IX. ad epiſc. Lucaniæ c. V. (tom. IV. concil. p. 1189.) Baptizandis conſignandisque fidelibus ſacerdotes pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impoſitis exagitare cupiant renaſcentes: quoniam quod gratis accepimus, gratis dare mandamur. Et ideo nihil a prædictis prorſus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione reuocati, redemtionis ſuæ cauſſas adire deſpiciant, certum habentes, quod quæ prohibita deprehenſi fuerint admiſiſſe, vel commiſſa non potius ſua ſponte correxerint, periculum ſubituri proprii ſint honoris.

(*e*) Gregor. Nazianz. orat. XL. de baptiſm. tom. I. p. 655. *Αἰσχρὸν εἰπεῖν, ποῦ δέ μοι τὸ καρποφορούμενον ἐπὶ τῷ βαπτίσματι; ποῦ δὲ ἐμφώτειος ἐσθὴς ᾗ λαμπρυνθήσομαι; ποῦ δὲ τὰ πρὸς δεξίωσιν τῶν ἐμῶν βαπτιστῶν; - - σαυτὸν καρποφόρησον, Χριστὸν ἔνδυσαι, θρέψον με πολιτείᾳ, οὕτω, ἐγὼ χαίρω φιλοφρονούμενος, οὕτως καὶ ὁ Θεὸς ὁ τὰ μέγιστα χαριζόμενος.*

(*f*) Gratian. cauſſ. I. qu. I. c. VIII. Placuit, vt vnusquiſque epiſcopus per eccleſias ſuas hæc præcipiat, vt hi, qui infantes ſuos, cætera vid. (k) in textu.

(*g*) Vicecom. de ritib. bapt. lib. IV. c. II.

ſtrat,

ſtrat. Sed vero ANTONIO AVGVSTINO [h] & *Romanis* [i] GRATIANI *correctoribus* obſeruantibus, in nullo concilio *Africano* iſtiusmodi canon reperitur; ſed concilii ſecundi *Bracarenſis* in *Hiſpania* canon eſt. Huius enim concilii patres obſeruantes peruerſum illum morem, qui inter clericos, (non obſtante priſtina concilii *Illiberritani* prohibitione) irrepſerat; vt a pauperibus, nihil quod offerrent, habentibus pignora exigerentur, iſti corruptelæ mederi adlaborabant, nouam legem in hanc ſententiam ſanciendo: [k] *Qui infantes ſuos ad baptiſmum offerunt, ſi quid voluntarie pro ſuo offerunt voto, ſuſcipiatur ab eis. Si vero per neceſſitatem paupertatis aliquid non habeant, quod offerant, nullum eis pignus tollatur a clericis. Nam multi pauperes hoc timentes filios a baptiſmo retrahunt.* Idem illud concilium *Bracarenſe* [l] ſtatuebat, vt ne quis epiſcopus quaſi ex debito munus aliquod a fundatore pro eccleſiæ conſecratione requireret, ſin autem ipſi fundator aliquid ex voto ſuo offerret, non reſpueret. Atque ita in eumdem modum pro confirmatione [m], & adminiſtratione euchariſtiæ [n] omnes epiſcopi & presbyteri a recipientibus quidquam exigere ſeuere prohibentur, quod gratia Dei non ſit venalis, nec pro pecuniis ſpiritus detur ſanctificatio. HIERONYMVS porro auctor eſt, ætate ſua rem minus honorificam fuiſſe viſam, ſi quid pro loco ſepulturæ mortuorum exactum eſſet. Eos enim, qui hoc factitabant, reprehen-

---

(*h*) Anton. Aug. de emendat. Gratiani lib. I. dial. XIV. (pag. 230. edit. Arnhem. MDCLXXVIII.) Fragmentum, *placuit vt vnusquisque* cæt. concilio *Bracarenſi* II. cap. VII. reſtituatur, oportet. licet Gratianus Carthaginenſis IV. eſſe dicat.

(*i*) Gratian. edit. Rom. an. MDLXXXII. (vid. etiam edit. Colon. Munat. MDCCXVII. 4to vbi ſequentia leguntur: Emendata eſt inſcriptio ex aliquot vetuſtis codicibus. Nam in vulgatis erat, ex Carthaginenſi quarto, in quo non habetur.)

(*k*) Conc. Bracar. II. c. VII. edit. Crab. al. III. Bracar. edit. Labb. (tom. V. p. 898)

(*l*) Ibid. can. V. p. 897. Placuit, vt quotiens ab aliquo fidelium ad conſecrandas eccleſias epiſcopi inuitantur, *non quaſi ex debito munus aliquod a fundatore requirat;* ſed ipſe fundator ſi quidem aliquid ex voto ſuo obtulerit, non reſpuatur.

(*m*) Gelaſ. ep. I. al IX. ad epiſc. Lucaniæ c. X. (tom. IV. conc. p. 1189.) Baptizandis conſignandisque fidelibus ſacerdotes pretia nulla præfigant.

(*n*) Conc. Trullan. c. XXIII. (tom. VI. concil. p. 1154) *Περὶ τοῦ μηδένα εἴτε ἐπίσκοπον, εἴτε πρεσβύτερον, ἢ διάκονον τῆς ἀχράντου μεταδιδόντα κοινωνίας παρὰ τοῦ μετέχοντος εἰσπράττειν τῆς τοιαύτης μεταλήψεως χάριν ὀβολοὺς ἢ εἶδος τὸ οἱονοῦν· οὐδὲ γὰρ πεπραμένη ἡ χάρις, οὐδὲ χρήμασι τὸν ἁγιασμὸν τοῦ πνεύματος μεταδίδομεν.* 'Vt nullus ſiue epiſcopus, ſiue presbyter, ſiue diaconus, immaculatam præbens com-

dit

dit, tamquam merito inferiores [o] quam *Hephronem Chittæum*, quippe qui ab *Abrahamo* coactus argentum pro ſepulcro, quod ille ab ipſo expetierat, acceperit. Tum vero fuiſſe dicit, qui ſepulcra venditarint & non coacti ſint accipere pretium, ſed a nolentibus etiam extorſerint. Ex quibus intelligere eſt, hiſce temporibus pro vſu publici vel priuati cœmeterii quidquam exigere, vix licitum fuiſſe. Neque vlla pars redituum eccleſiaſticorum ea ætate erat, quia mos ſepeliendi in templis nondum vniverſe inualuerat, ſed poſterioribus demum ſæculis introductus fuit; qua de re pluribus, vbi de funeralibus ritibus eccleſiæ dicendum erit.

§. XV.

Oblationes populi olim in præcipuis eccleſiæ reditibus poſitæ.

Si quis ſcire velit, quænam redituum eccleſiaſticorum pars maxime vtilis & fructuoſa eccleſiæ olim fuerit, ex CHRYSOSTOMO & AVGVSTINO id intelligere poterit, qui populi oblationes etiam atque etiam commendant, & dicere videntur, quod eccleſiæ numquam melius proſpectum fuerit, quam vbi ſuſtentationem ſuam præcipue ex illis habuerit. Nam zelus hominum ad liberalitatem in quotidianis ſuis oblationibus exercendam promtos eos reddebat. Poſſeſſionibus autem & prædiis eccleſiæ conſtitutis hic zelus nimium quantum deferueſcebat; atque ita eccleſiæ, quum ea opulenta fieri crederetur, peius conſulebatur. Quam rem CHRYSOSTOMVS ſua ætate deplorabat, vbi antiqui reditus ex oblationibus prouenientes, non mediocriter conciderant, & eccleſia

munionem ab eo qui communicat, eius participationis gratia obulos, vel quamvis aliam ſpeciem exigat. Non eſt enim venalis gratia, nec pro pecuniis ſpiritus ſanctificationem impartimur.

(o) Hieron. quæſt. hebr. in Geneſ. XXIII. tom. III. p. 214. edit. Baſil. MDLXV. (p. 140. edit Francof. MDCLXXXIV.) In Hebræo primum nomen eius ſcribitur Ephron, ſecundum Ephran. Poſtquam enim pretio victus eſt, vt ſepulcrum venderet argento, licet cogente Abraham, vau littera, quæ apud illos pro o legitur, ablata de eius nomine eſt, & pro Ephron appellatus eſt Ephran, ſignificante ſcriptura, non eum fuiſſe conſummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur, qui ſepulcra venditant, & non coguntur vt accipiant pretium, ſed a volentibus quoque extorquent, immutare nomen ſuum, & perire quid de merito eorum, cum etiam ille reprehendatur occulte, qui inuitus acceperit.

cum omnibus prædiis suis peiore loco erat, quam fuerat antea. Iam enim sacerdotes in sæcularium rerum curas implicari & agriculturæ, locationibus domorum, emtioni & venditioni operam dare necessum habebant, quod timor eos inuaserat, ne viduarum, orphanorum & virginum ecclesiæ multitudo fame deperiret. Exhortabatur igitur populum, vt ad antiquam liberalitatem oblationum reuerterentur; hanc enim rem sacerdotes omnibus simul curis leuaturam, omniaque leuissima etiam probra ac conuicia ablaturam, ad quæ in clericos coniicienda nonnulli tam promti essent, quod curis & officiis sæcularibus nimium se traderent; quum tamen non animo libenti sed necessitate cogente id facerent. *Gratia Dei*, inquit, *centum millia hominum huc* (Antiochiam) *conuenire opinor, quorum* (*p*) *singuli si vnum panem quotidie pauperi cuipiam offerrent, omnes certe pauperes abundarent: si vnum vnusquisque obulum tantummodo, nemo penitus indigeret: nec tot probra & conuicia sustineremus, quod nimium ad possessiones simus intenti.* Ex hoc CHRYSOSTOMI sermone euidenter apparet, quod populi in ciuitate copiosa oblationes, si eas pristino zelo acti facerent, alendis clericis melius aliquod subsidium, quam prædia & possessiones ecclesiæ, præbituras crediderit. Et AVGVSTINVS eamdem sententiam de hac materia fouisse videtur. Qua de re POSSIDONIVS [*q*] in vita ipsius nos facit certiores, *Dum forte*, inquiens, (*vt adsolet*) *de possessionibus ipsis inuidia clericis fieret, adloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei viuere, quam illarum possessionum curam vel gubernationem pati: & paratum se illis cedere, vt eo modo omnes Dei serui & ministri viuerent, quo in veteri testamento leguntur altari deseruientes de eodem comparticipari.* Quamuis autem hoc laicis proposuisset, numquam tamen id eos suscipere voluisse, auctor idem testatur. Quod ipsum etiam populum existimasse probat, si clericorum sustentatio ad veteris testamenti formam redigeretur, hanc eos alendi rationem molestiorem sibi quam alteram futuram; siquidem veteris testamenti oblationes decimas ac primi-

(*p*) Chrysostom. Hom. LXXXVI. in Matth. Τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι εἰς δέκα μυριάδων ἀριθμὸν οἶμαι τοὺς ἐνταῦθα συναγομένους τελεῖν, καὶ εἰ ἀφ' ἑνὸς ἄρτου μετεδίδου τινὶ τῶν πενήτων ἕκαστος, ἅπαντες ἂν ἐν εὐπορίᾳ· εἰ ἐξ ἑνὸς μόνου ὀβολοῦ, οὐδεὶς ἂν ἦν πένης, οὐκ ἂν τοσαῦτα ὑπεμείναμεν ὀνείδη καὶ σκώμματα ἀπὸ τῆς περὶ τὰ κτήματα προνοίας.

(*q*) Possid. vit. Aug. c. XXIII.

tias

tias fructuum complectebantur, quarum in conditionem ac originem, quantum ad ecclesiam christianam attinet, nunc paullo curatius inquirere adgredimur.

LIBRI QVINTI
CAPVT QVINTVM
DE DECIMIS ET PRIMITIIS FRVCTVVM SPECIATIM.

§. I.

Decimæ antiquitus iure diuino deberi creditæ.

DE decimis, quatenus ad antiquam ecclesiam spectant, consultum fuerit triplicem instituere disquisitionem. Primum quidem, an a priscis patribus iure diuino deberi creditæ sint? Deinde, si hoc factum, cur non omni tempore accurate exactæ fuerint? Denique, qua ætate primum in ecclesiam generatim introductæ sint. De prima quæstione omnium virorum doctorum sententiæ generatim & vniuerse conueniunt, quod veteres christiani decimas iure diuino deberi existimauerint. BELLARMINVS [a] quidem, RIVETVS [b] & SELDENVS [c] aliam eis rationem adsignant: Sed ANDREWS [d] eruditus episcopus nostras, & CARLETONIVS [e] episcopus, qui ante SELDENVM scripserunt, & MONTACVTIVS [f] episcopus ac TILLESLEVS [g], qui scripserunt respondentes ipsi (vt alios multos, qui scripserunt postea, non memorem) euidenter demonstrarunt, quod veteres legem de decimis non mere cærimonialem sed moralem & sempiternæ obligationis esse crediderint. Suffecerit, duos tresue ex antiquis illis scriptoribus, quos isti adlegant, lectori hoc loco exhibere. ORIGENES in homilia quadam in *Numeros* [h] ita mentem suam hac de re

(a) Bellarm. de clericis lib. I, c XXV. §. Quod non sit morale. (p. 127, b. edit. Colon. MDCXV.)

(b) Riuet. exercit. LXXX. in Gen. XIV. p. 386. edit. Amstelod. MDCLI. (p. 310. tot. seq. edit. Roterdam. MDCLI.)

(c) *Selden. hist. of tithes c. 4.*

(d) *Andrews* de decimis, inter opuscula.

(e) *Carleton diuine right of tithes c. 4.*

(f) Montague diatribæ &c.

(g) *Tillesly answ. to Selden.*

(h) Origen. hom. XI. in Num. XVIII. (tom. I. p. 210. edit. Basil. MDLXXI.)

 prodit:

prodit: *Quomodo ergo abundat iuſtitia noſtra plusquam ſcribarum & phariſæorum, ſi illi de fructibus terræ ſuæ guſtare non audent, priusquam primitias ſuas ſacerdotibus offerant & Leuitis decimæ ſeparentur. Et ego nihil horum faciens, fructibus terræ ita abutor, vt ſacerdos neſciat, Leuites ignoret, diuinum altare non ſentiat?* HIERONYMVS [i] loquitur in hanc ſententiam: *Quod de decimis primitiisque diximus, quæ olim dabantur a populo ſacerdotibus ac Leuitis, in eccleſiæ quoque populis intelligite, quibus præceptum eſt non ſolum decimas dare & primitias, ſed & vendere omnia quæ habent & dare pauperibus, & ſequi dominum ſaluatorem. Quod ſi facere nolumus, ſaltem iudæorum imitemur exordia, vt pauperibus partem demus ex toto & ſacerdotibus ac Leuitis honorem debitum deferamus. --- Quod qui non fecerit, Deum fraudare & ſupplantare conuincitur & maledicitur ei in penuria rerum omnium.* AVGVSTINVS manifeſto eidem fauet ſententiæ, quando populum exhortans [k] ait: *Præcidite ergo aliquid, & deputate aliquid fixum, vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæſtibus veſtris. --- Exime aliquam partem redituum tuorum. Decimas vis? decimas exime, quamquam parum ſit. Dictum eſt enim, qui phariſæi decimas dabant, ieiuno bis in ſabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo. Et quid ait dominus? Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plusquam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et ille, ſuper quem debet abundare iuſtitia tua, decimas dat: tu autem nec mileſimam das. Quomodo ſuperabis eum, cui non æquaris?* Ex his paucis, quæ in medium attulimus, in procliui eſt iudicare, quam ſententiam fouerint veteres de decimis, tamquam iure diuino, ſub euangelio æque ac ſub lege, debitis; & quod præceptio de illis non mere cærimonialis vel politica fuerit, ſolis *iudæis* data.

§. II.

Cur apoſtolico & proxime inſequuto æuo haud exactæ fuerint.

Dixeris autem, cur igitur initio ab apoſtolis, vel a patribus proxime inſequutis, non exactæ ſunt? Res enim generatim in confeſſo eſt, non præbuiſſe initio decimas miniſtris alimenta ſub euangelio. Ad hanc quæſtionem diuerſo modo & quantum

(i) Hieron. com. in Malach. c. III.

(k) Aug. com. in Pſalm. CXLVI. tom. VIII. p. 698 edit. Pariſ. MDCXXXVII. (p. 1703. edit. Baſil. MDLXIX.)

ſatis

ſatis eſt, reſpondit CARLETONIVS [*l*] epiſcopus, quod ex ipſiusmet verbis capere lector poteſt. *Primo*, decimas ſacerdotibus ac Leuitis, Chriſti & apoſtolorum ipſius tempore, datas fuiſſe, dicit. Iam vero ſynagogam prius ſepeliri debuiſſe, quam harum rerum vſus in eccleſiam decenter inuehi potuerit. *Secundo*, ſub exordium noui teſtamenti & poſt paullo extraordinariam ſuſtentandi rationem ex omnium rerum communione exſtitiſſe, decimarum defectum ſupplente: ſed hanc communionem extraordinariam fuiſſe nec perpetuo duraturam. *Tertio*, decimarum ſolutionem, vt tunc fuerit conditio eccleſiæ, incommodum adeo fuiſſe atque operoſum negotium, vt non bene fieri potuerit. Quapropter ſicut circumciſio ad tempus omiſſa fuerit, *Iſraële* per deſertum iter faciente, non quod populus tunc quoque iure eam adhibere haud debuiſſet, ſed quia pro iſta conditione ac tempore eccleſiæ adeo incommoda fuerit, vt ſine magna moleſtia adhiberi non potuiſſet: ita decimarum vſum Chriſti ipſiusque apoſtolorum tempore prætermiſſum eſſe, non quia non debuerit, ſed quia ſine magno negotio non potuerit fieri. Et quemadmodum circumciſio reſumta fuerit, ſimulac eccleſiæ ratio id tuliſſet, ita decimas inſtauratas fuiſſe, ſimulac eccleſiæ ratio id permiſerit. Decimas enim commode dari haud poſſe, niſi vbi integra quædam reſpublica vel regnum chriſtianam amplectatur religionem, & vbi magiſtratus eccleſiæ faueant, quod apoſtolorum tempore factum non ſit. Tribus hiſce rationibus quidam viri docti alii [*m*] quartam aliquam itidem dignam notatu addiderunt, decimas fructuum chriſtianis ſacerdotibus non adeo mature datas, quia ruris incolæ vltimo loco ad Chriſtum conuerſi fuerint; vnde quoque nomen *paganorum* gentilibus adhæſerit, quod maximæ eorum reliquiæ in villis & agris viuerent.

§. III.

Quo tempore primum in eccleſia generatim conſtitutæ ſint.

Quod ad vltimam quæſtionem attinet, quo tempore de-

(*l*) *Carteton. div. right of tithes* c. 4. p. 31.

(*m*) Fell. not. in Cypr. ep. LXVI. al. I. (p. 170. edit. Amſtelod. MDCC.) Serius quidem decimas ex fructibus accipiebant ſacerdotes chriſtiani, quia ruris incolæ, quique agriculturam exercebant, non niſi ſero ad fidem erant conuerſi; vnde *paganorum* nomen ethnicis adhæſit.

cimæ primum generatim in ecclesia cœperint constitui? communis est sententia, quod sæculo quarto id factum sit, quando magistratus ecclesiæ fauere inceperunt, & mortales ab ethnicismo generatim fuerunt conuersi. Sunt, qui *Constantinum* [n] eas ecclesiæ solui lege quadam iussisse, putant. Ita ALSTEDIVS, qui HERMANNVM GIGANTEM pro eadem sententia adlegat. Sed nulla *Constantini* lex nunc quidem reperitur, quæ istius rei faciat mentionem. Proxime ad hanc rem accedere videtur lex illa de annua frumenti portione, clericis per singulas ciuitates ex publicis thesauris suppeditanda, de qua proxime antecedenti capite diximus. At hoc ipsum nihil minus quam decimæ ex annuo prouentu erat; tributum enim ipsum nihil amplius videtur fuisse. Nam in quibusdam *codicis Theodosiani* [o] legibus tributum imperatoris decimarum nomine appellatur; & cogentes illud publicani ob hanc caussam TVLLIO [p] *decumani* dicuntur; & apud HESYCHIVM vocabulum *δεκατεύειν*, *decimare*, explicatur per *τελωνεῖν* & *δεκάτην εἰσπράττεσθαι* *tributum pendere*, & *decimas exactoribus tributi soluere*. Si igitur credere non possumus, quod *Constantinus* totum imperii tributum ecclesiæ constituerit (quod eum non fecisse, manifesto constat) nec legem istam eo sensu possumus accipere, quasi decimas clericis adiudicet. Sed tamen gradus aliquis ad hanc rem fuerit. Nam ante finem sæculi quarti, vt ipse SELDENVS [q] non tantum fatetur, sed etiam ex CASSIA-

(n) Alsted. supplem. Chamier. de membris eccles. c. X. n. III. Accedit, quod consuetudo illa, vt decimæ ad N. T. ecclesias peruenerint, a christianis imperatoribus primo haud dubie est profecta. Nam *Hermannus Gigas auctor est, Constantinum M. præcepisse, vt de rebus omnibus decimæ ecclesiis omnibus soluerentur.*

(o) Cod. Theod. lib. X. tit. XIX. de metallis leg. X. Cuncti, qui, per priuatorum loca, saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, *decimas* fisco, *decimas* etiam domino repræsentent. Leg. XI. Hi, quibus ad exercenda metalla priuata diues marmorum vena consentit, excidendi exsecandique iuxta legem dudum latam habeant facultatem, ita vt *decima pars* fisci nostri vtilitatibus, *decima* ei, cuius locus est, deputetur.

(p) Cicer. orat. III. in Verr. n. XXI. Apronius *decumanus* non decumam debitam, non frumentum remotum atque celatum; sed tritici septem millia medimnum ex Nymphonis arationibus, edicti pœna, non redemtionis aliquo iure tollit. Ibid. n. XXII. Hac ille vi & hoc metu adductus, tantum *decumanis*, quantum iste imperauit, exsoluit.

(q) *Selden. hist. of tith. c. 5. p. 47. &c.*

NO

NO, EVGIPPIO aliisque probat, decimæ ecclesiæ datæ sunt. ❋ AVGVSTINVS hoc æuo vixit, & ante tempora sua decimas pensitatas esse, dicit, & quidem melius, quam sua ipsius ætate; valde enim conqueritur, quod non exsoluantur. *Maiores nostri*, inquit [r], *ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem quia decessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Nolumus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* CHRYSOSTOMVS [s] & auctor *operis imperfecti* [t] in *Matthæum*, qui nomen istius præ se fert, de aliarum ecclesiarum consuetudine circa idem tempus testantur. Facile etiam foret, multorum aliorum patrum & conciliorum proxime insequutæ ætatis subnectere catalogum, de decimis [u] tunc in ecclesia vere vsitatis loquentium: Quoniam vero illi, qui contra diuinum earum ius maxime militant, hoc ipsum, tamquam rem facti, non negant, pluribus hanc ma-

(r) Aug. hom. XLVIII, tom. X. p. 201. edit. Par. MDCXXXVII. (p. 547. edit. Basil. MDLXIX.)

(s) Chrysostom. hom. IV. in Ephes. p. 1058. (tom. V. p. 896. ed. Francof. MDCXCVII.) Τί οὐκ ἐποίουν ἐκεῖνοι δεκάτας, καὶ πάλιν δεκάτας ἑτέρας παρεῖχον ὀρφανοῖς, χήραις, προσηλύτοις ἐπήρκουν· ἀλλὰ ἐμοί τις θαυμάζων τινὰ ἔλεγε· δεκάτας δίδωσιν ὁ δεῖνα, πόσης αἰσχύνης τοῦτο γέμει, εἰ ὃ ἐπὶ τῶν Ἰουδαίων οὐκ ἦν θαυμαστὸν τοῦτο ἐπὶ τῶν χριστιανῶν θαυμαστὸν γέγονεν· εἰ τότε κίνδυνος ἦν, τὸ δεκάτας ἀπολιπεῖν, ἐννόησον ὅσον ἐστὶ νῦν. Quid illi (Iudæi) non faciebant? Decimas & rursus decimas præbebant orphanis, viduis, proselytis; sed mihi quidam de quopiam dicebat mirabundus, hic aut ille dat decimas. Quanto est hoc plenum probro & dedecore, si quod apud Iudæos non habebatur in admiratione, hoc apud christianos factum est admirabile? *Si tunc erat periculum, decimas non relinquere, cogita quantum nunc sit.*

(t) Opus imperf. in Matth hom. XLIV. Sacerdotes auaritia pleni, si quis de populo decimas non obtulisset, ita eum corripiebant, quasi magnum crimen fecisset, qui decimam alicuius rei vel saltem minimæ non obtulisset: si quis autem de populo in Deum peccabat, aut lædebat aliquem, aut aliquid tale faciebat, nemo curabat corripere eum - - Sic enim & modo fit - - *Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes:* & si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eum.

(u) Concil. Aurel. I. an DXI. can. XVII. (NB. nihil in hoc vel vllo alio, istius concilii canone de decimis inuenitur, adeoque falsa est allegatio.)
Concil. Matiscon. II. an. DLXXXVIII. c. V. (tom. V. p. 981.) Leges diuinæ, consulentes sacerdotibus ac ministris ecclesiarum, pro hereditatis portione omni populo *præceperunt decimas fructuum* suorum locis sacris præstare, vt nullo labore impediti, horis legitimis spiritualibus possint vacare ministeriis.

teriam

teriam perſequi neceſſe haud fuerit; quippe quam per plura ſæcula hiſtorice deductam apud SELDENVM [w], qui vult, videre poteſt.

§. IV.

Origo primitiarum fructuum & offerendi eas ratio.

Supereſt adhuc vna redituum eccleſiaſticorum pars, cuius in originem inquirendum eſt, quæ ſunt primitiæ fructuum, quarum crebra in antiquis ſcriptoribus fit mentio. Non enim ſolum *canones* ſic dicti *apoſtolici* [x] & *conſtitutiones*.[y] de illis, tamquam parte alimentorum cleri, loquuntur; ſed ſcriptores etiam vetuſtiores atque probatiores, vt ORIGENES & IRENAEVS, earum tamquam oblationum Deo factarum meminerunt. *Celſus*, inquit ORIGENES [z], *primitias vult nos dicare dæmoniis: at nos malumus hunc honorem habere illi, qui dixit: Germinet terra herbam virentem, afferentem ſemen iuxta genus ſuum & ſimilitudinem ſuam, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius ſemen in ipſo ſecundum genus ſuum in terra. Cui autem primitias offerimus, ad eumdem etiam vota precesque noſtras dirigimus, habentes pontificem magnum, qui cælos penetrauit, Ieſum ipſius Dei filium.* Similiter IRENAEVS [a] dicit, Chriſtum ſuis diſcipulis dediſſe conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis,

(w) *Selden. hiſt. of tithes c. 5. &c.*

(x) Can. apoſtol. c. IV. Ἡ ἄλλη πᾶσα ὀπώρα εἰς οἶκον ἀποστελλέσθω ἀπαρχὴ τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς πρεσβυτέροις. Omnis alius fructus domum mittatur, *primitiæ* epiſcopo & presbyteris.

(y) Conſtitut. lib. VIII. c. XL. Εὐχαριστοῦμέν σοι κύριε παντοκράτορ, δημιουργὲ τῶν ὅλων καὶ προνοητὰ διὰ τοῦ μονογενοῦς σου παιδὸς Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν **ἐπὶ ταῖς προσενεχθείσαις σοι ἀπαρχαῖς**, οὐχ ὅσον ὀφείλομεν ἀλλ' ὅσον δυνάμεθα. Gratias agimus tibi, domine omnipotens, omnium effector & gubernator, per vnigenitum filium tuum Chriſtum dominum noſtrum, *pro oblatis tibi primitiis*; non quantas debemus, ſed quantas poſſumus.

(z) Origen. contr. Celſum lib. VIII (p. 400. edit. Cantabrig MDCLXXVII.) Κέλσος μὲν δαιμονίοις ἀνατιθέναι βούλεται· ἡμεῖς δὲ τῷ εἰπόντι, βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου, σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ξύλον κάρπιμον ποιοῦν καρπὸν, οὗ τὸ σπέρμα αὐτοῦ ἐν αὐτῷ κατὰ γένος ἐπὶ τῆς γῆς· ᾧ δὲ τὰς ἀπαρχὰς ἀποδίδωμεν, τούτῳ καὶ τὰς εὐχὰς ἀναπέμπομεν, ἔχοντες ἀρχιερέα μέγαν, διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.

(a) Iren. lib. IV. c. XXXII. Sed & *ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre ex ſuis creaturis*, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint. Ibid. c. XXXIV. Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ.

ris,

ris, & hanc eſſe perpetuam oblationem eccleſiæ cum gratiarum actione pro perceptione reliquarum rerum omnium coniunctam. Vnde concludimus, vel ſingularem eos habuiſſe gratias agendi formulam, qualis hæc eſt, in *græcis* pariter & *latinis* ritualibus; vel has primitias fructuum vna cum aliis collationibus tempore euchariſtiæ fuiſſe oblatas. Sed quoquo modo res ſe habeat, id certe euidens & manifeſtum eſt, quod ſicut primario ad agnoſcendum creatorem collinearint, ita ſecundario ſeruorum ipſius vſui deſtinatæ fuerint. Quapropter hæreticos *Euſtathianos* a ſynodo *Gangrenſi* ann. CCCXXIV. reprehenſos legimus, quod primitias fructuum eccleſiæ olim datas ſibi vindicaſſent & ſanctis partis ſuæ [*b*] diuiſiſſent; cui praxi vt occurreretur, duo ſanciebantur ab iſto concilio canones [*c*], ſub pœna anathematis prohibentes, ne quis iſtiusmodi fructus eccleſiæ oblatos acciperet daretue extra eccleſiam præter epiſcopi ſententiam. Aliæ nonnullæ regulæ de primitiis fructuum etiam a concilio quodam *Carthaginenſi* [*d*] datæ & codici canonum eccleſiæ *Africanæ* inſertæ ſunt, quæ nihil amplius in primitiis offerri iubent, quam de vuis & frumentis; quam conſuetudinem etiam eccleſiæ *Africanæ* fuiſſe, inde intelligitur. NAZIANZENVS ſimiliter primitiarum areæ & torcularis Deo [*e*] conſecrandarum memi-

(*b*) Conc. Gangr. in præfat. (tom. II. conc. p. 413.) *καρποφορίας τε τὰς ἐκκλησιαστικὰς τὰς ἀνέκαθεν διδομένας τῇ ἐκκλησίᾳ, ἑαυτοῖς καὶ σὺν αὐτοῖς ὡς ἁγίοις, τὰς διαδόσεις ποιούμενοι.* Primitias fructuum & oblationes eorum, quas veterum inſtitutio eccleſiis tribuit, ſibimet vindicaſſe, id eſt, propriæ ratiocinatione doctrinæ, tamquam ſanctis, ſibi eas offerri debere, apud ſe & inter ſe diſpenſandas.

(*c*) Ibid. c. VII. *Εἴ τις καρποφορίας ἐκκλησιαστικὰς ἐθέλοι λαμβάνειν, ἢ διδόναι ἔξω τῆς ἐκκλησίας, παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, ἢ τοῦ ἐγκεχειρισμένου τὰ τοιαῦτα, καὶ μὴ μετὰ γνώμης αὐτοῦ ἐθέλοι πράττειν, ἀνάθεμα ἔστω.* Si quis vult fructus eccleſiæ oblatos accipere, vel dare extra eccleſiam, præter epiſcopi ſententiam, vel eius cui cura eorum tradita eſt, & non cum eius ſententia ea velit agere, ſit anathema. Can VIII. *Εἴ τις διδοῖ ἢ λαμβάνοι καρποφορίαν παρεκτὸς τοῦ ἐπισκόπου, ἢ τοῦ ἐπιτεταγμένου εἰς οἰκονομίαν εὐποιΐας, καὶ ὁ διδοὺς καὶ ὁ λαμβάνων, ἀνάθεμα ἔστω.* Si quis dat, vel accipit fructus oblatos præter epiſcopum, vel eum qui eſt conſtitutus ad beneficentiæ diſpenſationem; & qui dat, & qui accipit, ſit anathema.

(*d*) Cod. can. Afric. c. XXXVII, al. XL. (tom. II. concil. p. 1068. fin.) *Μηδὲν δὲ πλέον ἐν ταῖς ἀπαρχαῖς προσφερέσθω, ἢ ἀπὸ σταφυλῶν καὶ σίτου.*
Concil. African. c. IV. (ibid. p. 1643.) Nec amplius in primitiis offeratur, quam de vuis & frumentis.

(*e*) Gregor. Nazianz. ep. LXXX. Ἀπαρχὰς ἅλωνός τε καὶ ληνοῦ, *καὶ τίκνων*

nit. Et *constitutionum apostolicarum* auctor formulam precandi habet [f], ἐπίκλησις ἐπὶ ἀπαρχῶν, *imploratio propter primitias*, inſcriptam, quæ in earum conſecratione ſolebat recitari. Vt adeo manifeſtum ſit, primitias fructuum offerendi conſuetudinem in eccleſia chriſtiana admodum antiquam fuiſſe & vniuerſalem, & non nihil ad alendos clericos contuliſſe; quorum nos reditus, quantum ad diuerſa eorum genera & primam originem attinet, huc vſque enarrauimus.

LIBRI QVINTI
CAPVT SEXTVM
DE REDITVVM VETERIS ECCLESIAE DISPENSATIONE AC PARTITIONE.

§. I.

Reditus totius diœceſeos olim in epiſcopi erant poteſtate.

SEquitur, vt antiquam reditus eccleſiaſticos adminiſtrandi & inter clericos aliosque, ab eccleſia dependentes, partiendi conſideremus rationem. Quæ quum a poſteriorum ſæculorum ratione, poſteaquam eccleſiis parochialibus reditus fuere conſtituti, paullulum diſcrepet, ad eam recte intelligendam primo loco, par eſt, obſeruemus, omnes totius diœceſeos reditus in epiſcopi olim fuiſſe poteſtate, qui conſcio ac conſentiente ſuo presbyterorum ſenatu eos diſtribuit, prout eccleſiæ neceſſitas id requiſiuit. Quod quidem facile perſpiciet, quisquis hæc duo (quæ poſtea probabuntur, vbi de eccleſiis parochialibus earumque origine verba faciemus) conſiderauerit, *primum* quidem, quod antiquitus nulli presbyteri vel alii clerici ad eccleſias ſiue congregationes particulares in eadem ciuitate vel diœceſi adligati, ſed ad harum miniſterium presbyteri de eccleſia matrice ſeu cathedrali indiſcriminatim adhibiti fuerint, ad quam, & non ad vllam particularem, congregationem vniuerſi ciuitatis vel diœceſeos clerici pertinuerunt. *Secundo*, quod quum presbyteri particularibus eccleſiis ſiue congregationibus

τοὺς ἀληθῶς, φιλοτέκνους, ἀνατιθέναι θεῷ, δίκαιόν τε καὶ ὅσιον. *Areæ & torcularis primitias*, & filiorum, eos qui vere filios amant, *Deo conſecrare* iuſtum ac pium eſt.

(f) Conſtit. lib. VIII. c. XL.

in

in quibusdam ciuitatibus dati fuerunt, nondum tamen iſtæ eccleſiæ ſeparatos habuerint reditus; ſed clericorum in illis miniſtrantium alimenta data fuerint e communi eccleſiæ matricis ærario, in quod tamquam commune quoddam penarium omnes eccleſiarum particularium collationes inferebantur, vt ex eo generalis quædam diſtributio fieret. Ita *Conſtantinopoli* ad ſæculum quintum medium vſque obtinuiſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod apud THEODORVM LECTOREM [a] relatum legimus, qui *Marcianum* primum eccleſiæ oeconomum a *Gennadio* ann. CCCCLX. conſtitutum fuiſſe dicit, vt quæ in vnaquaque eccleſia offerrentur, clerici eiusdem eccleſiæ acciperent: quum ad id tempus magna eccleſia ea vniuerſa accipere ſolita fuerit.

§. II.

Et ex ipſius cura clericis diuidebantur.

Quum hæc vetuſta fuerit conſuetudo, facile cognoſcimus, quo pacto vniuerſi eccleſiæ reditus in epiſcopi eſſe cœperint poteſtate, & quemadmodum canones curam ac diſtributionem eorum partem muneris ac officii ipſius eſſe iuſſerint. Qua de re quia iam alibi [b] loquuti ſumus, hoc loco nihil amplius dicimus, quam quod ipſe epiſcopus, ad declinandam ſuſpicionem malamque rerum adminiſtrationem anteuertendam, ſynodo prouinciæ [c] rationem reddere, & poſtquam fuerit electus, res proprias indicare debuerit, vt a rebus ad Deum eccleſiamque ſpectantibus [d] diſcerni poſſent. Et ob eamdem cauſſam

(a) Theod. Lect. lib. I. p. 553. edit. Valeſ. Προεβάλετο Γεννάδιος Μαρκιανὸν οἰκονόμον, τῆς τῶν Καθαρῶν ὄντα θρησκείας, εἰς τὴν ἐκκλησίαν μετελθόντα· ὃς ἅμα τῷ γενέσθαι οἰκονόμον, τὰ προσφερόμενα ἐν ἑκάστῃ ἐκκλησίᾳ, τοὺς τοῦ τόπου κληρικοὺς κομίζεσθαι διετύπωσεν, ἕως τούτου τῆς μεγάλης ἐκκλησίας πάντα κομιζομένης.

(b) Lib. II. c. IV. §. VI. volum. I. pag. 108. ſeqq.

(c) Conc. Antioch. c. XXV. Εἰ μεταβάλλοι τὰ πράγματα εἰς οἰκιακὰς αὐτοῦ χρείας καὶ τοὺς πόρους τῆς ἐκκλησίας, ἢ τοὺς τῶν ἀγρῶν καρποὺς, μὴ μετὰ γνώμης τῶν πρεσβυτέρων ἢ τῶν διακόνων, χειρίζοι, ἀλλ᾽ οἰκείοις αὐτοῦ, καὶ συγγενέσιν, ἢ ἀδελφοῖς, ἢ υἱοῖς, παράσχοιτο τὴν ἐξουσίαν, εἰς τὸ, διὰ τῶν τοιούτων λεληθότως βλάπτεσθαι τοὺς λόγους τῆς ἐκκλησίας· τοῦτον εὐθύνας παρέχειν τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας. Si res in proprios vſus conuertat, & eccleſiæ reditus, vel agrorum fructus non cum presbyterorum vel diaconorum ſententia adminiſtret, ſed ſuis cognatis, vel fratribus, vel filiis præbeat facultates, vt per hæc rationes eccleſiæ lædantur, *is det ſynodo prouinciæ rationem.*

(d) Can. Apoſtol. c. XXXIX. al. XL. Ἔστω φανερὰ τὰ ἴδια τοῦ ἐπισκόπου πράγματα (εἴγε καὶ ἴδια ἔχει) καὶ φανερὰ τὰ κυριακὰ, ἵνα ἐξουσίαν ἔχῃ τῶν ἰδίων τελευτῶν ὁ

magna ſynodus *Chalcedonenſis* [e] vnumquemque epiſcopum oeconomum habere iubebat, & hic communi totius cleri ſuffragio erat eligendus, vt alio loco [ee] adnotauimus.

§. III.

Regulæ circa redituum eccleſiaſticorum partitionem obſeruandæ.

Quod ad ipſam attinet diſtributionem, primis temporibus nullam certam regulam circa eam obſeruatam deprehendimus; ſed qui mos apoſtolorum ætate obtinuit, idem poſtea aliquamdiu durauit. Quidquid collectum fuerat, apud epiſcopum plerumque deponebatur, & prout quiſque indigebat, diſtribuebatur. Sequentibus autem temporibus res in certas quasdam redigebatur regulas, & tunc reditus in certas portiones menſtruas vel annuas diuidebantur, quemadmodum occaſio ferebat, & hæ ipſæ ad cuiuſque ordinis ſtatum & neceſſitatem adcommodabantur. In eccleſiis occidentalibus in tres quatuorue portiones vt plurimum reditus diſpeſci ſolebant; quarum vna epiſcopo, reliquis clericis alia, tertia pauperibus dabatur, quarta vero in ædificiorum conſeruationem alioſque neceſſarios eccleſiæ vſus impendebatur. Concilium *Bracarenſe* [f] tres tantum partes facit, epiſcopo vnam, aliam clericis, tertiam ædificiis & luminaribus eccleſiæ adſignans. Tunc vero epiſcopi hoſpitalitas de iſtiusmodi portione pauperibus res neceſſarias proſpectura credebatur. Secundum alias regulas pauperes, hoc eſt, adflicti quique, virgines & viduæ eccleſiaſticæ, vna cum martyribus & confeſſoribus in carcere detentis, infirmis ac peregrinis, quartam aliquam [g] diuidendæ portionis habebant par-

ἐπίσκοπος, οἷς βούλεται, καὶ ὡς βούλεται, καταλεῖψαι κ. τ. λ. Manifeſtæ ſint epiſcopi res propriæ, ſi quidem habet res proprias, & manifeſtæ res dominicæ: vt ſit in poteſtate morientis epiſcopi, propria quibus vult & vt vult relinquere, cætera.

(e) Conc. Chalced. c. XXV. (tom IV. p. 767) Τὴν μὲν τοι πρόσοδον τῆς χηρευούσης ἐκκλησίας σώαν φυλάττεσθαι παρὰ τῷ οἰκονόμῳ τῆς ἐκκλησίας. Viduæ eccleſiæ reditum apud eccleſiæ oeconomum ſaluum cuſtodire placuit.

(ee) Vid. lib. III. c. XII § IV. p. 70.

(f) Conc. Bracar. I. c. XXV. (Brac. II. c. VII. edit. Labb. tom. V. p. 840.) Placuit, vt de rebus eccleſiaſticis fiant *tres æquæ portiones*, id eſt vna epiſcopi, alia clericorum, tertia in reparatione vel in luminariis eccleſiæ.

(g) Gelaſ ep. I. al. IX. ad epiſcop. Lucaniæ c. XXVII (tom. IV. conc. p. 1195.) Quatuor tam de reditu, quam de oblatione fidelium ... conuenit fieri portiones,

tem,

tem, expressis verbis sibi attributam. Nam istis omnibus alimenta (etsi non plena sustentatio) ex ecclesiæ benignitate præbebantur. *Romæ* mille quingenti istiusmodi homines, præter clericos [*h*] hac ratione, viuente *Cornelio*, alebantur; & supra tria millia *Antiochiæ* [*i*] tempore *Chrysostomi*. Vnde reditus & eleemosynas harum populosarum ecclesiarum æstimare licuerit.

§. IV.

In nonnullis ecclesiis omnes clerici in commune viuebant.

In ecclesiis quibusdam istiusmodi diuisio non habebat locum, sed clericis cum episcopo omnia erant communia, vna quasi ipsis domus & vna mensa. Hoc autem non præcipiente generali quodam canone, sed libere & ex compacto atque communi voluntatum consensione in quibusdam particularibus ecclesiis factitabant. Quemadmodum SOZOMENVS [*k*] *Rinocururæ*

quarum sit; vna pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda.

Simplic. epist. III. ad Florent. (tom. IV. conc. p. 1069.) De reditibus ecclesiæ vel oblatione fidelium, quid deceat, nescienti, nihil licere permittat, sed sola ei ex his quarta portio remittatur. Duæ ecclesiasticis fabricis & erogationi peregrinorum & pauperum profuturæ, ab Onagro presbytero sub periculo sui ordinis ministrentur: vltima inter se clericis pro singulorum meritis diuidatur.

Gregor. Magn. lib. III. ep. XI. (tom. V. concil. p. 1143.) Cognouimus de reditibus ecclesiarum nouiter acquisitis, canonicam dispositionem quartarum minime conuenire, sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redituum, nunc vero quæsita suis vsibus retinere. Quam rem prauam subintroductamque consuetudinem fraternitas tua viuaciter emendare festinet, vt siue de præteritis reditibus, siue de iis quæ nunc obuenerunt, vel obuenerint, quartæ secundum distributionem canonicam dispensentur.

(*h*) Cornel. ep. ad Fab. ap. Euseb. lib. VI. c. XLIII. Ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει --- χήρας σὺν θλιβομένοις, ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας, οὓς πάντας ἡ τοῦ δεσπότου χάρις καὶ φιλανθρωπία διατρέφει. In qua (ecclesia Romana) sciebat, -- viduas cum infirmis & egentibus *plusquam mille & quingentas*; quibus vniuersis gratia & benignitas Dei alimenta suppeditat.

(*i*) Chrysostom. homil. LXVII. in Matth. (tom. I. p. 720. edit. Francof.) Ἐννόησον ὅσαις ἀπαρκεῖ καθ' ἑκάστην ἡμέραν χήραις, ὅσαις παρθένοις· καὶ γὰρ εἰς τὸν τῶν τρισχιλίων ἀριθμὸν ὁ κατάλογος αὐτῶν ἔφθασε. Cogita tecum, quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat (ecclesia Antiochena). *Iam* enim *numerus earum in catalogo adscriptus ad tria millia* peruenit.

(*k*) Sozom. lib. VI. c. XXXI. fin. Κοινὴ δὲ ἐστι τοῖς αὐτόθι κληρικοῖς οἴκησίς τε καὶ τράπεζα καὶ τ' ἄλλα πάντα. Est autem eius loci clericis communis domus, & mensa: reliqua denique *omnia communia*.

in *Aegypto* hunc morem fuisse, obseruat: Et POSSIDIVS [*l*] idem de AVGVSTINI ecclesia adfirmat. Quænam AVGVSTINO ipsiusque clericis consuetudo fuerit, ex AVGVSTINO [*m*] ipso omnium optime possumus intelligere, qui omnes clericos suos voluntarie huic se legi subiecisse narrat, vt omnia habere communia vellent, adeoque nulli in isthac societate licere aliquid habere proprium; si quis vero inuentus fuerit habens, eum se deleturum de tabula clericorum dicit: & hoc se facturum adseuerat, etiamsi interpellauerit contra se mille concilia, vel *Romam* contra se nauigauerit, Deo propitio futurum, vt vbi ipse sit episcopus, illic clericus esse non possit. Ipse se huius regulæ ita studiosum esse adfirmat, vt, si quis sibi vestem solita pretiosiorem offerat, vendere eam soleat, vt, quando non possit vestis esse communis [*n*], pretium vestis sit commune. Sed vero vti hæc viuendi ratio omnium ecclesiarum statui non conueniebat, ita pauci eam amplectebantur; & qui in eam se dabant, non vniuersali quadam lege sed tantum specialioribus statutis loci ad hoc ipsum compellebantur.

§. V.

Mutationes in his rebus factæ, quando ecclesiis parochialibus reditus constitui cœperunt.

Alterutra tamen ratione clericis communiter ex reditibus magnæ ecclesiæ prouisum fuit, vsque dum ecclesiis parochialibus certi reditus constitui cœperunt; id quod non in omnibus

(*l*) Possid. vit. Aug. c. XXV. Cum ipso semper clerici vna etiam domo, ac mensa sumtibusque communibus alebantur & vestiebantur.

(*m*) Aug serm. L. de diuersis siue de communi vita clericorum tom. X. p. 523. edit. Paris MDCXXXVII. (tom. X. p. 1405. edit. Basil. MDLXIX.) Quia placuit illis Deo propitio socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille concilia, nauiget contra me quo voluerit: sit certe vbi potuerit, adiuuabit me Deus, vt vbi ego episcopus sum, illic clericus esse non possit.

(*n*) Ibid. Modo dicturi sunt homines, quia inueni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei vel in illa sæculari professione mea. Non decet. Talem debeo habere, qualem possim, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem habere potest presbyter, qualem potest habere decenter diaconus & subdiaconus, talem volo accipere: quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere soleo: vt quando non potest vestis esse communis, pretium vestis sit commune.

locis

locis nec eodem tempore nec eodem modo factum: sed ortum suum habere videtur a priuatis ecclesiarum fundatoribus, qui clericis in ecclesiis, quas ædificarant, ministrantibus, habitationem cum prædiorum debita portione ad alendum eos distinctam expendebant, & hoc pacto iure patronatus muniebantur, vt clericos, quos vellent, denominare eisque ecclesiarum reditus, quibus eas dotarant, adsignare possent. Hæc consuetudo tempore *Iustiniani* ad annum quingentesimum, si non ante, introducta fuit. Exstant enim duæ ipsius leges, eam [o] approbantes & confirmantes. Circa eamdem tempestatem alimenta ex aliis reditibus, e. gr. ex oblationibus, in quibusdam locis etiam ecclesiis parochialibus constituta fuerunt, quemadmodum supra ex THEODORI LECTORIS narrationibus de ecclesiis *Constantinopolitanis* obseruauimus. Attamen mutatio ista multo post in *Anglia* nostra contigisse quibusdam [p] videtur. Ex BEDA enim [q] colligunt, quod vetusta ministrandi ratio, qua clerici tantum *pro tempore* in ecclesiis parochialibus sacris operati sint, alimenta sua ex ecclesia cathedrali accipientes, in *Anglia* plus quam centum annis post *Augustini* monachi aduentum in insulam, hoc est

(o) Iustin. nouel. LVII. c. II. *Εἴ τις οἰκοδομήσας ἐκκλησίαν, ἢ καὶ ἄλλως χορηγῶν τοῖς ἐν αὐτῇ λειτουργοῦσι σιτήσεις, βούλοιτο τινὰς κληρικοὺς ἐγκαθιστᾷν κ. τ. λ.* Si quis ædificans ecclesiam, aut etiam aliter expendens in ea ministrantibus alimenta voluerit aliquos clericos statuere, cætera.

Nouel. CXXIII. c. XVIII. *Εἴ τις εὐκτήριον οἶκον κατασκευάσει, καὶ βουληθείη ἐν αὐτῷ κληρικοὺς προβάλλεσθαι, ἢ αὐτὸς ἢ οἱ τούτου κληρονόμοι· εἰ τὰς δαπάνας αὐτοὶ τοῖς κληρικοῖς χορηγήσουσι καὶ ἀξίους ὀνομάσουσι, τοὺς ὀνομασθέντας χειροτονεῖσθαι.* Si quis oratorii domum fabricauerit & voluerit in ea clericos ordinare aut ipse, aut eius heredes: si expensas ipsis clericis ministrant, & dignos denominant, denominatos ordinari.

(p) *Cawdrey disc. of patronage* c. 2. p. 8. *Selden of tithes* c. 9. p. 255.

(q) Bed. hist. gentis Anglor. lib. IV. c. XXVII. A temporibus antiquis ibidem & episcopus cum clero, & abbas solebat manere cum monachis, qui tamen & ipsi ad curam episcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus eius loci episcopus fuit, cum monachis illuc & ipse monachus aduenions, monachicam in eo conuersationem instituit. Quomodo & prius beatus pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei reuerendissimo papa Gregorio, quod & supra posuimus. Sed quia tua fraternitas, inquit, monasterii regulis erudita seorsum fieri non debet a clericis suis in ecclesia Anglorum, quæ nuper auctore Deo, ad fidem perducta est, hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his, quæ possidebant, aliquod suum esse dicebat; sed erant eis omnia communia.

ad

ad annum circiter DCC. durauerit. Nam perspicue docet BEDA, quod eo tempore episcopus & eius clerici vna vixerint, habentes omnia communia, quemadmodum apostolorum ætate ecclesia primitiua habere consueuerit.

§. VI.

Reditus vel bona ecclesiastica non nisi extraordinaria vrgente necessitate alienanda.

Vnum superest, quod de hac materia obseruemus, nimirum, bona vel reditus semel ecclesiæ datos pro dicatis Deo semper habitos fuisse; adeoque cultui eius tantummodo impendi, nec in vllum alium vsum conuerti, debuisse, nisi quis extraordinarius caritatis casus simpliciter id exigeret. Si exempli caussa captiui redimendi, vel pauperes famis tempore iuuandi essent, nec aliunde eis suppeteret auxilium: tum ipsa sacra vasa & vtensilia ecclesiæ vendere moris erat, vt viuis Dei templis, quæ ædium materiatarum ornamentis anteponi debebant, consuleretur. Ita AMBROSIVS vasa mystica ecclesiæ *Mediolanensis* conflabat, vt captiuos redimeret, qui alias in captiuitate permanere debuissent. Quod quum *Ariani* in ipso tamquam crimen inuidiose reprehenderent, elegantissimam scribebat pro se apologiam, in qua inter alia lectu dignissima caussam suam ita defendit: *Nonne melius conflat sacerdos* [r] *pro alimonia pauperum, si alia subsidia desint, quam vt sacrilegus contaminet & asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame mori? Certe habebas aurum, vnde ministrasses alimoniam. Cur tot captiui deducti in commercium, nec redemti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, vt vasa viventium seruares, quam metallorum. His non potest responsum adferri. Quid enim dices? Timui, ne templo Dei ornatus deesset? Respondebit: Aurum sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum redemtio captiuorum est. Et vere illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas a morte.* Tali modo sanctus pater factum suum defensum ibat, quod *Arianis* sacrilegium, ipsi autem potius benignitas & misericordia, dicebatur; quapropter concludit, non esse dandum cuipiam vitio, si comminuat, conflet & vendat mystica ecclesiæ vasa, licet magnum crimen sit in priuatos vsus illa conuertere. Eumdem in modum AVGVSTI-

(r) Ambros. de offic. lib. II. c. XXVIII.

NVM

NVM [*s*] vaſa ſacra eccleſiæ ſuæ ad redimendos captiuos adhibuiſſe, legimus. Idem fecit, teſte SOCRATE [*t*], *Acacius* epiſcopus *Amidæ* ad redimendos e *Romanorum* militum manibus captiuos *Perſarum*, qui erant circiter ſeptem hominum millia. Vnde etiam hoc diſcimus, quod in eiuſmodi caſibus non conſiderauerint, quam quis religionem profiteretur, ſed tantum an inops & ærumnoſus ac opis indigus eſſet. Simile exemplum habemus in *Cyrillo Hieroſolymitano*, cuius apud THEODORVM [*u*] & SOZOME-

(*s*) Poſſid. vit. Aug. c. XXIV. De vaſis dominicis propter captiuos & quamplurimos indigentes, frangi & conflari iubebat & indigentibus diſpenſari.

(*t*) Socrat. lib VII c. XXI. Τότε δὴ καὶ Ἀκάκιον τὸν τῆς Ἀμίδης ἐπίσκοπον, πρᾶξις ἀγαθὴ περιφανέστερον πεποίηκε τοῖς πᾶσιν· ὡς γὰρ οἱ Ῥωμαίων στρατιῶται τοὺς αἰχμαλώτους Περσῶν, οὓς τὴν Ἀζαζηνὴν πορθήσαντες ἔλαβον, ἀποδοῦναι τῷ Περσῶν βασιλεῖ κατ᾽ οὐδένα τρόπον ἐβούλοντο, λιμῷ τε οἱ αἰχμάλωτοι ἐφθείροντο, περὶ τοὺς ἑπτακισχιλίους ὄντες τὸν ἀριθμόν· καὶ ταῦτα οὐ μικρῶς ἐλύπει τὸν βασιλέα τῶν Περσῶν· τότε ὁ Ἀκάκιος οὐ παρεῖδε ταῦτα γινόμενα συγκαλέσας δὲ τοὺς ὑφ᾽ αὑτῷ κληρικοὺς ἄνδρας, ἔφη· Ὁ Θεὸς ἡμῶν οὔτε δίσκων, οὔτε ποτηρίων χρῄζει οὔτε γὰρ ἐσθίει, οὔτε πίνει, ἐπεὶ μὴ προσδεής ἐστιν· ἐπεὶ τοίνυν πολλὰ κειμήλια χρυσᾶ τε καὶ ἀργυρᾶ ἡ ἐκκλησία ἐκ τῆς εὐγνωμοσύνης τῶν προσηκόντων αὐτῇ κέκτηται προσήκει ἐκ τούτων ῥύσασθαί τε τῶν στρατιωτῶν τοὺς αἰχμαλώτους, καὶ διατρέψαι αὐτούς Ταῦτα καὶ ἄλλα πλείονα τούτοις παραπλήσια διεξελθὼν, χωνεύει μὴν τὰ κειμήλια· τιμήματα δὲ τοῖς στρατιώταις ὑπὲρ τῶν αἰχμαλώτων καταβαλὼν, καὶ διατρέψας αὐτοὺς, εἶτα δοὺς ἐφόδια, τῷ οἰκείῳ ἀπέπεμψε βασιλεῖ. Eo tempore Acacius Amidenus epiſcopus, pio quodam opere perpetrato apud omnes multo magis inclaruit. Nam quum milites Romani captiuos Perſarum, quos ipſi Azazenam vaſtantes ceperant, regi Perſarum reſtituere prorſus abnuerent, atque interim captiui, qui erant circiter ſeptem hominum millia, fame conſumerentur: quæ res animum regis Perſarum vehementer angebat, Acacius eam rem haudquaquam negligendam putauit. Conuocatis igitur clericis, qui ſub ipſo erant: Deus, inquit, noſter nec lancibus indiget nec poculis. Nam neque comedit, neque bibit, quippe qui nulla re opus habet. Cum igitur multa vaſa, partim aurea, partim argentea poſſideat eccleſia ex beneuolentia ac liberalitate eorum, qui in ipſam adſcripti ſunt, conſentaneum eſt, vt illorum pretio captiuos a militibus redimamus, eisque cibos ſubminiſtremus. Cum hæc aliaque eiusmodi illis diſſeruiſſet, vaſa quidem ſacra conflari iuſſit: deinde pro ſingulis captiuis pretio militibus perſoluto, aliquamdiu eos aluit: tandemque viatico inſtructos ad regem Perſarum remiſit.

(*u*) Theod. lib. II, c. XXVII. Τὴν ἱερὰν στολὴν, ἣν ὁ πανεύφημος Κωνσταντῖνος ὁ βασιλεὺς, τὴν Ἱεροσολύμων ἐκκλησίαν γεραίρων, δεδώκει τῷ μακαρίῳ τῆς πόλεως ἐκείνης ἀρχιερεῖ, ἵνα ταύτην περιβαλλόμενος, τὴν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐπιτελῇ λειτουργίαν· ἐκ χρυσῶν δὲ αὕτη κατεσκεύαστο νημάτων· πεπρακέναι τὸν Κύριλλον ἔφη. κ. τ. λ. Sacram veſtem, quum Conſtantinus omni laude celebrandus, ad exornandam Hieroſolymorum eccleſiam Macario eius loci epiſcopo donauerat, vt ea indutus, diui-

nvm [*uu*] fit mentio, nec non in episcopo quodam *Carthaginensi*, nomine *Deogratias*, cuius caritatem pari occasione demonstratam prædicat victor vticensis [w]. Hic enim vasa sacra vendidit, vt milites *Romanos*, in bello cum *Vandalis* captos, redimeret. Hoc tantum abest, vt sacrilegium vel iniusta alienatio haberetur, vt leges aduersas sacrilegium latæ hunc casum exciperent, licet nullum præterea alium, quicumque demum esset. Sicut ex lege *Iustiniani* videre est, quæ ita [*x*] habet: *Sancimus, nemini licere sacratissima atque arcana vasa, vel vestes cæteraque donaria, quæ ad diuinam religionem necessaria sunt, ---- vel ad venditionem vel ad hypothecam vel ad pignus trahere, ----- EXCEPTA CAVSSA CAPTIVITATIS ET FAMIS in locis, quibus hoc contigerit. Nam si necessitas fuerit in redemtione captiuorum, tunc & venditionem præfatarum rerum diuinarum & hypothecam & pignorationes fieri concedimus; quoniam non absurdum est, animas hominum quibuscumque vasis vel vestimentis præferri.* Clericorum paupertas eiusdem generis casus miserabilis erat: idcirco si annui ecclesiæ reditus ad eos alendos non sufficerent, nec alia via res necessarias eis prospiciendi esset; tunc

ni baptismi ministerium perageret: ea vestis aureis filis contexta erat: Cyrillum vendidisse dixit (Acacius). cætera.

(*uu*) Sozom. lib. IV. c XXV. *Λιμῦ καταλαβόντος τὴν ἱεροσολύμων χώραν, ὡς εἰς ἐπίσκοπον ἔβλεπε τὸ τῶν δεομένων πλῆθος, τῆς ἀναγκαίας τροφῆς ἀπορούμενον· ἐπεὶ δὲ χρήματα ὐκ ἦν, οἷς ἐπικυρεῖν ἔδει, κειμήλια καὶ ἱερὰ παραπετάσματα ἀπέδοτο. κ. τ. λ.* Cum Hierosolymorum regionem fames occupasset, egentium multitudo necessariis alimentis destituta, ad (Cyrillum vtpote) episcopum oculos coniecit: cum autem pecuniæ deessent, quibus subueniri posset egentibus, Cyrillus thesauros ecclesiæ & sacra vela diuendidit. cætera.

(*w*) Victor. Vtic. de persecut. Vandal lib. I. bibliothec. patr. tom. VII. p. 591. (edit. Margarin. de la Bigne Par. MDLXXXIX. p. 1894.) Posthæc factum est supplicante Valentiniano Augusto, *Carthaginensi ecclesiæ* post longum silentium desolationis episcopum ordinari, nomine *Deogratias* - - - Illo episcopo constituto factum est peccatis vrgentibus, vt vrbem illam quondam nobilissimam atque famosam XV. regni sui anno Geisericus caperet Romam. Et simul exinde regum multorum diuitias cum populis captiuauit. Quo dum multitudo captiuitatis Africanum attingeret littus, diuidentibus Vandalis & Mauris ingentem populi quantitatem, vt moris est Barbaris, mariti ab vxoribus, liberi a parentibus separabantur. Statim satregit vir Deo plenus & clarus *vniuersa vasa ministerii aurea vel argentea distrahere* & libertatem de seruitute Barbarica liberare, & vt coniugalia foedera manerent & pignora genitoribus redderentur.

(*x*) Cod. Iustin. lib. I. tit. II. de sacrosanct. eccles. leg. XXI.

cano-

canones quidam [y] episcopo certa ecclesiæ bona alienandi siue vendendi copiam faciebant, vt hoc modo præsentissima vitæ subsidia illis compararentur.

§. VII.

Et id quidem communi episcopi eiusque clericorum consensu, metropolitano vel quibusdam episcopis prouincialibus approbantibus.

Ne qua vero fraus in vllo eiusmodi casu admitteretur, iidem canones speciatim præcipiebant, vt, si necessitas quædam episcopum ad hanc viam extraordinariam ineundam adigeret, clericos primum suos tum etiam metropolitanum aliosque comprouinciales episcopos consuleret, vt de rei necessitate iudicarent, & num idonea caussa sic agendi suppeteret. Concilium quartum *Carthaginense* [z], *Irrita erit*, inquit, *donatio episcoporum vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ absque conniuentia & subscriptione clericorum.* Et concilium quintum *Carthaginense* [a] ait: *Si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse primati prouinciæ ipsius, vt cum statuto numero episcoporum, vtrum faciendum sit, arbitretur.* Et concilium *Agathense* [b]: *Quod si necessitas certa compulerit, vt pro ecclesiæ necessitate aut vtilitate, vel in vsufructu vel in directa venditione aliquid distrahatur, apud duos tresue comprouinciales, vel vicinos episcopos caussa, qua necesse sit vendi, primitus comprobetur.* Talis erat legum ecclesiasticarum ratio, quamdiu episcopi eiusque clerici communi redituum ecclesiasticorum iure gaudebant. Nihil poterat alienari, nisi vtraque parte consentiente, & metropolitano ac episcoporum prouincialium synodo comprobante. Vt adeo summa diligentia præcautum atque prouisum fuerit, ne vel necessitatis vel caritatis obtentu bona & reditus ecclesiæ spoliarentur & deuastarentur.

(*y*) Conc. Carth. V. c. IV. (tom. II, p. 1216.) Placuit, vt rem ecclesiæ nemo vendat. Quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse primati prouinciæ ipsius, vt cum statuto numero episcoporum, vtrum faciendum sit, arbitretur. Concil. Agath. c. VII. (tom. IV. p. 1384.) vid. lit. (b) in textu.

(z) Conc. Carth. IV. c. XXXII. (tom. II. conc. p. 1202.)

(*a*) Conc. Carth. V. c. IV. vid. antec. not. (y).

(*b*) Conc. Agath. c. VII. (tom. IV. conc. p. 1384.)

LIBER SEXTVS

DE DIVERSIS LEGIBVS AC REGVLIS, QVAE AD MVNERA, VITAM ET CONVERSATIONEM VETERVM CLERICORVM ATTINENT.

CAPVT PRIMVM

DE HARVM REGVLARVM EXCELLENTIA GENERATIM, DEQVE RECTI EXEMPLI MORIBVS, QVOS AD EARVM PRAESCRIPTVM CLERICI CONFORMARVNT.

§. I.

Christianarum regularum excellentia testimoniis gentilium comprobata, ipsisque inuisa.

DVobus libris antecedentibus de magna ecclesiæ primitiuæ cura, quam in exhibendis educandisque ad sacrum ministerium idoneis hominibus adhibuit, deque præmiis, quæ magistratus ciuilis, tum ad eorum vitæ genus honorandum & ab aliis distinguendum, tum ad eos ad sedulitatem in diuersis suis officiis & functionibus excitandum, in ipsos contulit, exposuimus. Reliquum est, vt ostendamus, quantam ecclesia quoque curam habuerit in sanciendis necessariis legibus ac regulis, quæ vnumquodque corporis ecclesiastici membrum ad vitam munere suo dignam agendam & ad explenda functionis suæ officia obligarent. Ex his regulis multæ ipsa natura sua tam excellentes erant, & tam stricte ac sollicite ab illis, ad quos attinebant, obseruabantur, vt nonnulli ex præcipuis christianæ religionis aduersariis non possent, quin earum iniicerent mentionem, deque illis cum quadam inuidia & κακοζηλίᾳ testimonium dicerent. Inter opera IVLIANI celeberrimi epistola, ab ipso ad *Arsacium Galatiæ* sacerdotem scripta (SOZOMENO [a] etiam memorata), qua

(a) Sozom. lib. V. c. XVI. Οὐκ ἀποβλέπομεν, ὃ μάλιστα τὴν ἀθεότητα συνηύξησεν, ἡ

ip.i

ipſi narrat, perſpectum ſatis eſſe & exploratum, quid chriſtianorum religionem potiſſimum auxerit, humanitatem ſcilicet in peregrinos & in ſepeliendis mortuis ſollicitam diligentiam & ſimulatam morum grauitatem. Hinc mandat ei, vt tamquam ſummus in *Galatia* pontifex in id incumbat, vt omnes iſtius regionis ſacerdotes ſub ipſo conſtituti eadem exerceant. *Non ſufficit*, inquit, *quod tu vnus eiusmodi ſis: ſed quotquot in Galatia ſunt flamines, tales eſſe decet. Quos tu vel pudore adficiendo, vel perſuadendo, bonos redde, aut a ſacerdotali miniſterio remoue; ſi vna cum vxoribus vel liberis ac famulis ad deos non accedant: ſed aut ſeruos aut filios aut coniuges Galilæas ſuſtineant, qui & impii ſint erga deos & impietatem religioni præponant. Deinde ſingulos flamines hortare, vt nec ad theatrum accedant, nec in tabernis bibant, nec artem vllam aut opificium turpe ac probroſum exerceant. Et eos quidem, qui obtemperauerint, honore adfice: contumaces vero atque immorigeros expelle.* Hæc aperte & ingenue loquuntur, (tantoque magis notanda ſunt, vtpote ore aduerſarii cuiusdam prolata,) quod chriſtianorum clerici his temporibus ad nobiliſſimas regulas vitam compoſuerint, in muneribus ſuis ſedulitatem, in moribus grauitatem & modeſtiam, in indigentes liberalitatem, & in tota conuerſatione ac ratione agendi prudentiam ac circumſpectionem oſtendentes. Quod vt ad chriſtianiſmi in mundo propagationem & incrementum quam maxime ſpectabat: ita *Iulianus* temperare ſibi non poterat, quo minus iniquo ac liuido animo hoc intueretur, & flamines ſuos dæmonicolas eamdem ſibi famam acquirere cuperet; hoc modo inuidioſam chriſtianæ religionis exiſtimationem obſcuraturus, ſuæque ethnicæ, quam adamabat, ſuperſtitioni honorem ſplendoremque conciliaturus. Similia teſtimonia in

περὶ τοὺς ξένους φιλανθρωπία, καὶ ἡ περὶ τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθεια, καὶ ἡ πεπλασμένη σεμνότης κατὰ τὸν βίον· ὧν ἕκαστον οἴομαι χρῆναι παρ' ἡμῶν ἀληθῶς ἐπιτηδεύεσθαι· καὶ οὐκ ἀπόχρη τὸ σὲ μόνον εἶναι τοιοῦτον, ἀλλὰ πάντας ἁπαξαπλῶς, οἱ περὶ τὴν Γαλατίαν εἰσὶν ἱερεῖς· οὓς ἢ δυσώπησον, ἢ πεῖσον εἶναι σπουδαίους· ἢ τῆς ἱερατικῆς λειτουργίας ἀπόστησον, εἰ μὴ προσέρχονται μετὰ γυναικῶν καὶ παίδων καὶ θεραπόντων τοῖς θεοῖς, ἀλλὰ ἀνέχοιντο τῶν οἰκετῶν, ἢ υἱῶν, ἢ τῶν γαλιλαίων γαμετῶν ἀσεβούντων μὴν εἰς τοὺς θεοὺς ἀθεότητα δὲ θεοσεβείας προτιμώντων· ἔπειτα παραίνεσον ἱερέα, μήτε θεάτρῳ παραβάλλειν, μήτε ἐν καπηλείῳ πίνειν, ἢ τέχνης τινὸς καὶ ἐργασίας αἰσχρᾶς καὶ ἐπονειδίστου προΐστασθαι· καὶ τοὺς μὴν πειθομένους τίμα· τοὺς δὲ ἀπειθοῦντας ἐξώθει.

AMMIANO MARCELLINO [*b*] aliisque de christianorum antistitum istius temporis frugalitate, temperantia, modestia & humilitate habemus; quæ vtpote calamo scripta gentilium & eorum quidem, qui ne ipsis quidem imperatoribus nec episcopis *Romanis*, in maiori magnificentia rerumque copia vitam agentibus, pepercerunt, pro genuinis & fide dignis narrationibus de sanctis istis viris haberi possunt, quorum in vulgus nota probitas ab ipsis divinæ religionis hostibus nihil nisi veritatem extorquere potuit.

§. II.

Idea clericorum ex scriptoribus christianis.

Quæ quum ita sint, eo facilius istis panegyricis ac laudationibus credere potuerimus, quas vetusti quidam scriptores christiani in clericos eorumque virtutes ac disciplinam generatim habuerunt. ORIGENES [*c*] ait: *Hoc vnum quidam sibi desumserunt negotium, vt obambularent non tantum per oppida, sed vicos etiam & villas, vt alios quoque ad pietatem verumque Dei cultum pertraherent. Nec obiici potest, eos lucri caussa id facere, quando sæpe recusant accipere victui necessaria; & si forte hæc interdum coguntur præ inopia, præsenti tantum vsu contenti sunt, etiamsi non desit multorum vltronea liberalitas plura largiri cupientium.* AVGVSTINVS [*d*] æque bonam animo nostro de ætatis suæ episcopis ac presbyteris repræsentat imaginem, *Quam multos episcopos*, inquiens, *optimos viros, sanctissimosque cognoui, quam multos presbyteros, quam multos diaconos & huiusmodi ministros diuinorum sacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior & maiore prædicatione dignior videtur, quo difficilius est eam in mul-*

(*b*) Ammian. Marcel lib. XXVII (p 525 526. edit. Gronouii Lugd. MDCXCIII.) Qui esse poterant beati reuera, si magnitudine vrbis despecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem antistitum quorumdam prouincialium viuerent: quos *tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humum spectantia*, perpetuo numini verisque eius cultoribus vt puros commendant & verecundos.

(*c*) Orig. contr. Celsum lib. III. p. 116 edit. Cantabrig. MDCLXXVII. Τινὲς ἔργον πεποίηνται ἐκ περιέρχεσθαι ὀ μόνον πόλεις, ἀλλὰ καὶ κώμας, καὶ ἐπαύλεις· ἵνα καὶ ἄλλους εὐσεβεῖς τῷ Θεῷ κατασκευάσωσι· καὶ οὐκ ἂν πλούτου τις ἕνεκα φήσαι αὐτοὺς τοῦτο πράττειν, ἰδοὺ ὅτε μὲν οὐδὲ τὰ πρὸς τροφὴν λαμβάνονται· εἰ ποτε δὲ ἀναγκάζοιντο ὑπὸ τῆς ἀπορίας ταύτης, τῇ χρείᾳ μόνῃ ἀρκούμενοι, κἂν πλείους αὐτοῖς κοινωνεῖν ἐθέλωσι καὶ μεταδιδόναι τὰ ὑπὲρ τῆς χρείας.

(*d*) August. de moribus eccles. cath. c. XXXII. tom. I. p. 330. edit. Par. MDCXXXVII. (p. 772. edit. Basil. MDLXIX.)

tiplici

tiplici hominum genere & in ista vita turbulentiore seruare. Non enim sanatis magis quam sanandis hominibus præsunt. Perpetienda sunt vitia multitudinis vt curentur, & prius toleranda, quæ sedanda est pestilentia. Qui plura de hoc generali clericorum charactere videre gestit, is antiquos consulat apologetas, in quibus ea characteribus christianorum generatim intertexta deprehendet; quorum integritas & patientia, caritas & probitas vniuersa effectus erat partim institutionis partim melioris exempli ducum atque doctorum suorum, qui eodem modo viuebant, quo docebant esse viuendum, & ipsi primum in illa semita incedebant, quam calcandam aliis commonstrabant. Quæ res doctores christianos tanto magis supra gentilium philosophos euehebat. Nam philosophi de virtute quidem, quod ad theoriam, egregie & loquebantur & scribebant, nihil vero eorum, quæ dicebant, præstabant ipsi. Facundi erant, obseruante MINVCIO [*e*], aduersus sua vitia; quum contra philosophi christiani non habitu sapientiam sed mente præferrent. Non eloquebantur magna sed viuebant; atque ita gloriabantur, se consequutos, quod philosophi pagani summa intentione quæsiuissent nec inuenire potuissent. LACTANTIVS [*f*] ex eodem capite de gentilium philosophis triumphat: atque ita quoque GREGORIVS NAZIANZENVS [*g*], TERTVLLIANVS [*h*], CYPRIANVS [*i*] & alii complures; quorum argu-

(*e*) Minuc. Octau. p. 110. edit. Oxon. MDCLXXVIII. (p. 144. edit. Halens. MDCXCIX.) philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores & adulteros nouimus, & tyrannos, & semper aduersus sua vitia facundos. Nos non habitu sapientiam, sed mente præferimus; *non eloquimur magna, sed viuimus*: gloriamur nos consequutos, quod isti summa intentione quæsiuerunt, nec inuenire potuerunt.

(*f*) Lactant. lib. IV. c. XXIII. tot.

(*g*) Nazianz. inuect. I. in Iulian. (p. 95. 103. 107. 108. 109. edit. Par. MDCXXX.)

(*h*) Tertull. apolog. c. XLVI. tot.

(*i*) Cyprian. de bono patient. p. 210. (p. 222. edit. Par. MDCLXVI.) Hanc (patientiam) se sectari philosophi quoque profitentur, sed tam illic patientia falsa est, quam & falsa sapientia est. Vnde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei nouit? ---- Si sapiens ille est, qui est humilis & mitis; philosophos autem videmus nec humiles esse nec mites, sed sibi multum placentes - - - *Nos autem, qui philosophi non verbis sed factis sumus;* nec vestitu sapientiam, sed veritate præferimus; qui virtutum conscientiam magis quam iactantiam nouimus, qui non loquimur magna, sed viuimus, quasi serui & cultores Dei, patientiam, quam magisteriis cælesti bus discimus, obsequiis spiritualibus præbeamus, cætera.

menta

menta facile potuissent infringi, nisi christiani doctores generatim homines de meliore nota & istis flagitiis liberi fuissent, quibus aduersam partem insimulabant.

§. III.

Exceptiones quædam specialiores bonæ eorum existimationi, quam generatim habebant, non derogant.

Pauca quædam exempla hominum, qui his optimis temporibus officio suo christiano indignam plenamque publicæ offensionis vitam egerint, inueniri, inficias ire non possumus. Querelæ a viris bonis factæ, vt aliud nobis persuadeamus, haud permittunt. CYPRIANVS [*k*] & EVSEBIVS [*l*] quorumdam tum clericorum tum laicorum vitia deplorant, eaque caussis adnumerant, quæ diuinam prouidentiam ad immittendum ecclesiæ duas easque dirissimas probationes, persequutiones videlicet *Decianam* & *Diocletianam*, commouerint, vt hac ratione lolium a tritico expurgaretur & hæc flagitiorum ac fraudum atrocitas, cui ordinaria disciplinæ ecclesiasticæ remedia, quæ erat istorum temporum iniuria, mederi non poterant, emendaretur. Si-

(*k*) Cyprian de lapsis p. 124. (p. 169. 170. edit. citat) Dominus probari familiam suam voluit, & quia traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem & pene dixerim dormientem, censura cælestis erexit: cumque nos peccatis nostris amplius pati mereremur, clementissimus Dominus sic cuncta moderatus est, vt hoc omne, quod gestum est, exploratio potius quam persequutio videretur. Studebant augendo patrimonio singuli; & obliti quid credentes, aut sub apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabilis cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati post Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumueniendis fratribus subdolæ voluntates. Iungere cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi, non iurare tantum temere, sed adhuc etiam peierare: præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus inuicem dissidere: episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris & exemplo, diuina procuratione contemta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in ecclesia fratribus non subuenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fenus augere. cætera.

(*l*) Euseb. lib. VIII. c. I. p. 249. tot.

miles

mites querelas CHRYSOSTOMVS [m], GREGORIVS NAZIANZENVS [n], & HIERONYMVS [o] de quibusdam ætatis suæ clericis fecerunt, quorum viuendi ratio corrupta & munere suo indigna fuit. Et mirum sane esset, si non singula sæcula istiusmodi aliquot exempla morbidorum membrorum in tam vasto hominum corpore suppeditarent, siquidem inter ipsos apostolos *Iudas* quidam fuit. Sed tum considerandum est, quod paucæ istiusmodi exceptiones bonæ, quam veteres clerici generatim sibi acquisiuerunt, existimationi non derogent. Quid, quod ipsa horum hominum errata multis egregiis legibus & regulis de disciplina ecclesiastica, quas his temporibus synodi prouinciales statuerunt, dederunt occasionem: ex quibus sequentem

---

(m) Chrysost. hom. XXX. in Act. (tom. III. edit. Francof. p. 276.) *Δίδαξόν με διὰ τῦ βίυ τῦ σῦ· αὕτη ἡ διδασκαλία ἀρίστη· λέγεις ὅτι δεῖ μετριάζειν, καὶ μακρὸν ὑπὲρ τύτυ λόγον ἀποκτείνεις, καὶ ῥητορεύεις ῥέων ἀκωλύτως; ἀλλὰ σῦ βελτίων ἐκεῖνός, φησιν, ὁ δι' ἔργων τῦτο παιδεύων ἐμέ· ὐ γὰρ ὕτως εἴωθεν ἐντίθεσθαι τῇ ψυχῇ τὰ μαθήματα ἀπὸ ῥημάτων, ὡς ἀπὸ πραγμάτων· ἐπεὶ καὶ ἐὰν μὴ τὸ ἔργον ἔχῃς, ὐ μόνον ὐκ ὠφέλησας εἰπὼν, ἀλλὰ καὶ μειζόνως ἔβλαψας· βέλτιον σιγᾷν· διατί; ὅτι ἀδύνατόν μοι τὸ πρᾶγμα καθιστᾷς· ἐννοῶ γὰρ, ὅτε εἰ σὺ ὁ ταῦτα λέγων ὐ κατορθοῖς, πολλῷ μᾶλλον ἐγὼ συγγνώμης ἄξιος, λέγων μηδὲν· διὰ τῦτό φησιν ὁ προφήτης· τῷ δὲ ἁμαρτωλῷ εἶπεν ὁ Θεός· ἵνα τί συ ἐκδιηγῇ τὰ δικαιώματά μυ; μείζων γὰρ αὕτη ἡ βλάβη, ὅταν καλῶς διδάσκων τις διὰ ῥημάτων, διὰ τῶν ἔργων πολεμῇ τῇ διδασκαλίᾳ, τῦτο πολλῶν αἴτιον γέγονε κακῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις.* Doce me vita tua. Hæc doctrina optima est. Dicis, quod opus est modestia: & tu procul ab hoc sermone recedis & rhetoricaris, nullo prohibente verbis diffluens, sed te melior ille, inquit, qui operibus docet. Non enim sic insident animæ verba quam opera. Quoniam si non habueris opus bonum, non solum non poderis loquendo sed etiam plus nocebis, vtiliusque fuerit tacere. Quare? Quia opus mihi proponis, ac si impossibile foret. Cogito enim mecum: Si tu, qui tanta loqueris, non facis, multo magis ego venia dignus sum, nihil tale dicens: Idcirco inquit propheta: *Peccatori inquit Deus, vt quid tu enarras iustificationes meas?* Maius enim hoc damnum, quando bene quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat. *Hoc multorum in ecclesia malorum caussa est.*

(n) Nazianz. carm. Cygn. de episcopis (tom. II. p. 302 B.) Turpissimum erat, illorum me fidei cauponum in numero esse: quorum alii nepotes erant eorum, qui tributorum scribæ fuerant, & aliud nihil animo voluebant, quam falsas & subdolas rationum deprauationes: alii ab aratris venerant, adusti a sole: alii a ligone, vel bidente totum diem non quiescente: alii remos exercitutue reliquerant, redolentes adhuc sentinam, vel corpus fœdatum cicatricibus habentes, populi gubernatores ac militum. cætera.

(o) Hieron. epist. II. ad Nepotian, (tom. I. p. 9. tot. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

narrationem, quæ de vitis & laboribus veterum clericorum agit, summatim confeci.

§. IV.

Catalogus quorumdam veterum scriptorum, qui de officiis clericorum exposuerunt.

Hisce præstantissima veterum scripta iungere lector potest, quæ ex instituto hoc argumentum tractant: cuiusmodi sunt CHRYSOSTOMI *libri sex de sacerdotio*; HIERONYMI *epistola secunda ad Nepotianum, de vita clericorum*, & GREGORII NAZIANZENI *apologeticus*, in quo caussas exponit, ob quas in *Pontum* fugerit, posteaquam presbyter creatus fuisset; in quibus omnibus clericorum officia egregie depinguntur. Vel si quis ea viuis quibusdam exemplis & archetypis speciminibus perfectionis, quæ animo penitius quam nudæ regulæ insident, illustrata videre malit, is excellentes istas episcoporum, qui in primitiua ecclesia maxime eminuerunt, virtutes ab optimis illius ætatis scriptoribus ad viuum expressas consulat. Qualis, verbi gratia, est vita *Ignatii* a CHRYSOSTOMO; vita *Basilii* & *Athanasii* a GREGORIO NAZIANZENO; vita *Augustini* a POSSIDONIO; vita *Gregorii Thaumaturgi* & *Meletii* a GREGORIO NYSSENO scripta; in quibus omnibus genuina christianorum episcoporum idea & character in lucem expositus & cum hoc quidem fructu descriptus est, vt quis non nudas regulas legat, sed eas ipso vsu & exercitatione expressas videat. Præcipuæ ex istis orationibus in vtroque genere in linguam nostram *Anglicanam* aliorum [p] opera iam translatæ & longiores sunt, quam vt huiusmodi dissertationi, quæ diuersa ab istis vtitur methodo, inseri possint. Quocirca ex illis eas tantum obseruationes excerpemus, quæ publicis & vniuersalibus ecclesiæ legibus (quas sequentibus capitibus enarrabimus) consentiunt, cæteris curiosi lectoris diligentiæ & disquisitioni relictis.

(p) Vide Burneti *pastoral care* c. 4. Et Selleri *remarks in the lives of the primitive fathers.*

LIBRI

LIBRI SEXTI
CAPVT SECVNDVM
DE LEGIBVS AD VITAM ET CONVERSATIONEM PRISCORVM CLERICORVM RESPICIENTIBVS.

§. I.

Eximia puritas in clericis præ cæteris hominibus requiſita. Huius rei cauſſæ.

LEges eccleſiæ, quæ ad clericos ſpectant, diſtinctionis cauſſa ſub tribus capitibus conſiderabimus; loquuturi *primum* de iis legibus, quæ de eorum vita & conuerſatione præcipiunt. *Secundo* de iis, quæ ſpeciatim ad diuerſa functionis ſuæ officia explenda attinent. *Tertio*, de illis, quæ iſtis duabus prioribus inſtar ſepimenti & propugnaculi fuerunt. Leges, ad eorum vitam & conuerſationem directæ, huiusmodi erant, vt ad efficiendum in eis ſublimiores virtutes præ aliis hominibus tenderent; ſiquidem exempla & documenta illis eſſe debebant; quæ ſi bona, lucem & calcar, ſin autem mala, peſtem & venenum aliis in eccleſia datura erant. GREGORII NAZIANZENI [a] hæc eſt obſeruatio de diuerſis epiſcopis, quos tum in eccleſia videbat. *Illotis*, inquit, *manibus, vt dici ſolet, profaniſque animis in ſanctiſſima myſteria ſeſe inferunt; ac priusquam digni ſint, qui ad res ſacras accedant, ſacrarium ipſum ambiunt & circum ſacroſanctam menſam ſeſe inuicem premunt ac protrudunt, tamquam non virtutis exemplum ſed victus parandi occaſionem & ſubſidium hunc ordinem eſſe iudicantes, ac non munus reſerendis rationibus obnoxium, ſed imperium ab omni cenſura immune.* Et horum hominum prauis exemplis mores populi facillime corrumpi, teſtatur, quando [aa] poſt paullo ait: *Neque vel indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum aut ſuauem odorem*

(a) Naz. orat. I. apolog. de fuga (tom. I. p. 5.) Ἀνίπτοις χερσὶν, ὃ δὴ λέγεται, καὶ ἀμυνήτοις ψυχαῖς, τοῖς ἁγιωτάτοις ἑαυτοὺς ἐπεισάγουσι, καὶ πρὶν ἄξιοι γενέσθαι προσιέναι τοῖς ἱεροῖς, μεταποιοῦνται τοῦ βήματος. θλίβονταί τε καὶ ὠθοῦνται περὶ τὴν ἁγίαν τράπεζαν, ὥσπερ οὐκ ἀρετῆς τύπον ἀλλ' ἀφορμὴν βίου τὴν τάξιν ταύτην εἶναι νομίζοντες, οὐδὲ λειτουργίαν ὑπεύθυνον, ἀλλ' ἀρχὴν ἀνεξέταστον.

(aa) Ibid. p. 6. Οὐ γὰρ οὕτως οὔτε δευσοποιοῦ βαφῆς μεταλαμβάνει ῥᾳδίως ὕφασμα, οὔτε δυσωδίας ἢ τοῦ ἐναντίου τὸ πλησιάσαν, οὔτε νοσερά τις οὕτως εὐκόλως ἀναχεῖται εἰς τὸν ἀέρα, καὶ διὰ τοῦ ἀέρος ὁμιλεῖ τοῖς ζώοις ἀτμὶς (ὃ δὴ λοιμός ἐστι τε καὶ ὀνομάζεται,)

res admotæ ita facile contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facile in aërem diffunditur, ac per aërem animantia occupat (quod quidem peſtis & eſt & appellatur) quam ſubditi antiſtitis improbitate celerrime impleri ſolent, & quidem multo facilius quam virtute. In horum igitur oppoſitione hoc primum ab omnibus ſpiritualibus medicis ſpectari debere monet, vt omnis generis virtutes vita ſua depingant, & ſemetipſos plebi exempla præbeant; ne prouerbium de ſe audire cogantur, quod aliis mederi tentent, quum ipſi vlceribus ſcateant. Neque autem hanc virtutis imaginem leuiter & humili gradu pingere, ſed accurate & quam perfectiſſime exprimere eos oportere dicit; ſiquidem Deus nihil minus quam iſtiusmodi gradus & menſuras virtutum a populi ſui doctoribus & rectoribus exſpectet: & ſic ſpem eſſe, vt virtutum ſuarum præſtantia multitudinem ſaltem ad mediocre virtutis ſtudium trahant, & perſuaſionibus ad ea libere amplectendum adliciant, ad quæ firmiter & conſtanter facienda eos per vim numquam ſint compulſuri. Iſtiusmodi puritatis neceſſitatem porro vrget ex ipſius functionis ſanctitate & maieſtate, quia officium ſacerdotis in eumdem cum angelis ordinem ipſum collocet. *Cum angelis* [b], inquit, *ſtabit, cum archangelis glorificabit, ad ſupernum altare ſacrificia transmittet, cum Chriſto ſacerdotio fungetur, figmentum inſtaurabit, imaginem exhibebit, ſuperno mundo opificem aget; & vt, quod maius eſt, dicam, Deus erit aliosque deos efficiet.* CHRYSOSTOMVS [c] eodem argumento vtitur, *Sacerdotium*, inquiens, *in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemque referendum eſt. Atque id perquam merito: quippe non mortalis quiſquam, non ange-*

ὡς φιλεῖ τάχιστα τῆς τοῦ προεστῶτος κακίας ἀναπίμπλασθαι τὸ ὑπήκοον, καὶ πολλῷ γε ῥᾷον, ἢ τοῦ ἐναντίου, τῆς ἀρετῆς.

(b) Nazianz ibid. p. 31. Τίς ὁ πλάττων καθάπερ αὐθήμερον τοὺς πηλίνους, τὸν τῆς ἀληθείας προστάτην τὸν μετὰ ἀγγέλων στησόμενον, καὶ μετὰ ἀρχαγγέλων δοξάσοντα καὶ ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον ἀναπέμψοντα τὰς θυσίας, καὶ Χριστῷ συνιερεύσοντα, τὸν ἀναπλάσοντα τὸ πλάσμα, καὶ παραστήσοντα τὴν εἰκόνα, καὶ τῷ ἄνω κόσμῳ δημιουργήσοντα, καὶ, τὸ μεῖζον εἰπεῖν, θεὸν ἐσόμενον καὶ θεοποιήσοντα.

(c) Chryſoſtom. de ſacerdot. lib. III. c IV. Ἡ ἱερωσύνη τελεῖται μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, τάξιν δὲ ἐπουρανίων ἔχει πραγμάτων· καὶ μάλα γε εἰκότως· οὐ γὰρ ἄνθρωπος, οὐκ ἄγγελος, οὐκ ἀρχάγγελος, οὐκ ἄλλη τις κτιστὴ δύναμις· ἀλλ' αὐτὸς ὁ παράκλητος ταύτην διετάξατο τὴν ἀκολουθίαν, καὶ ἔτι μένοντας ἐν σαρκὶ τὴν τῶν ἀγγέλων ἔπεισε φαντάζεσθαι διακονίαν· διὸ χρὴ τὸν ἱερωμένον ὥσπερ ἐν αὐτοῖς ἑστῶτα τοῖς οὐρανοῖς μεταξὺ τῶν δυνάμεων ἐκείνων οὕτως εἶναι καθαρόν.

lus

lus, non archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse paraclettus ordinem huiusmodi disposuit: qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus auctor fuit, vt angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est, sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret. Praui etiam exempli periculum & efficacitatem ob oculos proponit [*d*]: *Quando sic naturæ comparatum esse videmus, vt subditorum multitudo magna quidem ex parte principum suorum mores tamquam imaginem spectent, seque ad illos formare studeant. Qui ergo fieri posit, vt illorum tumores & inflammationes sedet is, qui ipse tumescat? Quis vero plebeius vir concupiscat statim temperans moderatusque fieri, principem intuitus iracundum? Neque enim possunt episcoporum vitia dissimulari; sed vel parua atque exigua confestim manifesta fiunt. Quemadmodum ergo illorum officia rectique mores multis vsui sunt, accenduntque ad studii æmulationem eiusdem; ita & vitia ad virtutis cultum segniores reddunt præstantque, vt ceterorum animi ad bonorum operum labores capessendos torpescant: quamobrem sacerdotis animi pulchritudinem vndique splendescere oportet, vt oblectare pariter & illustrare posit eorum animos, qui suos in illum oculos coniiciunt. --- Episcopum conuenit & studio acri & perpetua vitæ continentia tamquam adamantinis armis circumseptum, quoquo versus circumspicere, ne cubi nudo quis aut neglecto loco deprehenso letale vulnus adferat. Circumsistunt enim ceteri parati vt vulnerent, ac si liceat, supplantent. Neque ii ex hostium atque aduersariorum numero; sed ex iis, qui se amicos esse adsimulant. Quamdiu sacerdotis vita pulcre partibus ex omnibus congruens concinnataque fuerit, nullæ illi aduersariorum insidiæ nocere possunt: qui simul vel tantillum officii recti prætermiserit, iam illum nihil anteacta*

(*d*) Ibid. lib. III. c. XIV. Πέφυκε γὰρ ὡς τὰ πολλὰ, τὸ τῶν ἀρχομένων πλῆθος, ὥσπερ εἰς ἀρχέτυπόν τινα εἰκόνα τοὺς τῶν ἀρχόντων τρόπους ὁρᾶν, καὶ πρὸς ἐκείνους ἐξομοιοῦν ἑαυτούς· πῶς οὖν ἄν τις τὰς ἐκείνων παύσειε φλεγμονὰς, οἰδαίνων αὐτός; τίς δ' ἂν ἐπιθυμήσειε ταχέως τῶν πολλῶν γενέσθαι μέτριος, τὸν ἄρχοντα ὀργίλον ὁρῶν; οὐ γάρ ἐστιν οὐκ ἔστι δυνατὸν, τὰ τῶν ἱερέων κρύπτεσθαι ἐλαττώματα· ἀλλὰ καὶ τὰ μικρὰ ταχέως κατάδηλα γίνεται ---- ὥσπερ οὖν αὐτῶν τὰ κατορθώματα πολλοὺς ὤνησε, πρὸς τὸν ἴσον παρακαλοῦντα ζῆλον· οὕτω καὶ τὰ πλημμελήματα ῥαθυμοτέρους κατέστησε περὶ τὴν τῆς ἀρετῆς ἐργασίαν· καὶ βλακεύειν πρὸς τοὺς ὑπὲρ τῶν σπουδαίων παρεσκεύασε πόνους· διὸ χρὴ πάντοθεν αὐτοῦ τῷ κάλλει ἀποστίλβειν τῆς ψυχῆς· ἵνα καὶ εὐφραίνειν ἅμα, καὶ φωτίζειν δύνηται τὰς τῶν ὁρώντων ψυχάς· ---- δεῖ τὸν ἱερέα καθάπερ τισὶν ἀδαμαντίνοις ὅπλοις πεφράχθαι πάντοθεν· τῇ τε συντόνῳ σπουδῇ, καὶ τῇ διηνεκεῖ περὶ τὸν βίον νήψει, πάντοθεν περισκοποῦντα, μή πού τις γυμνὸν εὑρὼν τό-

vitæ honestas adiuuat ad incusantium voculas effugiendas: quin immo leve illud commissum, reliquæ illius vitæ luminibus officit: ac certe sic sacerdoti omnes iudices esse volunt, vt carne nequaquam composito, vt humanam naturam non sortito, verum vt angelo, vi humanæ infirmitatis minime participi. Certe non potest (vt idem pater alio loco [e] monet) in officio perstringendi & reprehendendi aliorum vitia decenter & libere versari, nisi se talem præstiterit, vt a nemine reprehendi possit. Sacerdotis officium duriorem prouinciam quam ducis cuiusdam militum vel regis esse adfirmat. *Non nobis hæc res est*, inquit, [f] *de ducendis militibus aut de regno gubernando, sed de functione, quæ angelica virtute indiget. Etenim sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet: vt ne quando spiritus sanctus desolatum illum relinquat, vt dicere illi liceat: Viuo equidem non amplius ego, viuit autem in me Christus.* Pergit hinc & instituta vitæ clericalis & monasticæ ampla comparatione [g] ostendit, quam sit res multo difficilior, multorum hominum rebus mundanis implicitorum curam suscipere, quam vnius, qui in solitudine liber a tentationibus vitam agat. Denique totam materiam concludens [h] dicit, quod quemadmodum Deus maiorem sanctitatem in illis, qui altari seruiant, requirat, ita ampliorem accuratioremque rationem ab illis exacturus, eorumque offensas seuerius

---

ῥον καὶ παρημελημένον, πλήξη καιρίαν πληγήν· πάντες γὰρ πεπεστήκασι, τρῶσαι ἕτοιμοι καὶ καταβαλεῖν, ὀ τῶν ἐχθρῶν μόνον καὶ πολεμίων, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν πολλοὶ τῶν προσποιουμένων φιλίαν ---- ἕως μὲν γὰρ ἂν πανταχόθεν ἡρμοσμένος ᾖ καλῶς ὁ τοῦ ἱερέως βίος, ἀνάλωτος γίνεται ταῖς ἐπιβουλαῖς· ἂν δὲ τύχῃ μικρόν τι παριδὼν, οὐδὲν αὐτῷ τῶν λοιπῶν κατορθωμάτων ὄφελος, πρὸς τὸ δυνηθῆναι τὰ τῶν κατηγόρων στόματα διαφυγεῖν· ἀλλ' ἐπισκιάζει παντὶ τῷ λοιπῷ τὸ μικρὸν ἐκεῖνο παράπτωμα· καὶ οὐχ ὡς σάρκα περικειμένῳ, οὐδὲ ἀνθρωπείαν λαχόντι φύσιν· ἀλλ' ὡς ἀγγέλῳ, καὶ τῆς λοιπῆς ἀσθενείας ἀπηλλαγμένῳ.

(e) Chrysost. de sacerd. lib. V. c. III. Ὅτ' ἂν αὐτὸς ἀνεπίληπτος ἅπασι γίνηται, τότε δυνήσεται μεθ' ὅσης βούλεται ἐξουσίας καὶ κολάζειν καὶ ἀνιέναι τοὺς ὑπ' αὐτοῦ ταττομένους ἅπαντας. Quum talem se præstiterit, vt a nemine reprehendi possit, tum poterit, cum quanta voluerit libertate, subditorum suorum omnium delicta alias castigare, alias remittere.

(f) Chrysost. lib. VI. c. II. Οὐ γὰρ ὑπὲρ στρατηγίας, οὐδὲ βασιλείας ἡμῖν ὁ λόγος, ἀλλ' ὑπὲρ πράγματος ἀγγελικῆς ἀρετῆς δεομένου· καὶ γὰρ τῶν ἀκτίνων αὐτῶν καθαρωτέραν τῷ ἱερεῖ τὴν ψυχὴν εἶναι δεῖ· ἵνα μηδέποτε ἔρημον αὐτὸν καταλιμπάνῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἵνα δύνηται λέγειν, ζῶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός.

(g) Ibid. lib. VI. c. III. tot.

(h) Ibid. lib. VI. c. X. XI. tot.

puni-

puniturus sit. Hisce aliisque similibus exemplis pluribus sanctus iste pater tum in semetipso tum in aliis verum vniuersalis istius puritatis, quæ sacram functionem deceat, sensum excitare adlaborat.

§. II.

Censuræ ecclesiasticæ in ipsos quam vllos alios seueriores.

Et horum argumentorum ponderi ecclesia sanctionum suarum auctoritatem addebat; in delinquentes clericos seueriores, quam in vllos alios, pœnas statuens. Quum enim cæteris maleficis & sceleratis hominibus ordinis sui priuilegia publicæ pœnitentiæ beneficio repetere liceret; hanc gratiam ecclesia illis filiis suis inter clericos, qui facinus aliquod plenum publicæ offensionis & munere suo indignum admiserant, denegabat. Istiusmodi enim facinorosi vt plurimum munere suo exui, nonnumquam etiam a sacrorum vsu & christianorum conuentu arceri, & ad pœnitentiam agendam inter laicos obligari solebant; hoc autem cum discrimine, vt, licet pœnitentia in pacem ecclesiæ eos restitueret, non tamen dignos efficeret, qui in pristino officio ac statione denuo ministrarent; sed satis habebant, si ex eo tempore laicorum more sacris interesse possent. Nonnulli quidem canones ad publicam pœnitentiam in ecclesia agendam eos non obligabant, quia deiectio de gradu satis pœnæ esse credebatur: Alii ab ipsis requirunt, vt & huic disciplinæ parti sese subiiciant. Adhuc tamen vtrorumque vnus idemque effectus erat, vt isti homines postea semper laicis adnumerarentur. *Canones* sic dicti *apostolici* interdum priore incedunt via. Illorum enim quidam [i] dicit: *Episcopus vel presbyter, vel diaconus, fornicationis vel periurii, vel furti conuictus, deponatur & non segregetur. Dicit enim scriptura: Non vindicabis bis in id ipsum.* Nolumus heic disquirere, an cubi talis scriptura exstet, ad quam hi canones remittunt, sed obseruamus tantum, quæ fuerit ecclesiæ *græcæ* consuetudo, quum hi canones conderentur; cuius etiam in BASILII [k]

(i) Can. apost. XXV. Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἐπὶ πορνείᾳ, ἢ ἐπιορκίᾳ, ἢ κλοπῇ ἁλοὺς, καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω· λέγει γὰρ ἡ γραφή, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό.

(k) Basil. epist. canon. c. III. (tom. II. conc. p. 1720.) Διάκονος μετὰ τὴν διακονίαν πορνεύσας, ἀπόβλητος μὲν τῆς διακονίας ἔσται· εἰς δὲ τὸν τῶν λαϊκῶν ἀπωσθεὶς το-

& PETRI ALEXANDRINI [l] & aliorum quorumdam canonibus fit mentio, quod ipsum, hanc vsitatam in ecclesiis ipsorum praxin fuisse, ostendit. *Simoniae* [m] tamen aliisque quibusdam criminibus [n] obnoxios iidem *canones apostolici* & a munere moueri & ab ec-

---

πον, τῆς κοινωνίας οὐκ εἰρχθήσεται. Diaconus post diaconatum fornicatus, a diaconatu quidem eiicitur: in laicorum autem locum extensus a communione non arcebitur. Ibid. c. XXXII. Οἱ τὴν πρὸς θάνατον ἁμαρτίαν ἁμαρτάνοντες κληρικοὶ, τοῦ βαθμοῦ μὲν κατάγονται, τῆς κοινωνίας δὲ τῶν λαϊκῶν οὐκ ἐξείργονται, οὐ γὰρ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό. Qui peccatum ad mortem peccant clerici, de gradu quidem deiiciuntur, a laicorum autem communione non arcentur. *Non enim vindicabis bis in id ipsum.* Ibid. c. LI. Τὸ κατὰ κληρικοὺς ἀδιαφορίστως οἱ κανόνες ἐξέθεντο, κελεύσαντες μίαν ἐπὶ τοῖς παραπεσοῦσι ὁρίζεσθαι τιμωρίαν, τὴν ἔκπτωσιν τῆς ὑπηρεσίας, εἴτε ἐν βαθμῷ τυγχάνοιεν, εἴτε καὶ ἀχειροτονήτῳ ὑπηρεσίᾳ προσκαρτεροῖεν. Quod ad clericos spectat, canones indefinite ediderunt: vnam in eos, qui lapsi sint, pœnam decerni iubentes, a ministerio scilicet motionem, siue sint in gradu, siue etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur, perseuerent.

(*l*) Pet. Alex. epist. can. c. X. (ap. Beuereg. pand. tom. II. p. 15.) Οὐκ ἔστιν εὔλογον οὐδὲ τοὺς ἀπὸ κλήρου αὐτομολήσαντας ἐκπεπτωκότας τε καὶ ἀναπαλαίσαντας, ἔτι ἐν τῇ λειτουργίᾳ εἶναι, κ. τ. λ. Non est æquum, vt vel clerici, qui sua sponte aufugerunt, lapsi autem & reluctati sunt, amplius in sacro ministerio maneant. Ibid. ἀρκεῖ αὐτοῖς ἡ κοινωνία μετ᾽ ἐπιστάσεως καὶ ἀκριβείας πρὸς ἀμφότερον γινομένης, καὶ ἵνα μὴ δόξωσι λυπεῖσθαι μετὰ βίας περιδρασσόμενοι τῆς ἐντεῦθεν ἀναλύσεως, καὶ ἵνα μή τινες ἐκπεσόντες, προσφασίζωνται ὡς διὰ τὴν ἀφορμὴν τῆς ἐπιτιμίας ὑποκεχαλευμένοι. Eis sufficit communio, quæ diligenter & accurate fit duabus de caussis, tum ne videantur molestia adfici, hinc dissolutionem vi arripientes: tum ne lapsi aliqui caussentur, se propter pœnæ occasionem fuisse remissos.

(*m*) Can. apost. c. XXVIII. Εἴ τις ἐπίσκοπος διὰ χρημάτων τῆς ἀξίας ταύτης ἐγκρατὴς γένηται, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καθαιρείσθω καὶ αὐτὸς, καὶ ὁ χειροτονήσας, καὶ ἐκκοπτέσθω τῆς κοινωνίας παντάπασιν, ὡς Σίμων ὁ μάγος ὑπ᾽ ἐμοῦ Πέτρου. Si quis episcopus per pecunias hanc sit dignitatem adsequutus, vel presbyter, vel diaconus, deponatur & ipse & qui eum ordinauit, & a communione omnino excindatur, vt Simon magus a me Petro.

(*n*) Ibid. c. XXIX. Εἴ τις ἐπίσκοπος κοσμικοῖς ἄρχουσι χρησάμενος, δι᾽ αὐτῶν ἐγκρατὴς γένηται ἐκκλησίας, καθαιρείσθω καὶ ἀφοριζέσθω, καὶ οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ πάντες. Si quis episcopus sæcularibus principibus vsus, per eos ecclesiam adeptus sit, deponatur & segregetur, & omnes qui illi communicant. Ibid. c. L. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, γάμων, καὶ κρεῶν, καὶ οἴνου, οὐ δι᾽ ἄσκησιν ἀλλὰ διὰ βδελυρίαν ἀπέχεται, ἐπιλαθόμενος, ὅτι πάντα καλὰ λίαν, καὶ ὅτι ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ βλασφημῶν διαβάλλει τὴν δημιουργίαν, ἢ διορθούσθω, ἢ καθαιρείσθω καὶ τῆς ἐκκλησίας ἀποβαλλέσθω· ὡσαύτως καὶ λαϊκός. Si quis episcopus, presbyter vel diaconus, vel omnino ex sacerdotali numero, a nuptiis, carnibus & vino, non propter exercitationem, sed propter abominationem abstinet, oblitus, quod

clesiæ

clesiæ communione segregari iubent. Et in ecclesia *Africana* vtraque pœna propter vnum idemque flagitium tempore CYPRIANI inflicta fuit, vti ex epistola eius [o] ad *Cornelium* constat, vbi loquens de *Nouato*, qui cædis erat reus, quia pedibus vterum vxoris percutiendo abortionem ei importarat, *Propter hoc*, inquit, *se non de presbyterio excitari tantum, sed & communicatione prohiberi, pro certo tenebat.* Vnde colligere potuerimus, quantam seueritatem antiqui canones aduersus istiusmodi crimina clericorum, quæ cum graui ecclesiæ offensione fiebant, generatim adhiberi iusserint.

§. III.

Quænam crimina deiectione de honoris gradu punita fuerint, nimirum furtum, homicidium, periurium, fraus, sacrilegium, fornicatio & adulterium.

Hinc quoque speciatim obseruare licebit, quænam criminum genera deiectione de gradu clericali digna habita fuerint, nimirum, *furtum, homicidium, periurium, fraus, sacrilegium, fornicatio* & *adulterium*, & istiusmodi magna flagitia, in hominum offensionem incurrentia, alia. Hoc enim in casu inter *peccatum* & *crimen* distinguebant. Nam AVGVSTINVS [p] non quæuis peccata ordinationem hominum initio impediuisse, obseruat. *Apostolus Paulus*, inquit, *quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diaconos, & quicumque ordinandus est ad præposituram ecclesiæ, non ait, si quis sine PECCATO est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur; sed ait, si quis sine CRIMINE est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium & cætera huiusmodi.* Et hæc erat regula, quam ecclesia in examinanda clericorum suorum vita post ordinationem, vbi reuera in eius ministerium adsciti erant, obseruabat. Non in quodcumque leuius erratum officii abrogatione animaduertebatur, sed tantum in grauiora crimina, cuiusmodi erant furtum, homicidium, fraus, periurium, sacrilegium, fornicatio & adulterium. Quo-

omnia valde bona, & quod masculinum & femininum fecit Deus hominem: sed blasphemans calumniatur opificium; vel corrigatur, vel deponatur, & ex ecclesia eiiciatur. Similiter & laicus.

(o) Cyprian. epist. XLIX. al. LII. p. 97. (p. 64. edit. Paris. MDCLXVI.)

(p) Augustin. tract. XLI. in Ioann, tom. IX. p. 126. edit. Paris. MDCXXXVII. (p. 308. edit. Basil. MDLXIX.)

rum de vltimo hæc duo porro in quibusdam antiquis canonibus obſeruanda ſunt: *Primo* quidem, quod ſi cuius clerici vxor adulterii conuicta eſſet, ipſe animi ſui dolorem de iſthoc facto eiusque deteſtationem, adulteram dimittendo, declarare debuerit, idque ſub pœna exaugurationis, ſi conſuetudinem cum ea continuaret. Nam concilium *Neo-Cæſareenſe* [q] ita decreuit: *Si alicuius vxor, quum eſſet laicus, adulterata fuiſſe conuicta fuerit, is non poteſt ad miniſterium accedere. Sin autem etiam poſt ordinationem adulterata fuerit, debet eam dimittere. Quod ſi cohabitet, non poteſt ſibi commiſſum miniſterium exſequi.* Concilium *Illiberritanum* [r] adhuc ſeuerius hac in re iudicat, *Si cuius clerici vxor,* inquiens, *fuerit moechata, & ſcierit eam maritus ſuus moechari, & eam non ſtatim proiecerit, NEC IN FINE ACCIPIAT COMMVNIONEM: ne ab his, qui exemplum bonæ conuerſationis eſſe debent, videantur magiſteria ſcelerum procedere. Secundo* obſeruandum eſt, quod, ſi quis epiſcopus pœnam eccleſiaſticam clericorum ſuorum cuipiam, qui fornicationis conuictus eſſet, infligere negligeret, ſeipſum abrogationi muneris obnoxium reddiderit: Quemadmodum SOCRATES [ſ] de ipſis *Arianis* memoriæ prodidit, quod *Macedonium* epiſcopum *Conſtantinopolitanum* de munere deiecerint, quod inter alia diaconum in fornicatione deprehenſum ad communionem admiſiſſet.

§. IV.

Lapſus etiam perſequutionis tempore.

Aliud crimen, quod multos clericos huic cenſuræ eccleſiaſticæ ſubiecit, erat *lapſus* ſeu fidei deſertio tempore perſequutionis. Quo in caſu pœnitentiæ beneficio in gratiam eccleſiæ recipiebantur tamquam laici, ſi placerent, ſed tamquam clerici non amplius miniſtrare vel myſteria participare poterant. Ita

(q) Conc. Neo-Cæſar. c. VIII. (tom. I. concil p. 1481.) Γυνή τινος μοιχευθεῖσα λαϊκοῦ ὄντος, ἐὰν ἐλεγχθῇ φανερῶς, ὁ τοιοῦτος εἰς ὑπηρεσίαν ἐλθεῖν οὐ δύναται. Ἐὰν δὲ καὶ μετὰ τὴν χειροτονίαν μοιχευθῇ, ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν· ἐὰν δὲ συζῇ, οὐ δύναται ἔχεσθαι τῆς ἐγχειρισθείσης αὐτῷ ὑπηρεσίας.

(r) Conc. Illiberrit. c. LXV (ibid p. 977)

(ſ) Socrat. lib II. c. XLII. καθαιροῦσι πρῶτον μὲν Μακεδόνιον, καὶ ὡς αἴτιον πολλῶν φόνων γενόμενον, καὶ ὅτι διάκονον ἐπὶ πορνείᾳ ἁλόντα ἐδέξατο εἰς κοινωνίαν. Primum quidem deponunt Macedonium; tum quod plurimarum cædium auctor fuiſſet, tum *quod diaconum in fornicatione deprehenſum ad communionem admiſerat.*

Trophi-

Trophimus tempore *Cornelii* & *Cypriani* tractatus fuit. Admittebatur [t] ad communionem ecclesiæ vt laicus, at in pristinum sacerdotii locum non restituebatur. Et hanc regulam *Romæ* & in toto mundo obseruatam fuisse, CYPRIANVS [u] adfirmat, vt, si episcopi vel alii quicumque tempore persequutionis lapsi essent, ad pœnitentiam in ecclesiam agendam admitterentur, ab omni autem functione clericali & sacerdotali honore exclusi vitam transigerent. Quemadmodum synodus *Africana*, cuius nomine ecclesiis *Hispanicis* scribebat, de *Basilide* & *Martiali*, duobus episcopis *Hispaniæ*, decreuerat, qui quum lapsi essent, pœnitentiæ beneficio episcopatus suos retinere conabantur: sed hoc ab ecclesiæ vniuersalis regula & consuetudine abire monebat CYPRIANVS. Hoc in diuersis aliis epistolis [w] repetit, vbi de hominibus, in eadem cum illis misera conditione constitutis, loquitur. Eamdem regulam in PETRI [x] episcopi *Alexandrini* & primi concilii *Arelatensis* [y] canonibus reperimus, in quibus non tantum, qui

(t) Cyprian. epist. LII. al. LV. ad Antonian. p. 106. (p. 69. edit. Par. MDCLXVI.) *Sic tamen admissus est Trophimus, vt laicus communicet*, non secundum quod ad te malignorum litteræ pertulerunt, quasi locum sacerdotis vsurpet.

(u) Cyprian. ep. LXVIII. al. LXVII. ad pleb. Hispan. p. 174. (p. 114. edit. cit.) Frustra tales episcopatum sibi vsurpare conantur, quum manifestum sit, eiusmodi homines nec ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere. Maxime quum iam pridem nobiscum & cum omnibus episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, sacerdos pacificus & iustus, & martyrii quoque dignatione domini honoratus decreuerit, eiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti; ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.

(w) Cyprian. ep. LV. al. LIX. ad Cornel. p. 133. (p. 82. edit. citat.) Hi quinque cum paucis vel *sacrificatis*, vel male sibi conscii, Fortunatum sibi pseudoëpiscopum cooptarunt, vt criminibus in vnum conuenientibus talis scilicet esse rector, quales illi, qui reguntur.
Id. epist. LXIV. al. LXV. ad Epictet. Grauiter & dolenter motus sum, quod cognouerim, Fortunatum quemdam apud vos episcopum, post grauem lapsum ruinæ suæ, pro integro nunc agere velle, & episcopatum sibi vindicare cœpisse; quæ res contristauit me. cætera.

(x) Petr. Alex. can. X. (apud Beuereg. tom. II. p. 15.) *ὅτε δὲ ἔπταισαν ὡς ἂν περιπερευσάμενοι καὶ ἑαυτοὺς μωμησάμενοι, οὐκ ἔτι δύνανται λειτουργεῖν.* Quando lapsi sunt, vt qui perperam se gesserunt & se ipsos vituperauerunt, non possunt amplius sacra ministeria obire.

(y) Conc. Arelat. I. c. XIII. (tom. I. p. 1428.) De his, qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, vt

ſacrificarant vel fidem aperte negarant, ſed etiam quicumque ſcripturas ſanctas vel ſacra eccleſiæ vaſa, vel fratrum ſuorum nomina perſecutoribus tradiderant, lapſorum numero adſcribuntur; & omnes iſtiusmodi, ſi de clericis eſſent, in perpetuum ab exercitio & beneficio ordinis ac functionis ſuæ prohibebantur. Hæc veteris eccleſiæ diſciplina erat iſtorum antiſtitum intuitu, qui defectione ſua tempore perſequutionis populo ſuo malum exemplum præbuerant. Non conſultum videbatur, ipſis permitti, vt in poſterum antiſtites & duces populi agerent. Quamquam non negauerim, obuias forte eſſe quasdam vniuerſalis huius regulæ exceptiones, quando vel diſciplina eccleſiæ non adeo rigida, vel alias creditum fuit, in maiorem eccleſiæ vtilitatem ceſſurum, ſi lapſi honoribus ſuis reſtituerentur, quam ſi de gradu ſuo deiecti penitus excluderentur. Supra enim adnotaui, quod lapſi, hæretici & ſchiſmatici nonnumquam blandius atque amantius tractati fuerint, vbi eccleſia ſingularem in eos gratiam conferre, e re ſua futurum iudicauit.

§. V.

Et ebrietas atque alea.

Sed progredimur ad leges eccleſiæ, quæ de aliis præcipiunt criminibus. Quemadmodum vita clerici perpetuum altaris miniſterium erat, & ipſe animum in iugi diuinarum ac cæleſtium rerum exercitio occupatum habere debebat; ita ob hanc ipſam rationem ſumma in eo requirebatur ſobrietas, iuxta ac diligentiſſima cura tempus ſuum bene diſtribuendi vtiliterque collocandi; quomodo videlicet vocationis ſuæ fini & ſpiritualibus negotiis, in quibus cotidie verſabatur, optime conueniret. Quam ob cauſſam ebrietatem & aleam, duo illa vitia temporis nimium quantum prodiga & præclaris quibusuis conatibus ac ingenuo publicæ vtilitati inſeruiendi ſtudio inimica vitare clerici, ſub pœna abrogationis officii, iubebantur. Ita enim *canones apoſtolici* [z] decernunt: *Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus aleis & ebrietatibus vacans, vel ceſſet, vel deponatur.* Vbi hanc differenti-

quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine cleri amoueatur.

(z) Can. apoſt. c. XLI. Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κύβοις σχολάζων, καὶ μέθαις, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω.

am inter hanc legem & priores iſtas obſeruare licet, quod non propter ſingularem horum criminum actum dignitatis abrogationem fieri iubeant, ſed tantum ſi quis ea ſine emendatione continuet. Et lege quadam *Iuſtinianea* [a] illi, qui ad tabulas luſiſſe deprehenſi fuerint, non de gradu deiici, ſed tribus tantum annis a miniſterio prohiberi & in monaſterium ad agendam pœnitentiam intrudi iubentur. Fuerint forte, qui harum legum ſeueritatem mirabuntur, quod ad tabulas ludere ſub iſtiusmodi pœnæ denuntiatione interdixerint: ſed deſinent mirari, ſi eumdem luſum laicis quoque ſub pœna ſegregationis a communione eccleſiæ interdictum fuiſſe, audierint. Concilium enim *Illiberritanum* [b] chriſtianum quempiam, qui alea, id eſt, tabula luſerit, non niſi poſt vnius anni pœnitentiam & ſi emendatus ceſſaſſet, ad ſacram communionem admitti iubet. Et ſane idoneam cauſſam hiſce temporibus talem ſanciendi legem habuit eccleſia, quia iſte luſus tum veteri tum noua lege ciuili [c] inter *Roma-*

(a) Iuſtin. nouell. CXXIII. c. X. *Ἀπαγορεύομεν τοῖς ὁσιωτάτοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις καὶ ὑποδιακόνοις καὶ ἀναγνώσταις, καὶ παντὶ ἄλλῳ οἱουδήποτε εὐαγοῦς τάγματος ἢ σχήματος καθεστῶτι, ταβλίζειν, ἢ τῶν τὰ τοιαῦτα παιζόντων κοινωνοὺς ἢ θεωρητὰς γίνεσθαι, ἢ εἰς οἱανδήποτε θέαν τοῦ θεωρῆσαι χάριν παραγίνεσθαι· εἰ δέ τις ἐξ αὐτῶν τοῦτο ἁμάρτοι, κελεύομεν τοῦτον ἐπὶ τρεῖς ἐνιαυτοὺς ἀπὸ πάσης εὐαγοῦς ὑπηρεσίας κωλύεσθαι καὶ μοναστηρίῳ ἐμβάλλεσθαι.* *Interdicimus* ſanctiſſimis epiſcopis, presbyteris & diaconis, & ſubdiaconis, lectoribus & omnibus aliis cuiuslibet venerandi collegii aut ſchematis conſtitutis, *ad tabulas ludere*, aut aliis ludentibus participes ac inſpectatores fieri, aut ad quodlibet ſpectaculorum ſpectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, *iubemus hunc in tribus annis a venerabili miniſterio prohiberi & in monaſterium redigi.*

(b) Concil. Illiberr. c. LXXIX. Si quis fidelis *alea*, id eſt, tabula luſerit, *placuit eum abſtinere.* Et ſi emendatus ceſſauerit, poterit poſt annum communione reconciliari.

(c) Digeſt. lib. XI. tit. V. de aleator. Prætor ait: Si quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur, verberauerit, damnumue ei dederit, ſiue quid eo tempore domo eius ſubtractum fuerit, iudicium non dabo. Item: Senatusconſultum vetuit in pecuniam ludere.
It. Cod. Iuſtin. lib III. tit. XLIII. de aleator. Alearum vſus antiqua res eſt, & extra operas pugnatorias (conceſſa,) verum pro tempore abiit in lacrimas, multa millia extranearum nationum ſuſcipiens. Quidam enim (nec) ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione tantum proprias ſubſtantias perdiderunt, die noctuque ludendo, argento, apparatu lapidum, & auro. Conſequenter autem ex hac inordinatione blaſphemare (Deum) conantur, & inſtrumenta conficiunt. Commodis igitur ſubiectorum proſpicientes hac generali lege decernimus, vt

nos & multas alias nationes prohibitus erat, qua de re lector plura videre potest apud TAYLORIVM [*d*], eruditum episcopum nostratem, vna cum rationibus istius prohibitionis, quæ sunt mala illa, quæ ex hoc genere lusus consequi plerumque solent, nimirum contumeliosa in res diuinas dicta, iurandi cacoëthes, iracundia, mendacia, imprecationes, auaritia, fraus, iurgia, omnis generis intemperantia, dispendia temporis & multarum familiarum ruinæ; ob quas aberrationes inde oriundas pro re ignominiosa & publicæ plena offensionis inter omnes nationes habitus fuit. Quod igitur omnium populorum legibus vniuerse eo tempore prohibitum erat, ecclesia decori ac honesti studiosa non poterat non per suas itidem leges laicis & multo magis clericis interdicere, vt offendiculis anteuerteret & obiectationibus, quæ aduersus ipsam alioqui non iniuste fieri poterant, iret obuiam. Non ac si res ista in se & simpliciter esset illicita, si quis eam innocuæ recreationis ergo adhiberet; sed multa mala, quæ eius exercitium plerumque comitantur, effecerunt, vt in aliorum offensionem occurreret, adeoque inutilis haberetur. Temporis etiam hac ratione facta consumtio naturam rei mutabat, eamque tanto magis illicitam reddebat.

§. VI.

Pecuniæ datio in quæstum et fenerationem. Huius criminis natura inuestigatur.

Aliud crimen, propter quod clericus muneris abrogatione dignus iudicabatur, erat vsuræ acceptio, quæ in antiquis canonibus frequenter, tamquam genus quoddam auaritiæ & crudelitatis, damnata & hoc intuitu clericis tam seuere interdicta fuit, vt qui potius contrariis eis virtutibus, liberalitati, misericordiæ, mundi & omnis lucri contemtui operam dare deberent. Leges hoc crimen prohibentes plures sunt, quam vt huc transcribi possint. Suffecerit concilii *Nicæni* canonem heic repetere, qui summam complectitur, sensumque cæterorum canonum omnium exprimit. Huius igitur canonis verba hæc sunt: *Quoniam* [*e*] *multi, qui in canone recensentur, plura habendi studi-*

nulli liceat in publicis vel priuatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, cætera.

(*d*) Taylor duct. dubit. lib. IV. c. I. p. 776. (edit. German. Brem. MDCCV. p. 848. sqq.)

(*e*) Conc. Nic. CXVII. (tom. II. conc. p. 37.) Ἐπειδὴ πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι

am & turpe lucrum persequentes, diuinæ scripturæ obliti sunt, quæ dicit: Argentum suum non dedit ad vsuram: & fenerantes centesimas exigunt; æquum censuit sancta & magna synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc definitionem vsuras ex mutuo sumere vel eam rem aliter persequi vel sescuplas exigere, vel aliquid aliud excogitare turpis quæstus gratia, a clero deponatur, & sit alienus a canone. Eamdem hanc consuetudinem castigatam lector deprehendet a sic dictis *canonibus apostolicis* [*f*], concilio *Illiberritano* [*g*], primo & secundo *Arelatensi* [*h*], primo & tertio *Carthaginensi* [*i*], *Laodiceno* [*k*] & *Trullano* [*l*], vt scriptores priuatos, CYPRIANVM [*m*], SIDONIVM APOLLINAREM [*n*], HIERONY-

---

κει τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν αἰσχροκέρδειαν διώκοντες, ἐπελάθοντο τοῦ θείου γράμματος λέγοντος, τὸ ἀργύριον αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ· καὶ δανείζοντες, ἑκατοστὰς ἀπαιτοῦσιν· ἐδικαίωσεν ἡ ἁγία καὶ μεγάλη σύνοδος, ὡς εἴ τις εὑρεθείη μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τόκους λαμβάνων ἐκ μεταχειρίσεως, ἢ ἄλλως μετερχόμενος τὸ πρᾶγμα, ἢ ἡμιολίας ἀπαιτῶν, ἢ ὅλως ἕτερόν τι ἐπινοῶν αἰσχροῦ κέρδους ἕνεκα, καθαιρεθήσεται τοῦ κλήρου, καὶ ἀλλότριος τοῦ κανόνος ἔσται.

(*f*) Can. apost. c. XLIII. Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τόκους ἀπαιτῶν τοὺς δανειζομένους, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, pecunias mutuo datas cum fenore exigens, vel cesset, vel deponatur.

(*g*) Conc. Illiberrit. c. XX. (tom. I. conc. p. 973.) Si quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit eum degradari, & abstineri.

(*h*) Concil. Arelat. I. c. XII. (tom. I. p. 1428.) De ministris, qui fenerant, placuit eos iuxta formam diuinitus datam a communione abstineri.

Arelat. II. c. XIV. (tom. IV. p. 1013) Si quis clericus pecuniam dederit ad vsuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod negotiationis exercuerit, depositus a communione alienus fiat.

(*i*) Concil. Carth. I. c. XIII. (Append. tom. II. conc. p. 1826.) Abundantius episcopus Adrumetinus dixit: In nostro concilio statutum est, vt non liceat clericis fenerare.

Concil. III. Carth. c. XVI. (ibid. p. 1169) Vt nullus clericorum amplius recipiat, quam cuiquam accommodauerit: si pecuniam accipiat, speciem eamdem, quantam dederit, accipiat: & quidquid aliud, tantum, quantum dederit, accipiat.

(*k*) Conc. Laodic. c. IV. (tom. I. p. 1496) Περὶ τοῦ, μὴ δεῖν ἱερατικοὺς δανείζειν, καὶ τόκους, καὶ τὰς λεγομένας ἡμιολίας λαμβάνειν. Non oportere hominem sacratum fenerari & vsuras, & quæ dicuntur, sesquialteras accipere.

(*l*) Concil. Trull. c. X. (tom. VI. p. 1146) Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τόκους ἢ τὰς λεγομένας ἑκατοστὰς λαμβάνων, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Episcopus, presbyter, vel diaconus, qui vsuras, vel, quæ dicuntur, centesimas accipit, vel cesset, vel deponatur.

(*m*) Cyprian. de lapsis p. 124. (p. 176. edit. Par. MDCLXVI.) - - Vsuris multiplicandis fenus augere. vid. supra c. I. §. III. sub not. (k) p. 304.

(*n*) Sidon. lib. I. ep. VIII. In qua palude indesinenter rerum omnium lege peruersa, muri cadunt, aquæ stant; turres fluunt, naues sedent; ægri deambulant, medi-

NVM

MVM[o] & complures alios taceamus. Nec est, quod hoc cuipiam mirum videatur, quod vsuræ in clericis ita generatim damnentur; siquidem manifestum est, quod in ipsis laicis fuerint improbatæ. Concilium enim *Carthaginense* primum [p] in vtrisque eas reprehendit, modo in clericis multo grauiorem culpam dicit. Concilium etiam *Illiberritanum* [q], quod clericos fenerantes de gradu suo deiici iubet, in laicis itidem grande dignumque eiectione ex ecclesia crimen iudicat, *Si quis etiam*, inquiens, *laicus accepisse probatur vsuras, si in ea iniquitate durauerit, ab ecclesia sciat se esse proiiciendum.*

Nunc proxime in naturam huius negotiationis, par est, inquiramus, nec non in fundamenta & rationes, propter quas tam in clericis quam in laicis ita generatim improbata fuerit. Quod ad rei naturam attinet, obseruandum est, fuisse inter *Romanos* diuersa genera siue diuersos gradus vsurarum. Vsitatissimæ eæ erant, quas *centesimas* vocabant. In concilio *Nicæno* [r] dicuntur ἑκατοςαὶ, & in concilio *Trullano* [s] idem vocabulum adhibetur, quod centesimam sortis partem, quæ singulis mensibus pendebatur, ac duodecim ex centenis per annum conficiebat, significat. *Romani* enim vsuras per menses, nimirum ipsis calendis, seu primo cuiusque mensis die, accipiebant. Vnde

---

ci iacent: algent balnea, domicilia conflagrant; sitiunt viui, natant sepulti: vigilant fures, dormiunt potestates: *feneruntur clerici*, Syri psallunt: negotiatores militant, milites negotiantur, cætera.

(o) Hieron. in Ezech. c. XIIX, 17. (tom. V. p. 367. C. edit. Francof. MDCLXXXIV.) In Hebraico cunctarum specierum censura prohibetur: in LXX. tantum pecunia. Iuxta quod & in XIV. Psalmo scriptum est: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Et quomodo dicitur: Fratri tuo non fenerabis, alieno autem fenerabis. Sed vide profectum. In principio legis a fratribus tantum fenus tollitur; in prophetis ab omnibus vsura prohibetur, dicente Ezechiele: Pecuniam suam non dedit in vsuram. Porro in euangelio virtutis argumentum est præcipiente domino: Feneramini his, a quibus non speratis recipere.

(p) Conc. Carth. I. c. XIII. *Quod in laicis reprehenditur*, id multo magis in clericis oportet prædamnari.

(q) Concil. Illiberrit. c. XX. (tom. I. p. 973.)

(r) Concil. Nicæn. c. XVII. vid. anteced. not. (e) p. 318

(s) Conc. Trullan. c. X. vid. anteced. not. (l). p. 319
Chrysostom. hom. LVI. in Matth. (hom. LVII. edit. Francof. MDCXCVII. p. 620. C.) ὅτος μόλις ἑκατοςὴν ἀποδίδωσιν, hic vix centesimam partem reddit.

BASI-

BASILIVS [t] menſes *vſurarum parentes* vocat. Et AMBROSIVS [u] ait: *Tóκες græci appellauerunt vſuras, eo quod dolores partus animi debitoris excitare videantur. Veniunt calendæ, parit ſors centeſimam. Veniunt menſes ſinguli, generantur vſuræ.* Et hinc, narrante poëta [w], prouerbium inter *Romanos* ortum eſt, vt dicere conſueuerint:

> *Odiſti & fugis, vt Druſonem debitor æris,*
> *--- quum triſtes miſero venere calendæ;*

quia hic dies tempus erat pendendi vſuras. Hoc igitur genus vſuræ legibus eccleſiæ prorſus proſcriptum eſt, quippe quod magna credebatur eſſe oppreſſio. Leges tamen ciuiles hanc negotiationem permiſerunt. Nam *Conſtantinus* anno CCCXXV. adeoque eodem, quo concilium *Nicææ* habitum fuerat, publicauit legem, regulam & modum vſuræ conſtituentem, qua creditoribus [x] centeſimas nihil autem vltra accipere conceſſit. Leges enim *Romanæ* antiquæ maiorem libertatem ante hanc *Conſtantini* conſtitutionem indulſiſſe videntur. Poſtea nouus hac in re agendi modus præſcriptus & in certis tantum caſibus iſta vſura permiſſa fuit, ſi creditor pecunia periclitari quodammodo videretur, quemadmodum ex legibus *Iuſtiniani* [y], quas de vſuris in codice ſuo ſanxit, perſpicimus. Nam in traiectitiis contractibus, vt leges appellant, hoc eſt, ſi creditor pecuniam mutuo daret, exempli gratia *Romæ*, vt vſuram eius acciperet ea tantum conditione, ſi debitor cum ea ſaluus & incolumis *Conſtantinopolin* perueniſſet: Quia hoc in caſu creditor valde periclitabatur, ideo centeſimam accipiendi habebat libertatem. *Secundo*, Aliud vſuræ genus erat, quod leges *ἡμιολίας* ſiue *ſeſcuplum*, hoc eſt, totum cum dimidia eius parte, vocant. HIERONYMVS [z] huius generis vſuræ facit mentionem, illudque improbat. *Solent*, inquit, *in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarumque ſpecierum vſuræ exigi --- Verbi gratia, vt hiemis tempore demus decem modios & in meſſe re-*

(t) Baſil. in Pſalm. XXXIV. tom. III. p. 137. φοβεῖται τὰς μῆνας ὡς τόκων πατέρας.
(u) Ambroſ. de Tobia c. XII.
(w) Horat. lib. I. ſatyr. III.
(x) Cod. Theod. lib. II. tit. XXXIII. leg. I. Pro pecunia vltra ſingulas centeſimas vetatur accipere.
(y) Cod. Iuſtin. lib. IV. tit. XXXII. de vſuris leg. XXVI. In traiectitiis contractibus vel ſpecierum fenori dationibus, vſque ad centeſimam tantummodo licere ſtipulari, nec eam excedere, licet veteribus legibus hoc erat conceſſum.
(z) Hieron. com. in Ezech. XVIII. p. 537. (tom. V. p. 376. edit. Francof.)

cipiamus quindecim, hoc est amplius partem mediam. Quod genus vsuræ, quum violenta quædam esset ademtio & magna oppressio, non tantum in clericis a concilio *Nicæno* [a] & *Laodicensi* [b] nomine ἡμιολιῶν damnatum est, sed in laicis etiam a *Iustiniano* [c] lege quadam, quæ nulli vltra centesimam, in quocumque casu fuerit, accipere permittit. Quamquam *Iustinianus*, leges olim id concessisse, indicat. Atque id sane ex lege *Constantini* etiamnum exstante in *codice Theodosiano* [d] manifestum est, quæ ita præcipit: *Quicumque fruges aridas vel humidas, indigentibus mutuas dederint, vsuræ nomine tertiam partem superfluam consequantur: id est, vt si summa crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius consequantur.* *Tertio*, Aliud vsuræ genus in lege ciuili vocatur *besses centesimæ*, id est, *bini trientes*, siue octo de centenis: Et hanc vsuram leges iis, qui ergasteriis [e] præsunt, aliisque mercatoribus in sua cum aliis negotiatione indulgent. *Quarto*, Cæteris hominibus omnibus dimidiam tantummodo centesimæ vsurarum ex eadem *Iustiniani* lege [f] licitum erat stipulari; quod idem est ac sex pro centenis. *Quinto*, Illustres homines non vltra tertiam centesimæ partem [g], hoc est, quatuor duntaxat pro centum accipere debebant. *Sexto* denique, Vsura vsurarum in legibus *Romanis* omnibus hominibus omni modo interdicta erat, [h] vti ex edicto quodam *Iustiniani* videre est, quod antiquam

(a) Concil. Nic. c. XVII. vid. supra sub not. (e) p. 318. 319

(b) Conc. Laod can. IV. vid. not. (k) p. 319

(c) Cod. Iustin lib. IV. tit. XXXII. leg. XXVI. vid. not. anteced. (y). It. nouel. XXXII. XXXIII. XXXIV. tot.

(d) Cod Theod lib. II. tit. XXXIII. leg. I.

(e) Cod. Iustin. lib. IV. tit. XXXII. de vsuris leg. XXVI. Illos, qui ergasteriis præsunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, *vsque ad bessem centesimæ*, vsurarum nomine, in quocumque contractu stipulationem moderari.

(f) Cod. Iustin. ibid. Cæteros omnes homines dimidiam tantummodo centesimæ vsurarum nomine posse stipulari.

(g) ibid. Iubemus illustribus quidem personis, siue eas præcedentibus, minime licere vltra tertiam partem centesimæ in quocumque contractu stipulari.

(h) Cod. Iustin. lib. IV. tit. XXXII. leg. XXVIII. Vt *nullo modo vsuræ vsurarum a debitoribus exigantur*, & veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum: Si enim vsuras in sortem redigere fuerat concessum, & totius summæ vsuras stipulari: quæ differentia erat debitoribus, a quibus reuera vsurarum vsuræ exigebantur? hoc certe erat non rebus, sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertissima lege definimus, *nullo modo licere*

prohi-

prohibitionem legibus imperatorum, qui ipſum anteceſſerunt, factam memorat atque confirmat. Vt adeo, quum leges imperii generatim prohibuerunt, ne laicis diuerſa vſurarum genera acciperent, mirum haud ſit, quod leges eccleſiæ clericis ea accipere multo ſeuerius interdixerint. Præterea quod ad alia vſuræ genera attinet, quæ per imperii leges licita erant, eccleſia duas habebat cauſſas, cur earum vſum in clericis imminutum iret. *Primo* quidem, quod vſuræ vt plurimum a pauperibus exigebantur, id quod eccleſia pro eorum oppreſſione habebat, quorum indigentia potius ſine vſura eis dando mutuo, docente Chriſto, adleuanda erat. *Secundo*, clerici non poterant accipere vſuram ab hominibus diuitibus & negotiatoribus ſæculi, quin hoc eos in negotia ac ſtudia ſæcularia implicaret magis quidem, quam eccleſia pro ſua ſapientia hiſce temporibus permittendum iudicabat. Atque ita cum hoc negotio vere comparatum, & has præcipuas rationes fuiſſe, autumo, ob quas clericis interdictum fuerit, ne vſuræ negotiationem exercerent. Vſura generatim pauperibus magnæ oppreſſioni erat, quemadmodum ſcriptores vetuſti aduerſus eam declamitantes [*i*], plerumque conqueruntur. Certe auarum & profanum animum indicare ex eoque proficiſci credebatur; quæ efficeret, vt homines officii ſui obliti in alia negotia, ab ipſorum vocatione abeuntia, ſeſe ingererent, vnde non poterat non neglecti officii exprobratio & dedecus exſiſtere. Quapropter CYPRIANVS de quibusdam loquens epiſcopis, qui tum publico erant offendiculo, in enarranda eorum peſſima vitæ ratione hæc omnia coniungit & dicit, eos, „quos & hortamento eſſe oporteat cæteris &

---

cuipiam vſuras præteriti temporis, vel futuri in ſortem redigere, & exinde iterum vſuras ſtipulari. cætera.

(*i*) Chryſoſtom. hom. LVI in Matth. (LVII. edit. Francof. p. 610. D.) Μὴ πραγματευώμεθα τὰς ἀλλοτρίας συμφοράς, μηδὲ καπηλεύωμεν τὴν φιλανθρωπίαν. Non vtamur illa mercatura, quæ calamitatem aliis infert: nec quæ liberaliter offerenda ſunt, ceu caupones feneremur. Ibid. Ὁ τελώνης νόμον τηρεῖ τὸν ἔξωθεν, ἀλλ' ὅμως κολάζεται· ὃ καὶ ἡμεῖς πεισόμεθα, ἐὰν μὴ ἀποστῶμεν τοὺς πένητας ἐπιτρίβοντες, καὶ τῇ χρείᾳ καὶ τῇ ἀναγκαίᾳ τροφῇ, καὶ τῇ [illegible] εἰς καπηλείαν ἀναίσχυντον ἀποχρώμενοι. Publicanus exteriorem ſeruat legem, tamen punitur: quod ſane nos quoque patiemur, *niſi deſinamus pauperes conterere*, atque egeſtate neceſſarioque alimento & penuria in cauponationem impudentem abuti,

„exemplo, diuina procuratione contemta, procuratores rerum „sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, [k] per ali„enas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas „aucupari, esurientibus in ecclesia fratribus non subuenire, ha„bere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rape„re, vsuris multiplicantibus fenus augere.„ Quando igitur vsura plerumque cum eiusmodi eam comitantibus vitiis spectata fuit, mirum haud est, quod a sanctis ecclesiæ patribus longissime fuerit proscripta. Præterea CHRYSOSTOMVS [l] sui temporis senatoribus atque aliis illustrioribus hominibus legibus imperii simpliciter interdictum fuisse testatur, ne tali lucro sese macularent. Et hæc consideratio sine dubio patres ecclesiæ tanto magis induxit, vt clericis hac negotiatione interdicerent, ne ipsi hac in re ab hominibus sæcularibus superari viderentur; nec ipsis obiici posset, quod leges ecclesiasticæ legibus imperialibus hac in re essent remissiores.

§. VII.

De hospitalitate clericorum.

Sane pauperum, pupillorum, peregrinorum & viduarum necessitates his primis temporibus tam importunæ tamque insatiabiles in ecclesia qualibet erant, vt eius reditus raro omnibus illorum

(k) Cyprian. de lapsis p. 123. (p. 170. edit. Par. MDCLXVI.) conf. supra c. I. §. III. sub not. k) p. 304.

(l) Chrysostom. hom LVI. in Matth. (hom. LVII. edit. Francof. p. 622. B) Εἰ δὲ βούλει καὶ τοὺς ἔξωθεν νομοθέτας ἐρέσθαι, ἀκούσῃ, ὅτι καὶ ἐκείνοις τῆς ἐσχάτης ἀναισχυντίας τὸ πρᾶγμα δεῖγμα εἶναι δοκεῖ· τοὺς γοῦν ἐν ἀξιώμασιν ὄντας, καὶ εἰς τὴν μεγάλην τελοῦντας βουλὴν, ἣν σύγκλητον καλοῦσιν, οὐ θέμις τοιούτοις κέρδεσιν καταισχύνεσθαι· ἀλλὰ νόμος ἐστὶν παρ' αὐτοῖς ὁ τὰ τοιαῦτα ἀπαγορεύων κέρδη. Quod si exteriores legum conditores interrogare volueris, audies ab illis, quia extremæ impudentiæ signum fenus semper iudicatum est: quare *nec amplissimos homines, quos senatores appellant, huiusmodi emolumentis deturpari sinunt, sed lege prohibent, ne qui rempublicam gerunt, tali lucro maculentur.*
Honorius an. CCCXCVII. legem publicauit, qua idem inculcat. Cod. Theod. lib. II. tit. XXXIII. de vsuris leg. III. Frustra debitores in annis minoribus constitutorum vsuras se restituere non debere contendunt, *quia senatoria eos dignitate præditos esse* testantur. *Quamquam lege sequenti* ann. CCCCV. *senatoribus semisses vsuras permittit:* Senatores, inquiens, sub medietatem centesimæ vsuræ ad contractum creditæ pecuniæ censemus admitti. Itaque omnes intelligant, nullum florentissimo cœtui sociatum fenus exercentem, vltra medietatem centesimæ vel iure stipulari, vel poscere posse vsuram.

illorum efflagitationibus reſponderent. *Enthecam nobis habere non licet*, inquit AVGVSTINVS [*m*], *non enim eſt epiſcopi ſeruare aurum & reuocare a ſe mendicantis manum. Quotidie tam multi petunt, tam multi nos inopes interpellant; vt plures triſtes relinquamus, quia, quod posſimus dare omnibus, non habemus.* Rebus igitur ita ſe habentibus, vbi maior clericis exercenda erat liberalitas, quam eorum poſſeſſiones ac facultates ferrent, non poterat vllus vſuræ locus eſſe, niſi cum magno caritatis in pauperes neglectu. Itaque loco dationis in vſuram contrariarum virtutum, hoſpitalitatis ac caritatis, exemplum præbere debebant; quod ipſam dationem in diuinam vſuram veteres nuncupant, vbi non vnum [*n*] ad centum, ſed centum ad vnum ex manu Dei accipiantur. *Gloria epiſcopi* tunc *erat*, HIERONYMO teſte [*o*], *pauperum opibus prouidere: ignominia omnium ſacerdotum, propriis ſtudere diuitiis.* Hinc *Nepotiano* inter alias bonas regulas hanc etiam præſcribit, vt menſam ſuam pauperibus & peregrinis apertam eſſet ſinat, vt vna cum illis Chriſtum habeat hoſpitem. CHRYSOSTOMVS [*p*] de *Flauiano* e-

(*m*) Auguſtin. ſermon. XLVIII. de diuerſis, ſiue de vita clericorum tom. X. p. 51C. (tom. V. p. 1382. edit. Pariſ. MDCC. pag. 1398. tom. X. edit. Baſil. MDLXIX.)

(*n*) Pet. Chryſolog. ſerm. XXV. p. 269. Vſura mundi centum ad vnum accipit, Deus vnum accipit ad centum.
Chryſoſt. homil LVI. in Matth. p. 507. edit. Commelin. (hom. LVII. p. 619. C. edit. Francof. MDCXCVII.) Τί πτωχὸς εἶ καὶ πένης; καὶ τί μικρόψυχος, ὀλίγου τὰ μεγάλα πωλῶν, χρημάτων ἀπολομένων, δέον βασιλείας ἀεὶ μενούσης; τί τὸν Θεὸν ἀφεὶς, ἀνθρωπίνα κερδαίνεις κέρδη; τί τὸν πλουτοῦντα παραδραμὼν, τὸν οὐκ ἔχοντα ἐνοχλεῖς, καὶ τὸν ἀποδιδοῦντα καταλιπὼν, τῷ ἀγνωμονοῦντι συλλαλεῖς καὶ συμβάλλεις; ἐκεῖνος ἐπιθυμεῖ ἀποδοῦναι· οὗτος δὲ καὶ δυσχεραίνει ἀποδιδούς· οὗτος μόλις ἑκατοστὴν ἀποδίδωσιν· ἐκεῖνος δὲ ἑκατονταπλασίονα, καὶ ζωὴν αἰώνιον. Quid ita pauper & egenus es, ita puſillanimus, vt paruo magna & caducis pecuniis liberalitatem vendas, quum poſſis æterno regno vendere! Cur omiſſo Deo humano lucro ſolicitaris? Cur diuitem transcurriſti & pauperi adhæres? reliquiſti eum, qui reddere poteſt, & ingrato ac inopi loqueris? Ille reſtituere deſiderat, hic non reddet niſi coactus: hic *vix centeſimam partem reddit*, *ille centuplum* & vitam æternam.

(*o*) Hieron. epiſt. II. ad Nepotian. (p. 9. G edit. Francof.)

(*p*) Chryſoſt. ſerm I. in Geneſ. tom. II. p. 886. edit Front. Ducæi. (p. 732. B. C. edit. Francof.) ὃς τὴν οἰκίαν τὴν πατρῴαν, ὥσπερ εἰς αὐτὸ τοῦτο παρὰ τῶν προγόνων δεξάμενος, ἵνα ταῖς τῶν ξένων αὐτὴν θεραπείαις παράσχῃ, οὕτω διαπαντὸς τοῖς πάντοθεν ἐλαυνομένοις ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀνῆκε, καὶ ὑποδέχεται καὶ θεραπεύει θεραπείας τρόπῳ παντοδαπῷ ὥστε οὐκ οἶδα εἰ χρὴ τοῦτο μᾶλλον, ἢ τῶν ξένων καλεῖν τὴν οἰκίαν

piſcopo ſuo, huius virtutis reſpectu, egregie loquitur : *Cuius domus*, inquit, *tamquam ipſi ad hoc derelicta ab eius maioribus, peregrinis & aduenis patet : omnes, qui vndique tribulationes ſuſtinent, veritatis tuendæ cauſſa conueniunt, hanc ſibi hoſpitam domum inueniunt, hanc miniſtram & ita in omnibus famulantem, vt neſciam, vtrum huius an peregrinorum magis dicenda ſit domus. Immo vero propterea magis huius eſt, quia peregrinorum eſt : nam & omne quod noſtrum eſt, tunc magis noſtrum erit, ſi ſit nobis commune cum fratribus. Melius enim ſeruatur pecunia, quæ in dextera pauperis collocatur.*

§. VIII.

De eorum frugalitate & rerum humanarum contemtione.

Vt ad hanc officii ſui partem explendam tanto magis idonei redderentur, a ſingulis clericis requirebatur, vt parce & frugaliter viuerent; hoc eſt, vt omnes immoderatos ſumtus tam in priuata vitæ ſuæ ratione, quam in admouendis ad profuſas epulas diuitibus vitarent; quod hoc non niſi falſo dicta eſſet hoſpitalitas & iniqua iurium ac redituum pauperibus deſtinatorum vſurpatio. De horum temporum ſimplicitate ex iis, quæ AMMIANVS MARCELLINVS, gentilis ille hiſtoricus [q], de epiſcopis *Italis*, vti probabile eſt, obſeruauit, licebit iudicare. *Antiſtites quosdam prouinciales*, inquit, *tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia perpetuo numini veriſque eius cultoribus, vt puros commendant & verecundos.* Hoc iſtis epiſcopis prouincialibus, ex ipſius ſententia, maiorem conciliauit honorem, quam ſi in diuitiis, adfluentia ac ſplendore epiſcoporum *Romanorum* vixiſſent. Per canonem quemdam concilii *Carthaginenſis* quarti [r] omnes epiſcopi *Africani* ad vitam hoc modo agendam obligantur; non pretioſam ſupellectilem, vel ſumtuoſam menſam, vel ſplendidam viuendi ratio-

τὴν τούτου· μᾶλλον δὲ διὰ τοῦτο τούτου νομίζειν εἶναι αὐτὴν, ἐπειδὴ τῶν ξένων ἐστί· καὶ γὰρ τὰ ἡμέτερα χρήματα τότε μάλιστα ἡμέτερα γίνεται, ὅταν μὴ ἡμῖν αὐτοῖς, ἀλλὰ τοῖς πένησιν αὐτὰ κεκτημένοι διαπαντὸς ὦμεν· καὶ πῶς ἐγὼ λέγω ἂν εἰς δεξιὰν τοῦ πένητος ἀποθῇς τὸ ἀργύριον.

(*q*) Ammian lib. XXVII. p. 458. edit. Lindeb. Hamburg. MDCIX. (p. 526. edit. Gronou. Lugdun. MDCXCIII.)

(*r*) Conc. Carth. IV. c. XV. (tom. II. conc. p. 1201.) Vt epiſcopus vilem ſuppellectilem & menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.

nem

nem adfectare permittuntur; sed dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærere iubentur. Nonnullis quidem alterum illud hospitalitatis genus arridebat; adhibebant in conuiuium diuites speciatim magistratus, hanc huic rei prætexentes rationem, quod vtilitatem quamdam inde se consequuturos, & deprecationi suæ pro reis ad supplicium damnatis tanto maius pondus conciliaturos, confiderent. At vero HIERONYMVS inprimis hanc isti speciose prætextam consilio caussam examinat, ad eamque in monitis suis ad *Nepotianum* respondet. *Conuiuia tibi*, inquit [s], *vitanda sunt sæcularium & maxime eorum, qui honoribus tument. Turpe est ante fores sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum & milites excubare: iudicemque prouinciæ melius apud te prandere, quam in palatio. Quod si obtenderis, te facere hæc, vt roges pro miseris atque subiectis, iudex sæculi plus deferet clerico continenti, quam diuiti: & magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes. Aut si talis est, qui non audiat clericos pro quibuslibet tribulatis, nisi inter phialas, libenter carebo huiuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro iudice, qui magis & citius subuenire potest quam iudex.* Eodem loco [t] HIERONYMVS *Nepotianum* admonet, ne aliorum facile adeat epulas. *Christiani*, inquit, *consolatores potius nos in mœroribus suis, quam conuiuas in prosperis nouerint. Facile contemnitur clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat.* Hæ sunt vulgares regulæ & leges, quas ad instituendam clericorum hospitalitatem ac frugalitatem veteres præscripserunt. Multi autem antistites aliique in harum regularum obseruatione modum excedebant, nimiam rerum abstinentiam & sui ipsorum renuntiationem excolentes: quam duriorem vitæ rationem ipsi libere & sponte sua eligebant, quo aliorum inopiæ tanto largius atque abundantius possent succurrere. GREGORIVS NAZIANZENVS [u] de *Basilio* refert, diuitias illi fuisse, nihil habere;

(s) Hieron. ep. II. ad Nepotian. (p. 10. N. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

(t) Ibid. p. 11. G. cit. edit.

(u) Nazianz. orat. XX. de laud. Basil. p. 357. 358. edit. Paris. MDCXXX.) Ἐκείνῳ πλοῦτος τὸ μηδὲν ἔχειν. - - - θαυμαστὸν ἡ ἐγκράτεια καὶ ὀλιγαρκεία, καὶ τὸ μὴ κρατεῖσθαι τῶν ἡδονῶν, μηδ' ὡς ὑπὸ πικρᾶς καὶ ἀνελευθέρου δεσποίνης τῆς γαστρὸς ἄγεσθαι - - πρὸς τὰ κρίνα βλέπειν καὶ τὰ πτηνά, οἷς ἄτεχνον τὸ κάλλος, καὶ σχέδιος ἡ τροφή, κατὰ τὴν μεγάλην παραίνεσιν τοῦ ἐμοῦ Χριστοῦ, καὶ σάρκα δι' ἡμᾶς πτωχεύσαντος, ἵν' ἡμεῖς πλουτήσωμεν θεότητι· ἐντεῦθεν αὐτῷ τὸ ἓν χιτώνιον καὶ τριβώνιον, ὁ

paruo,

paruo, quod natura requirat, contentum viuere; nec a carnis voluptatibus abripi, nec a ventre, tamquam a sæuo & sordido domino superari: Suauissimam cœnam & obsonium ei fuisse, panem & sal & aquam; vestitum habuisse tunicam vnam & pallium vnum; habitationem stratum humi lectulum; non quasi exigua ei & tenuis fuerit res familiaris; fuisse enim metropolitanum *Cæsareæ*, & amplissimos habuisse reditus ad ecclesiam suam spectantes; sed vt vitæ suæ rationem ad exemplum CHRISTI accommodaret, qui carnis paupertatem nostra caussa subiit, vt ipsius paupertate locupletaremur. Hinc cum ille ipse auctor [w], tum historiæ ecclesiasticæ scriptores [x] de eo perhibent, quod, quum tempore persecutionis *Arianæ* sub *Valente* quidam imperatoris præfectus ei minitaretur, nisi imperatoris religionem colere vellet, se omnia ipsius bona proscripturum, responderit, bonorum proscriptioni se obnoxium non esse, qui nihil habeat: nisi forte laceris & detritis pannis imperator indigeat ac paucis libellis, in quibus omnes sibi facultates & copiæ sint. De *Exuperio* episcopo *Tolosæ*, aliorum indigentiam suam semper faciente, eamdem nobis imaginem repræsentat HIERONYMVS. *Viduæ Sareptensis imitator*, inquit, *esuriens pascit alios, & ore pallente ieiuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogauit.* Immo tantam eius frugalitatem fuisse dicit auctor noster, vt corpus domini in canistro vimineo, & sanguinem in vitro portarit: & hac paupertate [y] nihil ditius esse posse vel gloriosius, adfirmat. Facile esset, sexcenta alia eiusmodi frugalitatis exempla adferre, *Cyprianos*, *Augustinos*, *Nazianzenos*, *Paulinos* aliosque similes generosi spiritus antistites eorum temporum, in quibus vixerunt; qui res humanas maiori cum voluptate contemserunt, quam reliquis eas admirari illisque frui licuit. Sed quum tam

---

χαμευνία, καὶ ἡ ἀγρυπνία, καὶ ἡ ἀλυσία, τὰ ἐκείνου σεμνολογήματα, καὶ τὸ ἥδιστον δεῖπνον καὶ ὄψον ὁ ἄρτος, καὶ οἱ ἅλες ἡ καινὴ καρυκεία, καὶ ποτὸν νηφάλιόν τε καὶ ἄφθονον, ὃ γεωργοῦσι πηγαὶ μηδὲν πονουμένοις.

(w) Nazianz. ibid. p. 349. δημεύσει μὲν οὐχ ἁλωτὸς ὁ μηδὲν ἔχων, πλὴν εἰ τούτων χρήσεις τῶν τρυχίνων μου ῥακίων καὶ βιβλίων ὀλίγων, ἐν οἷς ὁ πᾶς ἐμοὶ βίος.

(x) Sozom. lib VI. c. XVI. οὐσίαν μὲν οὐκ ἔχω, ῥάκος τε καὶ βιβλία ὀλίγα· οἰκῶ δὲ τὴν γῆν ὡς ἀεὶ παροδεύων. Opes quidem nullas habeo, sed pallium duntaxat & paucos libros. In terris autem ita dego, quasi peregrinus.

(y) Hieron. ep. IV. ad Rustic. (pag. 31. H. edit. Francof.)

excelsæ

excelsæ ac heroicæ virtutes communem regulam superent, non proponuntur, vt ad eas cuiusque hominis officium stricte exigatur, sed tantum vt liberalium ac bonarum mentium studia excitentur. Licebit hac de re dicere, quod simili occasione servator dixit: *Non omnes capiunt verbum hoc, sed ii, quibus datum est; Qui potest capere, ille capiat.*

§. IX.

An clerici ad renuntiandum bonis suis temporalibus vlla lege obligati fuerint.

Sunt quidem, qui hoc sapiens consilium in legem libenter mutent, & probare satagunt, quod clericos olim temporalibus suis possessionibus renuntiare oportuerit, vbi ecclesiæ ministerio sese addixerint. Sed hoc est soli meridiano contradicere. Quemadmodum enim hæc adsertio nullo fundamento nititur, ita euidentissima testimonia in contrarium habemus. Inter sic dictos *canones apostolicos* [z] reperitur aliquis in hanc sententiam: *Manifestæ sint episcopi res propriæ, si quidem res habet proprias, & manifestæ res dominicæ: vt sit in potestate morientis episcopi, propria quibus vult & vt vult relinquere & non rerum ecclesiasticarum prætextu res episcopi intercidant, qui non numquam vxorem habet & liberos, vel cognatos vel famulos. Est enim iustum apud Deum & homines, vt nec ecclesia damnum aliquod accipiat propter rerum episcopi ignorationem: nec episcopus vel eius cognati ecclesiæ prætextu proscribantur, vel in negotia litesque incidant, qui ad eum attinent, & eius mortem maledictis infaustisque verbis prosequantur.* Multi alii tum *græcæ* tum *latinæ* ecclesiæ [a] canones idem constituunt. Neque vero opponi potest,

(z) Can. apostol. c. XL (XXXIX.) Ἔστω φανερὰ τὰ ἴδια τοῦ ἐπισκόπου πράγματα (εἴγε καὶ ἴδια ἔχει) καὶ φανερὰ τὰ κυριακά, ἵνα ἐξουσίαν ἔχῃ τῶν ἰδίων τελευτῶν ὁ ἐπίσκοπος, οἷς βούλεται, καὶ ὡς βούλεται καταλεῖψαι· καὶ μὴ προφάσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων διαπίπτειν τὰ τοῦ ἐπισκόπου, ἔσθ' ὅτε γυναῖκα καὶ παῖδας κεκτημένου, ἢ συγγενεῖς, ἢ οἰκέτας. Δίκαιον γὰρ τοῦτο παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, τὸ μήτε τὴν ἐκκλησίαν ζημίαν τινὰ ὑπομένειν ἀγνοίᾳ τῶν τοῦ ἐπισκόπου πραγμάτων, μήτε τὸν ἐπίσκοπον ἢ τοὺς αὐτοῦ συγγενεῖς προφάσει τῆς ἐκκλησίας πημαίνεσθαι, ἢ καὶ εἰς πράγματα ἐμπίπτειν τοὺς αὐτῷ διαφέροντας, καὶ τὸν αὐτοῦ θάνατον δυσφημίαις περιβάλλεσθαι.

(a) Conc. Antioch. c. XXIV. (tom. II. conc. p. 572.) Φανερὰ εἶναι, τὰ διαφέροντα τῇ ἐκκλησίᾳ μετὰ γνώσεως τῶν περὶ αὐτὸν (ἐπίσκοπον) πρεσβυτέρων καὶ διακόνων· ὥστε τούτους εἰδέναι, καὶ μὴ ἀγνοεῖν, τίνα ποτέ ἐστι τῆς ἐκκλησίας, ὥστε μηδὲν αὐτοὺς λανθάνειν· ἵν' εἰ συμβαίνῃ τὸν ἐπίσκοπον μεταλλάττειν τὸν βίον, φανερῶν ὄντων τῶν δια-

quod hoc tantum de illis poſſeſſionibus, quas in eccleſiæ miniſterio acquiſierint, intelligendum ſit. AMBROSIVS enim aperte indicat, quod leges clericos plena patrimonii vel temporalium bonorum, quæ habuerunt antea, poſſeſſione frui ſinant. Nam introducit ex clericis quosdam ſorte ſua minus contentos, ita querentes: *Quid* [*b*] *mihi prodeſt in clero manere, ſubire iniurias, labores perpeti, quaſi non posſit ager meus me paſcere?* quod ipſum oſtendit, fuiſſe tunc in clericis homines a facultatibus inſtructos. Et profecto vnus duntaxat caſus erat, in quo clericus aliquis ad renuntiandum facultatibus ſuis compelli poterat, ſi nimirum poſſeſſiones eius explendis imperii officiis inde ab antiquis temporibus obnoxiæ eſſent, qua de re ſupra diximus fuſius. In cæteris caſibus omnibus res proprii arbitrii erat, & in cuiusuis poſitum libertate, vtrum in vſum quempiam pium de bonis ſuis decernere vellet, an non. Modo ſi id non faceret, tanto benignior in pauperes & eccleſiæ minus moleſtus futurus credebatur, quum neceſſitatibus eius aliunde ſubueniretur. Verumtamen nulla lege ad hoc compellebatur, ſed tantum caritatis chriſtianæ [*c*] rationibus. Retenta de neceſſitatibus ſuis iudicandi omni poteſtate in reditibus eccleſiæ partem habere non prohibebatur, ſi pro ſua prudentia ea ſibi opus eſſe videret.

φερόντων τῆ ἐκκλησίᾳ πραγμάτων, μήτε αὐτὰ διαπίπτειν καὶ ἀπόλλυσθαι, μήτε τὰ ἴδια τοῦ ἐπισκόπου ἐνοχλεῖσθαι προφάσει τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων· δίκαιον γὰρ καὶ ἀρεστὸν παρά τε τῷ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις, τὰ ἴδια τοῦ ἐπισκόπου, οἷς ἂν αὐτὸς βούλεται, καταλιμπάνεσθαι· κ. τ λ. Sint manifeſta quæ ad eccleſiam pertinent cum cognitione presbyterorum & diaconorum, qui ſunt circa eum, vt ſciant & non ignorent, quæ ſunt propria eccleſiæ, vt nihil ipſos lateat: vt ſi contingat epiſcopum e vita migrare, iis manifeſtis exſiſtentibus quæ ad eccleſiam pertinent, ne ea intercidant & pereant: nec quæ ſunt propria epiſcopi, prætextu rerum eccleſiaſticarum vexentur, eſt enim iuſtum, & apud Deum & homines acceptum, vt epiſcopus propria, quibus velit, relinquat.

Conc. Agath. c. XLVIII. (tom. IV. concil. p. 1391.) Vt de rebus epiſcopi propriis vel acquiſitis, vel quidquid epiſcopus de ſuo proprio habet, hæredibus ſuis, ſi voluerit, derelinquat.

Conc. Carth. III. c. XLIX. (tom. II. p. 1178.) Si ipſis (clericis) proprie aliquid liberalitate alicuius, vel ſucceſſione cognationis obuenerit, faciant inde, quod eorum propoſito congruit.

(*b*) Ambroſ. epiſt XVII. edit. Baſil. MDLXVII.

(*c*) Can. apoſt. XLI (XL.) *Μεταλαμβάνειν δὲ καὶ αὐτὸν τῶν δεόντων (εἴγε δέοιτο) εἰς τὰς ἀναγκαίας αὐτοῦ χρείας.* In eius facultate ſit etiam, ſi ſit opus, in neceſſarium ſuum vſum accipere. In concil. Antioch. c. XXV. eadem verba leguntur.

Chry-

Chrysanthum episcopum *Nouatianorum* hoc nomine laudat SOCRATES [*d*], quod, quum proprias haberet possessiones, ab ecclesiis nihil acceperit præter duos panes eulogiarum singulis diebus dominicis; quamquam ne semel quidem dicit, legem illic fuisse, qua ad sic agendum compulsus fuerit. Neque PROSPER id facit, qui tamen præ reliquis aduersum homines diuites, portionem suam ex ecclesiæ beneficiis sumentes, maxime loquitur. Ipse quidem rem minus [*e*] decentem & vitiosam esse, existimat, quia hoc modo alios magis indigos beneficiis ecclesiæ priuent: Et putat, etiamsi clericus diues sine peccato possessiones suas retinere possit, quod non sit lex nisi lex perfectionis, quæ ad renuntiandum illis eum adigat; tamen id fieri debere ea conditione, vt ab ecclesia alimenta non expetat [*f*]: sed hoc tantum vt priuatam suam opinionem pronuntiat, neque tunc vllam eiusmodi legem in ecclesia exstitisse, significat. Ecclesiæ *Africanæ* tempore *Augustini* peculiarem legem contra auaritiam habebant, in hanc sententiam: *Episcopi* [*g*], *presbyteri*, *diaconi*, *vel quicumque clerici*, *qui nihil habentes ordinantur*, *& tempore episcopatus vel clericatus sui*, *agros vel quæcumque prædia nomine suo comparant*, *tamquam rerum diuinarum inuasionis crimine teneantur obnoxii*, *nisi admoniti ecclesiæ eadem ipsa contulerint.* Quum enim hisce temporibus reditus ecclesiastici essent exigui, nemo de eis plus participabat, quam quod congruo eius alimento sufficeret: adeoque is, qui rebus ita se habentibus prædia emere poterat, in publicos ecclesiæ reditus quodammodo iniurius fuisse, credebatur. At in eadem lege prouisum erat, vt, si quid illis vel libertate alicuius vel hereditate obuenisset, pro arbitratu suo de hoc ipso decernendi haberent potestatem. Ecclesia enim in hoc casu non ferebat legem, sed consilium duntaxat dabat; clericos suos diuites ad maiorem largitatis declarationem exhor-

(*d*) Socrat. lib. VII. c. XII. ἀπό τε τῶν ἐκκλησιῶν οὐδὲν ἐδέξατο, πλὴν κατὰ κυριακὴν δύο ἄρτους τῶν εὐλογιῶν ἐλάμβανεν.

(*e*) Prosper de vit. contempl. lib. II. c. XII. Nouerint esse deformius, possessores de eleemosynis pauperum pasci.

(*f*) Ibid. Illi, qui tam infirmi sunt, vt possessionibus suis renuntiare non possint; si ea quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua.

(*g*) Conc. Carth. III. c. XLIX. (tom. II. p. 1178.)

tans, non autem eorum poſſeſſiones arbitrio ſuo ſubiectas habere cupiens. Ab altera parte, ſi qui clerici poſſeſſionibus propriis deſtituti & ſinguli exſiſtentes, nec familias, quibus proſpicerent, habentes ex reditibus eccleſiæ diuitiores fieri adlaborarent: hoc ſemper pro turpi auaritiæ vitio habitum, adeoque ab HIERONYMO [h] aliisque vetuſtis ſcriptoribus vituperatum fuit. Hactenus de legibus caritatis, quæ ad veteres clericos attinent.

§. X.

Quanto ſtudio cauerint, ne lingua in alicuius offenſionem incurrerent.

Manſuetudinis, modeſtiæ, grauitatis, humilitatis aliarumque virtutum clericorum, quas in ipſa parentis ſui perſona depinxit GREGORIVS NAZIANZENVS, effigiem heic poſſem ſiſtere: ſed duo tantum momenta de inſtituendi vitam ſuam ratione memorabo, leges videlicet primum ad eorum verba, deinde ad eorum famam & exiſtimationem reſpicientes. Quod ad verba attinet, illi, qui alios, quod in conuerſatione hominum difficillimum eſt, regimen linguæ docere debebant, ſummam dabant operam, vt populo virtutis exemplum tam loquendo quam agendo præirent. Et idcirco leges in licentiores quosque ſermones in eorum conuerſatione admodum ſeueræ erant. Concilium *Carthaginenſe* quartum tres canones continuos huius argumenti habet, quorum vnus [i] ſcurrilem dicacitatem & verborum turpitudinem, quæ apoſtolo [*] βωμολοχία dicitur, ſub pœna deiectionis de dignitatis gradu vetat. Alter ſegregationem ab eccleſiæ communione minatur [k] illis, qui per rem quam-

(h) Hieron. ep. II. ad Nepotian. Nonnulli ſunt ditiores monachi, quam fuerant ſæculares. Et clerici, qui poſſideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallace diabolo non habuerant: vt ſuſpiret eos eccleſia diuites, quos mundus antea tenuit mendicos.

(i) Conc. Carth. IV. c. LX. (tom. II. p. 1204.) Clericum ſcurrilem & verbis turpibus iocularem ab officio retrahendum.

(*) Forte dicere voluit auctor noſter Binghamus, *αἰσχρολογία*, quippe quod vocabulum Paulus habet Col. III, 7. illud autem apud Ariſtotelem II. Ethic. occurrit, & eſt ipſi altera extremitas *εὐτραπελίας*.

(k) Conc. Carth. IV. c. LXI. Clericum per creaturas iurantem acerrime obiurgandum. Si perſtiterit in vitio, excommunicandum.

cumque

cumque creatam iurauerint. Et tertius canon [*l*] in eos, qui inter epulas cantauerint, eamdem pœnam pronuntiat. HIERONYMVS ſpeciatim clericum ſuum aliis detrahendi vitium vitare docet. *Caue* [*m*], inquit, *ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id eſt, ne aut ipſe aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. --- Parce a detractione linguæ, cuſtodi ſermones tuos, & ſcito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tua conſcientia iudicaris, quæ in aliis arguebas. Neque vero illa iuſta eſt excuſatio, referentibus aliis iniuriam facere non poſſum. Nemo inuito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem numquam figitur, interdum reſiliens percutit dirigentem. Diſcat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere.* CHRYSOSTOMVS [*n*] huius vitii mentionem facit, vt quod valde familiaris ſit inferioribus, quorum inuidia & æmulatio ad detrahendum de epiſcopi ſui auctoritate ac virtutibus nimium promta eſſe ſoleat; in primis ſi ob dicendi facultatem multitudinis ſtudium habeant & admirationem: qui ſi & audaculi & arrogantes & gloriæ ſitientes ſint, tunc eos clam ſubſannare, pleraque de præpoſiti auctoritate idemtidem vellicare eiusque exiſtimatione & poteſtate imminuta, omnia ipſos eſſe cupere, dicit. Qua occaſione auctor noſter ſimul oſtendit, quam generoſo ſpiritu, quam diuino & adamantino animo excellere epiſcopum oporteat, vt ne in his & ſexcentis aliis ſimilibus tentationibus vel ab hac parte iræ & inuidiæ, vel ab altera parte inſuperabili ſollicitudini & animi abiectioni, ſuccumbat. HIERONYMVS aliam linguæ virtutem commendat, quæ magni vſus in conuerſatione eſt; nimirum ſecretorum cuſtodiam & ſilentium, ſpeciatim in rebus virorum nobilium. *Officii tui* [*o*] *eſt*, inquit, *viſitare languentes: noſſe domos matronarum, ac liberos earum, & nobilium virorum cuſtodire ſecreta. Officii tui eſt, non ſolum oculos caſtos ſeruare ſed & linguam. Numquam de formis mulierum diſputes, nec quid agatur in alia, domus alia per te nouerit. Hippocrates adiurat diſcipulos ſuos, antequam doceat, & in verba ſua iurare compellit, extorquet ſacramento ſilentium, ſermonem, inceſſum, habitum moresque præſcribit. Quanto magis nos,*

(*l*) Conc. Carth. IV. c. LXII. Clericum inter epulas cantantem ſupra dictæ ſententiæ ſeueritate coërcendum.

(*m*) Hieron ep II. ad Nepot. (p. 11. E. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

(*n*) Chryſoſtom. de ſacerdot. lib. V. c. VIII. tot.

(*o*) Hieronym. epiſt. II. ad Nepotian, ibid. F.

quibus animarum cura commissa est, omnium christianorum domos debemus amare tamquam proprias? Vult dicere, clericos arti silendi tanto studio adsuefaciendos esse, quanto *Hippocrates* discipulos suos eam docuerit; vt pax & concordia christianarum familiarum secretorum reuelatione ne turbetur, vel funditus euertatur; id quod certum est facturum neminem, qui, vt HIERONYMVS requirit, omnium christianorum familias tamquam proprias amauerit.

§. XI.

De eorum studio vitandi suspicionem mali.

Quemadmodum hac ratione in verbis ac moribus inculpati esse & bonæ famæ ac existimationis rationem habere docebantur; id quod ad functiones recte obeundas necessarium omnino erat: Ita quia fieri poterat, vt ipsorum existimatio non tantum ipsa alicuius malæ rei patratione, sed etiam probabiliore quadam eius suspicione imminueretur; leges ecclesiæ hoc intuitu exacte ab illis requirebant, vt in tota vitæ suæ ratione sibi summopere attenderent, vitarentque omnes suspectas actiones, quæ vel minimam eos vituperandi occasionem aduersariis dare possent. Non heic satis erat, bonam in conspectu Dei seruare conscientiam, sed in oculis etiam hominum rebus honestis studere debebant. Et hoc tanto erat difficilius, quia homines, obseruante CHRYSOSTOMO, ad conquerendum de clericis nimium quantum propendent, & alii infirmitate & imprudentia, alii autem malitia abrepti facile contumelias & incusationes sine vllo fundamento excitant, excusationes, quibus se quis defendat, haud facile admittentes. Sed quo magis queruli sunt & suspiciosi animi multitudinis, tanto vigilantiores esse oportet clericos aduersus iniustas suspiciones, vt omnem eis præcidant occasionem, qui ipsos incusandi atque reprehendendi occasionem captant. Quam ob caussam summo studio & cautione eis opus est, vt contra malas hominum opiniones sese muniant, vitando omnes istas actiones, quarum dubia est & suspecta natura. „Si enim, inquit CHRYSOSTOMVS [p], beatus ille *Paulus* veritus est, ne furti apud discipulos suspectus esset, quo

(p) Chrysost. de sacerd lib. VI. c. IX. Εἰ γὰρ μακάριος Παῦλος, μὴ κλοπῆς ὑπόνοιαν λάβῃ παρὰ τοῖς μαθηταῖς, ἔδεισε· καὶ διὰ τοῦτο προσέλαβε καὶ ἑτέρους εἰς τὴν τῶν χρη-

nomine

„nomine & alios in pecuniarum administrationem secum ad-„sumsit, vt ne quis se carperet in ista exuberantia, quæ ab i-„pso administrabatur: quomodo non omnia a nobis agenda „sunt, vt malas a nobis suspiciones amoueamus, quantumuis „licet falsas, iniquas, & a nostra existimatione alienas? A nul-„lo enim peccato tantum absumus, quantum a furto aberat „*Paulus*. Attamen tantum ille quum abesset a prauo huius-„modi facinore, ne sic quidem negligendam sibi putauit com-„munem multorum suspicionem, etiamsi admodum iniquam at-„que insanam. Insania enim mera, tale quid suspicari de bea-„ta illa atque admirabili *Pauli* anima. Nihilo tamen minus, „quum huiusmodi suspicio sic iniqua atque absurda foret, vt in „nullius animum, nisi mente alienata esset, influere posset, „caussas ille a se omnes procul amolitur. Neque vero vulgi „contemsit insaniam, neque dixit: Quis tandem vestrum hoc „ipsum de nobis suspicari sustineat, quum nemo vestrum sit, „qui nos tum ex signis miraculisque, tum ex vitæ honestate at-„que integritate non reuereatur atque admiretur? Immo con-„tra & suspicatus ille est & exspectauit prauam hanc de se su-„spicionem, atque idcirco radicitus eam auellit, seu, vt verius „dicam, prorsus ne exoriri quidem eam permisit. Quamob-„rem? Procuramus enim, inquit, quæ honesta sunt, non mo-„do coram domino, sed etiam coram hominibus. Tantum cer-„te oportet; immo vero longe maius studium adhibere, vt ma-

μάτων διακονίαν· ἵνα μή τις ἡμᾶς μωμήσηται (φησιν) ἐν τῇ ἁδρότητι ταύτῃ, τῇ διακονουμένῃ ὑφ' ἡμῶν· πῶς ἡμᾶς οὐ πάντα δεῖ ποιεῖν, ὥστε τὰς πονηρὰς ἀναιρεῖν ὑποψίας, κἂν ψευδεῖς, κἂν ἀλόγιστοι τυγχάνωσιν οὖσαι, κἂν σφόδρα τῆς ἡμετέρας ἀπέχωσι δόξης· οὐδενὸς γὰρ ἁμαρτήματος τοσοῦτον ἡμεῖς ἀφεστήκαμεν, ὅσον κλοπῆς ὁ Παῦλος· ἀλλ' ὅμως καὶ τοσοῦτον ἀφεστηκὼς τῆς πονηρᾶς ταύτης πράξεως, οὐδὲ οὕτως ἠμέλησε τῆς τῶν πολλῶν ὑπονοίας, καίτοι λίαν οὔσης ἀλόγου καὶ μανιώδους· μανία γὰρ ἦν, τοιοῦτον ὑποπτεῦσαί τι περὶ τῆς μακαρίας καὶ θαυμαστῆς ἐκείνης ψυχῆς· ἀλλ' ὅμως οὐδὲν ἧττον καὶ ταύτης τῆς ὑποψίας, τῆς οὕτως ἀλόγου, καὶ ἣν οὐδεὶς ἂν μὴ παραπαίων ὑπώπτευσε, πόρρωθεν ἀναιρεῖ τὰς αἰτίας· καὶ οὐ διέπτυσε τὴν τῶν πολλῶν ἄνοιαν, οὐδὲ εἶπε· τίνι γὰρ ἂν ἐπέλθοι ποτὲ, τοιαῦτα περὶ ἡμῶν ὑπονοεῖν, καὶ ἀπὸ τῶν σημείων, καὶ ἀπὸ τῆς ἐπιεικείας τῆς ἐν τῷ βίῳ, πάντων ἡμᾶς καὶ τιμώντων καὶ θαυμαζόντων; ἀλλ' ἅπαν τοὐναντίον καὶ ὑπείδετο, καὶ προσεδόκησε. ταύτην τὴν πονηρὰν ὑπόνοιαν· καὶ πρόρριζον αὐτὴν ἀνέσπασε, μᾶλλον δὲ οὐδὲ φῦναι τὴν ἀρχὴν ἀφῆκε· διὰ τί; προνοοῦμεν γάρ φησι καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον κυρίου, ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον ἀνθρώπων· τοσαύτῃ δεῖ, μᾶλλον δὲ καὶ πλείονι κεχρῆσθαι σπουδῇ, ὥστε μὴ μόνον αἰρομένας κα-

„las opiniones, non solum dum erumpunt, diuellamus arceamusque; sed & procul, vnde erumpere possint, prospiciamus, „atque adeo caussas ipsas, e quibus enascantur, longo ante tempore interimamus, non etiam dum coalescant, & in vulgi ore „versentur, ac diuulgentur, exspectemus. Tum enim haud „procliue fuerit illas delere, sed admodum difficile: fortasse etiam nulla eas arte tum exstinguere valeas, neque vero tum „res noxa careat, propterea quod hoc ipsum fiat, quo tempore multorum conscientiam iam læseris.„ In hunc modum sanctus ille pater de hoc capite pro more suo neruose ac strenue argumentatur, vt clericis ostendat, quam sint ad summa vtendum prudentia obligati, quo offendiculis, omnes dubias & quodammodo suspectas actiones deuitando, anteuertant. HIERONYMVS [q] clericum suum eadem monet, *Caueto*, inquiens, *omnes suspiciones & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. --- Si propter officium clericatus, aut vidua a te visitatur aut virgo, nunquam domum solus introëas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris.*

§. XII.

Leges ad hanc materiam spectantes.

Neque autem hæc priuata solius HIERONYMI erat præceptio, sed publica ecclesiæ regula. Nam in concilio *Carthaginensi* tertio [r] decretum legimus, vt nec episcopi, nec presbyteri, nec vlli clerici alii ad viduas vel virgines soli accedant, nisi comitantibus vel præsentibus quibusdam clericis aliis aut grauibus aliquibus christianis. Et in concilio *Carthaginensi* primo [s] ac

ταςπᾶν καὶ κωλύειν τὰς φήμας τὰς ἐκ ἀγαθάς· ἀλλὰ καὶ πόῤῥωθεν, ὅθεν ἂν γένοιντο, προορᾷν· καὶ τὰς προφάσεις, ἐξ ὧν τίκτονται προαναιρεῖν, καὶ μὴ περιμένειν αὐτὰς συςῆναι, καὶ ἐν τοῖς τῶν πολλῶν διατρυλληθῆναι ςόμασι· τηνικαῦτα γὰρ ὔτε εὔπορον αὐτὰς ἀφανίσαι λοιπὸν, ἀλλὰ καὶ λίαν δυσχερὶς, τάχα δὲ καὶ ἀδύνατον· ὔτε ἀζήμιον, τῷ μετὰ τὴν τῶν πολλῶν βλάβην τῦτο γενέσθαι.

(q) Hier. epist. II. ad Nepot. p. 9. cit. edit.

(r) Conc. Carth. III. c XXV. (tom. II. conc. p. 1171.) Vt clerici vel continentes, ad viduos vel virgines, nisi iussu vel permissu episcoporum & presbyterorum, non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum clericis, vel cum his, cum quibus episcopus iusserit vel presbyter, *nec ipsi episcopi aut presbyteri soli habeant accessum ad huiusmodi feminas, nisi aut clerici præsentes sint, aut graues aliqui christiani.*

(s) Conc. Carth. I. c. III. (tom. II. p. 1823.) Occasiones amputandæ sunt peccatorum & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli, sub prætextu ca-

conci-

concilio *Epaonensi* [*t*] canones eiusdem argumenti reperiuntur.

§. XIII.

De ἀγαπητ]αῖς & συνεισάκτοις, deque legibus ecclesiasticis contra illas factis.

Synodus magna *Nicæna* aliam legem ex iisdem rationibus, ad anteuertendum omnibus sinistris opinionibus, dedit, ita habentem [*u*]: *Vetuit omnino magna synodus, ne liceat episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec vlli penitus eorum, qui sunt in clero, συνείσακτον ἔχειν, subintroductam habere mulierem, præterquam vtique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt.* Illi, qui hinc concludunt, quod clericis interdictum fuerit, ne cum vxoribus, quas ante clericatum legitimo matrimonio fœdereque habuissent, cohabitarent, a GOTHOFREDO [w] satis explosi sunt, vt qui verum significatum vocabuli *græci* συνείσακτος ignorent, quod numquam coniugem, sed *extraneam* semper denotat, a consanguineis diuersam. Manifestum etiam est, hunc canonem non propter clericos maritos sed cælibes factum esse, vt suspicioni & malis rumoribus occurreretur, qui facile oriri possent ex familiari eorum conuersatione cum fe-

ritatis & dilectionis, incautas animas vel ignaras irretire consueuit. *Nullus ergo & nulla sanctimoniæ deseruiens, propter blasphemiam ecclesiæ, si vobis placet, in vna domo penitus commorari non debent.* Vniuersi dixerunt: Qui nolunt nubere & pudicitiæ meliorem eligunt partem, vitare debent, non solum habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum.

(*t*) Conc. Epaonens. c. XX. (tom. IV. conc. p. 1578.) Episcopo, presbytero, & diacono vel cæteris clericis, horis præteritis, id est meridianis vel vespertinis, *ad feminas prohibemus accessum:* quæ tamen, si caussa fuerit, cum presbyterorum aut clericorum testimonio videantur.

(*u*) Conc. Nic. c. III. (tom. II. p. 29.) Ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον γυναῖκα ἔχειν· πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε.

(*w*) Gothofr. not. in cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XLIV. Neque hæ (coniuges) extraneæ sunt, neque cum his commune quidquam habet superior prohibitio de extraneis mulieribus non adsciscendis: quod vt hæc lex apertissime testatur, ita Paphnutii quoque historia collata cum dicto can. III. Nicæno pariter edocet. Quare falluntur, qui ad coniuges a maritis ad sacerdotium promotis diuellendas auctoritatem canonis Nicæni aduocant, qui non est nisi de EXTRANEIS, vt & epistolam Basilii ad Paregorium CXCVIII. quæ pariter non est nisi περὶ συνεισάκτων. *conf. omnino p. 87. tot. apud Gothofr. edit.*

minis, quæ non essent ipsis sanguine siue propinqua cognatione iunctæ. Qua in re lex quædam *Honorii* & *Theodosii iunioris*, quæ canoni *Niceno* accommodata est & adhuc in vtroque codice [x] deprehenditur, abunde satisfacere nobis potest. Hæc enim quum primum clericis interdixisset, habere cum extraneis mulieribus, sororum nomine adsumtis, consortium; & significasset, quasnam feminas in familiis suis alere possent, nimirum matres, filias & sorores germanas, quia naturale consanguinitatis fœdus omnem suspicionem amoturum sit: ne omissa coniugum exceptio illas etiam excludere videretur, hanc peculiarem de ipsis habet clausulam: *Illas etiam non relinqui castitatis hortatur adfectio, quæ ante sacerdotium maritorum legitimum meruere coniugium: Neque enim clericis incompetenter adiunctæ sunt, quæ dignos sacerdotio viros sua conuersatione fecerunt.* Igitur *συνείσακτοι* seu *extraneæ*, quibus hæc lex consortio cum clericis interdicit, non sunt legitimæ eorum coniuges, sed aliæ feminæ sororum nomine adsumtæ atque ita appellatæ ab illis, qui eas alebant, quemadmodum lex *Honorii* aliique vetusti scriptores [y] indicant. HIERONYMVS [z] & EPIPHANIVS [a] dicunt, quod etiam *aga-*

(x) Cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. XLIV. It. cod. Iustin. lib. I. tit. III. leg. XIX. Eum qui probabilem sæculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicumque igitur cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, *extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant;* hac eis tantum facultate concessa, vt matres, filias atque germanas, intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil sæui criminis existimari fœdus naturale permittit. Illas etiam non relinqui, cætera.

(y) Conc. Ancyr. c. XIX. (tom. I. p. 1464.) Τὰς μὲν τοι συνερχομένας παρθένους τισὶν, ὡς ἀδελφαῖς, ἐκωλύσαμεν. Virgines, quæ cum quibusdam tamquam cum fratribus congrediuntur, prohibuimus.

(z) Hieron. ep. XXII. ad Eustoch. p. 138. edit. Basil. MDLXV. (p. 90. B. edit. Francof MDCLXXXIV.) Vnde in ecclesias *agapetarum* pestis introiit?

(a) Epiphan hær. LXIII. Origen. n. II. Κατηγοροῦσι τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰς Ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας κεκτημένων, ὡς καὶ αὐτῶν τοῦτο ἐπιτελούντων κρυφῇ διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων αἰδῶ· ἵνα μὲν τῇ πονηρίᾳ συνθάπτωνται, τῷ δὲ προσχήματι τῶν ἀνθρώπων ἕνεκα τὸ ὄνομα σεμνύνωνται, Catholicos illos clericos accusant, qui *dilectas*, quas vocant, & *extraneas* feminas adsciscunt: quos asserunt clanculum istud ipsum propter hominum pudorem committere: vt & cum nequitia illa sepeliantur; & specie tenus, ob aliorum verecundiam, castitatis nomine glorientur.

petarum

petarum, ἀγαπητῶν, hoc eſt, *dilectarum* nomine notæ fuerint. Vt adeo omnes iſtæ diuerſæ appellationes vnum tantum genus mulierum ſignificent, quæ vt plurimum extraneæ & συνείσακτοι fuerunt, quarum conuerſatio ſuſpecta erat adeoque legibus eccleſiæ toties interdicta. Plerumque virgines erant ad eccleſiam ſpectantes, quas qui alebant, tantummodo vt ſorores caſte eas amare præ ſe ferebant. Sed conuerſandi cum illis ratio ſæpenumero iſtiusmodi erat, vt in magnam omnium caſtorum ac honeſtorum hominum haud immerito incurreret offenſionem; cui rei niſi eccleſia ſeueriſſimas ſemper oppoſuiſſet leges, magnæ exprobrationi ſemetipſam obnoxiam reddidiſſet. Ex CYPRIANI [*b*] enim, HIERONYMI [*c*] ac aliorum querelis intelligimus, quarumdam agendi rationem fuiſſe prorſus intolerabilem. Nam non ſolum eamdem cum maſculis domum habitabant, ſed in eodem ſe tenebant cubiculo, ſæpe eodem etiam lecto dormitabant; nihilo ſecius integræ haberi volentes, aliosque inhumanos & ſuſpicioſos vocantes, ſi quid mali de ipſis cogitarent. Verum eccleſia nulla vanorum verborum habita ratione illas pro eo ac merebant, tractabat, tamquam quæ vitam agerent plenam offenſionis, & indecentem licentiam libertatemque adfectarent, veræ peſtes ac plagæ eccleſiæ exſiſtentes. CYPRIANVS [*d*] laudat

(*b*) Cyprian. ep. VI. al. XIV. (p. 15. edit. Pariſ. MDCLXVI.) Cum ſummo animi noſtri gemitu & dolore cognouimus, non deeſſe, qui Dei templa, & poſt confeſſionem ſanctificata & illuſtrata membra turpi & infami concubitu ſuo plus maculent, cubilia ſua cum feminis promiſcua iungentes. cætera.

Id. ep. LXII. al. IV. (p. 98. edit. citat.) Legimus litteras tuas, frater cariſſime, quas per Paconium fratrem noſtrum miſiſti; poſtulans & deſiderans, vt tibi reſcriberemus, quid nobis de iis virginibus videatur, quæ quum in ſtatu ſuo eſſe & continentiam firmiter tenere decreuerint, detectæ ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis: Ex quibus vnum diaconum eſſe dicis; plane easdem quæ ſe cum viris dormiſſe confeſſæ ſint, adſeuerare ſe integras eſſe. cætera.

(*c*) Hieron. ep. XXII. ad Euſtach. pag. cit. Vnde in eccleſias agapetarum peſtis introiit? Vnde ſine nuptiis aliud nomen vxorum? Immo vnde nouum concubinarum genus? Plus inferam: Vnde meretrices vniuiræ? Quæ eadem domo, vno cubiculo, ſæpe vno tenentur & lectulo; & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimamus.

(*d*) Cyprian. ep. LXII. (p. 99. edit. cit.) *Conſulte & cum vigore feciſti*, frater cariſſime, *abſtinendo diaconum, qui cum virgine ſæpe manſit, ſed & cæteros qui cum virginibus dormire conſueuerunt.* Quod ſi pœnitentiam huius illiciti concubitus ſui egerint, & a ſe inuicem receſſerint, inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter, & ſi virgines inuentæ fuerint, accepta communicatione ad eccleſiam admittentur, hac tamen interminatione, vt ſi ad eosdem

 Tempo-

Pomponium, quod diaconum in iſthoc crimine deprehenſum ab officio amouiſſet. Et patres concilii *Antiocheni* [e] inter alias rationes, cur *Paulum Samoſatenſem* epiſcopatu ſuo exuerint, & hanc adlegabant, quod *συνεισάκτους γυναῖκας ſubintroductas* habuerit mulieres. In ſubſequutis ſæculis, præter iam memorata concilia *Nicænum* & *Ancyranum*, multos alios canones hoc intuitu factos inuenimus, vt in concilio ſecundo *Arelatenſi* [f], primo, tertio & quarto *Carthaginenſibus* [g], in concilio *Illiberritano* [h] ac *Ilerdenſi* [i] multiſque aliis, qui clericis ſub pœna adimendæ dignitatis interdicunt, ne vllam mulierem extraneam, & quæ non ſit de ipſorum propinqua cognatione, foueant. Qui canones vniuerſi eo ſpectabant, vt clericos non tantum ad agendum vitam innocentem coram Deo, ſed etiam ad præſtandum ſe omni culpa & ſuſpicione vacuos coram hominibus obliga-

maſculos poſtmodum reuerſæ fuerint, aut ſi cum eisdem in vna domo & ſub eodem tecto ſimul habitauerint, grauiore cenſura eiiciantur, nec in eccleſiam poſtmodum facile recipiantur. cætera.

(e) Epiſtol. ſynod. ap. Euſeb. lib VII. c. XXX. Τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, κ. τ. λ. Quid heic referre attinet *ſubintroductas*, vt Antiocheni vocant, *mulieres*, tam ipſius quam presbyterorum eius ac diaconorum? cætera.

(f) Conc. Arelat. II. c. III. (tom. IV. p. 1011.) Si quis clericus a gradu diaconatus in ſolatio ſuo mulierem, præter auiam, matrem, filiam, neptem, vel conuerſam ſecum vxorem, habere præſumſerit, a communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem, ſi ſe ſeparare noluerit, pœna percellat.

(g) Conc. Carth. I. c. III. vid. ſupra ſub not. (s) pag. 336. c. IV. Iuxta viduos & viduas eadem lex maneat & ſententia.

Conc. Carth. III c. XVII. (tom. II. p. 1170.) Cum omnibus omnino clericis extraneæ feminæ non cohabitent, ſed ſolæ matres, auiæ, materteræ, amitæ, ſorores, & filiæ fratrum aut ſororum, & quæcumque ex familia, domeſtica neceſſitate, etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabant. cætera.

Conc. Carth. IV. c. XLVI. (ibid. p. 1204.) Clericus cum extraneis mulieribus non habitet.

(h) Conc. Illiberrit. c. XXVII. (tom. I. p. 973.) Epiſcopus vel quilibet alius clericus, aut ſororem, aut filiam virginem dicatam Deo, tantum ſecum habeat; *extraneam nequaquam habere placuit.*

(i) Conc. Ilerdenſ. c. XV. (tom. IV. p. 1613.) Familiaritatem *extranearum mulierum*, licet ex toto ſancti patres antiquis monitionibus præceperint, eccleſiaſticis euitandam, id nunc tamen nobis viſum eſt, vt qui talis probabitur, ſi poſt primam & ſecundam commonitionem ſe emendare neglexerit, donec in vitio perſeuerat, officii ſui dignitate priuetur.

rent:

rent: quia iſtiusmodi gerentibus munera cumprimis neceſſum erat, non tantum bonam conſcientiam ſed bonam etiam famam, & illam quidem ſua, hanc autem aliorum cauſſa, cuſtodire. Hinc AVGVSTINVS [k] „In omnibus ſane ſpiritualibus deliciis, in„quit, quibus fruuntur innuptæ, ſancta earum conuerſatio cauta „etiam debet eſſe, ne forte, quum mala vita non ſit per laſci„viam, mala ſit fama per negligentiam. Nec audiendi ſunt, ſiue „viri ſancti ſiue feminæ, quando reprehenſa in aliquo negligen„tia ſua, per quam fit, vt in malam veniant ſuſpicionem, vnde „vitam ſuam longe abeſſe ſciunt, dicunt, ſibi coram Deo ſuffi„cere conſcientiam, exiſtimationem hominum non impruden„ter ſolum, verum etiam crudeliter contemnentes: quum occi„dunt animas aliorum, ſiue blasphemantium viam Dei, quibus „ſecundum ſuam ſuſpicionem quaſi turpis quæ caſta eſt diſpli„cet vita ſanctorum: ſiue etiam cum excuſatione imitantium; „non quod vident, ſed quod putant. Proinde quisquis a cri„minibus flagitiorum, atque facinorum vitam ſuam cuſtodit, ſi„bi benefacit: quisquis autem etiam famam, & in alios miſe„ricors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama no„ſtra: & vtique etiam quod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſa„lutem, ad noſtram quoque redundat vtilitatem.

§. XIV.

Maleuolæ & ineuitabiles ſuſpiciones contemnendæ.

Fieri autem poteſt, vt licet quis omnem cautionem adhibeat & prudentiam, quæ quidem ab ingenio humano poſſit exſpectari, nihilo tamen magis maleuolas inuidorum hominum ſuſpiciones euitet. Neque enim ipſe celebrandus dominus noſter, cuius innocentia & vitæ integritas prorſus diuina erat, in conuerſatione hominum eas omni ex parte potuit effugere. In tali caſu eccleſia non aliam niſi patientiæ & ſolatii regulam, quam diſcipulis ſuis ſeruator noſter dedit, præſcribere poterat: *Beati eritis, quum vos conuiciis adſecerint, & perſequuti fuerint & mentientes dixerint quiduis mali [l] aduerſus vos propter me. Gaudete & exſultate: quoniam merces veſtra multa eſt in cælis: ita enim perſequuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante vos.* „Quoniam, *inquit* AVGVSTI-

(k) Auguſt. de bono viduit, c, XXII, (tom. IV. p. 1031, edit. Baſil. MDLXIX.)
(l) Matth, V, 11,

„NVS [m], quantalibet humana cautela ſuſpiciones maleuolentiſſi-„mas non poteſt omni ex parte vitare, vbi pro exiſtimatione no-„ſtra, quidquid recte poſſumus, fecerimus, ſi aliqui de nobis vel „male fingendo, vel male credendo famam noſtram decolorare „conantur, adſit conſcientiæ ſolatium planeque etiam gaudium, „quod merces noſtra magna eſt in cælis: etiam quum dicunt ho-„mines mala multa de nobis, pie tamen iuſteque viuentibus. „Illa enim merces tamquam ſtipendium eſt militantium per ar-„ma iuſtitiæ, non ſolum dextra verum etiam ſiniſtra, per glori-„am ſcilicet & ignominiam, per infamiam & bonam famam.„ Hactenus de legibus eccleſiæ, quæ ad vitam & conuerſationem veterum clericorum attinent.

LIBRI SEXTI
CAPVT TERTIVM

DE LEGIBVS, QVAE MAGIS SPECIATIM AD OFFICIORVM ET FVNCTIONIS CLERICORVM EXERCITIVM SPECTANT.

§. I.

Clericos in ſtudiis ac litteris adſidue verſari oportebat.

DE iis legibus diſſerere nunc adgredimur, quæ propius ad clericorum functionem huiusque diuerſa officia ſpectant. Quorum in enarratione, quia multa horum officiorum poſtmodum fuſius conſideranda erunt, vbi de liturgia & cultu eccleſiaſtico ſumus expoſituri, de illis officiis præcipue heic dicemus, quæ ab illis requiſita fuerunt, vt generaliore eorum exercitio ad ſpecialiora functionis ſuæ officia magis idonei efficerentur. Huiusmodi quid primo loco erat, quod ad ſtudia litterarum adſidue tractanda obligarentur. Quum enim, GREGORIO NAZIANZENO [a] obſeruante, ad leuiſſimas artes addiſcendas diuturno tempore & plurimis laboribus ac ſudoribus, interdum etiam longis peregrinationibus, opus ſit: magnæ ſtultitiæ foret exiſtimare, ſapientiam, quæ humanarum ac diuinarum rerum ſcientiam

(m) Auguſtin ibid. p. 1033.

(a) Naz. orat. I. de fuga (tom. I. p. 22.) Ὀρχήσεως μὲν καὶ αὐλήσεώς ἐστι διδασκαλία καὶ μάθησις, καὶ χρόνου πρὸς τοῦτο δεῖ, καὶ ἱδρώτων συχνῶν καὶ πόνων, καὶ μισθοὺς καταβαλεῖν ἐστὶν, ὅτε, καὶ προσαγωγῶν δεηθῆναι, καὶ ἀποδημῆσαι μακρότερα, καὶ τ' ἄλ-

& bona

& bona omnia complexu ſuo tenet, rem vſque adeo leuem & protritam eſſe, vt ad hoc, vt quiſquam ſapiens ſit, voluntas ſola requiratur. Multos quidem ſuæ ætate ita ſenſiſſe, queritur, „Tam male [*b*] adficimur, inquiens, vt quam plurimi ex nobis (ne „omnes dicam) prius fere quam primam comam abiecerimus, „puerilique more balbutire deſierimus, priusquam in diuina atria „introierimus, priusquam ſacrorum librorum vel nomina ipſa „nouerimus, priusqam noui veteriſque teſtamenti characterem „& auctores cognitos habuerimus, (nondum enim dico, prius- „quam cœnum & animæ labes, quas peccatum nobis impreſſit, „eluerimus) ſi duo aut tria pia verba edidicerimus eaque non ex „lectione ſed auditione ſola hauſta, aut *Dauidi* paullum operæ „dederimus, aut pallium ſcite contraxerimus, aut zona tenus „philoſophati fuerimus, pietatis ſpeciem quamdam nobis illinen- „tes: o præfecturam! o elatum animum! ſacer etiam ab in- „cunabilis *Samuel*: ſtatim ſapientes & magiſtri ſumus & in di- „vinis rebus ſublimes & ſcribarum ac legis peritorum primi, ac „cæleſtes nos ipſos deſignamus & vocari ab hominibus Rabbi „expetimus, nec vſquam littera; ſed omnia ſpirituali modo in- „telligantur, oportet, ac meræ nugæ ſomnia ſunt, atque niſi ma- „gnis laudibus efferamur, indignatione adficimur.„ Hoc ipſum e neglectione ſtudiorum ac laborum exſiſtere, queritur, in qui- bus tamen animi eorum, qui ſacri muneris officia in ſe recepe-

λα τὰ μὲν ποιῆσαι πάντα, τὰ δὲ παθεῖν οἷς ἐμπειρία συλλέγεται· τὴν δὲ σοφίαν, ἣ πᾶσιν ἐπιστατεῖ, καὶ πάντα ἐν ἑαυτῇ τὰ καλὰ συλλαβοῦσα ἔχει - - - οὕτω κοῦφόν τι καὶ πεπατημένον πρᾶγμα ὑποληψόμεθα, ὥστε θελῆσαι δεῖ μόνον καὶ εἶναι σοφόν; πολλῆς τοῦτο τῆς ἀμαθίας.

(*b*) Ibid. p. 21 Οὕτω κακῶς διακείμεθα, ὥστε οἱ πλείους ἡμῶν, ἵνα μὴ λέγω πάντες, πρὶν ἀποθέσθαι σχεδὸν τὴν πρώτην τρίχα, καὶ τὸ τὰ παιδικὰ ψελλίζεσθαι, πρὶν παρελθεῖν εἰς τὰς θείας αὐλάς; πρὶν τῶν ἱερῶν βίβλων γνῶναι καὶ τὰ ὀνόματα, πρὶν καινῆς καὶ παλαιᾶς χαρακτῆρα γνωρίσαι, καὶ τοὺς προστάτας· (οὔπω γὰρ λέγω, πρὶν ἢ τὸν βόρβορον ἀποπλύνασθαι, καὶ τὰ τῆς ψυχῆς αἴσχη, ὅσα ἡ κακία ἡμῖν προσεμάξατο) ἂν δύο ἢ τρία ῥήματα τῶν εὐσεβῶν ἐξασκήσωμεν, καὶ ταῦτα ἐξ ἀκοῆς, οὐκ ἐντεύξεως, ἢ τῷ Δαβὶδ βραχέα καθομιλήσωμεν, ἢ τὸ τριβώνιον εὖ περιστειλάμεθα, ἢ μέχρι τῆς ζώνης φιλοσοφήσωμεν, εὐσεβείας τι πλάσμα κατ᾽ ὄψιν ἡμῖν αὐτοῖς περιχρώσαντες· βαβαὶ τῆς προεδρίας καὶ τοῦ φρονήματος! ἱερὸς καὶ ἐκ σπαργάνων ὁ Σαμουήλ· εὐθὺ ἐσμὲν σοφοὶ καὶ διδάσκαλοι καὶ ὑψηλοὶ τὰ θεῖα, καὶ γραμματέων τὰ πρῶτα καὶ νομικῶν, καὶ χειροτονοῦμεν ἡμᾶς αὐτοὺς οὐρανίους, καὶ καλεῖσθαι Ῥαββὶ ζητοῦμεν, καὶ οὐδαμοῦ τὸ γράμμα, καὶ πάντα δεῖ νοηθῆναι πνευματικῶς, καὶ λῆρος πλατὺς τὰ ὀνείρατα, καὶ ἀγανακτοίημεν ἄν, εἰ μὴ σφόδρα ἐπαινοίμεθα.

runt,

runt, perpetuo occupati esse debeant. CHRYSOSTOMVS hanc rem paullo vlterius persequitur & necessitatem continui laboris ac studiorum in clerico ex demandato ei opere & negotio demonstrat, cuius vna quæque pars magnam sedulitatem ac animi applicationem requirat. Primum ad adhibendum commodas variis animarum [c] morbis curationes aptum esse debere dicit, quod officium plus experientiæ ac laboris postulet, quam curatio morborum, quibus corpora mortalium obnoxia sunt: & hoc ipsum per solam sermonis euangelici doctrinam fieri adeoque hanc in qualibet morbi parte applicari oportere. Deinde ad omnium aduersariorum [d], iudæorum, gentilium & hæreticorum ora obturanda debere esse idoneum, qui diuersis artibus diuersisque armis vtantur, quibus veritati insultent; quorum nisi omnes fallacias ac artificia satis perspecta & cognita habeat, noueritque, quo pacto ipse se recte defendat, periculum esse, ne non tantum eorum quemlibet ecclesiam diripere ac deuastare patiatur, sed ipse etiam in errorem alium incidat, dum alium oppugnet. Nihil enim vulgatius esse, quam vt indocti & inexercitati disputatores de vna extremitate in alteram prolabantur; id quod in controuersiis, quæ ecclesiæ cum *Marcionitis* ac *Valentinianis* ab vna parte, & ab altera cum *Iudæis* circa legem *Mosis* intercesserunt; nec non in disputationibus de Trinitate inter *Arianos* & *Sabellianos* obseruari posse, monet. Nisi quis igitur verbo Dei bene peritus ac exercitatus sit, veramque artem ac regulas disputandi calleat, quod sine perpetua industria ac labore exspectari nequeat, fieri non posse, concludit, vt fundamentum suum & veritatem pro eo ac deceat, contra tot subtiles & astutos aduersarios tueatur. Hinc *Pauli* monitum quod *Timotheo* 1. ep. IV, 13. 15. dedit, inculcat [e]: *Intentus esto lectioni, exhortationi, doctrinæ. Hæc meditare, in his esto: vt tuus profectus manifestus sit inter omnes.* Denique ostendit [f], quam difficile sit & laboriosum negotium concionibus & disputationibus ad populum habendis semper intentum esse, quum admodum seueri iudices lucubrationum concionatoris euaserint, nec permittere ei

(c) Chrysost. de sacerdot. lib. IV. c. III. tot.
(d) Ibid. lib. IV. c. IV. tot.
(e) Ibid. lib. IV. c. VIII.
(f) Ibid. lib. V. c. I. tot.

velint,

velint, vt vel partem aliquam eorum, quæ ab aliis elaborara fuerint, ſuis ipſius concionibus intertexat, vel propriis inuentis iterum vtatur. Heic ſuſceptam operis prouinciam ſæpius eſſe multo difficiliorem, quod aures ſuas vulgus adſuefecerit, non vt ad vtilitatem, ſed ad voluptatem potius audiant, quemadmodum facere ſoleant ii, qui vel de tragœdis vel de citharœdis iudicaturi ſedeant. Heic ergo concionatoris ſtudium ac laborem excitari debere, ipſique eo opus eſſe animo, qui longe exiguitatem hanc ſuperet, vt multitudinis voluptatem illam immoderatam infructuoſamque compeſcat, poſſitque illorum auditione ad id, quod vtilius futurum ſit, transferre, hac ratione, vt populum ſe ſequentem ac ſibi obſecundantem habeat, non autem vt ipſe a populi deſideriis agatur. Et quanto maiore dicendi vi præditus ſit, tanto pertinaciore ſtudio [g] atque exercitatione vim huiusmodi excolere eum oportere, vt vbique dicta illius omnia exiſtimationis ipſius magnitudini reſpondeant, ne ſcommatis ac criminationibus populi ipſe ſe exponat. Hiſce & ſimilibus argumentis ſanctus ille pater vtitur, oſtenſurus, quantum eorum, qui ſacro quodam funguntur munere interſit, ſtudiis ac laboribus ſemetipſos tradere, vt hac ratione ad ſatis faciendum diuerſis functionis ſuæ officiis, quibus ſe ſubducere non poſſunt, tanto magis idonei fiant.

§. II.

Nulla excuſatio, tamquam iuſta apologia, in contrarium admiſſa.

Nonnullos quidem ipſius *Pauli* apoſtoli teſtimonium in ignorantiæ ſuæ defenſionem adlegare ſibique ipſis in doctrinæ inopia placere, dicit CHRYSOSTOMVS, quod nec apoſtolus inſcitiam ſuam diſſimulet, ſed ſermone rudem ſe eſſe, aperte profiteatur. Sed his ſanctus pater apprime rectiſſime reſpondet, non poſſe eos apoſtolicæ mentis altitudinem exacte rimari neque verborum ſenſum capere, adeoque teſtimonium illud ad excuſandam ſocordiam atque oſcitantiam [h] in neceſſariis cognitionis, quam vita clericalis requirat, partibus fruſtra ab ipſis vrgeri. Si ſumma peregrinæ ac profanæ eloquentiæ vis a clericis rigide requirere-

(g) Chryſoſt. de ſacerdot. lib. V. c. V. tot.

(h) Ibid. lib. IV. c. VI. & VII. tot.

tur; Si *Isocratis* tersum læuorem, *Demosthenis* amplam sublimitatem, *Thucydidis* venerandam maiestatem, *Platonis* excellentem dignitatem in concionibus suis semper exprimere iuberentur; tum quidem *Pauli* testimonium adducere non abs re futurum: iam vero omnibus illis prætermissis orationis paupertatem sic permitti eis posse, vt rerum verborumque compositio nuda ac simplex sit: modo ne quis in cognitione atque adeo in dogmatibus fidei ac religionis diligenter excutiendis rudem sed peritum ac exercitatum se præstet; qualem *Paulus* se præstiterit, cuius magna fuerit apud omnes qua disputantis, qua concionantis admiratio; & omnino iniustum esse, rudem ipsi ac incomtam orationem tribuere, qui sua dicendi facultate victoriam de *iudæis* pariter & *græcis* reportarit, eaque effecerit, vt multi gentilium ipsum *Mercurium* esse suspicarentur. Ex eiusmodi datis facultatis dicendi ac persuadendi documentis liquido constare, *Paulum* non mediocrem his in studiis operam collocasse; adeoque eius testimonium in ignorantiæ ac socordiæ patrocinium pessime adferri, cuius exemplum tanto eis sit opprobrio. Rursus alios esse, idem CHRYSOSTOMVS dicit, qui omne ministri ecclesiæ officium ad bonam vitam referant, aliam inde cognitionis ac doctrinæ inopiæ, nec non artis concionandi disputandique ignorantiæ excusationem petentes. Sed ad hoc respondet, [*i*] vtrumque in sacerdote requiri; ipsumque non tantum facere sed etiam docere præcepta Christi, & tum factis tum verbis eos quos erudiat, ad beatam vitam conducere oportere: vtramque officii sui partem coniungendam esse & alteram alterius subsidio indigere ad consummatam ædificationem. Alioquin in controuersiis de religionis capitibus vitæ honestatem doctrina vacuam nihil vtilitatis habituram, pluribus docet. „ Quum, „de dogmatibus, inquit, [*ii*] exortum fuerit certamen depu„gnentque omnes ab iisdem scripturis, quamnam heic vitæ „exemplum facultatem præstare, quamnam vim exhibere „poterit? Quidnam vero vtilitatis sudores permulti adlaturi sunt,

(*i*) Chrysost. de sacerdot. lib. IV. c. VIII. tot.

(*ii*) Ibid. lib. IV c. IX. Ὅταν δὲ ὑπὲρ δογμάτων ἀγὼν κινῆται, καὶ πάντες ἀπὸ τῶν αὐτῶν μάχωνται γραφῶν, ποίαν ἰσχὺν ὁ βίος ἐνταῦθα ἐπιδεῖξαι δυνήσεται; τί τῶν πολλῶν ὄφελος ἱδρώτων, ὅτ' ἂν μετὰ τοὺς μόχθους ἐκείνους, ἀπὸ τῆς πολλῆς τις ἀπειρίας εἰς αἵρεσιν ἐκπεσὼν ἀποσχισθῇ τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας; ὅπερ οἶδα πολλοὺς

quum

„quum vel poſt labores illos exhauſtos a craſſa quadam inſcitia „in hæreſin quis delapſus, ab eccleſiæ corpore abſciſſus auulſusque fuerit? quod quidem ſcio multis vſu veniſſe. Quod tandem illi tum fuerit tolerantiæ commodum? certe nullum. Sicut „neque fidei integræ neque incolumis vſus fuerit vllus, ſi perdite alioqui ac corrupte vixeris. Quibus de cauſſis eum oportet, qui docendorum aliorum munus ſortitus eſt, inprimis huiusmodi certaminum peritiam habere. Nam tametſi tutus ipſe „perſtat, nihilque prorſus ab aduerſariis læditur, tamen ſimpliciorum hominum multitudo illi ſubiecta, vbi animaduerterit, „ducem victum eſſe, ac nihil facere, quo ſe contra aduerſarios „tueatur, iam non victi infirmitatem; ſed dogmatis potius imbecillitatem vitiumque cauſſantur. Atque ita demum ob vnius hominis imperitiam multus populus in extremam perniciem præceps rapitur, qui quamquam haud ſe penitus cum fidei aduerſariis coniungunt, tamen in iis ambigere coguntur, de „quibus confidere ipſi poterant, & ad quos ſeſe cum fide inconcuſſa contulerant, iam non illis cum eadem conſtantia attenti „eſſe poſſunt; verum tantus æſtus, tanta tempeſtas illorum animas infeſtat ſuperato præceptore, vt malum ipſum in „naufragium tandem erumpat.„ HIERONYMVS itidem hanc excuſationem grauiter reprehendit, quando clerico ſuo [k] ſcribit, „nec ruſticum & tamen ſimplicem fratrem ideo debere ſe ſanctum putare, ſi nihil nouerit: nec peritum & eloquentem in „lingua æſtimare ſanctitatem. Quamuis enim multo melius ſit, „e duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam habere, quam elo-

παθόντας ἐγώ· ποῖον αὐτῷ κέρδος τῆς καρτερίας; οὐδέν· ὥσπερ οὖν οὐδὲ ὑγιοῦς πίστεως, τῆς πολιτείας διεφθαρμένης· Διὰ δὴ ταῦτα μάλιστα πάντων ἔμπειρον εἶναι δεῖ τῶν τοιούτων ἀγώνων, τὸν διδάσκειν τοὺς ἄλλους λαχόντα· εἰ γὰρ καὶ αὐτὸς ἕστηκεν ἐν ἀσφαλείᾳ μηδὲν ὑπὸ τῶν ἀντιλεγόντων βλαπτόμενος, ἀλλὰ τὸ τῶν ἀφελεστέρων πλῆθος, τὸ τεταγμένον ὑπ᾽ ἐκείνῳ, ὅτ᾽ ἂν ἴδῃ τὸν ἡγούμενον ἡττηθέντα, καὶ οὐδὲν ἔχοντα πρὸς τοὺς ἀντιλέγοντας εἰπεῖν· οὐ τὴν ἀσθένειαν τὴν ἐκείνου τῆς ἥττης, ἀλλὰ τὴν τοῦ δόγματος αἰτιῶνται σαθρότητα· καὶ διὰ τὴν τοῦ ἑνὸς ἀπειρίαν, ὁ πολὺς λεὼς εἰς ἔσχατον ὄλεθρον καταφέρεται· κἂν γὰρ μὴ πάντη γένωνται τῶν ἐναντίων· ἀλλ᾽ ὅμως, ὑπὲρ ὧν θαῤῥεῖν εἶχον, ἀμφιβάλλειν ἀναγκάζονται· καὶ οἷς μετὰ πίστεως προσῄεσαν ἀκλινοῦς, οὐκ ἔτι μετὰ τῆς αὐτῆς δύνανται προσέχειν στεῤῥότητος· ἀλλὰ τοσαύτη ζάλη τῶν ἐκείνων εἰσοικίζεται ψυχαῖς ἀπὸ τῆς ἥττης τοῦ διδασκάλου· ὡς καὶ εἰς ναυάγιον τελευτῆσαι τὸ κακόν.

(k) Hieron. epiſt. II. ad Nepotian.

quen-

„quentiam peccatricem; in consummato tamen sacerdote v-
„trumque requiri, nec minus scientia quam sanctitate opus esse, vt
„ad explendas diuersas functionis suæ partes idoneus reddatur.„
Hunc in modum sancti illi doctores clericorum ignorantiæ ibant obuiam, ipsosque aptis argumentis eo adducere adlaborabant, vt ad studia doctrinæ sese conferrent, quippe qua via sola eam rerum peritiam comparare sibi possent, quæ ad multa grauia functionis suæ officia obeunda sufficeret.

§. III.

Præcipuum eorum studium in sacrarum litterarum & probatorum scriptorum ac canonum ecclesiæ tractatione versari debebat.

Non autem quoduis studiorum genus promiscue, sed sacræ scripturæ tractationem in primis commendabant; quippe quæ eruditionis, ad ipsorum functionem maxime requisitæ & ab ipsis quauis occasione adhibendæ, esset scaturigo. Nam, CHRYSOSTOMO obseruante, in spirituali animarum curatione verbum Dei omnium rerum, quæ in curatione corporum adhiberi solent, vicem supplet. „Hoc [l] instrumentum est, inquit, hoc cibus,
„hoc aëris temperamentum optimum, hoc medicamenti instar,
„hoc ignis loco, hoc ferri vice: ac si vel vrere, vel secare o-
„pus, hoc ipso vti necesse: atque hoc si nihil profuerit, reliqua
„omnia euanida pereant oportet. Hoc & iacentem animam
„suscitamus & tumescentem compescimus: hoc & superua-
„canea amputamus & quæ desunt supplemus, cæteraque o-
„omnia conficimus, quæ ad animi conferunt incolumitatem.
„Ac sane vt vitam quam optime constituas, alterius hominis
„vita te ad idem exemplum æmulationemque parem pertrahe-
„re possit. At quum humanus animus decretorum minime ve-
„rorum sententiarumque a fide abhorrentium morbis laboraue-
„rit, heic demum euangelici sermonis vsus magnopere necessa-
rius,

(l) Chrysost. de sacerdot. lib. IV. c. III. Τοῦτο τὸ ὄργανον, τοῦτο τροφὴ, τοῦτο ἀέρων κράτις ἀρίστη· τοῦτο ἀντὶ φαρμάκου, τοῦτο ἀντὶ πυρὸς, τοῦτο ἀντὶ σιδήρου· κἂν καῦσαι δέῃ καὶ τεμεῖν, τούτῳ χρήσασθαι ἀνάγκη· κἂν τοῦτο μηδὲν ἰσχύσῃ, πάντα οἴχεται τὰ λοιπά· τούτῳ καὶ κειμένην ἐγείρομεν, καὶ φλεγμαίνουσαν καταστέλλομεν τὴν ψυχὴν, καὶ τὰ περιττὰ περικόπτομεν, καὶ τὰ λείποντα πληροῦμεν, καὶ τὰ ἄλλα ἅπαντα ἐργαζόμεθα, ὅσα εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ὑγείαν ἡμῖν συντελεῖ· πρὸς μὲν γὰρ βίου κατάστασιν ἀρίστην, βίος ἕτερος εἰς τὸν ἴσον ἂν ἐπαγάγοι ζῆλον· ὅτ' ἂν δὲ περὶ δόγματα νοσῇ

„rius, non ſolum, vt qui tibi domeſtici ſunt, robores atque con„firmes: verum etiam vt cum externis bellum geras, ac manus „conſeras.„ cætera. *Quapropter*, infert tandem [*ll*], *ingens adhibere ſtudium oportet, vt Chriſti ſermo in nobis largiter inhabitet.* Hoc ſtudium ipſis neceſſarium erat, vt ſpeciatim ad verbi diuini prædicationem digne peragendam idonei fierent; ſiquidem HIERONYMO iudice [*m*], optima ſermonis cuiusdam commendatio eſt, ſi ſcripturarum lectione ſit conditus. Præterea extemporalis ſcripturæ explicatio, quæ ipſis ſæpius, quum pars quædam legeretur, facienda erat, hominem requirebat in omnibus eius partibus verſatiſſimum phraſiumque, ſenſus, doctrinarum ac myſteriorum diuinorum eruditiſſimum, vt ferente quauis occaſione expeditam & facile currentem nec non audientium ædificationi accommodatam orationem de illis habere poſſet. Et in hunc ipſum finem canones quidam [*n*] præcipiunt, vt ne plures horæ vacantes, præſertim prandio & cœnæ conſtitutæ ſine ſacrarum litterarum lectione tranſigerentur; partim ad excludendum otioſas & minus neceſſarias fabulas, partim ad ſubminiſtrandum ipſis materiam ac argumentum, de quo inter ſe colloquentes alii alios ædificare poſſent. HIERONYMVS *Nepotianum* amicum ſuum hoc nomine laudat, quod per omne conuiuium [*o*] de ſacris ſcripturis aliquid proponere, & conuictores vtilibus ſermonibus inde inſtitutis oblectare conſueuerit. Poſt ſcripturas tempus

ἡ ψυχὴ τὰ νόθα, πολλὴ τȣ̃ λόγȣ ἐνταῦθα ἡ χρεία, ȣ̓ πρὸς τὴν τῶν οἰκείων ἀσφάλειαν μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς τȣ̀ς ἔξωθεν πολέμȣς.

(*ll*) Ibid. c. IV. Διὸ πολλὴν χρὴ ποιεῖσθαι τὴν σπȣδὴν, ὥστε τὸν λόγον τȣ̃ χριστȣ̃ ἐν ἡμῖν ἐνοικεῖν πλȣσίως.

(*m*) Hieron. ep. II. ad Nepotian. (p. 10. C. edit. Franc. MDCLXXXIV.) Sermo presbyteri ſcripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum & ſacramentorum Dei tui eruditiſſimum.

(*n*) Conc. Tolet. III. c. VII. (tom. V. concil. 1011.) Pro reuerentia Dei ſacerdotum, id vniuerſa ſancta conſtituit ſynodus; vt quia ſolent crebro menſis otioſæ fabulæ interponi, in omni ſacerdotali conuiuio lectio ſcripturarum diuinarum miſceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur.

(*o*) Hieron. epitaph. Nepot. ep. III. ad Heliodor. (p. 16. C. edit. cit.) *Sermo eius per omne conuiuium de ſcripturis aliquid proponere*, libenter audire, reſpondere verecunde, recta ſuſcipere, praua non acriter confutare, diſputantem contra ſe magis docere, quam vincere,

ſuum optimis auctoribus eccleſiaſticis eum impendiſſe, eorumque adſidua lectione & meditatione diuturna in pectoris ſui bibliothecam tantum theſaurum congeſſiſſe narrat, vt commoda quauis occaſione eorum verba recitare potuerit, *Illud*, inquiens, *Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii eſt. Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt loquutus Arnobius.* Inter ſcriptores vero eccleſiaſticos canones eccleſiæ maximi ſemper vſus eſſe credebantur; quippe qui non tantum diſciplinæ, doctrinæ & gubernationis eccleſiaſticæ, ſed etiam regularum vitæ ac morum quoddam continerent compendium. Quam ob cauſſam vt leges quædam in vniuscuiusque ordinatione canones recitari iubent; ita aliæ præcipiunt [*p*], vt clerici poſtea eos vna cum ſcripturis ſacris partem ſtudiorum ſuorum eſſe ne prætermittant. Canones enim eo tempore inſtar inſtitutionum paſtoralium erant, hanc præ aliis priuatis inſtitutionibus habentes prærogatiuam, vt eſſent vox publica & rubricæ eccleſiæ, adeoque ob hanc ipſam rationem tanto ſtudioſius legendi. In poſterioribus ſæculis tempore CAROLI MAGNI leges quasdam offendimus, quibus clerici vna cum canonibus eccleſiæ GREGORII librum de *cura paſtorali* legere [*q*] iubentur.

§. IV.

Quatenus librorum gentilium & hæreticorum lectio permiſſa fuerit.

Alios libros ac ſcripta cautius legebant & rarius. Quidam canones [*r*] gentilium librorum lectionem epiſcopis interdicebant; nec hæreticorum librorum eis permittebant vſum, niſi neceſſitas id exigeret, hoc eſt, ſi vel eos confutari vel alios con-

(*p*) Conc. Tolet. IV. c. XXV. (tom. V. p. 1713.) *Sciant ſacerdotes ſcripturas ſanctas & canones meditentur*, vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos tam fidei ſcientia quam operum diſciplina.

(*q*) Conc. Turon. III. c. III. (tom. VII. p. 1261.) Nulli epiſcopo liceat canones, aut *librum paſtoralem a beato Gregorio papa editum*, ſi fieri poteſt, ignorare, in quibus ſe debet vnuſquiſque, quaſi in quodam ſpeculo, adſidue conſiderare. Conc. Cabillon. II. c. I. (ibid. p. 1272.) Illas ſcripturas notiſſimas habeant, quæ canonicæ appellantur & earum ſenſum per patrum tractatus inquirant. Canones quoque intelligant & *librum beati Gregorii papæ de cura paſtorali*: & ſecundum formam ibidem conſtitutam & viuant, & prædicent.

(*r*) Conc. Carth. IV. c. XVI. (tom. II. conc. p. 1201.) Vt epiſcopus gentilium libros non legat; hæreticorum autem pro neceſſitate & tempore.

tra

tra eorum virus præmoneri oporteret. Gentilis eruditionis prohibitio, etsi multo ſtrictius fieri debuiſſe videtur, ſimiliter cum quodam diſcrimine intelligenda eſt. Poterant enim homines in gentilium librorum lectione diuerſum præſtitutum ſibi habere ſcopum. Alii delectationis tantum cauſſa eos legere, & neglectis ſcripturis aliisque vtilioribus ſtudiis huic delectationi totos ſe tradere poterant: & iſti omnes ſummopere damnandi erant. De hiſce HIERONYMVS [s] loquitur, *Sacerdotes Dei*, inquiens, *omiſſis euangeliis & prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum verſuum verba canere, Virgilium tenere; & id quod in pueris neceſſitatis eſt; crimen in ſe facere voluptatis.* Aliis ſimplex & inaffectatus ſcripturæ ſacræ ſtilus non arridebat, hinc cum oratoribus ethnicis conuerſabantur, vt linguam ſuam politiori & atticæ dialecto adſuefacerent; Et hi quoque eccleſiæ cenſuræ obnoxii erant. Notatu digna ſunt, quæ de *Triphyllio* quodam epiſcopo *Cyprio*, (qui de iſtiusmodi delicatorum hominum numero erat, quibus ſtilus ſcripturæ ſacræ non ita elegans, quemadmodum eſſe oporteret, videbatur) narrat SOZOMENVS [t], quod quum in concione quadam, quam *Spyridone* aliisque nonnullis epiſcopis *Cypriis* præſentibus habuerit ad populum, neceſſe habuerit in medium adducere dictum illud ſeruatoris: *ἆρον σοῦ τὸ κράββατόν καὶ περιπάτει*, *Tolle grabbatum tuum & ambula*, mutato nomine pro *κράββατον* dixerit *σκίμποδα*, ratus hanc vocem iſta multo eſſe elegantiorem. *Spyridonem* vero ſancta indignatione commotum his eum verbis adloquutum eſſe dicit: *Num tu præſtantior es eo, qui κράββατον dixit, vt te pudeat eius verbis vti?* Quo dicto hominem propter eloquentiam inſolentius ſeſe efferentem ad modeſtiam erudiendo admonuiſſe, ne eloquentiam humanam ſacris ſcripturis anteferret. Aliud hominum genus libentius auctores gentiles quam ſcripturas verſabant, quia iſtos malo ſuo artem ſophiſticam, ad

(s) Hieron. ep CXLI. ad Damaſum de filio prodigo tom. III. p. 129. edit. Baſil. MDLXV. (p. 87. C. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

(t) Sozom. lib. I. c. XI. *συνάξεως ἐπιτελουμένης, ἐπιτραπεὶς Τριφύλλιος διδάξαι τὸ πλῆθος, ἐπεὶ τὸ ῥητὸν ἐκεῖνο παράγειν εἰς μέσον ἐδέησε, τὸ ἆρόν σου τὸν κράββατον καὶ περιπάτει, σκίμποδα ἀντὶ τοῦ κραββάτου μεταβαλὼν τὸ ὄνομα εἶπε· καὶ ὁ Σπυρίδων ἀγανακτήσας, οὐ σύγε, ἔφη, ἀμείνων τοῦ κράββατον εἰρηκότος, ὅτι ταῖς αὐτοῦ λέξεσιν ἐπαισχύνῃ κεχρῆσθαι· καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἀπεπήδησε τοῦ ἱερατικοῦ θρόνου τοῦ δήμου ὁρῶντος· ταύτῃ γε μετριάζειν παιδεύων τὸν τοῖς λόγοις ὠφρυωμένον.*

impo-

imponendum imperitioribus, diſcendi propoſito accommodatiores eſſe, exiſtimabant. Quemadmodum ſcriptor anonymus apud EVSEBIVM [u], qui contra hæreticos *Theodotianos* ſcripſit, de iſtius ſectæ anteſignanis obſeruauit, quod relictis ſacris Dei ſcripturis generatim tempus ſuum *Euclidi*, *Ariſtoteli*, *Theophraſto*, & *Galeno* impenderint, infidelium artibus ac diſciplinis ad ſtabiliendam hæreſis ſuæ opinionem & corrumpendam chriſtianæ fidei ſimplicitatem abutentes. In his caſibus vniuerſis gentilium auctorum lectio, ob tam indignas rationes inſtitui ſolita, omnino illicita erat, quia ſemper cum manifeſto totius ſcripturæ ſacræ neglectu & contemtu fiebat, adeoque ex hoc fundamento canonibus eccleſiæ iuſtiſſime fuit prohibita. Erant autem tum ab altera parte caſus quidam, in quibus gentilium auctorum lectio, non obſtante eccleſiæ prohibitione, omnino permittebatur. Nam interdum eos legi oportebat, vt eorum errores ante oculos exponerentur atque confutarentur, vt alios ne inficerent. Ita HIERONYMVS [w] obſeruat, quod *Daniel* doctrinam *Chaldæorum* & *Moyſes* omnem ſapientiam *Aegyptiorum* diſcentes non peccauerint, quoad eam didicerint, non vt ſequerentur, ſed vt

(u) Euſeb. lib V. c. XXVIII. *Καταλιπόντες τὰς ἁγίας τοῦ Θεοῦ γραφὰς, γεωμετρίαν ἐπιτηδεύουσιν. ὡς ἂν ἐκ τῆς γῆς ὄντες καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλοῦντες καὶ τὸν ἄνωθεν ἐρχόμενον ἀγνοοῦντες, Εὐκλείδης γοῦν παρά τισιν αὐτῶν φιλοπόνως γεωμετρεῖται· Ἀριστοτέλης δὲ καὶ Θεόφραστος θαυμάζονται· Γαληνὸς γὰρ ἴσως ὑπό τινων καὶ προσκυνεῖται· οἱ δὲ ταῖς τῶν ἀπίστων τέχναις εἰς τὴν τῆς αἱρέσεως αὐτῶν γνώμην ἀποχρώμενοι, καὶ τῇ τῶν ἀθέων πανουργίᾳ τὴν ἁπλῆν τῶν θείων γραφῶν πίστιν καπηλεύοντες· ὅτι μὴ δὲ ἐγγὺς πίστεως ὑπάρχουσι, τί δεῖ καὶ λέγειν;* Relictis atque abiectis ſacris Dei ſcripturis, geometriæ ſtudent; quippe qui terreſtres ſint & loquantur terrena, & illum, qui de cælo aduenit, ignorent. Euclides igitur geometria apud nonnullos eorum ſtudioſe excolitur. Ariſtoteles vero & Theophraſtus ſumma admiratione ſuſcipiuntur; Galenus autem a quibusdam etiam adoratur. Proinde iſtos, qui *infidelium artibus ac diſciplinis ad ſtabiliendam hæreſis ſuæ opinionem abutuntur*, & ſubtili impiorum hominum verſutia ſimpliciſſimam diuinarum ſcripturarum adulterant fidem, remotiſſimos eſſe a fide, quid attinet dicere?

(w) Hieron. com. in Daniel. c. I. Qui de menſa regis & de vino potus eius non vult comedere, ne polluatur: vtique ſi ſciret, ipſam ſapientiam atque doctrinam Babyloniorum eſſe peccatum, numquam acquieſceret diſcere, quod non licebat. *Diſcunt autem, non vt ſequantur ſed vt iudicent atque conuincant.* Quomodo ſi quis aduerſus mathematicos velit ſcribere, imperitus *μαθήματος*, riſui pateat, & aduerſum philoſophos diſputans, ſi ignoret dogmata philoſophorum. Diſcunt ergo ea mente doctrinam Chaldæorum, qua & Moyſes omnem ſapientiam Aegyptiorum didicerat.

iudica-

iudicarent atque conuincerent. Idem de se adfirmat AMBROSIVS [x], *Legimus aliqua*, inquiens, *ne legantur; legimus, ne ignoremus; legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus.* Hæc vna erat ratio, cur scriptores ethnici nonnumquam a viris eruditis legi possent, vt nimirum nota ad eos apponeretur censoria. Alia ratio erat, quod eorum multi caussæ religionis vtiles essent & opportuni, siue ad confirmandam diuinarum scripturarum ac doctrinæ christianæ veritatem, siue ad detegendos ac confutandos ipsorum gentilium errores atque vanitates. Ita HIERONYMVS [y], historicos tum *græcos* tum *latinos*, DIODORVM SICVLVM, POLYBIVM, TROGVM POMPEIVM & LIVIVM tam in explananda quam confirmanda vaticiniorum *Danielis* veritate magnam vtilitatem habere, obseruat. Idem de ORPHEI, SIBYLLARVM, HERMETIS aliorumque gentilium philosophorum libris AVGVSTINVS [z] dicit, quod quum de patre Deo & de filio Dei multa vera dixissent, hoc intuitu ad conuellendam paganorum vanitatem non parum conferant. Quam ob caussam non AVGVSTINVS tantum & HIERONYMVS, sed plerique veteres scriptores ecclesiastici, in gentilium eruditione multum versati erant, quemadmodum quilibet nouerit, qui de ipsis nouerit quidpiam. HIERONYMVS in breui quadam epistola [zz] plerosque *græcos*, & *latinos* scriptores, qui ante ipsum vixerunt, memorat, deque illis generatim dicit: *In tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, vt nescias, quid in illis primum admi-*

(x) Ambros. Proœm. in Luc. euangel.

(y) Hieron. Prol. in Dan. Ad intelligendas extremas partes Danielis, multiplex græcorum historia necessaria est: Suctorii videlicet, Callinici, Diodori, Hieronymi, Polybii, Posidonii, Claudii Theonis, & Andronici, cognomento Alipii, quos & Porphyrius esse sequutum se dicit: Iosephi quoque & eorum, quos ponit Iosephus, præcipueque nostri Liuii, & Pompeii Trogi atque Iustini, qui omnem extremæ visionis narrant historiam: & post Alexandrum vsque ad Cæsarem Augustum Syriæ & Aegypti, id est Seleuci & Antiochi & Ptolemæorum bella describunt. Et si quando cogimur litterarum sæcularium recordari, & aliqua ex his di ere, quæ olim omisimus: non nostræ est voluntatis, sed (vt ita dicam) necessitatis, vt probemus ea, qui a sanctis prophetis ante sæcula multa prædicta sunt, tam græcorum quam latinorum & aliarum gentium litteris contineri.

(z) August. contr. Faust. lib. XIII. c. XV. (tom. VI. p. 288. edit. Basil. MDLXIX.) Sibyllæ & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui alii vates, vel theologi, vel sapientes, vel philosophi gentium de filio Dei aut de patre Deo vera prædixisse seu dixisse perhibentur; valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem reuincendam.

(zz) Hieron. ep. LXXX. ad Magnum.

vari debeas, eruditionem sæculi, an scientiam scripturarum. Et huc quidem res omnis redibat: Clerici primo loco debebant scripturis sacris exquisitius studere, post has canonibus & probatis scriptoribus ecclesiasticis, prout quisque vel animi dotibus valeret, vel occasionem haberet atque opportunitatem; non enim eodem omnes modulo metiri licebat. Præterea vt ad humaniores litteras discendas non obligati erant, ita ab illis non prohibebantur; sed si qua in re theologiæ christianæ famulari posse crederentur, nec quod illi debebatur, sibi vsurparent, non modo earum studium permissum erat, sed etiam maiorem in modum commendabatur. Et certe fatendum est, quod licet sæcularis eruditionis abusus magnum sæpe detrimentum veræ religioni attulerit, tamen illius recte applicatum studium primis ecclesiæ sæculis ei multum profuerit.

§. V.

De ipsorum pietate ac deuotione in publicis ad Deum accessionibus.

De priuatis eorum studiis statim progredimur ipsos in magis publicis occupationibus tamquam populi oratores ad Deum & Dei legatos ad populum spectaturi. Quorum officiorum ac dignitatis intuitu eos commodo sensu mediatores Deum inter & homines dici consueuisse, alio iam loco [a] demonstrauimus. In quouis suo ad Deum aditu, tamquam populi oratores, ad id pro se quisque acriter intendebant animum, vt omnia precum suarum atque gratiarum actionis sacrificia ita sancte atque decenter offerrent, quemadmodum actionis istius natura requirebat; hoc est, cum omni ea grauitate, animi submissione, reuerentia, mentis applicatione & deuotionis ardore ac intentione, quæ & tantæ MAIESTATI, ad quam adibant, consentanea & ad excitandas in populo congruas animi adfectiones idonea esset. Hic verus sensus maximopere controuersi istius in secunda IVSTINI MARTYRIS apologia loci est, vbi cultum ecclesiasticum & rationem celebrandi eucharistiam describens, *Antistes,* inquit[b], *ὅση δύναμις αὐτῷ, quantum pro virili sua potest, preces & gra-*

(a) Lib. II. c. XIX. §. XVI. vol. I. pag. 288. 289.

(b) Iustin. apol. II. p. 98. Ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει.

tiarum

tiarum actiones fundit. Nonnulli hunc locum perperam interpretantur, *δύναμιν*, seu *facultatem* sacerdotis eucharistiam administrantis eo accipientes, quasi illa nihil amplius quam ipsius inventionem, enuntiationem vel simile quid significet. Quam interpretationem ideo fingunt, vt argumentum inde captent contra publicarum liturgiarum antiquitatem; licet heic rem prorsus diuersam denotet, nimirum spiritualem illum vigorem, seu douotionis ardorem ac intentionem, qua sacerdos sacrificia ecclesiæ Deo offerebat; quæ istiusmodi erant animi adfectiones, quæ ad preces & laudes nostras Deo acceptas faciendas necessariæ sunt, quippe qui ex tota anima nostra & totis viribus nostris eas sibi offerri iubet; quod non minus præscriptis formulis, quam quauis alia ratione fieri potest. Atque ita GREGORIVS NAZIANZENVS & ipse IVSTINVS MARTYR hac phrasi *ὅση δύναμις*, vtuntur, vbi de receptis laudandi & colendi Deum formulis verba faciunt, qua de re postea loco suo pluribus. CHRYSOSTOMVS [c] idem officium sacerdotibus Dei nomine *σπουδῆς* & *εὐλαβείας* summopere commendat. „Eum, inquit, qui pro ciuitate tota, quid dico ciuitate? immo vero pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, „vt hominum omnium peccatis propitius fiat, qualem quæso „esse oportet? --- Quum autem ille & spiritum sanctum inuocauerit, & *τὴν φρικωδεστάτην θυσίαν* sacrificium illud horrore „ac reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium domino manibus pertractato: quæro ex te: quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? considera enim, quales manus „hæc administrantes esse oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua denique re non puriorem sanctioremue „esse conueniat animam, quæ tantum illum tamque dignum

(c) Chrysost. de sacerd lib. VI. c. IV. *Τὸν ὑπὲρ ὅλης τῆς πόλεως· καὶ τί λέγω πόλεως; πάσης μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης πρεσβεύοντα, καὶ δεόμενον ταῖς ἁπάντων ἁμαρτίαις ἵλεως γενέσθαι τὸν θεὸν --- ὁποῖόν τινα εἶναι χρή, - - ὅτ' ἂν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καλῇ, καὶ τὴν φρικωδεστάτην ἐπιτελῇ θυσίαν, καὶ τοῦ κοινοῦ πάντων συνεχῶς ἐφάπτηται δεσπότου, ποῦ τάξομεν αὐτὸν, εἰπέ μοι; πόσην δὲ αὐτὸν ἀπαιτήσομεν καθαρότητα, καὶ πόσην εὐλάβειαν; ἐννόησον γὰρ ὁποίας τὰς ταῦτα διακονουμένας χεῖρας εἶναι χρή, ὁποίαν τὴν γλῶτταν, τὴν ἐκεῖνα προχέουσαν τὰ ῥήματα· τίνος δὲ οὐ καθαρωτέραν καὶ ἁγιωτέραν, τὴν τοσοῦτο πνεῦμα ὑποδεξαμένην ψυχήν; τότε καὶ ἄγγελοι*

„ſpiritum receperit? Per id tempus & angeli ſacerdoti adſident, „& cæleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & „locus altari vicinus in illius honorem, qui offertur, angelorum „choris plenus eſt.„ Ita ſanctus ille pater argumentatur, eo animi ardore inflammatus & zelo, qui rei apprime conuenit & ad ſuſcitandam noſtram deuotionem, ignemque ſanctum in mentibus noſtris, quando ſupplicationes eccleſiæ in terra ſanctæ maieſtati in cælis offerimus, incendendum accommodatus eſt.

§. VI.

Pœna eorum, qui cotidianum eccleſiæ miniſterium negligebant.

Et hic deuotionis ardor perpetuo foüeri debebat atque conſeruari. Quem in finem eccleſia cotidiana habebat ſua ſacrificia, ſi quo modo ea haberi poterant; & hiſce quemlibet clericum citra vllam immunitatis ſpem intereſſe oportebat; idque ſub pœna abrogandi ad tempus & in perpetuum etiam muneris, ſiue eius tum eſſet officii, ſacris ſolemniter operari, ſiue non eſſet. Sic enim concilium *Toletanum* primum pro eccleſiis *Hiſpanicis* decreuit: *Presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel quilibet eccleſiæ deputatus clericus, ſi intra ciuitatem fuerit, vel in loco, in quo eccleſia eſt, aut caſtello, aut vico, aut villa, & ad eccleſiam ad ſacrificium quotidianum non acceſſerit* [d], *clericus non habeatur.* Concilium *Agathenſe peregrinam* iſti *communionem* [e] tribui iubet, quæ ad minimum temporariam muneris abdicationem indicat. Et lex IVSTINIANI [f] extra clerum eos conſtitui iubet, propter of-

παρεστήκασι τῷ ἱερεῖ, καὶ οὐρανίων δυνάμεων ἅπαν τάγμα βοᾷ· καὶ ὁ περὶ τὸ θυσιαστήριον πληροῦται τόπος εἰς τὴν τιμὴν τοῦ κειμένου.

(d) Conc. Tolet I. c. V. (tom. II. p. 1224.)

(e) Conc. Agath. c. II. (tom. IV p. 1383.) Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiſerit, ab epiſcopis corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia communionem fortaſſe contempſerint, aut eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, *peregrina eis communio tribuatur:* ita vt, quum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant.

(f) Cod. Iuſtin lib. I. tit. III. de epiſc. leg. XLII. §. X. Τοὺς μὴ ἐγκαρτεροῦντας ἀμέμπτως ταῖς λειτουργίαις προσκαρτεροῦντας ἔξω τοῦ κλήρου καθίστασθαι (κελεύομεν). Eos qui in eoru non fuerint inculpate in liturgiis perſeuerantes extra clerum conſtitui (iubemus).

fendi-

fendiculum, quod negligendo & contemnendo diuinas liturgias laicis ponant. Tantopere antiqui legislatores ecclesiastici elaborarunt, vt omnem huiusmodi indecentiam omnesque abusus præciderent, clericosque optima pietatis exempla plebi exhiberent.

§. VII.

Regulæ de concionibus ad ædificationem habendis.

Post eorum officium, quo ad Deum tamquam oratores populi adire tenebantur, proxime eos considerari oportet tamquam legatos Dei, nomine ipsius ad populum accedentes, quod publica verbi diuini adnuntiatione priuataque applicatione faciebant. Qua in re vtraque vigilum super gregem Dei & fidorum rei ipsius familiaris administratorum officium peragere summopere adlaborabant. In habendis concionibus id solum spectabant, vt ædificarent populum; quem in finem GREGORIVS NAZIANZENVS, CHRYSOSTOMVS & HIERONYMVS, magni illi huiuscemodi regularum magistri, hæc pauca præcepta tradunt. *Primo* concionatorem de seligenda vtili quadam materia debere esse sollicitum. GREGORIVS NAZIANZENVS [g] hanc regulam eiusque applicationem in specialioribus quibusdam doctrinæ capitibus ostendit, „Mihi quidem, inquiens, rei minime vulgaris paruique „spiritus esse videtur, verbi perinde ac tritici mensuram tempestiue cuique dare, & dogmatum nostrorum veritatem cum „iudicio dispensare. Hoc est, ea omnia, quæ sacra philosophia „de mundis, vel de mundo disseruit, de materia, de mente, & „intelligentibus naturis, tam melioribus quam deterioribus, de „prouidentia omnia constringente atque gubernante, tum quæ „modo rationi consentaneo euenire videntur, tum quæ modo „terrenæ atque humanæ rationi repugnante accidere videntur: „Quæ de prima nostra constitutione & postrema refictione: de „typis, & veritate, ac testamentis: de Christi aduentu tam pri-

(g) Nazian. orat. 1. de fuga p. 15. Ἐμοὶ δ' οὖν πρᾶγμα φαίνεται, οὐ τῶν φαυλοτάτων, οὐδὲ ὀλίγου τοῦ πνεύματος, διδόναι κατὰ καιρὸν ἑκάστῳ τοῦ λόγου τὸ σιτομέτριον, καὶ οἰκονομεῖν ἐν κρίσει τὴν ἀλήθειαν τῶν ἡμετέρων δογμάτων, ὅσα περὶ κόσμων ἢ κόσμου πεφιλοσόφηται. περὶ ὕλης, περὶ ψυχῆς, περὶ νοῦ καὶ τῶν νοερῶν φύσεων, βελτιόνων τε καὶ χειρόνων, περὶ τῆς τὰ πάντα συνδεούσης τε καὶ διεξαγούσης προνοίας, ὅσα τε κατὰ λόγον ἀπαντᾷ δοκεῖ, καὶ ὅσα παρὰ λόγον τὸν κάτω καὶ τὸν ἀνθρώπινον· ἔτι τε ὅσα περὶ τῆς πρώτης ἡμῶν συστάσεως καὶ τῆς τελευταίας ἀναπλάσεως, τύπων τε καὶ ἀληθείας καὶ διαθηκῶν, καὶ Χριστοῦ παρουσίας πρώτης τε καὶ δευτέρας, σαρκώσεώς τε

„mo quam ſecundo, de incarnatione & cruciatibus & reuerſi-„one, de reſurrectione, de fine, de iudicio, ac retributione, „tam triſtiore quam ſplendidiore. Et quod caput eſt, quæ-„cumque de principe ac beata Trinitate credenda ſunt.„ Iſtiusmodi argumenta ad hominum in fide & vitæ ſanctimonia ædificationem, pietatisque ac virtutum exercitationem valent. Sed tum *ſecundo* apta methodo tractari debebant; non artificioſo & ſublimi dicendi genere, ſed verbis ad vulgi captum accommodatis. Id quod in ATHANASIO [*h*] ſummopere laudat GREGORIVS NAZIANZENVS, quando de ipſo loquens ait: *Si cum humilioribus ipſi res eſſet, ad eorum captum ſe demittebat, ſi cum ſublimiori mente præditis, altius adſurgebat.* HIERONYMVS etiam hac de re obſeruat [*i*], quod concionatoris oratio ſimplex & perſpicua eſſe & vim concitatricem habere, atque in auditoribus gemitus potius & lacrimas de peccatis ſuſcitare debeat, quam applauſum. „Docente „te in eccleſia, inquit, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcite-„tur. Lacrimæ auditorum laudes tuæ ſint. Sermo presbyteri „ſcripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem „eſſe & rabulam garrulumque ſine ratione, ſed myſteriorum „peritum & ſacramentorum Dei tui eruditiſſimum. Verba vol-„vere & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admiratio-„nem ſui facere, indoctorum hominum eſt. Attrita frons in-„terpretatur ſæpe quod neſcit, & quum aliis perſuaſerit, ſibi „quoque vſurpat ſcientiam.„ Et paullo poſt: „Nihil tam faci-„le, quam vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ „volubilitate decipere, quum quidquid non intelligit, plus mi-„ratur.„ Hinc CHRYSOSTOMVS integrum fere librum eo impendit, vt chriſtianum oratorem aduerſus hanc aberrationem præmuniat; vt ne plauſum & auram captet popularem, ſed generoſo animo [*k*] eam ſuperet, ac potius auditores ſuos ædificare

καὶ παθημάτων καὶ ἀναλύσεως, ὅσα τε περὶ ἀναστάσεως, περὶ τέλους, περὶ κρίσεως καὶ ἀνταποδόσεως σκυθρωποτέρας τε καὶ ἐνδοξοτέρας· τὸ κεφάλαιον, ὅσα περὶ τῆς ἀρχικῆς καὶ βασιλικῆς καὶ μακαρίας τριάδος ὑποληπτέον.

(*h*) Nazianz. orat. XXI. de laud. Athan. (tom. I. p. 396.) Πεζὸς τοῖς πανειτοτέροις, ὑψηλότερος τοῖς μετεωροτέροις.

(*i*) Hieron. ep. II. ad Nepot. p. 10.

(*k*) Chryſoſt. de ſacerd. lib. V. c. I. γενναίας δεῖ κἀνταῦθα ψυχῆς, καὶ πολὺ ἡμετέραν ὑπερβαινούσης σμικρότητα· ἵνα τὴν ἄτακτον καὶ ἀνωφελῆ τοῦ πλήθους ἡδονὴν κολάζῃ,

quam

quam delectare eisque placere studeat. Quem in finem necesse esse, concludit, vt tum applausum tum censuram hominum & res cæteras omnes adspernetur, quibus induci possit, vt non ad vtilitatem sed ad voluptatem potius multitudinis verba faciat. In summa [*l*], omnes orationes suas hoc consilio meditari eum oportere dicit, vt Deo gratæ atque acceptæ sint: si tum laudetur ab hominibus, laudes accipere posse; sin laudes ab auditoribus illi negentur, non debere eas ambire vel negatis indolere: abundans enim illi futurum laborum solatium, idque omnium certe maximum, si ipse sibi conscius esse potuerit, ad hanc se rationem doctrinam eloquentiamque suam composuisse atque adaptasse, vt Deo illa grata acceptaque fiat. *Tertio*, alia regula in hanc rem data hæc erat, concionatorem doctrinam suam atque spiritualia medicamenta ad grauissimas & maxime vrgentes auditorum suorum necessitates applicare debere, quod officium vigilis maxime proprium esset, acuto oculo obseruare, vnde maximum metuendum periculum; quanam ex parte homines infirmissimi sint & minime omnium tuti; atque tum eorum morbis ac infirmitati vtilia remedia adhibere. CHRYSOSTOMVS de hac officii sacerdotis parte loquens dicit, *νηφάλιον καὶ διορατικὸν* [*m*], sobrium modestumque eum esse oportere,

---

καὶ πρὸς τὸ ὠφελιμώτερον μετάγειν δύνηται τὴν ἀκρόασιν· ὡς αὐτῷ τὸν λαὸν ἕπεσθαι καὶ εἴκειν, ἀλλὰ μὴ αὐτὸν τῶν ἐκείνων ἄγεσθαι ἐπιθυμίαις. Τοῦτο καὶ οὐδαμῶς ἐστιν ἐπιτυχεῖν, ἀλλ᾽ ἢ διὰ τούτοιν τοῖν δυοῖν, τῆς τε τῶν ἐπαίνων ὑπεροψίας, καὶ τῆς ἐν τῷ λέγειν δυνάμεως. Hic generoso opus est animo, eoque qui longe hanc nostram exiguitatem superet, vt multitudinis voluptatem illam immoderatam infructuosamque compescat, possitque illorum auditionem ad id, quod vtilius futurum sit, transferre, hac ratione, vt populum se sequentem ac sibi obsecundantem habeat, non etiam vt ipse a populi desideriis agatur. Id quod præstare nemo potest, nisi idem simul popularem auram aspernetur, simul dicendi vim obtineat.

(*l*) Chrysost. ibid. c. VII. *Ἐργαζόμενος τοὺς λόγους, ὡς ἂν ἀρέσειε τῷ Θεῷ (οὗτος γὰρ αὐτῷ κανὼν καὶ ὅρος ἔστω μόνος τῆς ἀρίστης δημιουργίας ἐκείνων· μὴ κρότοι, μηδὲ εὐφημίαι) εἰ μὲν ἐπαινεῖται καὶ παρὰ τῶν ἀνθρώπων, μὴ διακρουέσθω τὰ ἐγκώμια· μὴ παρεχόντων δὲ αὐτὰ τῶν ἀκροατῶν, μὴ ζητείτω, μηδὲ ἀλγείτω· ἱκανὴ γὰρ αὐτῷ παραμυθία τῶν πόνων, καὶ πάντων μείζων, ὅτ᾽ ἂν ἑαυτῷ συνειδέναι δύνηται, πρὸς ἀρέσκειαν τοῦ Θεοῦ συντιθεὶς, καὶ ῥυθμίζων τὴν διδασκαλίαν*

(*m*) Chrysost. ibid. lib. III. c. XII. *Νηφάλιον εἶναι δεῖ τὸν ἱερέα, καὶ διορατικὸν, καὶ μυρίους πανταχόθεν κεκτῆσθαι τοὺς ὀφθαλμοὺς· ὡς οὐχ ἑαυτῷ μόνον, ἀλλὰ καὶ πλήθει ζῶντα τοσούτῳ κ. τ. λ.*
Ibid. lib. IV. c. II. & III. tot.

eum-

eumdemque perſpicacem atque innumeros quoquouerſus oculos circumferre: quippe qui non ſibi vni tantum; ſed & tanto viuat populo. In cubiculum aliquod incluſum vitam agere, id quidem monachi eſſe; vigilis autem, inter omnium ordinum homines obambulare; corporis Chriſti, id eſt, eccleſiæ curam gerere,& tum ſanitatis tum pulchritudinis eius habere rationem; ſollicite præcauendo, ne qua macula vel ruga vel alia inquinatio gratiam & pulchritudinem eius deformet. Hoc certe ſpiritualez medicos obligare, vt medicamenta ſua, hoc eſt doctrinas ſuas, ita applicent, quemadmodum ægrotorum morbi requirant; vt ſerio & frequenter eos adoriantur errores & vitia, a quibus maxime metuendum ſit contagionis periculum. Atque hæc ratio eſt, cur in homiliis veterum adeo frequentes inueniamus ſermones aduerſus iſtiusmodi hæreſes, quas nunc mundus prorſus ignorat; cuiusmodi ſunt *Marcionitarum* & *Manichæorum*, aliorumque plurium, contra quas iam in concionibus declamitare velle, abſurdum foret. Tum autem id fieri oportebat, quia præcipuæ iſtius ætatis hæreſes erant, hominesque earum veneno ſummopere periclitabantur. Et porro obſeruandum eſt, quod hæreſes præ reliquis omnibus formidabiles, ac dominantes factiones, qualis erat *Ariana*, ſæculari licet armatæ poteſtate, concionatores catholicos nec vi nec blanditiis ad ſilentium redigere potuerint, vt ex eiusmodi humili & abiecta indulgentia lupis oues deuorare permitterent. In tali caſu nullæ cauſſæ humanæ impedire eos poterant, quo minus, ſi periculum animaduerterent, de eo ſuos admonerent. Non alia ratione vigilum & diſpenſatorum myſteriorum Dei officio ſatis ſe facere poſſe exiſtimabant, quum illud requiratur in diſpenſatoribus, vt quis fidus inueniatur.

§. VIII.

De eorum fidelitate, diligentia ac prudentia in priuatis hominum congreſſibus ac colloquiis.

At vero fidelitatem ſuam non tantum in publicis declarabant ſermonibus, ſed in priuatis etiam congreſſibus, colloquiis & applicationibus ſuis ad homines, qui vel hæreſibus aut ſchiſmatibus ab eccleſiæ corpore ipſi ſe auulſerant, vel peccatis ſuis morboſa corporis membra ſe reddiderant, dum ei adhuc adhærere videbantur. Quanta fidelitate, manſuetudine ac diligentia

ligentia in prioris generis homines vſi ſint, ex bonis effectibus, quos accommodatum ad eos lucrandos ſtudium ſæpe habuit, condiſcere poſſumus. THEODORETVS [n] loco quodam de ſe ipſe narrat, quod in diœceſi ſua ſupra mille animas *Marcionis* hæreſi liberauerit, multasque alias ex *Arii* & *Eunomii* partibus Chriſto lucratus ſit. Et alibi [o] *Marcionitarum* numerum ad decem millia auget, quos indefeſſa induſtria in diœceſi, quæ quadraginta paſſuum millia longa atque lata octingentos complectebatur cœtus, ex erroribus ſuis ad eccleſiam catholicam reduxerit. Quid mirum, quod AVGVSTINVS etiam in *Africa* contra *Donatiſtas* eamdem rationem, priuatim ad ipſos datis epiſtolis & ſermonis ac conſilii cum eisdem facta communicatione, inierit, quemadmodum lector e POSSIDIO [p] videre poteſt, qui vitam eius ſcripſit, & laborum hoc conſilio ab eo ſuſceptorum magnarumque hoc modo eccleſiæ adlatarum vtilitatum crebro meminit. *Manichæos*

(n) Theod. ep. CXIII. ad Leon. p. 986. D. Τῆς θείας μοι χάριτος συνεργησάσης πλείους μὲν ἢ χιλίας ψυχὰς ἠλευθέρωσα τῆς Μαρκίωνος νόσου, πολλοὺς δὲ ἄλλους ἐκ τῆς Ἀρείου καὶ Εὐνομίου συμμορίας προσήγαγον τῷ δεσπότῃ Χριστῷ.

(o) Theod. ep. CXLV. p. 1026. C. Ἐγὼ θρηνῶ καὶ ὀδύρομαι, ὅτι ὃς πρώην τοῖς τοῦ Μαρκίωνος τὴν λύμην δεξαμένοις προσέφερον ἀποδείξεις, καὶ πλείους ἢ μυρίους διὰ τῆς θείας χάριτος πείσας προσήγαγον τῷ παναγίῳ βαπτίσματι, ταύταις νῦν τοῖς νομισθεῖσιν ὁμοπίστοις ἡ ἐπισκήψασα νόσος προσφέρειν καταναγκάζει. Mihi flere libet ac l. gere, quod quæ dudum aduerſus Marcionis tabe corruptos argumenta protuli conuictosque Dei beneficio *plures decem millibus* ad ſanctiſſimum baptiſma perduxi, ea nunc in eos, qui fidei noſtræ creduntur, exorta hæreſis proferre cogit.

(p) Poſſid. vit. Auguſtin. c. IX. Epiſtolas priuatas ad quoſcumque eiusdem erroris epiſcopos & eminentes ſcilicet laicos dedit, ratione reddita admonens atque exhortans, vt vel ab illa ſe prauitate corrigerent, vel certe ad diſputationes venirent. Cap. XIII. Qua diligentia & ſancto ſtudio multum creuit ſancta eccleſia, & his omnibus pro pace eccleſiæ geſtis, Auguſtino Dominus & heic palmam dedit, & apud ſe iuſtitiæ coronam reſeruauit: ac magis magisque iuuante Chriſto de die in diem augebatur & multiplicabatur pacis vnitas & eccleſiæ Dei confraternitas. Cap. XVIII. Erat ille memorabilis vir Auguſtinus præcipuum dominici corporis membrum, circa vniuerſalis eccleſiæ vtilitatem ſollicitus ſemper ac peruigil. Et illi diuinitus donatum eſt, vt de ſuorum laborum fructu, etiam in hac vita gaudere prouenisſet, prius quidem in Hipponenſi eccleſia & regione, cui maxime præſidebat vnitate ac pace perfecta, deinde in aliis Africæ partibus, ſiue per ſe ipſum, ſiue per alios, & quos ipſe dederat ſacerdotes pullulaſſe, & multiplicatam fuiſſe domini eccleſiam peruidens, illosque Manichæos, Donatiſtas, Pelagianiſtas, & Paganos ex magna parte defeciſſe, & eccleſiæ Dei ſociatos eſſe congaudens,

enim, *Donatiſtas*, *Pelagianiſtas* & *Paganos* ex magna parte ad eccleſiæ catholicæ communionem reductos etiam in hac vita vidit. Neque autem cum minori ſtudio ſeſe ad homines intra eccleſiam priuatim applicabant, prout neceſſitas id requirebat. Atque heic multa arte & prudentia æque ac fidelitate & diligentia opus erat, vt ſuſcepta conſilia feliciter ſuccederent. Nam mortales, obſeruante NAZIANZENO [*q*], adeo varii ſunt ac incerti, vt ſumma arte ac experientia ad recte moderandum eos opus ſit. „Eorum ſinguli, inquit, cupiditatibus nonnumquam & „adfectibus magis inter ſe differunt, quam corporum figuris & „lineamentis, aut ſi mauis elementorum, & ex quibus conſta„mus, mixtionibus & temperamentis: ac proinde nec facile re„gi gubernarique poſſunt. Quin potius, quemadmodum non „eadem medicamenta, nec eadem alimenta corporibus quibus„vis adhibentur, ſed alia aliis, habita videlicet vel ſanitatis eo„rum vel aduerſæ valetudinis ratione: eodem quoque modo „animæ diuerſa ratione ac diſciplina curantur. Ii porro curati„onis teſtes ſunt, qui morbis huiusmodi vexantur. Alios ſer„mo ducit: alii exemplo componuntur. Aliis calcaribus opus „eſt, aliis freno. Nam qui ſegnes ſunt atque ad bonum ægre „impelluntur, hi verborum ſtimulis excitandi ſunt: qui vero „ſpiritu, quam par ſit, feruentiores ſunt, atque effrenato quo„dam animorum impetu feruntur, velut equulei generoſi pro„cul a meta currentes, hos vtique orationis freno coërcere ac „cohibere præſtiterit. Aliis laudatio vtilitati fuit, aliis repre„henſio, vtraque videlicet tempeſtiue adhibita: aut contra de„trimento, non tempeſtiue & cum ratione adhibita. Alios co„hortatio ad officium dirigit, alios obiurgatio: atque hæc rur-

(*q*) Gregor. Nazianz. orat. I. de fuga p. 13. fin. ſeqq. Τούτων ἕκαστοι πλεῖον ἀλλήλων ἐστὶν, ὅτε ταῖς ἐπιθυμίαις καὶ ταῖς ὁρμαῖς, ἢ κατὰ τὰς τῶν σωμάτων ἰδέας διαφέροντες· εἰ δὲ βούλει, τὰς τῶν στοιχείων μίξεις καὶ κράσεις· ἐξ ὧν συνεστήκαμεν, οὐ ῥᾴστην ἔχουσι τὴν οἰκονομίαν· ἀλλ᾽ ὥσπερ τοῖς σώμασιν οὐ τὴν αὐτὴν φαρμακείαν τε καὶ τροφὴν προσφέρονται, ἄλλοι δὲ ἄλλην ἢ εὐεκτοῦντες ἢ κάμνοντες· οὕτω καὶ τὰς ψυχὰς διαφόρῳ λόγῳ καὶ ἀγωγῇ θεραπεύονται· μάρτυρες δὲ τῆς θεραπείας, ὧν καὶ τὰ πάθει· τοὺς μὲν ἄγει λόγος, οἱ δὲ ῥυθμίζονται παραδείγματι· οἱ μὲν δέονται κέντρων, οἱ δὲ χαλινοῦ· οἱ μὲν γὰρ εἰσι νωθεῖς, καὶ δυσκίνητοι πρὸς τὸ καλὸν, οὓς τῇ πληγῇ τοῦ λόγου διεγερτέον· οἱ δὲ θερμότεροι τοῦ μετρίου τῷ πνεύματι, καὶ δυσκάθεκτοι ταῖς ὁρμαῖς, καθάπερ πῶλοι γενναῖοι πόρρω τῆς νύσσης θέοντες, οὓς βελτίους ἂν ποιήσειεν, ἀγχῶν καὶ ἀνακόπτων ὁ λόγος· τοὺς μὲν ἔπαινος ὤνησεν, τοὺς δὲ ψόγος, ἀμφότερα μετὰ τοῦ

fus

„ſus alios, ſi palam arguantur; alios, ſi remotis arbitris admo- „neantur. Sunt enim, qui priuatas admonitiones contemnant, „publica autem reprehenſione ad officium reuocentur: Sunt „rurſus, qui liberius reprehenſi, pudorem omnem abſtergant, „contraque occulta obiurgatione meliores reddantur: iisque „quos vicem ſuam dolere perſpiciunt, hoc muneris viciſſim re- „pendant, vt eorum admonitionibus pareant. Quidam etiam „ad minima vſque ac leuiſſima obſeruandi ſunt; nimirum qui „eo quod peccata ſua obſcura & incognita eſſe putant (quan- „doquidem id moliuntur tamquam ſapientiores) animis inflan- „tur; in quibusdam rurſum ad non nulla conniuere ſatius fue- „rit (ita vt videntes non videamus & audientes non audiamus, „quemadmodum dici ſolet) ne alioqui eos nimis crebris ob- „iurgationibus tamquam fluctibus obruentes, ad deſperatio- „nem incitemus, ac diſſoluto tandem pudore, quod perſuaſionis „pharmacum eſt, ad quoduis facinus audaciores reddamus. „Quin etiam cum nonnullis ita agendum eſt, vt non iraſcen- „tes iraſcamur, non contemnentes contemnamus, non deſpe- „rantes deſperemus: quatenus videlicet eorum cura id requirit. „Alii rurſus lenitate & humilitate curandi ſunt, atque alacri a- „nimo vna cum illis meliorem ſpem induendo. Alios vincere, „ab aliis vinci plerumque vtilius fuerit: atque aliorum opes & „potentiam, aliorum inopiam & calamitatem vel laudare vel „deprecari. Neque enim quemadmodum in virtute ac vitio „res ſe habet, vt illa quidem ſemper pulcherrima & omnibus „vtiliſſima ſit, hoc autem turpiſſimum & perniciosiſſimum ſit;

καιρῦ· ἢ τὐναντίον. ἔβλαψεν ἔξω τῦ καιρῦ, καὶ τῦ λόγυ· τὺς μὲν παράκλησις κατορθοῖ, τὺς δὲ ἐπιτίμησις, καὶ αὕτη τὺς μὲν ἐν τῷ κοινῷ διελεγχομένυς, τὺς δὲ κρύβδην νυθετυμένυς· φιλῦσι γὰρ οἱ μὲν καταφρονεῖν τῶν ἰδίᾳ νυθετημάτων, πλήθυς καταγνώσει σωφρονιζόμενοι· οἱ δὲ πρὸς τὴν ἐλευθερίαν τῶν ἐλέγχων ἀναισχυντεῖν, τῷ τῆς ἐπιτιμήσεως μυστηρίῳ παιδαγωγύμενοι, καὶ ἀντιδιδόντες τῆς συμπαθείας, τὴν εὐπείθειαν· τῶν μὲν πάντα τηρεῖν ἐπιμελῶς ἀναγκαῖον μέχρι καὶ τῶν μικροτάτων, ὅσυς τὸ οἴεσθαι λανθάνειν, ἐπειδὰν τῦτο τεχνάζωσιν, ὡς σοφωτέρυς ἐφύσησεν· τῶν δὲ ἔστιν ἃ καὶ παρορᾶν ἄμεινον, ὥστε ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν, καὶ ἀκύοντας μὴ ἀκύειν, κατὰ τὴν παροιμίαν· ἵνα μὴ πρὸς ἀπόνοιαν αὐτὺς ἐρεθίζωμεν, τῷ φιλοπόνῳ τῶν ἐλέγχων καταβαπτίζοντες, καὶ τέλος, πρὸς πάντα ποιήσωμεν τολμηρύς, τὸ τῆς πειθῦς φάρμακον τὴν αἰδῶ διαλύσαντες· καὶ μέν τοι καὶ ὀργιστέον τισὶν ὐκ ὀργιζομένυς, καὶ ὑπεροπτέον ὐχ ὑπερορῶντας, καὶ ἀπογνωστέον ὐκ ἀπογινώσκοντας, ὅσων τῦτο ἡ φύσις ἐπιζητεῖ, καὶ ἄλλυς ἐπιεικείᾳ θεραπευτέον καὶ ταπεινότητι, καὶ τῷ συμπροθυμεῖσθαι δὴ περὶ τὰς χρηστοτέρας ἐλπίδας· καὶ τὺς μὲν νικᾶν, τῶν δὲ ἡττᾶσθαι πολλάκις λυσιτελέστερον, καὶ

 eodem

„eodem modo medicinæ quoque noſtræ ratio ea eſt, vt vnum „idemque medicamentum iisdem ſemper vel ſaluberrimum ſit „vel periculoſiſſimum: verbi gratia, acerbitas aut clementia, „aut vnumquodque aliorum, quæ modo a nobis enumerata „ſunt. Verum aliis hoc medicinæ genus bonum atque vtile fu„erit: aliis autem rurſum contrarium medendi genus: prout, „opinor, vel res vel occaſio tulerit, vel ægrotantium denique „mores admiſerint. Quæ quidem omnia ſermone diſtinguere, „atque ita exacte perſpicere, vt tota medendi ratio in ſummam „colligatur, impoſſibile eſt, quantacumque cura & diligentia „ingeniique ſagacitate quiſquam polleat: in rebus tamen ipſis „& experimentis curatrici rationi & medico perſpicua fiunt. --- „Talis morborum noſtrorum cura eſt, tantusque bono paſtori „labor incumbit, qui gregis animas ſcite cogniturus eſt perſpe„ctasque habiturus, eisque iuxta paſtoralis artis leges præiturus, „duntaxat rectæ & iuſtæ; ac vero paſtore noſtro dignæ.„

Quæ hactenus auctor noſter quaſi regulas & doctrinam tradendo paullo fuſius hac de re loquutus eſt, ea alibi breuius conſtringit in exemplo magni illius ATHANASII, quem tamquam viuam imaginem huius mirificæ prudentiæ ac dexteritatis in agendo cum hominibus pro temperamentorum diuerſitate imitandum proponit, narrans, quod in eadem [r] ſemper ſtudia incubuerit, varia autem vſus ſit methodo, „alios laudibus euehens, a„lios parce leuiterque feriens: aliorum ſocordiam excitans, alio-

τῶν μὲν εὐπορίαν καὶ δυναστείαν, τῶν δὲ πενίαν ἢ δυσπραγίαν ἢ ἐπαινεῖν ἢ ἀπεύχεσθαι· οὐ γὰρ ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἀρετῆς ἔχει καὶ τῆς κακίας, τὴν μὲν καλλίστην εἶναι καὶ ὠφελιμωτάτην ἀεὶ καὶ πᾶσι, τὴν δὲ χειρίστην τε καὶ βλαβερωτάτην· οὕτω καὶ τῆς φαρμακείας τῆς ἡμετέρας ἕν τι καὶ τὸ αὐτὸ ὑγιεινότατον, ἢ ἐπισφαλέστατον ἀεὶ καὶ τοῖς αὐτοῖς ἀποδέδεικται· οἷον τὸ αὐστηρὸν ἢ τὸ πρᾶον, ἢ τῶν ἄλλων, ὧν ἀπηριθμησάμην ἕκαστον· ἀλλὰ τοῖς μὲν τοῦτο καλὸν καὶ χρήσιμον, τοῖς δὲ τὸ ἐναντίον πάλιν, ὅπως ἄν, οἶμαι, συμπίπτωσιν οἵ, τε καιροὶ καὶ τὰ πράγματα, καὶ ὁ τῶν θεραπευομένων ἐπιδεχθείη τρόπος· ἃ πάντα μὲν διελέσθαι λόγῳ καὶ συνιδεῖν ἐπὶ τὸ ἀκριβέστατον, ὥστε καὶ κεφαλαίῳ τὴν θεραπείαν περιλαβεῖν, ἀμήχανον, κἂν ἐπὶ πλεῖστον ἐξίκηταί τις ἐπιμελείας τε καὶ συνέσεως· ἐπὶ δὲ τῆς πείρας αὐτῆς καὶ τῶν πραγμάτων, τῷ θεραπευτῇ λόγῳ, καὶ ἀνδρὶ καταφαίνεται --- οὕτω μὲν δὴ τὰ τῶν παθῶν ἔχει τῶν ἡμετέρων, καὶ τοσοῦτον ἐνταῦθα τὸ ἔργον τῷ ἀγαθῷ ποιμένι, τῷ γνωσομένῳ ψυχὰς ποιμνίου, καὶ ἀφηγησομένῳ κατὰ λόγον ποιμαντικῆς, τῆς γε ὀρθῆς καὶ δικαίας, καὶ τοῦ ἀληθινοῦ ποιμένος ἡμῶν ἀξίας.

(r) Naz. orat. XXI. de laud. Athan. p 396. C. Τοὺς μὲν ἐπαινῶν, τοὺς δὲ πλήττων μετρίως· καὶ τῶν μὲν τὸ νωθρὸν διεγείρων, τῶν δὲ τὸ θερμὸν κατείργων καὶ τῶν μὲν ὅπως

rum

„rum feruorem reprimens: aliis, ne laberentur, prouidens, a-„lii vt lapsi erigerentur, rationem iniens: moribus simplex, gu-„bernandi arte multiplex, verbis sapiens, animo sapientior: si „cum humilioribus ipsi res fuerit, ad eorum captum se demit-„tens, si cum sublimiori mente præditis, altius adsurgens, ho-„spitum præses, supplex, malorum depulsor, vnus vniuersa ea „vere complexus, quæ sigillatim diis suis gentiles tribuant.„ Addit, & connubialem & virginum patronum & pacificum & reconciliatorem & eorum, qui ex hac vita ad alteram properant, deductorem fuisse. Hæc vero omnia non ad indulgendam peccandi licentiam, sed potius ad hanc aptis ac honestis artibus reprimendam ac destruendam spectabant. Non eo valebant, vt clerici humilem & seruilem adulandi atque aliorum ingenio obsequendi artem edocerentur; vt tempori seruire, hominibus placere, potentibus ac diuitibus in ipsorum erroribus ac vitiis adsentari possent; sed tantum vt instituerentur, quam diuersis peccato sese opponendi methodis vti, & quomodo prudentiam zelo coniungentes auctoritati suæ summam venerationem & maximum ad promouenda vera religionis commoda pondus conciliare deberent. CHRYSOSTOMVS [s] episcopi describens virtutes huius prudentiæ etiam meminit. „Non solum, inquit, „purum mundumque sacerdotem esse oportet, vt qui „tali ministerio dignus habitus sit; sed etiam in primis pruden-„tem, atque adeo multarum rerum experientia instructum or-„natumque, in tantum, vt sæcularia mundanaque omnia nihilo „minus noscat, quam norunt ii, qui in media hominum turba „versantur; rursus rerum omnium securior viuat, quam mona-„chi ii, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Nam quum

μὴ πέσωσι προμηθούμενος, τοὺς δὲ ὅπως διορθωθεῖεν πταίσαντες, μηχανώμενος· ἁπλοῦς τὸν τρόπον, πολυειδὴς τὴν κυβέρνησιν, σοφὸς τὸν λόγον, σοφώτερος τὴν διάνοιαν; πεζὸς τοῖς ταπεινοτέροις, ὑψηλότερος τοῖς μετεωροτέροις, φιλόξενος, ἱκέσιος, ἀποτρόπαιος· πάντα εἷς ἀληθῶς, ὅσα μεμερισμένως τοῖς ἑαυτῶν θεοῖς, ἑλλήνων παῖδες ἐπιφημίζουσι· προσθήσω δὲ καὶ ζύγιον, καὶ παρθένιον, καὶ εἰρηναῖον, καὶ διαλακτήριον, καὶ πομπαῖον τοῖς ἐντεῦθεν ἐπειγομένοις.

(s) Chrysost. de sacerd. lib. VI. c. IV. (p. 84 D. edit. Francof.) Οὐ μόνον καθαρὸν οὕτως, ὡς τηλικαύτης ἠξιωμένον διακονίας, ἀλλὰ καὶ λίαν συνετὸν, καὶ πολλῶν ἔμπειρον εἶναι δεῖ καὶ πάντα μὲν εἰδέναι τὰ βιωτικὰ, τῶν ἐν μέσῳ στρεφομένων οὐχ ἧττον· πάντων δὲ ἀπηλλάχθαι μᾶλλον τῶν τὰ ὄρη κατειληφότων μοναχῶν· ἐπειδὴ γὰρ ἀνδράσιν αὐτὸν ὁμιλεῖν ἀνάγκη, καὶ γυναῖκας ἔχουσι καὶ παῖδας τρέφουσι καὶ θεράποντας κεκτημέ-

„illum necesse sit eorum hominum consuetudine ac congressio-„ne vti, qui & vxores habent, & liberos alunt, & seruos pos-„sident: quique & diuites admodum sunt, & publice negotian-„tur, & potentia pollent, certe varium esse conuenit. Vari-„um autem dico, non subdolum, non adulatorem, non dissi-„mulatorem; sed magna tum libertate tum fiducia plenum, ac „qui ex re sese submittere, atque obsecundare sciat, quoties „negotiorum vsus postulat, quique idem benignus sit & auste-„rus. Neque enim vnum duntaxat in modum subditis omnibus „vti debet, quando neque medicis conuenire videmus, vt eos „omnes, qui morbo laborant, vno eodemque modo tractent, „neque gubernatori, vt vnam tantum artem calleat, qua ad-„versus ventos depugnet.„ Vera itaque mediocritas & deco-rum, cui episcopus in conuersatione sua ac collocutionibus cum hominibus studere debet, ipso iudice in hoc consistit, vt inter nimiam asperitatem & animi abiectionem medium teneat. „Grauem illum [t], inquit, sed minime fastuosum & terrificum; „sed humanum & visenda maiestate principem; sed omnibus „tamen appellandis comem eumdemque integrum, officiosum, „humilem; sed minime seruilem, acrem quoque ac vehemen-„tem esse conuenit; sed tamen & mansuetum, vt nullo ipse neg-„otio contra illa omnia depugnet; tum vero eum, qui idone-„us visus fuerit, vt magna cum auctoritate ac libertate, quam-„quam omnibus reclamantibus, in medium promouere possit: „rursus eum, qui alius compertus fuerit, cum eadem illa aucto-„ritate ac libertate, vt etiamsi omnes conspirent, non admitte-„re; denique vt nihil in cuiusquam vel gratiam vel odium face-

νοις, καὶ πλοῦτον περιβεβλημένοις πολὺν, καὶ δημόσια πράττουσι καὶ ἐν δυναστείαις οὖσι· ποικίλον αὐτὸν εἶναι δεῖ· ποικίλον δὲ λέγω οὐχ ὕπουλον, οὐ κόλακα, οὐχ ὑποκριτήν· ἀλλὰ πολλῆς μὲν ἐλευθερίας καὶ παῤῥησίας ἀνάμεστον, εἰδότα δὲ καὶ συγκατιέναι χρησίμως, ὅτ' ἂν ἡ τῶν πραγμάτων ὑπόθεσις τοῦτο ἀπαιτῇ· καὶ χρηστὸν εἶναι ὁμοῦ καὶ αὐστηρόν· οὐ γάρ ἐστιν ἑνὶ τρόπῳ χρῆσθαι τοῖς ἀρχομένοις ἅπασιν· ἐπειδὴ μηδὲ ἰατρῶν παισὶν, ἑνὶ νόμῳ τοῖς κάμνουσι προσφέρεσθαι, καλόν· μηδὲ κυβερνήτῃ, μίαν ὁδὸν εἰδέναι τῆς πρὸς τὰ πνεύματα μάχης.

(t) Chrysost. de sacerd. lib III. c. XVI. (tom. IV. p. 46. C. edit. Francof.) Καὶ γὰρ καὶ σεμνὸν καὶ ἄτυφον, καὶ φοβερὸν, καὶ προσηνῆ, καὶ ἀρχικὸν, καὶ κοινωνικὸν, καὶ ἀδέκαστον, καὶ θεραπευτικὸν, καὶ ταπεινὸν, καὶ ἀδούλωτον, καὶ σφοδρὸν, καὶ ἥμερον εἶναι δεῖ· ἵνα πρὸς ἅπαντα ταῦτα εὐκόλως μάχεσθαι δύνηται· καὶ τὸν ἐπιτήδειον μετὰ πολλῆς τῆς ἐξουσίας, κἂν ἅπαντες ἀντιπίπτωσι, παράγειν· καὶ τὸν οὐ τοιοῦτον μετὰ τῆς

re

„re conatus ecclesiasticæ vnius ædificationis decus commodum-„que tantum spectet.„ Sub hoc caput prudentiæ, qua ad malitiosos homines sese applicantes cum eisque colloquentes vti debebant, mandatum illud a *Paulo* apostolo datum & in diuersis antiquis canonibus repetitum licebit referre, quod videlicet episcopum *μὴ πλήκτην, non percussorem* esse oporteat, quod vicesimus septimus ex sic dictis *canonibus apostolicis* pleniore interpretatione in hunc modum explicat: *Episcopum* [tt] *vel presbyterum vel diaconum, qui verberat fideles, qui peccant, vel infideles, qui iniuriam fecerunt & per hæc vult perterrefacere, deponi iubemus. Dominus enim nos nequaquam hoc docuit: contra autem ipse verberatus non repercussit: maledictis appetitus, maledicta non retulit: patiens non minatus est.* Idem illud *Iustinianus* [u] *nouella* quadam sua vetat, quia alienum esse oporteat a sacerdotibus, manibus suis aliquem percutere. Vocabulum *πλήσσειν* significat etiam lingua percutere, hoc est criminosis, acerbis ac contumeliosis dictis proscindere, quemadmodum CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS aliique interpretantur. Quo sensu etiam prohibitum fuit, tamquam a grauitate & prudentia christianorum sacerdotum non minus alienum.

§. IX.

De prudentia & probitate in componendis minus necessariis controuersiis in ecclesia.

CHRYSOSTOMVS de diuersis aliis prudentiæ partibus fusius agit, quibus recensendis heic immorari necesse non est, quia illæ vel iam memoratæ sunt, vel postmodum alio loco considerabuntur; cuiusmodi est prudentia [w] in oppugnandis hæresibus;

αὐτῆς ἐξουσίας, κἂν ἅπαντες συμπνέωσι, μὴ προσίεσθαι, ἀλλ᾽ εἰς ἓν μόνον ὁρᾷν τὴν ἐκκλησιαστικὴν οἰκοδομήν· καὶ μηδὲν πρὸς ἀπέχθειαν ἢ χάριν ποιεῖν.

(tt) Can. apostol. c. XXVII. (c. XXVI. tom. I. conc. p. 29.) Ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον τύπτοντα πιστοὺς ἁμαρτάνοντας, ἢ ἀπίστους ἀδικήσαντας, καὶ διὰ τοιούτων φοβεῖν θέλοντα, καθαιρεῖσθαι προστάττομεν· οὐδαμοῦ γὰρ ὁ κύριος τοῦτο ἡμᾶς ἐδίδαξε· τοὐναντίον δὲ αὐτὸς τυπτόμενος, οὐκ ἀντέτυπτε· λοιδορούμενος, οὐκ ἀντελοιδόρει· πάσχων, οὐκ ἠπείλει.

(u) Iustin. nouel. CXXIII. c. XI. Ἀλλ᾽ οὐδὲ οἰκείαις χερσὶν ἔξεστιν ἐπισκόπῳ τινὰ πλήττειν· τοῦτο γὰρ ἀλλότριόν ἐστιν ἱερέων. Sed neque propriis manibus liceat episcopo aliquem percutere, hoc enim extraneum sacerdoti est.

(w) Chrysost. de sacerdot. lib. IV. c. IV. tot.

bus; prudentia [x] in moderandis virginibus & viduis, & administrandis reditibus ecclesiæ; prudentia [y] in audiendis & decidendi caussis sæcularibus; & prudentia [z] in exercenda disciplina & infligendis pœnis ecclesiasticis, de quo postremo momento sub alio capite dicendum erit. Hoc igitur loco vnum tantum exemplum prudentiæ ipsorum in diminuendis minus necessariis disputationibus, quæ inter catholicos & eiusdem sententiæ homines in ecclesia oriebantur, subiungam. Quæ quidem potius multarum nobilium virtutum, prudentiæ, candoris, ingenuitatis, modestiæ, studii pacis & caritatis erat concursio, quæ velut clarissimarum stellarum coniunctio maximum semper splendorem edebat. Hoc est, quod in *Athanasio* præcipue admiratur GREGORIVS NAZIANZENVS, quod & summis laudibus effert atque cæteris virtutibus omnibus anteponit, nec vlla re maiorem ecclesiæ Dei vtilitatem attulisse eum, putat. Accidit tempore ATHANASII, vt catholici meris verbis inter se altercarentur, feruida orta disputatione, quibus nominibus tres diuinitatis personas appellari conueniret; aliis *τρία πρόσωπα* ad *Arianismum*; aliis *τρεῖς ὑποστάσεις* ad *Sabbellismum* deuitandum, eas vocandas esse contendentibus. Omnes quidem verum idemque sentiebant, quum autem alii aliorum loquendi formulam non intelligerent, sese mutuo *Arianismi* & *Sabellismi* incusabant. Pars altera in feruore disputationis per tres hypostases non nisi tres substantias seu essentias sensu *Ariano* intelligere poterat; non enim inter hypostasin & essentiam distinguebat, adeoque parti aduersæ imputabat hæresin. Altera pars verebatur, ne per *τρία πρόσωπα* nihil nisi tres personæ nominales sensu *Sabellii* (qui ipse has voces sensu æquiuoco ad decipiendum mentes simpliciores adhibuerat) significarentur, & propterea in aduersarios suos inuehebantur, tamquam *Sabellismum* promouere cupientes. „Atque ita leuis illa & ieiuna de vocum sono altercatio, inquit „NAZIANZENVS [a], diuersæ fidei speciem præbuit. Hic deinde & „*Sabellismus* ob tres personas excogitatus est & *Arianismus* ob

(x) Chrysost. de sacerdot. lib. III. c. XVI. (p. 46. fin. seq. edit. Francof.)

(y) Ibid. lib. III. c. XVIII.

(z) Ibid. lib. III. c. XVIII.

(a) Gregor. Nazinaz. orat. XXI. de laud. Athan. tom. I. p. 396. *Πίστεως ἔδοξε διαφορὰ ἡ περὶ τὸν ἦχον μικρολογία. Εἶτα Σαβελλισμὸς ἐντεῦθεν ἐπενοήθη ταῖς τρισὶ προσώ-*

tres

„tres hypoſtaſes, quorum vtrumque pertinax contendendi ſtudi-„um effinxerat. Quid poſtea? Quum exigua res aliqua coti-„die accederet, quæ moleſtiam adferret, (moleſta autem vt vi-„deretur, contentio faciebat) eo tandem res adducta eſt, vt pe-„riculum eſſet, ne orbis terrarum fines vna cum ſyllabis abrum-„perentur. Quæ quum *Athanaſius*, beatus ille vir & vere ho-„mo Dei magnusque animarum diſpenſator, oculis auribusque „vſurparet, tam abſurdam & a ratione alienam verbi ſectionem „diſſimulandam ac negligendam ſibi non putauit: verum medi-„cinam morbo quamprimum adhibet. Quonam autem modo „id facit? Vtraque parte leniter ac benigne accita, verborum-„que ſententia diligenter & accurate perpenſa, poſtea quum „concordes reperit, nec, quantum ad doctrinam, vllo modo in-„ter ſe diſſidentes, ita negotium transegit, vt nominum vſum „concedens rebus eos conſtringeret.„ *Hoc*, pergit auctor no-ſter, *diuturnis eius laboribus & ſermonibus longe vtilius eſt: Hoc multis vigiliis & chameuniis præſtantius. Hoc peruulgatis atque omni fama celebratis ipſius exiliis & fugis nihilo inferius exiſtimandum eſt.* Vnde hoc narrare incipiens [*aa*] lectoribus ſuis dicit, ſe illud non

---

ποις, καὶ Ἀρειανισμὸς ταῖς τρισὶν ὑποστάσεσι τὰ τῆς φιλονεικίας ἀναπλάσματα· Εἶτα τί; προστιθεμένε μικρᾶ τινὸς ἀεὶ τᾶ λυπᾶντος, ὃ λυπηρὸν ἡ φιλονεικία ποιεῖ, κινδυνεύει συναποῤῥαγῆναι ταῖς συλλαβαῖς τὰ πέρατα. Ταῦτα ἂν ὁρῶν καὶ ἀκέων ὁ μακάριος ἐκεῖνος, καὶ ὡς ἀληθῶς ἄνθρωπος τᾶ Θεᾶ καὶ μέγας τῶν ψυχῶν οἰκονόμος ἐκ ᾠήθη δεῖν παριδεῖν τὴν ἄτοπον ἅτω καὶ ἄλογον τᾶ λόγε καταίομὴν, τὸ δὲ παρ' ἑαυτᾶ φάρμακον, ἐπάγει τῷ ἀῤῥωστήματι· πῶς ἂν τᾶτο ποιεῖ; προσκαλεσάμενος ἀμφότερα τὰ μέρη ἅτωσὶ πρᾴως καὶ φιλανθρώπως, καὶ τὸν νᾶν τῶν λεγομένων ἀκριβῶς ἐξετάσας, ἐπειδὴ συμφρονᾶντας εὗρε καὶ ἀδὲν διεστῶτας κατὰ τὸν λόγον, τὰ ὀνόματα συγχωρήσας, συνδεῖ τοῖς πράγμασι· Τᾶτο τῶν μακρῶν πόνων καὶ λόγων λυσιτελέστερον --- τᾶτο τῶν πολλῶν ἀγρυπνιῶν καὶ χαμευνιῶν προτιμότερον --- τᾶτο τῶν ἀοιδίμων ἐξοριῶν καὶ φυγῶν τᾶ ἀνδρὸς ἐπάξιον.

(*aa*) Naz. ibid. p. 395. ὃ δέ μοι μάλιστα τᾶ ἀνδρὸς θαυμάζειν ἔπεισε, καὶ ζημία τὸ σιωπᾷν διὰ τὸν καιρὸν μάλιστα, πολλὰς ποιᾶντα τὰς διαστάσεις, τᾶτο ἔτι προσθήσω τοῖς εἰρημένοις· γένοιτο γὰρ ἄν τι παίδευμα καὶ τοῖς νῦν ἡ πρᾶξις, εἰ πρὸς ἐκεῖνον βλέποιμεν· ὡς γὰρ ὕδατος ἐνὸς τέμνεται, ἀ τᾶτο μόνον ὅσον ἡ χεὶρ ἀφῆκεν ἀρυομένη, ἀλλὰ καὶ ὅσον τῇ χειρὶ περιεσχέθη τῶν δακτύλων ἐκρέον, ἅτω καὶ ἡμῶν ἀχ ὅσον ἀσεβὲς, σχίζεται μόνον, ἀλλὰ καὶ ὅσον εὐσεβέστερον, ἀ περὶ δογμάτων μόνον μικρῶν, καὶ παροραᾶσθαι ἀξίων· ἧττον γὰρ ἂν ἦν τᾶτο δεινὸν, ἀλλ' ἤδη καὶ περὶ ῥημάτων εἰς τὴν αὐτὴν φερόντων διάνοιαν. Quod vero mihi in ipſo maxime mirari ſubit, quodque non citra damnum ſilentio præteriri poteſt, hac præſertim tempeſtate, qua multæ contentiores diſſidiaque gignuntur, hoc adhuc ſuperioribus adiiciam. Nam his quoque, qui nunc viuunt, hæc actio doctrinæ eſſe queat, ſi ipſum nobis imitandum proponamus.

citra damnum silentio præterire posse, ea præsertim tempestate, qua multæ contentiones dissidiaque gignantur. Nam illis quoque, qui nunc viuant, hanc actionem doctrinæ esse posse, si ipsum sibi imitandum velint proponere: siquidem homines procliues sint ad dissidendum non tantum ab impiæ doctrinæ cultoribus, verum etiam ab illis, qui pietatis laude in primis excellant, idque non in paruis duntaxat & contemnendis dogmatibus (minus enim hoc graue fore) verum etiam in verbis, quæ ad eumdem omnino sensum tendant. Hæc admonitio omnibus temporibus vtilis est; quæ si stricte semper fuisset obseruata, multis absurdis controuersiis & contentionibus de verbis in ecclesia christiana anteuertisset.

§. X.

De eorum zelo & animi magnitudine in defendenda veritate.

Iam vero ab altera parte obseruandum est, quod quemadmodum ingenuitate ac prudentia in componendis minus necessariis & leuioribus disputationibus de verbis excelluerunt; ita in grauioribus & caput aliquod religionis attingentibus caussis non minorem zelum ac animi magnitudinem in veritate contra aduersarios defendenda ostenderint. Nulla hostium suorum fallacia, nec subtilitas, nec potestas, nec malitia ad cedendum adigere eos poterat, si periculum aliquod subesse crederent, ne fides subuerteretur. *Tametsi alioqui*, inquit NAZIANZENVS, [*b*] *pacati ac moderati sint antistites, hac tamen in re lenes & faciles esse non sustinent, quum per silentium & quietem Dei caussa proditur: verum hic admodum bellaces sunt atque in confligendo acres & feroces.* Non intelligit, quod arma militiæ ipsorum sint carnalia, quod piis fraudibus vtantur, vel proditionem struant cieantque rebellionem,

Quemadmodum enim ab vna eademque aqua non tantum ea pars disiungitur, quam manus inter hauriendum reliquit, verum id etiam, quod manu comprehensum, per digitos effluit: eodem modo a nobis non impiæ solum doctrinæ cultores, verum etiam qui pietatis laude in primis excellunt, præciduntur, idque non in prauis duntaxat & contemnendis dogmatis (minus enim hoc graue esset,), verum etiam in verbis, quæ ad eumdem omnino sensum tendebant.

(*b*) Naz. orat. XXI. de laud. Athanas. p. 388. D Οἱ κἂν τἄλλα ὦσιν εἰρηνικοί τε καὶ μέτριοι, τοῦτό γε οὐ φέρουσιν ἐπιεικεῖς εἶναι, Θεὸν προδιδόναι διὰ τῆς ἡσυχίας· ἀλλὰ καὶ λίαν εἰσὶν ἐνταῦθα πολεμικοί τε καὶ δύσμαχοι.

nem, vel arma ad religionem tuendam ſumant; ſed quod animo forti & imperterrito propugnationem ac defenſionem veritatis ſuſcipiant, in eaque ſuſcepta firmi perſtent, nihil curantes, quod ab aduerſariis homines contentioſi, impacati, immoderati, factioſi, turbulenti, incendiarii, & id genus nominibus aliis appellentur, nec minus contemnentes, quæcumque pro fide ſemel ſanctis tradita dimicantibus ſibi ſufferenda ſint. Plena ſunt huiusmodi exemplorum hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumenta; ſuffecerit autem huius virtutis exercitium vno tantum exemplo illuſtrare, quod GREGORIVS NAZIANZENVS [c] in vita *Baſilii* nobis exhibet, vbi memorabile colloquium inter *Modeſtum* præfectum *Arianum* ſub *Valente* imperatore & hunc virum ſanctum refert. *Modeſtus* omnes adhibebat machinas, vt in partem *Arianorum* eum pelliceret, ſed in vanum ſe laborare videns minas iactabat & opponebat formidines. „Quid? inquit, Poteſtatem hanc „non pertimeſcis? Cur vero pertimeſcerem, inquit *Baſilius*? Quid „fiet? quid patiar? Quid patieris, intulit ille? Vnum e tam „multis, quæ meæ ſunt poteſtatis. Quænam hæc, ſubiunxit „*Baſilius*? fac enim intelligamus. Bonorum, inquit ille, pro„ſcriptionem, exilium, cruciatus, mortem. Tum *Baſilius*: Si „quid aliud habes, id nobis minitare. Horum enim, quæ ad„huc commemoraſti, nihil nos attingit. Quonam modo, inquit „ille? Quoniam, inquit *Baſilius*, bonorum proſcriptioni obno„xius non eſt, qui nihil habet: niſi forte laceris & detritis hiſce „pannis indiges ac paucis libellis, in quibus omnes mihi facul„tates & copiæ ſunt. Exilium autem haud cognoſco, qui nul„lo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc, quam nunc „incolo, meam habeo, & eam omnem, in quam proiectus fu„ero, pro mea duco: immo vt rectius loquar, vniuerſam ter„ram Dei eſſe, ſcio, cuius aduena ego ſum & peregrinus. Iam „tormenta quid accipere queunt, quum corpus deſit, niſi forte

(c) Naz orat. XX de laud Baſil. p. 349. C. Τί δαὶ, ὃ φοβῇ τὴν ἐξυσίαν φησὶ; μὴ τί γένηται, μηδὲ τί πάθω, μὴ ἓν τῶν πολλῶν ἓν, ἃ τῆς ἐμῆς δυναστείας ἐστὶ· τίνα ταῦτα; γνωριζέσθω γὰρ ἡμῖν, δήμευσιν, ἐξορίαν, βασάνους, θάνατον, εἴ τι ἄλλο, φησὶν, ἀπείλει· τύτων γὰρ ὐδὲν ἡμῶν ἅπτεται καὶ τὸν εἰπεῖν· πῶς γὰρ τίνα τρόπον, ὅτι τοι, ἔφη. δημεύσει μὲν ὐχ ἁλωτὸς ὁ μηδὲν ἔχων, πλὴν εἰ τύτων χρήσεις τῶν τρυχίνων με ῥακίων καὶ βιβλίων ολίγων, ἐν οἷς ὁ πᾶς ἐμοὶ βίος· ἐξορίαν δὲ ὐ γινώσκω, Ὁ μηδενὶ τόπῳ περιγεγραπτὸς, καὶ μηδὲ ταύτην ἔχων ἐμὴν, ἣν οἰκῶ νῦν, καὶ πᾶσαν ἐμὴν, εἰς ἣν

„primam plagam dixeris: huius enim folius penes te arbitrium „& poteftas eft. Mors porro beneficii mihi loco erit: citius „enim me ad Deum transmittet, cui viuo & munere meo fun- „gor, maximaque ex parte mortem obii, & ad quem iam pri- „dem propero. Quo fermone obftupefactus præfectus, ne- „mo, inquit me (nomenque fuum adiunxit) ad hunc vfque di- „em ita eft adloquutus, nec pari verborum libertate. Neque „enim, ait *Bafilius*, fortaffe in epifcopum incidifti. Alioqui hoc „prorfus modo differuiffet, pro huiusmodi rebus in certamen „veniens. Nam cæteris quidem in rebus, o præfecte, manfue- „ti & placidi fumus atque omnium abiectiffimi, quemadmodum „hoc nobis lege præfcriptum eft, ac non dicam aduerfus tan- „tum imperatorem, fed ne aduerfus plebeium quidem quem- „quam & infimi ordinis hominem fupercilium attollimus. Ve- „rum vbi Deus nobis periclitatur ac proponitur, tum demum „alia omnia pro nihilo putantes ipfum folum intuemur. Ignis „autem, & gladius, & beftiæ & vngulæ, carnem lacerantes, vo- „luptati nobis ac deliciis potius funt, quam terrori. Proinde „contumeliis nos adfice, comminare, fac quidquid collibuerit, „poteftate tua fruere: audiat etiam hæc imperator: nequa- „quam profecto nos vinces, nec efficies, vt impiæ doctrinæ ad- „fentiamur: ne fi his quidem atrociora miniteris. Hæc poft- „quam præfectus dixit, atque audiit, ipfiusque contentionem a- „nimi eam effe cognouit, vt nulla vis eum perterrefacere ac „fuperare poffet, ipfum quidem foras mifit atque ablegauit,

ἂν ῥιφῶ· μᾶλλον δὲ Θεοῦ πᾶσαν, οὗ πάροικος ἐγὼ καὶ παρεπίδημος· αἱ βάσανοι δὲ, τί ἂν λάβοιεν, οὐκ ὄντος σώματος· πλὴν εἰ τὴν πρώτην λέγοις πληγήν· ταύτης γὰρ σὺ μόνης κύριος· ὁ δὲ θάνατος εὐεργέτης. καὶ γὰρ θᾶττον πέμψει με πρὸς Θεὸν, ᾧ ζῶ καὶ πολιτεύομαι, καὶ τὸ πλεῖστον τέθνηκα, καὶ πρὸς ὃν ἐπείγομαι πόῤῥωθεν· τούτοις καταπλαγέντα τὸν ὕπαρχον, οὐδεὶς φάναι μέχρι τοῦ νῦν οὕτως ἐμοὶ διείλεκται, καὶ μετὰ τοσαύτης τῆς παῤῥησίας, τὸ ἑαυτοῦ προσθεὶς ὄνομα· οὐδὲ γὰρ ἐπισκόπῳ. φησὶν, ἴσως ἐνέτυχες, ἢ πάντως ἂν τοῦτον διειλέχθη τὸν τρόπον, ὑπὲρ τοιούτων ἀγωνιζόμενος· τἆλλα μὲν γὰρ ἐπιεικεῖς ἡμεῖς, ὕπαρχε, καὶ παντὸς ἄλλου ταπεινότεροι, τοῦτο τῆς ἐντολῆς κελευούσης, καὶ μὴ ὅτι τοσούτῳ κράτει, ἀλλὰ μηδὲ τῶν τυχόντων ἑνὶ τὴν ὀφρῦν αἴροντες· οὗ δὲ Θεὸς τὸ κινδυνευόμενον, καὶ προκείμενον, τἆλλα περιφρονοῦντες, πρὸς ἑαυτὸν μόνον βλέπομεν· πῦρ δὲ καὶ ξίφος καὶ θῆρες, καὶ οἱ τὰς σάρκας τέμνοντες ὄνυχες, τρυφὴ μᾶλλον ἡμῖν εἰσιν ἢ κατάπληξις. πρὸς ταῦτα ὕβριζε, ἀπείλει, ποίει πᾶν ὅ, τι ἂν ᾖ βουλομένῳ σοι, τῆς ἐξουσίας ἀπόλαυε· ἀκουέτω ταῦτα καὶ βασιλεὺς, ὡς ἡμᾶς γε οὐχ αἱρήσεις· οὐδὲ πείσεις συνθέσθαι τῇ ἀσεβείᾳ, κἂν ἀπειλῇς

non

„non iam cum iisdem minis, ſed cum quadam reuerentia & „ſubmiſſione. Ipſe autem, quam celerrime potuit, imperato-„rem adiens, Imperator, inquit, ab huius eccleſiæ antiſtite victi „ſumus. Minis ſuperior eſt, ſermonibus firmior, verborum „blanditiis fortior. „ Neque vero apertæ tantum violentiæ ita fortiter reſiſtebant, ſed nec fraudulentioribus hoſtium veritatis tentationibus cedebant, qui ſæpius doloſe eam adoriebantur; partim propugnatores ac defenſores eius calumniando & tamquam homines abiectos & intolerabiles repræſentando; partim vero blandiendo fideique vnitatem cum orthodoxis ſimulando, & omnia conſilia ſua pacis tantum conſilia eſſe & eo ſpectare dictitando, vt verbis, quæ in ſcriptura non legantur, & nouis loquendi formulis repudiatis, omnes homines idem ſentirent. Hæc erant duo iſta magna *Arianorum* artificia, quibus præcipui eorum duces & viri verſutiores, *Euſebius Nicomedienſis*, *Valens*, *Vrſacius* & alii veritatem deſtruere numquam non adlaborabant. Quamobrem *Athanaſius* innumeras calumnias, obtrectationes & iniurias ſubire neceſſum habebat. Deferebatur ad *Conſtantinum*, vt qui imperatoriam vſurpans auctoritatem *Aegypto* tributum irrogaſſet; tamquam cædis reus, ob truncatam *Arſenio Meletianæ* partis epiſcopo manum; tamquam reus perduellionis, quod cuidam *Philumeno* homini rebelli fauens pecuniam miſiſſet; tamquam hoſtis reipublicæ, quod commeatum frumenti quotannis ex *Aegypto Conſtantinopolim* transuehi ſolitum, intercludere auſus eſſet. Quibus accuſationibus imperator in tantum commouebatur, vt in exilium *Treuiros* ipſum amandaret. Sub proxime ſequenti imperatore rurſus repetitarum cædium incuſabatur; & ſacrilegii, quod frumentum a *Conſtantino* alendis viduis in *Aegypto* & *Libya* erogatum in alios vſus conuertiſſet; proditionis, quia a *Magnentii* tyranni ſtetiſſet partibus; & id genus crimina alia ex malitioſo & diabolico adfectu ipſi imputabantur. BASILIVS ſimiliter tum a profeſſis hoſtibus tum a ſimulantibus amicitiam varie accuſatus fuit; qui, vt hac in re fieri

χαλεπώτερα· ἐπειδὴ ταῦτα εἰπεῖν καὶ ἀκοῦσαι τὸν ὕπαρχον, καὶ τὴν ἔνστασιν μαθεῖν τοῦ ἀνδρὸς, οὕτως ἀκατάπληκτον καὶ ἀήττητον, τὸν μὲν ἔξω πέμψαι καὶ μεταστήσασθαι, οὐκ ἔτι μετὰ τῆς αὐτῆς ἀπειλῆς, ἀλλά τινος αἰδοῦς καὶ ὑποχωρήσεως· αὐτὸν δὲ τῷ βασιλεῖ προσελθόντα, ὡς εἶχε τάχους, ἡττήμεθα βασιλεῦ εἰπεῖν ὑπὸ τοῦ τῆσδε προβεβλημένου τῆς ἐκκλησίας.

 ſolet,

ſolet, accuſationes ſibi manifeſto contrarias aduerſus eum attulerunt. Nonnulli ipſum Tritheiſmi accuſabant, quod doctrinam de tribus hypoſtaſibus contra *Sabellianos* defenderet; alii *Semiarianiſmi* ſiue heterodoxiæ in articulo de deitate ſpiritus ſancti, quia in eccleſia ſua nonnumquam doxologia vtebatur ab ea, quæ in aliis eccleſiis vſitata erat, diſcrepante. Alii rurſus *Arianiſmi* eum inſimulabant, quia *Euſtathium Sebaſtenum* poſt fidei catholicæ profeſſionem in communionem receperat; alii ipſum cum *Apollinari* hæretico amicitiam colere dictitabant, quod nonnumquam litteras occaſione ita ferente ad eum dederat. Eiusmodi calumniis duo iſti ſummi & optimi viri malitioſe onerabantur, eorumque exiſtimationi detrahebatur. Pro eadem quidem cauſſa ea omnia perpetiebantur ambo, hoc tamen cum diſcrimine, vt alter a manifeſtis hoſtibus extra eccleſiam, alter autem præcipue a clandeſtinis hoſtibus in eccleſia ea acciperet; quorum hic proinde cauſſam habuit dicendi: *Hæ plagæ ſunt, quibus percuſſus fui in domo amantium me.* Et hæ quidem eiusmodi erant tentationes, quæ mentes infirmiores ac inconſtantes frangere & ad deſerendam religionem ſuam adigere poterant; ſed verus zelus tentationibus ſuperior eſt, & plagas, quæ & enſe & lingua infliguntur, pariter æqualiterque poteſt contemnere; ſuſtentatus ea, quam Chriſtus in euangelio ſuo dat, conſolatione: *Beati eritis, quum vos conuiciis affecerint, & perſequuti fuerint, & mentientes dixerint quiduis mali aduerſus vos propter me, Gaudete & exſultate: quoniam merces veſtra multa eſt in cælis.* Iſtiusmodi exempla commonſtrant, ne ipſam quidem innocentiam homines a calumniis immunes ſemper præſtare poſſe, ſed nonnumquam caſu fieri earum occaſionem. Tunc autem id commodi habet, vt debito zelo coniuncta illius vel grauiſſime prementi oneri numquam ſuccumbat, ſed ſemper tandem de ea triumphet, vti ex jam propoſitis animo noſtro exemplis videmus.

Alterum artificium, quo *Arianos* ad deſtruendam fidem vſos eſſe, dixi, erat ſpecioſus ſtudii pacis ac concordiæ prætextus. Sagaciores & aſtutiores ex ipſis tempore *Conſtantini*, non eſſe ſibi cum doctrina catholica de Trinitate ipſa controuerſiam, dictitabant, ſed tantum ſe offendi nouis & a ſcripturæ vſu alienis verbis, quale ſit τὸ ὁμοούσιος, *conſubſtantialis*, & cætera, quæ ſynodus

dus *Nicæna* ad hoc exprimendum adhibuerat. Hæc, aiebant, esse vocabula ad animorum disiunctionem spectantia, & omnium controuersiarum & dissensionum caussam: adeoque se illa tamquam magna offendicula de via remoueri velle, vt sic pax & vnitas ecclesiæ posset instaurari. *Athanasius* autem & alii sapientiores catholici facile intelligebant, quo hoc callidum eorum spectaret stratagema, persuasissimum habentes, non contra nuda vocabula sed ipsam fidem consilia ipsorum tendere, adeoque imperterrito semper animo & diuino zelo eis sese opponebant. Neque *Ariani* a catholicis hac in re quidquam vllo tempore obtinere poterant, donec tandem hi ipsi in concilio *Ariminensi* an. CCCLIX magna importunitate & multis clamoribus de pace & concordia fatigati vsum vocabuli *consubstantialis* relinquerent, nouumque sine eo conderent symbolum, in quo tamen ex ipsorum sententia eadem prorsus doctrina planis locutionibus, quantum fieri potuerat, expressa continebatur, modo quod vocabulum *consubstantialis* abesset. Sed heic fatendum est, episcopos catholicos de zelo suo remisisse, vti quidem statim post finitum concilium ipsimet agnouerunt. Vix enim *Arianis* hoc indultum erat, quum iactabundi in omnem terrarum orbem evulgarent, doctrinam *Nicænam* damnatam esse, & *Arianismum* generali aliquo concilio stabilitum, quamquam catholici episcopi, qui adfuerant, nihil minus, quum hoc facere, animo intenderant. Iam vero se errasse, sentiebant, dum versutorum hominum insidiis ita se irretiri passi essent. Iam videbant, oportuisse se locutionibus *Nicænis* non minus, quam doctrinæ inhærere, quum doctrina ipsa ab illis adeo dependeret. Iam de dolis conqueri incipiebant, & a fratribus suis petebant veniam, quod in tanti periculi ac momenti negotio non satis caute ac circumspecte essent versati. HIERONYMVS, qui rem omnem illic transactam ex actis synodi, inter alia monimenta sua adhuc memoria exstantibus, enarrat, sic ipsos introducit caussam suam dicentes. „Concurrebant [d] episcopi, inquit, qui *Ariminensibus* „dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, contestan„tes corpus domini, & quidquid in ecclesia sanctum est, se ni„hil mali in sua fide suspicatos. Putauimus, aiebant, sensum

(d) Hieron. dialog. contr. Lucifer. tom. II. p. 143. (p. 99. A. edit. Francof.)

con-

„congruere cum verbis: nec in ecclesia Dei, vbi simplicitas, „vbi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati, sacerdotes Christi aduersus Christum pugnare. Multaque alia, quæ breuitatis studio prætereo, „flentes adserebant, parati & subscriptionem pristinam & omnes „*Arianorum* blasphemias damnare. „ Quisquis HIERONYMVM paullo studiosius legerit, facile perspiciet, hos episcopos non fuisse *Arianos*, nec *Arianæ* fidei symbolo subscribendi habuisse consilium; sed erratum eorum fuisse, quod de zelo suo remittentes symbolo *Nicæno* relicto aliud eius loco sine vocabulo *consubstantialitatis* acceperint, cui licet subscripserint ex animi simplicitate & tamquam symbolo orthodoxo (& sane verba, prout ab HIERONYMO recensentur, plano suo sensu accepta pietatem sonabant, quemadmodum in eorum excusationem dicit HIERONYMVS) *Ariani* tamen æquiuocum & venenatum eis sensum dabant, vbi finito concilio palmas suas iactitare incipiebant, dicentes, non tantum *consubstantialitatis* nomen abolitum, sed fidem etiam *Nicænam* damnatam esse. Cuius rei nouitate episcopi, qui *Armini* fuerant, non mediocriter obstupuerunt. *Ingemuit*, inquit HIERONYMVS, *totus orbis & Arianum se esse miratus est*. Hoc est, episcopi catholici ex toto terrarum orbe (trecenti enim concilio interfuerant) ingemuerunt & mirati sunt, videntes, se ita delusos esse & tamquam *Arianos* repræsentari, quum tamen doctrinam *Arianam*, ne in minima quidem parte, confirmare animum induxissent. Iam vero ex his iudicare lector poterit, qualem zelum in clericis suis requisiuerit ecclesia catholica, nimirum vt non tantum pro fide ipsa, sed etiam pro his catholicis eam exprimendi formulis, quas patres in conciliis generalibus tamquam repagula ac valuas aduersus hæreticos composuissent, decertarent; quæ si in subtilium & periculosorum aduersariorum gratiam auferrentur, commodiorem in ipsam fidem tanto effrenatius irrumpendi, & caussam catholicam destruere conandi, locum eis aperirent; quemadmodum isti episcopi, qui in obsequium, *Arimini Arianis* præstitum, consenserant, tristi experientia satis edocti cognouerunt. Candoris quidem est, bonos catholicos de vocabulis inter se diffidentes, eo adducere, vt alii alios recte intelligant, quod ad pacem & concordiam inter eos instau-

instaurandam plurimum valet: Sed nimiæ obsequentiæ est, præcipua fidei propugnacula fallacissimis aduersariis & insidiosissimis hominibus dedere, quorum artes & consilia, etsi varie & dissimulanter obtecta, semper ad subuertenda religionis fundamenta spectare intelliguntur. Quam ob caussam vt nemo apertius sinceriusque cum errantibus catholicis egit quam *Athanasius*, ita nec quispiam maiori zelo partis *Arianæ* artibus ac strategematis sese opposuit, quam ille ipse; strictissime semper synodi *Nicænæ* definitioni inhærens, nec vllum vmquam apicem vel syllabam isto symbolo eradi vel in eo mutari patiens.

§. XI.

De ipsorum obligatione ad tuendam ecclesiæ vnitatem: & de pœnis eorum, qui in hæresin vel schisma aliquod prolapsi fuerant.

Dum in hoc argumento versamur, non possum, quin commemorem, quantopere clerici ad ecclesiæ vnitatem tam ratione fidei quam disciplinæ tuendam obligati, & quæ pœnæ illis inflictæ fuerint, qui eam, vel semetipsos in hæresin aut schisma præcipitando vel alios ad istiusmodi aberrationem sollicitando, dissoluissent. Non necesse est hoc loco naturam vnitatis & communionis ecclesiasticæ pluribus exponere, sed dico tantum, quod fidei catholicæ puritatem custodire, & sub disciplina & gubernatione catholici cuiusdam episcopi, qui & ipse in communione catholicæ ecclesiæ viuebat, vitam agere, tunc duæ quasi notæ characteristicæ hominum in communione ecclesiæ exsistentium fuerint. Quare vt quoduis ecclesiæ membrum ad vnitatem ecclesiasticam in vtraque parte seruandam obligatum erat, ita tanto magis clerici, quos præcipuos eius custodes esse oportebat. Qui si in alterutra peccarent, hoc est, si vel in hæresin vel schisma inciderent, ex præscripto legum ecclesiæ ab officio suo remouendi erant; & quamuis resipiscerent & ad vnitatem ecclesiæ redirent, non tamen in pristinam stationem recipi, sed ad communionem tantum laicorum admitti eos licebat. Hæc ecclesiæ *Africanæ* regula tempore *Cypriani* fuit, quemadmodum ex epistola synodica [e] concilii

(e) Cyprian. epist. LXII. p. 197. (p. 111. edit. Paris. MDCLXVI.)

Carthaginensis, quæ nomen ipsius præfixum habet, manifestum est. *Stephano* enim pontifici scribentes inter alia, *Addimus plane*, inquiunt, *& adiungimus, frater carissime, consensu & auctoritate communi, vt etiam si qui presbyteri, aut diaconi, qui vel in ecclesia catholica prius ordinati fuerint & postmodum perfidi ac rebelles contra ecclesiam steterint, vel apud hæreticos a pseudöepiscopis & antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra altare vnum atque diuinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscipi cum reuertuntur, vt communicent laici; & satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis exstiterint, nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint.* Et hoc ideo se facere perhibent, vt discrimen statuant inter eos, qui ecclesiæ semper fideles manserint, & inter eos, qui eam deseruerint. *Satis est*, [*f*] inquiunt, *talibus reuertentibus veniam dari, non tamen debet in domo fidei perfidia promoueri. Nam quid bonis & innocentibus atque ab ecclesia non recedentibus reseruamus; si eos, qui a nobis recesserint & contra ecclesiam steterint, honoramus?* Verumtamen si insigne aliquod emolumentum ex istiusmodi hæretici vel schismatici reditu ad ecclesiam veniret, si exempli caussa non mediocrem delusæ plebis partem secum reduceret; vel si generatim ab ecclesia eligeretur, vel simile quid fieret, tum eam regulam eatenus migrabant, vt desertori ad pristinam dignitatem admisso in suo ipsius ordine rursus ministerium ecclesiæ obire liceret. Hanc ob caussam *Cornelius* episcopus *Romæ Maximum* presbyterum [g] de schismate *Nouatiano* red-

(*f*) Cypr. ibid.

(*g*) Cornel. epist. XLVI. al. XLIX. ad Cypr. p. 93. (p. 61. apud Cypr. it. tom. I. concil. p. 684.) Maximum presbyterum locum suum agnoscere iussimus; cæteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Aliud exemplum Socrates lib VII. c. III. exhibet. Ὁ Ἀγαπητὸς, inquiens, ὃν προεστάναι τῆς Μακεδονίου θρησκείας ἔφην, ἐπὶ ἀγαθὴν ἦλθεν ἐπίνοιαν· βουλευσάμενος γὰρ ἅμα τῷ αὐτοῦ κλήρῳ παντὶ, καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὑπ' αὐτοῦ λαὸν, πείθει τὴν τοῦ ὁμοουσίου πίστιν προσδέξασθαι καὶ τοῦτο καταστήσας, εὐθὺς ὡς εἶχε σὺν πλήθει πολλῷ, μᾶλλον δὲ σὺν παντὶ λαῷ, ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν ὥρμησεν· εὐχήν τε ἐπιτελέσας, καταλαμβάνει τὸν θρόνον ἐν ᾧ εἰώθει ὁ Θεοδόσιος προκαθέζεσθαι· ἑνώσας δὲ τὸν λαὸν καὶ τοῦ λοιποῦ τὴν τοῦ ὁμοουσίου πίστιν διδάσκων, τῶν ὑπὸ Συνάδα ἐκκλησιῶν ἐγκρατὴς ἐγένετο. Agapetus, qui Macedonianæ sectæ præerat, vt dixi, prudens iniit consilium. Communicata enim re cum vniuerso clero & populo, qui sub ipso erat, ad concionem vocato persuasit, vt consubstantialis fidem amplecterentur. Quo confecto protinus cum ingenti multitudi-

eun-

euntem in priſtinum dignitatis gradum reſtituit. Et poſterioribus temporibus tum *Nouatianis* tum *Meletianis* ſpeciatim hoc priuilegium a concilio *Nicæno*, & *Donatiſtis* a patribus *Africanis* tempore *Auguſtini*, indultum fuit, quemadmodum ſupra [h] plus vice ſimplici obſeruauimus. Sin autem in hæreſi ſua vel ſchiſmate animo obſtinato perſiſterent, interdum anathematis fulmine percellebantur, vt in concilio *Carthaginenſi* ſecundo. *Si quis forte presbyter*, inquit canon [i], *ab epiſcopo ſuo correctus vel excommunicatus, tumore, vel ſuperbia inflatus, putauerit ſeparatim Deo ſacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contra eccleſiaſticam fidem diſciplinamque crediderit, non exeat impunitus, ſed anathema ſit.* Concilium *Antiochenum* [k] & ſic dicti *canones apoſtolici* [l] diuerſos eiusdem

ne, immo vero cum vniuerſo populo, recta ad eccleſiam tendit. Cumque orationem celebraſſet, cathedram, in qua Theodoſius ſedere conſueuerat, occupauit. Adiuratoque populo fidem conſubſtantialis deinceps prædicans, eccleſiarum, quæ ad Synnadenſem epiſcopatum pertinent, compos factus eſt.

(h) Lib. IV. c. VII. § VII. & VIII. pag. 196. ſeqq.

(i) Concil. Carth. II. c. VIII. (tom. II. concil. p. 1161.)

(k) Conc. Antioch. c. IV. (ibid. p. 564.) Εἴ τις ἐπίσκοπος ὑπὸ συνόδου καθαιρεθεὶς, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ὑπὸ τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, τολμήσειέν τι πρᾶξαι τῆς λειτουργίας, εἴ τε ὁ ἐπίσκοπος κατὰ τὴν προάγουσαν συνήθειαν, εἴτε ὁ διάκονος· μηκέτι ἐξὸν εἶναι αὐτῷ, μηδ᾽ ἐν ἑτέρᾳ συνόδῳ ἐλπίδα ἀποκαταστάσεως, μήτε ἀπολογίας χώραν ἔχειν· ἀλλὰ δὲ τοὺς κοινωνοῦντας αὐτῷ πάντας ἀποβάλλεσθαι τῆς ἐκκλησίας, καὶ μάλιστα, εἰ μαθόντες τὴν ἀπόφασιν τὴν κατὰ τῶν προειρημένων ἐξενεχθεῖσαν τολμήσειαν αὐτοῖς κοινωνεῖν. Si quis epiſcopus a ſynodo depoſitus, vel presbyter, vel diaconus a proprio epiſcopo, ſacrum celebrare auſus fuerit, ſiue epiſcopus ſecundum præcedentem conſuetudinem, ſiue presbyter, ſiue diaconus, nullam amplius ſpem reſtitutionis in alia ſynodo, neque defenſionis locum ei habere liceat. Sed & omnes, qui ei communicant, ex eccleſia eiiciantur, & maxime ſi, cum ſententiam aduerſus prædictos prolatam didicerint, eis communicare auſi fuerint. Ibid. can. V. Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καταφρονήσας τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἰδίου, ἀφώρισεν ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας καὶ ἰδίᾳ συνήγαγεν, καὶ θυσιαστήριον ἔστησεν, καὶ τοῦ ἐπισκόπου προσκαλεσαμένου ἀπειθοίη, καὶ μὴ βούλοιτο αὐτῷ πείθεσθαι μηδὲ ὑπακούειν καὶ πρῶτον καὶ δεύτερον καλοῦντι· τοῦτον καθαιρεῖσθαι παντελῶς, καὶ μηκέτι θεραπείας τυγχάνειν, μηδὲ δύνασθαι λαμβάνειν τὴν ἑαυτοῦ τιμήν· εἰ δὲ παραμένοι θορυβῶν καὶ ἀναστατῶν τὴν ἐκκλησίαν, διὰ τῆς ἔξωθεν ἐξουσίας ὡς στασιώδη αὐτὸν ἐπιστρέφεσθαι. Si quis presbyter vel diaconus proprio contemto epiſcopo, ab eccleſia ſe ipſum ſegregauerit, & priuatim congregationem effecerit & altare erexerit, & epiſcopo arceſſente non obedierit, nec velit ei parere nec morem gerere primo & ſecundo vocanti, is omnino deponatur, & non amplius curationem adſequi, nec ſuum poſſit honorem capere. Sin autem perſeuerat perturbare & eccleſiam euertere, is per externam potentiam vt ſeditioſus caſtigetur.

(l) Can. apoſt. c. XXXII. (al. XXXI.) Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος ἀπὸ ἐπισκόπου

argu-

argumenti canones habent. Immo vero vnitati ecclesiæ tantopere ſtudere debebant clerici, vt ne hæreticis vel ſchiſmaticis vel aliis ab ecclesia ſegregatis, cum ipſis vel in faciendis precibus vel aliis ſacris eccleſiæ officiis obeundis communicando, vel eorum ſocietatem frequentando, cum ipſis ieiunando, vel ſimile quid agendo in obſtinatione ſua ſe confirmandi darent occaſionem. Sed haſce res nolo hoc loco exponere verboſius, quia eas, vtpote ad diſciplinam ſpectantes, ſub alio capite denuo conſiderari oportebit.

Perſtrinximus ita præcipua quædam & generaliora officia, quæ magis ſpeciatim ad munus & functionem cleri attinent; & publicas regulas priuatis præceptionibus ac inſigniori-bus exemplis miſcendo ideam ac characterem priſcorum clericorum ita delineauimus, vt in animis multorum hæc legentium, ad quos propoſiti exemplaris attinet imitatio, piam æmulationem & ſtudium excitare quodam modo poſſe, confidamus. Qui ſi heic ea non ita plene & ad viuum in pulchritudine ſua expreſſa deprehenderint, vti quidem ipſi optant, ſua eos ſpes non fallet, ſi deſideriis ſuis facturi ſatis ad ipſos fontes, ex quibus hæc hauſimus, adire non fuerint grauati. Multa enim, quæ heic addi poterant, de induſtria omiſimus, veriti, vt, ſi hanc partem longius perſequeremur, cum huius operis ſcopo ac ratione conſiſteret: Quid, quod paullo breuius quam fuſius hac de re dicere debuiſſe mihi videor, vt ne curioſi lectoris animo rei ſatietate faſtidium mouerem, ſed ipſius acuerem appetitum.

LIBRI SEXTI
CAPVT QVARTVM
DE QVIBVSDAM ALIIS LEGIBVS ET REGVLIS, QVAE PRIORVM ISTARVM QVAEDAM QVASI SEPIMENTA ET PROPVGNACVLA FVERVNT.

γίνηται ἀφωρισμένος, τοῦτον μὴ ἐξεῖναι παρ' ἑτέρου δέχεσθαι, ἀλλ' ἢ παρὰ τοῦ ἀφορίσαντος αὐτὸν, εἰ μὴ ἂν κατὰ συγκυρίαν τελευτήσῃ ὁ ἀφορίσας αὐτὸν ἐπίσκοπος. Si quis presbyter vel diaconus ab epiſcopo ſit ſegregatus, non liceat alii eum ſuſcipere, quam qui ipſum ſegregauit: niſi forte ſit mortuus epiſcopus, qui ipſum ſegregauit.

§. I.

§. I.

Nulli clerico ſtationem ſuam ſine idoneis rationibus & venia deſerere vel relinquere licebat.

QVando hactenus tam de illis legibus, quæ ad vitam & conuerſationem primitiuorum clericorum ſpectant, quam de iis, quæ partes & officia functionis ipſorum attingunt propius, loquuti ſumus; de tertio genere legum dicere nunc inſtituimus, quæ *iudaicis* ſepimentis legis ſimiles & leges ac regulæ quædam aduentitiæ erant, ad priorum duarum defenſionem ac communitionem factæ. Hiſce eas leges adnumerare licuerit, quæ ad clericos in proprio ſuo negotio ac officio continendos ſpectabant, cuiusmodi erant, quæ clericum quemcunque ſtationem ſuam ſine idoneis rationibus atque antiſtitis ſui venia deſerere aut relinquere vetabant. In eccleſia *Africana*, vti oſtenſum eſt ſupra [*a*], ex quo tempore quis lector factus vel in inferiorem aliquem eccleſiæ ordinem adſcitus erat, Dei cultui dedicatus habebatur, ita quidem, vt poſtmodum pro arbitratu ſuo ad vitam ſæcularem reuerti ei non eſſet integrum. Tanto magis hæc regula epiſcoporum, presbyterorum ac diaconorum intuitu obſeruabatur. Hinc CYRILLVS ALEXANDRINVS, vti ab HARMENOPVLO citatur [*aa*], in canonum ſuorum quodam præter eccleſiaſticas leges eſſe, dicit, quod nonnulli ſacerdotes recuſationum libellos offerant: quippe ſi digni ſint, miniſterium ſacrum obire: ſin autem minus, non renuntiare ſed velut damnatos excedere oportere. Concilium *Chalcedonenſe* [*b*] eos, qui in clero ſemel ordinati ſunt, ſtatuit, nec ad militarem expeditionem nec ad ſæcularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audeant, & non pœnitentia ducti ad id reuertantur, quod propter Deum prius elegiſſent, ab eccleſia ſegregandos eſſe, di-

(*a*) Lib. III. c. I. §. V. pag 9.

(*aa*) Harmenopul. epitom. can ap. Leunclau. iur. græc. Rom. tom. I. p. II. Παρὰ τοὺς ἐκκλησιαστικούς ἐστι θεσμούς, τὸ λιβέλλους παραιτήσεων προσάγειν τινὰς τῶν ἱερουργῶν· εἰ γὰρ ἄξιοι, λειτουργείτωσαν· εἰ δὲ μὴ, μὴ παραιτείσθωσαν, ἀλλ' ὡς κατεγνωσμένοι ἐξίτωσαν.

(*b*) Conc. Chalced. c. VII. (tom. IV. p. 759.) Τοὺς ἅπαξ ἐν κλήρῳ κατειλεγμένους, ἢ καὶ μονάζοντας, ὡρίσαμεν, μήτε ἐπὶ στρατείαν, μήτε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι· ἢ τοῦτο τολμῶντας, καὶ μὴ μεταμελομένους, ὥστε ἐπιστρέψαι ἐπὶ τοῦτο, ὃ διὰ Θεὸν πρότερον εἵλοντο, ἀναθεματίζεσθαι.

cit. Concilium *Turonicum* [c] similiter decernit, *vt si quis clericus relicto officii sui ordine laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.* Lex etiam ciuilis admodum seuera contra istiusmodi desertores erat. Ex decreto quodam *Arcadii* & *Honorii* [d] curiæ vindicari iubentur, ita vt reditus ad ecclesiam illis numquam pateat. Et lege quadam *Iustiniani* [e] omnia tam monachorum quam clericorum, monasterium vel ecclesiam relinquentium, bona ac possessiones isti ecclesiæ vel monasterio adiudicantur, ad quod antea spectauerunt.

§. II.

In quibusdam tamen casibus muneris abdicatio permissa.

Hæc autem regula, vt in ecclesiæ beneficium facta erat, nimirum vt clericos ad manendum in officio suo obligaret, ita si res ecclesiæ, vel alia quæpiam caussa idonea contrarium requireret, migrari poterat; cuiusmodi abdicationes munerum frequenter factas & nonnumquam a conciliis generalibus permissas esse, legimus. Vt enim istum casum taceamus, quum quis propter senium, morbum diuturniorem vel aliam quamdam infirmitatem ad officium obeundum minus esset idoneus, vbi episcopi alicui coadiutori functionem suam tradere consueuerunt; qua de re superiore quodam libro [ee] plenius diximus; duo alii casus exsistebant, ad rem præsentem propius accedentes. Primum quidem, si quis episcopus per obstinatos, infensos ac abalienatos populi animos facere, quod sui esset officii, se non posse, & onus sibi intolerabile fieri, sentiret, tunc si munere suo se abdicare cuperet, ista abdicatio accipiebatur. Ita GREGORIVS NAZIANZENVS episcopatui *Constantinopolitano* renuntiauit, vitamque sequutus est priuatam & quietam, quod populus contra ipsum tamquam peregrinum tumultuari & murmurare inciperet. Et hoc

(c) Concil. Turon. c. V. (ibid. p. 1051.)

(d) Cod. Theod. lib XVI. tit. II. de episc. leg. XXXIX. Si quis professum sacræ religionis sponte dereliquerit, continuo sibi eum curia vindicet: vt liber illi vltra ad ecclesiam recursus esse non possit.

(e) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episc. leg. LV. Quod si illi monasteria aut ecclesias relinquant, atque mundani fiant: omne ipsorum ius ad monasterium aut ecclesiam pertinet.

(ee) Lib. II. c. XIII. §. IV. vol. I. p. 186. seq.

fecit

fecit consentiente atque approbante concilio generali *Constantinopolitano*, quemadmodum non solum historiæ ecclesiasticæ scriptores THEODORETVS [*f*] & SOCRATES [*g*] perhibent, sed ipse [*h*] etiam

(*f*) Theod. lib. V. c. VIII. *ὁ δὲ θεῖος παρεκάλει Γρηγόριος, περὶ συμφωνίας συνηθροισμένους, τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν προτιμῆσαι τῆς ἑνὸς ἀνδρὸς ἀδικίας· ἐγώτε γὰρ, ἔφη, τῶν πλειόνων φροντίδων ἀπαλλαγεὶς, τὴν ἐμοὶ φίλην ἀπολήψομαι ἡσυχίαν, καὶ ὑμεῖς τὴν τριπόθητον εἰρήνην μετὰ τὸν μακρὸν ἐκεῖνον καὶ χαλεπὸν ἀπολήψεσθε πόλεμον· τῶν γὰρ λίαν ἀτοπωτάτων, ἄρτι τῶν πολεμικῶν ἀπαλλαγέντας βελῶν, ἀλλήλους βάλλειν καὶ τὴν οἰκείαν ἀναλίσκειν ἰσχύν· ἐπίχαρτοι γὰρ οὕτω τοῖς δυσμενέσι ἐσόμεθα· ἄνδρα δὴ οὖν ἐπιζητήσαντες ἀξιέπαινον καὶ νοῦν ἔχοντα, τῶν φροντίδων τὸ πλῆθος καὶ δέξασθαι καὶ εὖ διαθεῖναι δυνάμενον, ἀρχιερέα προβάλλεσθε· ταύταις οἱ ἄριστοι ποιμένες ταῖς ὑποθήκαις πεισθέντες, Νεκτάριον εὐπατρίδην ἄνδρα, καὶ περιφανείᾳ γένους κοσμούμενον, καὶ τοῖς τῆς ἀρετῆς εἴδεσι λαμπρυνόμενον, ἐπίσκοπον τῆς μεγίστης ἐκείνης ἐχειροτόνησαν πόλεως.* Diuinus Gregorius eos hortabatur, vt, quoniam restituendæ concordiæ caussa congregati erant, mutuam inter ipsos pacem & consensionem vnius hominis iniuriæ anteponerent. Nam & ego, aiebat, multis curis liberatus iucundam mihi quietem recuperabo: & vos post diuturnum & grauissimum illud bellum, optatissimam vobis pacem recipietis. Absurdissimum enim fuerit, eos qui hostilia tela recens euaserint, sese mutuo telis configere & suas vires in cassum consumere. Hoc enim pacto aduersariis nostris maximam adferimus voluptatem. Quo circa virum laudabilem ac prudentem, qui tot curarum pondus sustinere ac probe ordinare possit, conquirite, eumque antistitem renuntiate. His monitionibus obsequuti præstantissimi pastores Nectarium virum nobilem omnique virtutis genere, non minus quam splendore generis illustrem, regiæ vrbis episcopum ordinarunt.

(*g*) Socrat. lib. V. c. VII. *Τότε ὁ Γρηγόριος ὁ Ναζιανζοῦ μετατεθεὶς ἔνδον τῆς πόλεως ἐν μικρῷ εὐκτηρίῳ τὰς συναγωγὰς ἐποιεῖτο· ᾧτινι ὕστερον οἱ βασιλεῖς, μέγιστον οἶκον εὐκτήριον προσσυνάψαντες, ἀναστασίαν ὠνόμασαν· Γρηγόριος μὲν οὖν ἀνὴρ ἐλλόγιμος, καὶ εὐλαβείᾳ τοὺς καθ' ἑαυτὸν ὑπερβάλλων, γνοὺς διαγογγύζαντας τινὰς, ὡς εἴη ὑπερόριος, ἀσμένως τὴν τοῦ βασιλέως παρουσίαν δεξάμενος, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει διαγωγὴν παρῃτήσατο.* Eodem tempore Gregorius ab vrbe Nazianzo translatus, intra vrbem regiam in exiguo oratorio conuentus agebat: cui postea imperatores cum maximam basilicam adiunxissent, Anastasiæ nomen ei indiderunt. At Gregorius vir disertissimus & omnium sui temporis religiosissimus, *cum quosdam ob id murmurare intelligeret, quod esset peregrinus;* imperatoris aduentum auide amplexus, *Constantinopoli morari vlterius recusauit.*

(*h*) Nazianz. orat. XXXII. passim, præcipue p. 527. a. *Δότε μοι τὴν χάριν ταύτην, μετὰ εὐχῶν ἡμᾶς ἀποπέμψατε· --- δότε μοι τὸ γράμμα τῆς ἀφέσεως, ὥσπερ τοῖς στρατιωτικοῖς κ. τ. λ.* Hoc mihi beneficium date, cum precibus dimittite. — Millionis libellum mihi date, quemadmodum imperator militibus solet. cætera. It. carm. de vita sua p. 26.

Ἡμῖν δὲ συγχωρήσατ' ἄθρονον βίον,
Τὸν ἀκλεῆ μὲν, ἀλλ' ὅμως ἀκίνδυνον·
Καθήσομ' ἐλθὼν οἱ κακῶν ἐρημίᾳ.

in

in multis scriptorum suorum locis de se testatur. In eumdem modum THEODORETVS [i] *Meletium* celebrem *Antiochiæ* episcopum, quum *Sebastiæ* in *Armenia* esset episcopus, cum refractariis ac contumacibus peruersi gregis sui ingeniis ita conflictatum esse, narrat, vt eis relictis alio migrauerit ibique in otio vitam egerit. Ita THEODORVS LECTOR [k] de *Martyrio*, episcopo *Antiocheno*, memoriæ prodidit, quod quum populum ac clerum suum turbis ac seditionibus delectari animaduertisset, *Petro Fullone* intruso, episcopatui renuntiarit coram vniuersa ecclesia his verbis vsus: *Clero contumaci & populo immorigero & ecclesiæ contaminatæ renuntio, seruata mihi sacerdotii dignitate.* Alius casus erat, si quis episcopus caritate ductus munere se abdicaret, vel ad renuntiandum ei promtum se exhiberet, ad inueteratum aliquod schisma hoc

Κρεῖσσον γὰρ, ἢ τοῖς πλησίον μεμιγμένοι,
Μήτ' ἄλλον ἕλκειν πρὸς τὸ βȣ́λημ' ἰσχύειν,
Μήτ' αὐτὸν ἄλλοις συμφέρεσθ', ȣ̓ μὴ λόγος.
Δεῦρ' ὅστις οἶδε τὸν θρόνον, προσβαινέτω.
At mihi carentem vos throno concedite
Vitam, periclo liberam, etsi ingloriam.
Illic sedebo, nulla vbi sedes malis.
Hoc namque præstat, cæteris quam vt miscear,
Meamque nec eos flectere in sententiam
Possim, nec illos rebus in prauis sequi,
Huc, huc thronum qui nouit, accedat citus.

(*i*) Theod. lib. II. c. XXXI κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν Μελέτιος ὁ θεσπέσιος πόλιν τινὰ τῆς Ἀρμενίας ἰθύνων, εἶτα τῶν ἀρχομένων τὸ δυσήνιον δυσχεράνας, ἡσυχίαν ἦγεν, ἑτέρωθι διατρίβων. Per idem tempus diuinus *Meletius* cuiusdam vrbis in Armenia episcopus, *cum gregis sui contumaciam ferre non posset, alio migrauerat, ibique in otio degebat.*

(*k*) Theodor. Lect. lib I. (p. 555 edit. Vales.) Πρὸς βασιλέα ἐλθὼν Μαρτύριος σὺν πολλῇ τιμῇ ἀπελύθη· σπȣδῇ καὶ παραινέσει Γενναδίȣ· ἐλθὼν δὲ εἰς Ἀντιόχειαν, καὶ βλέπων Ἀντιοχεῖς ταραχαῖς καὶ στάσεσι χαίροντας, καὶ Ζήνωνα τȣ́τοις συμπράττοντα, ἀπετάξατο τῇ ἐπισκοπῇ ἐπ' ἐκκλησίας εἰπὼν, κλήρῳ ἀνυποτάκτῳ καὶ λαῷ ἀπειθεῖ, καὶ ἐκκλησίᾳ ἐρρυπωμένῃ ἀποτάττομαι, φυλάττων ἐμαυτῷ τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀξίωμα. Martyrius quum ad imperatorem venisset, honorifice dimissus est, studio atque hortatu Gennadii. Reuersus autem Antiochiam, quum Antiochenses turbis ac seditionibus delectari & Zenonem iis fauere animaduerteret, *episcopatui renuntiauit coram vniuersa ecclesia*, his verbis vsus: *Clero contumaci*, cætera.

modo

modo sanandum. Sic CHRYSOSTOMVS [l] populo suo dicit, si quam de se habeant suspicionem, quasi non sit legitime creatus antistes, paratum se esse cedere regendi munus, cui voluerint, modo id faciat ad ecclesiæ vnitatem. Atque ita THEODORETVS [m] narrat, quod quum, orto inter *Flauianum* & *Euagrium* duos episcopos *Antiochiæ* dissidio, *Theodosius* imperator *Flauiano* misisset mandatum, vt *Romam* nauigaret caussæ suæ decisionem ibi auditurus, hic admirabili vsus fiducia responderit: „Si meam fidem, „o imperator, vt non rectam quidam insimulant, aut si vitam „indignam esse dicunt sacerdotio, ipsos accusatores meos iu„dices feram & quam tulerint sententiam, libenter excipiam. „Sin de cathedra & de primatu contendunt, non litigabo, nec „repugnabo iis, qui ista ambiunt: sed cedam vltro, & pontifi„catum dimittam. Da igitur, imperator, cui voles sedem *An„tiochenam*. „ Quam eius constantiam ac sapientiam admiratus imperator non amplius eum *Romam* proficisci, sed in patriam redire commissamque sibi ecclesiam regere iussit: nec postea vmquam *Romanæ* vrbis episcopis aurem præbere voluit, etiamsi sæpius ipsum ad eum expellendum commouere adlaborarent. Adhuc vnum eiusdem generis exemplum suppetit, quod præterire nequeo, quia tale abnegationis sui & contemtionis proprii commodi, pro bono & pace publica atque vnitate ecclesiastica, exemplum est, vt dignum sit, quod ad omnem posteritatem transmittatur summisque efferatur laudibus. Conditionem intelligo, quam *Aurelius* episcopus *Carthaginis* & *Augustinus* cum reliquis episcopis *Africanis* sub collationis *Carthaginensis* exordium *Donatistis* obtulerunt, vt schismatis tollendi caussa, vbicumque in eadem ciuitate ex catholicis quidam & aliquis *Donatistarum*

(l) Chrysostom. hom. XI. in Ephes. p. 1110. (p 961. edit Francof.) εἰ μὲν οὖν περὶ ἡμῶν ταῦτα ὑποπτεύετε· ἕτοιμοι παραχωρῆσαι τῆς ἀρχῆς ὅτωπερ ἂν βούλοισθε· μόνον ἐκκλησία ἔσω μία. Si hæc de nobis vos suspicamini, *parati simus cedere regendi munus, cui voletis*; modo vna sit ecclesia.

(m) Theod. lib. V. c XXIII. Εἰ μὲν τῆς πίστεως, ὦ βασιλεῦ, τῆς ἐμῆς ὡς οὐκ ὀρθῆς κατηγοροῦσί τινες, ἢ τὸν βίον φασὶν ἱερωσύνης ἀνάξιον, καὶ αὐτοῖς χρήσομαι τοῖς κατηγόροις κριταῖς, καὶ τὴν παρ' ἐκείνων ἐκφερομένην ψῆφον δέξομαι· εἰ δὲ περὶ θρόνου καὶ προεδρίας ζυγομαχοῦσιν, οὔτε δικάσομαι, οὔτε τοῖς λαβεῖν βουλομένοις ἀντιμαχήσομαι· ἀλλ' ἐκστήσομαι καὶ τῆς προεδρίας ἀφέξομαι· τοιγάρτοι δὸς ᾧ βούλει τὸν Ἀντιοχέων θρόνον, ὦ βασιλεῦ.

eſſet epiſcopus, ambo [n] de medio ſecederent & nouum quemdam eligi paterentur. „Quid enim, inquiebant, dubitemus redemtori „noſtro ſacrificium iſtius humilitatis offerre? An vero ille de „cælis in membra humana deſcendit, vt membra eius eſſemus, „& nos, ne ipſa eius membra crudeli diuiſione lanientur, de ca„thedris deſcendere formidamus? propter nos nihil ſufficienti„us, quam chriſtiani fideles & obedientes ſimus? hoc ergo ſemper „ſimus. Epiſcopi autem propter chriſtianos populos ordinamur. „Quod ergo chriſtianis populis ad chriſtianam pacem prodeſt, „hoc de noſtro epiſcopatu faciamus. Si ſerui vtiles ſumus, cur „domini æternis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus „inuidemus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, ſi gre„gem Chriſti magis depoſita collegerit quam retenta diſperſe„rit. Nam qua fronte in futuro ſæculo promiſſum a Chriſto „ſperabimus honorem, ſi chriſtianam in hoc ſæculo noſter honos „impedit vnitatem?„ Ex quibus videmus, fuiſſe caſus quoſdam, in quibus ipſi etiam epiſcopali officio renuntiare & otio ac quieti ſe dare licitum fuerit: quando in his & reliquis caſibus omnibus præcipua regula fuit, id agere, quod in rem eccleſiæ ac ædificationem omnium maxime conduceret, & priuatum commodum vtilitati publicæ deuouere.

§. III.

Et nonnumquam canonica quædam penſio in illis caſibus indulta.

In iſtis caſibus epiſcopo poſtea, quam officio ſuo renuntiarat, rebus eccleſiaſticis ſeſe immiſcere non licebat: non poterat quempiam ordinare, vel aliud iſtiusmodi officium aliquod peragere, niſi forte ab alio quodam epiſcopo adiuuandi cauſſa euocatus vel ad negotium aliquod conficiendum delegatus: ſed tamen nomen & honorem ac communionem epiſcopi retinebat, quemadmodum concilium generale *Epheſinum* [o] in cauſſa *Euſtathii*,

(n) Collat. Carthag. die I. c. XVI. tom. II. concil. p. 1352. E.)

(o) Conc. Epheſ. act. VII. in epiſt. ad ſynod. Pamphyliæ (tom. III. conc. p. 807. D.) Ἐδικαιώσαμεν καὶ ὡρίσαμεν δίχα πάσης ἀντιλογίας ἔχειν αὐτὸν τό τε τῆς ἐπισκοπῆς ὄνομα, καὶ τὴν τιμὴν καὶ τὴν κοινωνίαν, οὕτω μέντοι, ὥστε μὴ χειροτονεῖν αὐτὸν, μήτε μὴν ἐκκλησίαις καταληφθέντα ἱερουργεῖν ἐξ ἰδίας αὐθεντίας· ἀλλ' ἢ ἄρα συμπαραλαμβανόμενον, εἴτουν ἐπιτρεπόμενον, εἰ τύχοι, παρὰ ἀδελφοῦ καὶ συνεπισκόπου κατὰ διάθεσιν καὶ ἀγάπην τὴν ἐν Χριστῷ. Iuſtum rectumque eſſe definiuimus, vt vbique

epiſcopi

episcopi *Pergæ* & metropolitani *Pamphyliæ*, qui vtpote senectute confectus ad officium suum digne obeundum se minus idoneum sentiens episcopatu suo se abdicauerat, fieri iussit. Similiter si quis concilio quodam approbante officio suo renuntiaret, nonnumquam mediocrem partem ex episcopatus reditibus ad vitam tolerandam retinere ei permittebatur. Quemadmodum *Domno* episcopo *Antiochiæ* contigit, qui quum a *Dioscoro* in synodo secunda *Ephesina*, etsi iniuste, esset eiectus, episcopatu tamen quiete cedebat in gratiam *Maximi*. Quam ob caussam *Maximus* a concilio *Chalcedonensi* veniam petebat aliquam partem prouentuum ecclesiæ ipsi attribuendi, qua in re concilium *Chalcedonense* [p] libenter ei commodabat. Atque *hinc*, vt ingenue loquitur RICHERIVS [q], *ius pensionum canonicarum potest confirmari: quæ iis tantum tribui consueuerant, qui magnam vitæ partem in ministerio consumserant, & propter ætatem sese exonerabant episcopatu.* Nam pensionem sibi reseruare ex episcopatu, cui quis alium obtinendi caussa renuntiat, res erat prioribus sæculis prorsus ignorata.

§. IV.

Nulli clerico ex diœcesi alia in aliam sine proprii episcopi consensu ac litteris dimissoriis commigrare licebat.

Deinde alia regula, quæ ad clericos officiis suis arcte adstringendos spectabat, erat, vt nemo de propria sua ecclesia vel diœcesi in aliam sine consensu episcopi, cuius iurisdictioni suberat, commigraret. Vt enim initio nullus poterat ordinari ἀπολελυμένως, sed ad ecclesiam quamdam, quum primum ordi-

omni contradictione & nomen retineat episcopi & honorem & communionem: ea tamen lege, vt neque ordinandi ipse auctoritatem habeat, neque in vlla ecclesia ex propria sacrificet auctoritate; nisi id sibi vel adiuuandi caussa vel concessionis ratione, adfectu amoreque christiano a fratre & coepiscopo, si ita contigerit, liberaliter deferatur.

(p) Conc. Chalced. act. VII. al. act. X. (edit. Labb. tom. IV. p. 681.) Residentibus vniuersis ante cancellos sancti altaris, Maximus reuerendissimus episcopus Antiochiæ dixit: Deprecor magnificentissimos & gloriosissimos iudices, & sanctam hanc & vniuersalem synodum, vt humanitatem exercere in Domnum, qui fuit Antiochiæ episcopus, dignemini & statuere ei certos sumtus de ecclesia, quæ sub me est. --- Vniuersa synodus vociferata est: Laudabiles merito sunt beneuolentiæ archiepiscopi. -- Omnes cogitatum eius laudamus. --- Magnificentissimi iudices dixerunt: Amplectente sancta synodo arbitrium Maximi viri religiosi episcopi Antiochiensium, quod de Domno probauit, & nos eidem consentimus, eius arbitrio derelinquentes, quæ sunt de Domni honorificentia.

(q) Richer, histor. concil. part. I. c. VIII. n. XXX. p. 218. (p. 214. edit. MDCLXXX.)

naretur, adſtringendus erat; ita nec quiſpiam per regulas & tunc vſitatam eccleſiæ diſciplinam ſtationem ſuam pro arbitratu ſuo mutare poterat, ſed epiſcopi venia vel litteris dimiſſoriis inſtructus eſſe debebat, quæ ipſi ex diœceſi alia in aliam domicilium transferendi libertatem concederent. Hoc enim vetuſtum ius erat, quod quilibet epiſcopus in eccleſiæ ſuæ clericos habebat, vt ſine ipſius conſenſu eorum nullus iurisdictioni eius ſe poſſet ſubtrahere; ſed tum is ipſe, qui eum deſeruiſſet, tum epiſcopus, qui deſertorem recepiſſet, ob hanc rem pœnæ eccleſiaſticæ obnoxii fierent. *Si quis presbyter*, inquiunt *canones apoſtolici* [r], *vel diaconus, vel omnino ex clericorum catalogo, relicta ſua parochia in aliam abſceſſerit, & cum penitus tranſierit, præter epiſcopi ſui ſententiam in alia parochia maneat, eum non amplius celebrare iubemus, maxime ſi eum adhortanti epiſcopo, vt rediret, non paruerit, in contumacia & inſolentia perſeuerans: is tamen vt laicus communicet. Sin autem epiſcopus, apud quem morantur, nihili faciens aduerſus eos decretam a munere ceſſationem, eos vt clericos receperit, ſegregetur vt immodeſtiæ & inſolentiæ magiſter.* Eadem regula frequenter repetitur in antiquis conciliis, vt in *Antiocheno* [s],

(r) Can apoſt. c. XV. & XVI. (XIV. XV. tom. I. conc. Labb. p. 28.) Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν, ἀπολείψας τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, εἰς ἑτέραν ἀπέλθῃ, καὶ παντελῶς μεταστὰς διατρίβῃ ἐν ἄλλῃ παροικίᾳ παρὰ γνώμην τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, τοῦτον κελεύομεν μηκέτι λειτουργεῖν, μάλιστα εἰ προσκαλουμένου αὐτὸν τοῦ ἐππισκόπου αὐτοῦ ἐπανελθεῖν οὐχ ὑπήκουσεν, ἐπιμένων τῇ ἀταξίᾳ· ὡς λαϊκὸς μέντοι ἐκεῖσε κοινωνείτω. Εἰ δὲ ὁ ἐπίσκοπος, παρ' ᾧ τυγχάνουσι, παρ' οὐδὲν λογισάμενος τὴν κατ' αὐτῶν ὁρισθεῖσαν ἀργίαν, δέξεται αὐτοὺς ὡς κληρικούς, ἀφοριζέσθω ὡς διδάσκαλος ἀταξίας.

Concil. Chalced. c. XX. (tom. IV. p. 766.) Εἴ τις ἐπίσκοπος μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον ἄλλῳ ἐπισκόπῳ προσήκοντα δέξεται κληρικὸν, ἔδοξεν ἀκοινώνητον εἶναι τὸν δεχθέντα καὶ τὸν δεξάμενον, ἕως ἂν ὁ μεταστὰς κληρικὸς εἰς τὴν ἰδίαν ἐπανέλθῃ ἐκκλησίαν. Si quis epiſcopus poſt hoc decretum clericum, qui ad alium epiſcopum pertinet, ſuſceperit, placuit eſſe excommunicatos cumque qui ſuſceptus eſt, & eum qui ſuſcepit, donec clericus qui migrauit, in ſuam eccleſiam redeat.

(s) Conc. Antioch. c. III. (tom. II. conc. p. 561.) Εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τῶν τοῦ ἱερατείου τις καταλιπὼν τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν, εἰς ἑτέραν ἀπέλθῃ· ἔπειτα παντελῶς μεταστὰς, διατρίβειν ἐν ἄλλῃ παροικίᾳ πειρᾶται ἐπὶ πολλῷ χρόνῳ, μηκέτι λειτουργεῖν, εἰ μάλιστα καλοῦντι τῷ ἐπισκόπῳ τῷ ἰδίῳ, καὶ ἐπανελθεῖν εἰς παροικίαν τὴν ἑαυτοῦ παραινοῦντι μὴ ὑπακούοι· εἰ δὲ καὶ ἐπιμένοι τῇ ἀταξίᾳ, παντελῶς αὐτὸν καθαιρεῖσθαι τῆς λειτουργίας, ὡς μηκέτι χώραν ἔχειν ἀποκαταστάσεως· εἰ δὲ καθαιρεθέντα διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν δέχοιτο ἕτερος ἐπίσκοπος, κἀκεῖνον ἐπιτιμίας τυγχάνειν ὑπὸ κοινῆς συνόδου, ὡς παραλύοντα τοὺς θεσμοὺς τοὺς ἐκκλησιαστικούς. Si quis presbyter, vel diaconus, vel quis omnino ex ſacerdotali ordine relicta ſua paro-

primo

primo & ſecundo *Arelatenſi* [t], primo & quarto *Carthaginenſi* [u], primo *Toletano* [w], *Turonico* [x], *Taurinenſi* [y] & in magno concilio *Nicæno* [z], ad quorum canones lectorem remit-

chia in aliam abierit, deinde omnino commigrans, in alia parochia longo tempore verſari conatur, ne amplius celebret, maxime ſi proprio vocanti epiſcopo, vt in ſuam parochiam redeat, exhortantique non pareat. Si autem in inſolentia omnino perſeuerat, is omnino a ſacro miniſterio deponatur. Si autem eum, qui propter hanc cauſſam depoſitus eſt, alius epiſcopus receperit, ille quoque a communi ſynodo puniatur, vt qui ritus eccleſiaſticos diſſoluat.

(*t*) Conc. Arelat. I. can. XXI. (tom. I. conc. p. 1429.) De presbyteris aut diaconibus, qui ſolent dimittere loca ſua in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt, placuit vt eis locis miniſtrent, quibus præfixi ſunt. Quod ſi relictis locis ſuis ad alium ſe locum transferre voluerint, deponantur.
Concil. Arelat. II. can. XIII. (tom. IV. p. 1012.) Nullus cuiuscumque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non epiſcopus quacumque occaſione faciente, propriam relinquat eccleſiam, ſed omnimodis aut excommunicetur aut redire cogatur.

(*u*) Conc. Carth. I. c. V. (tom. II. p. 1824. in append.) Non debere clericum alienum ab aliquo ſuſcipi ſine litteris epiſcopi ſui neque apud ſe detinere.
Conc. Carth. IV. c. XXVII. (ibid. p. 1202.) Inferioris gradus ſacerdotes, vt alii clerici, *conceſſione ſuorum epiſcoporum* poſſunt ad alias eccleſias transmigrare.

(*w*) Concil. Tolet. I. c. XII. (tom. II. p. 1225.) Vt liberum vlli clerico non ſit diſcedere de epiſcopo ſuo & alteri epiſcopo communicare.

(*x*) Conc. Turon. I. c. XI. (tom. IV. conc. p. 1052.) Si quis clericus, abſque epiſcopi ſui permiſſu, derelicta eccleſia ſua, ad alium ſe transferre voluerit locum, alienus a communione habeatur.

(*y*) Conc. Taurin. c. VII. (tom. II. p. 1157.) Synodi ſententia definitum eſt, vt clericum alterius ſecundum ſtatuta canonum nemo ſuſcipiat, neque ſuæ eccleſiæ, licet in alio gradu, audeat ordinare, neque abiectum recipiat in communionem.

(*z*) Conc. Nic. c. XVI. (ibid. p. 36.) *Ὅσοι ῥιψοκινδύνως, μήτε τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες, ἀναχωρήσωσι τῆς ἐκκλησίας, πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι, ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι· οὗτοι οὐδαμῶς δεκτοὶ ὀφείλουσιν εἶναι ἐν ἑτέρᾳ ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ πᾶσαν αὐτοῖς ἀνάγκην ἐπάγεσθαι χρὴ, ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας, ἢ ἐπιμένοντας, ἀκοινωνήτους εἶναι προσήκει, εἰ δὲ καὶ τολμήσειέ τις ὑφαρπάσαι τὸν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα, καὶ χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ, μὴ συγκατατιθεμένου τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, οὗ ἀνεχώρησεν ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος· ἄκυρος ἔσω ἡ χειροτονία.* Quicumque temere & inconſiderate, nec Dei timorem præ oculis habentes, nec eccleſiaſticum canonem ſcientes presbyteri vel diaconi, vel quicumque omnino in canone recenſentur, ab eccleſiis ſeceſſerint, ii in aliena eccleſia nullo modo recipi debent, ſed omnino cogendi ſunt in ſuas ipſorum parochias redire: vel ſi perſeuerent, eos a communione ſeparatos eſſe oportet. Sin autem etiam auſus fuerit quiſpiam eum, qui ad aliam pertinet, ſurripere, & in eccleſia, non conſentiente proprio epiſcopo, a quo receſſit, quæ in canone cenſetur, irrita ſit ordinatio.

tere ſuffecerit. Nos tantum obſeruamus, hunc fuiſſe antiquum *dimiſſoriarum*, ſiue vt tum quidem vocabantur, ἀπολυτικῶν, εἰρηνικῶν, συστατικῶν & *conceſſoriarum* litterarum vſum, quæ litteræ ab epiſcopo clericis dari ſolebant, quibus de ſua ipſius diœceſi in aliam commigrandi eis impertiebat libertatem; quamquam nunc litteras dimiſſorias alio ſenſu accipiamus. Canones autem antiqui eas litteras vocabant dimiſſorias, quæ occaſione memorata dabantur. Concilium *Carthaginenſe* eas tantum [a] *litteras epiſcopi* appellat, concilium autem *Trullanum* diſerte eas nuncupat [b] *dimiſſorias;* quando omnes veteres canones confirmans dicit: *Nullus omnino clericus, in quocumque ſit gradu, poteſtatem habeat* ἐκτὸς τῆς τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου ἐγγράφου ἀπολυτικῆς *ſine proprii epiſcopi ſcripta DIMISSORIA in alienæ eccleſiæ catalogum referri;* quam ille dare poterat vel abnuere, prout e re eccleſiæ id fore credebat. Neque enim lex vlla erat, quæ ad dandum eas ipſum obligaret, quibuscumque artibus aliquis clericus ad obtinendam alio quouis modo abeundi veniam vteretur. AVGVSTINVS rem huius generis prorſus miram narrat, quæ in ſua ipſius diœceſi acciderit. *Timotheus* quidam eccleſiæ ipſius ſubdiaconus ſtationem ſuam ſub *Auguſtino* relinquere & ad *Seuerum* vicinum epiſcopum ſe conferre geſtiens, de *Auguſtini* eccleſia ſe diutius eſſe nolle *Seuero* iurauerat: hinc *Seuerus* iurisiurandi reverentiam præ ſe ferens *Auguſtino* ſcribit, clericum ipſius ſe dimittere non poſſe, quod vereatur, ne cauſſa fiat periurii. Cui *Auguſtinus* [c] reſpondet, aditum aperiri ad diſſoluendum ordinem eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſi alterius eccleſiæ clericus cuicumque iurauerit, quod ab ipſo non ſit receſſurus, eum ſecum eſſe permittat: ideo ſe facere adfirmans, ne auctor ſit eius periurii. Hoc euidenter innuit, non fuiſſe tum legem aliquam, qua epiſcopus ad dandum clerico ſuo litteras dimiſſorias compelli potuerit; cuiusmodi enim vlla ſi fuiſſet, *Timotheus* non neceſſum habuiſſet iurisiurandi vti ſtrategemate, ſed *Auguſtinum* ad

(a) Conc. Carth. I. c. V. vid. antec. not. (u) pag. 389

(b) Conc. Trull. c. XVII. (tom. VI. p. 1152.) ὁρίζομεν, ὥστε - μηδένα τῶν ἁπάντων κληρικῶν κἂν ἐν οἱῳδήποτε τυγχάνῃ βαθμῷ ἄδειαν ἔχειν ἐκτὸς τῆς τοῦ οἰκείου ἐπισκόπου ἐγγράφου ἀπολυτικῆς ἐν ἑτέρᾳ καταστάτεσθαι ἐκκλησίᾳ.

(c) Auguſtin. ep. CCXL. ad Seuerum.

eas

eas ſibi impertiendas compellere potuiſſet. Verum eccleſia tum haud conſultum eſſe exiſtimabat, in cuiusuis ponere poteſtate, vt pro arbitratu ſuo de diœceſi alia in aliam commigrare poſſet, ſed cuilibet epiſcopo hoc vnice diiudicandum relinquebat, vtpote qui rerum ſuæ ipſius eccleſiæ vnus omnium maxime gnarus eſſet & intelligeret, an e re illius foret, clericos in eius miniſterium adoptatos dimittere.

§. V.

Leges contra clericos βακαντίβυς ſiue ambulantes.

Leges non minus ſeueræ erant in omnes clericos vagos ac ambulantes, quos veteres quidam βακαντίβυς [d], *vacantiuos*, per opprobrium dicunt. Hi otioſorum genus hominum erant, qui deſerto eccleſiæ ſuæ miniſterio in nulla alia ſedem habere volebant, ſed de loco alio in alium vagabantur, quo ſua quemque opinio ac voluptas trahebat. Iam vero per leges eccleſiæ nullus epiſcopus talibus in diœceſi ſua rem diuinam faciendi, immo ne ſacra quidem cœna vtendi, libertatem indulgere poterat; quod, quum nec litteras dimiſſorias nec litteras commendatitias epiſcopi ſui haberent, (quas peregrinantem quemque habere oportebat) vel deſertionis vel malæ officii adminiſtrationis nomine ſuſpecti erant, & cenſuram eccleſiaſticam effugere velle videbantur. Quare leges ipſos tum ad eccleſiaſticam tum laicam communionem admitti vetabant. *Presbytero ſiue diacono,* inquit concilium *Agathenſe* [e], *ſine epiſcopi ſui epiſtolis ambulanti communionem nullus impendat.* Concilium *Epaonenſe* [f] decretum iſtud iisdem verbis repetit. Et concilium *Valentinum* [g] in *Hiſpania*

(d) Syn. epiſt. LXVII. (p. 216 a. b. edit Pariſ. MDCXII.) Περινοςῦσί τινες βακαντίβοι παρ' ἡμῖν· (ἀνέξῃ γάρ μυ μικρὸν ὑποβαρβαρίσαντ☉, ἵνα διὰ τῆς συνηθεςέρας τῇ πολιτείᾳ φωνῆς τὴν ἐνίων κακίαν ἐμφατικώτερον παραςήσαιμι) ὗτοι καθέδραν μὲν ἀποδεδειγμένην ἔχειν ὐ βύλονται οἵγε τὴν ὗσαν ἀπολελοίπασι, ὐ κατὰ συμφορὰν, ἀλλ' αὐθαίρετοι μετανάςαι γινόμενοι· καρπῦνται δὲ τὰς τιμὰς, ἐκεῖ περινοςῦντες, ὅπυ κερδαλεώτερον. Vagantur quidam apud nos *vacantiui* (feres enim ne paullulum barbare loquentem, vt vſitata in republica voce nonnullorum nequitiam expreſſius declarem) hi certam quidem nullam ſedem habere volunt, qui quam habebant antea reliquerunt, non calamitate expulſi, ſed ſponte locum mutantes; honoribus porro fruuntur, eo vagantes, vbi maius compendium eſt.

(e) Conc. Agath. c. LII. (tom. IV. p. 1392.)

(f) Conc. Epaonenſ. can. VI. (ibid. p. 1577.)

(g) Conc. Valent. c. V. (ibid. p. 1619.)

ſpania decretum habet in hanc ſententiam: *Placuit, vt vagus atque inſtabilis clericus, ſiue etam in diaconi miniſterio, vel presbyteri officio conſtitutus, ſi epiſcopi, a quo ordinatus eſt, præceptis non obedierit, vt in delegata ſibi eccleſia officium dependat adſiduum; quousque in vitio permanſerit, & communione & honore priuetur.* Tanta legum veteris eccleſiæ erat ſeueritas in adſtringendo inferiores clericos ad eccleſiæ iſtius, ad quam initio delegati erant, miniſterium, vt nulla ratione inde alio ſe conferre poſſent, niſi ad epiſcopi arbitrium, qui ipſos ſacro eccleſiæ miniſterio initiarat.

§. VI.

Leges contra epiſcoporum de ſede alia in aliam translationes quemadmodum limitari & intelligi debeant.

Neque vero epiſcopi hac in re tam abſoluta gaudebant poteſtate, quin ipſimet ſimili agendi modo adſtricti & eiusdem naturæ legibus ſubiecti eſſent. Quemadmodum enim nullus clericus ſine epiſcopi ſui venia de eccleſia ſua abire poterat: ita nec epiſcopo ſe ipſum ad aliam ſedem ſine concilii cuiusdam prouincialis conſenſu atque approbatione transferre licebat. Erant pauci quidam, qui epiſcopum primam ſedem ſuam relinquere & ad aliam ſe conferre, abſolute illicitum eſſe dictitabant; quia conſecrationem eius intuebantur vt quoddam cum eccleſia ſua coniugium, a qua ſe ſeparare non poſſet, quin ſpiritualis adulterii crimen incurreret. In quam ſententiam dictum *Pauli* detorquebant, *Oportet epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*, ſenſu quodam myſtico & figurato illud accipientes, quemadmodum HIERONYMVS [*h*] obſeruat. Sed hæc priuata duntaxat vnius alteriuſue auctoris opinio erat, quæ numquam in eccleſia catholica inualuit; cuius leges contra epiſcoporum translationes haud vllis eiusmodi rationibus fundatæ erant, ſed eo tantum ſpectabant, vt hominum plura habendi cupiditati ac ambitioni anteuerterent; vt ne illi de minoribus epiſcopatibus ad maiores tranſilirent ſine prouincialis ſynodi auctoritate, penes quam legitimum iſtarum rerum erat iudicium. Nonnulli quidem canones translationem abſolute & generatim improbare videntur, tamquam rem nullo vmquam tempore permittendam. *Ni-*

(*h*) Hieron. ep LXXXIII. ad Oceanum tom. II. p. 321. (p. 215. G. edit. Francof.) Quidam coacte interpretantur vxores pro eccleſiis, viros pro epiſcopis debere accipi.

cæ-

cænum [*i*], *Sardicense* [*k*] & alia quædam concilia ſine vlla exceptione vel limitatione eam fieri prohibent. Alii autem canones ipſam eo reſtringant, ſi quis epiſcopus ſiniſtris artibus, ſine vlla legitima prouincialis ſynodi auctoritate, ſe ipſum in aliam ſedem intrudat. Ita *canones* ſic dicti *apoſtolici* (*l*) hac in re diſtinguunt: *Epiſcopo non liceat ſua relicta parochia ad aliam tranſilire, etiamſi a pluribus cogatur: niſi ſit aliqua cauſſa rationi conſentanea, quæ eum cogat hoc facere, vtpote ad maius lucrum, cum poſſit ipſe iis, qui illic habitant, pietatis verbo conferre: idque non ex ſe ſed multorum epiſcoporum iudicio & maxima exhortatione.* Concilium *Carthaginenſe* quartum [*m*] eamdem diſtinctionem adhibet, ita decernens: *Vt epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis clericus. Sane ſi id vtilitas eccleſiæ fiendum popoſcerit, decreto pro eo clericorum & laicorum epiſcopis porrecto per ſententiam ſyn-*

(*i*) Conc Nic c XV. (tom. II. conc. p 36) Διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν τὴν παρὰ τὴν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν· ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον· εἰ δέ τις μετὰ τὸν τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου ὅρον, τοιούτῳ τινὶ ἐπιχειρήσειεν, ἢ ἐπιδοίη ἑαυτὸν πράγματι τοιούτῳ, ἀκυρωθήσεται ἐξ ἅπαντος τὸ κατασκεύασμα καὶ ἀποκατασταθήσεται τῇ ἐκκλησίᾳ, ᾗ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὁ πρεσβύτερος ἐχειροτονήθη. Propter multum tumultum & ſeditiones quæ fiunt, omnino viſum eſt, vt conſuetudo, quæ præter canonem in non nullis partibus inuenitur, tollatur: vt a ciuitate in ciuitatem nec epiſcopus, nec diaconus tranſeat. Si quis autem poſt ſanctæ & magnæ ſynodi definitionem tale quippiam adgreſſus fuerit, vel ſe rei eiusmodi dederit, quod factum erit, omnino infirmabitur, & eccleſiæ reſtituetur, cui epiſcopus vel presbyter ordinatus fuerit.

(*k*) Conc. Sard c. c. I (tom. II conc. p 628.) ἵνα μηδενὶ τῶν ἐπισκόπων ἐξῇ ἀπὸ πόλεως μικρᾶς εἰς ἑτέραν πόλιν μεθίστασθαι. Ne cui epiſcopo liceat a parua ciuitate in aliam migrare. conf. c. ii.

Conc. Antioch. c. XXI. (ibid. p. 571.) Ἐπίσκοπον ἀπὸ παροικίας ἑτέρας εἰς ἑτέραν μὴ μεθίστασθαι, μήτε αὐθαιρέτως ἐπιρρίπτοντα ἑαυτὸν, μήτε ἀπὸ λαῶν ἐκβιαζόμενον, μήτε ὑπὸ ἐπισκόπων ἀναγκαζόμενον, κ. τ. λ. Epiſcopus ab alia parochia in aliam ne tranſeat, nec ſe ſua ſponte ingerens, nec a populis vi adactus, nec ab epiſcopis coactus, cætera.

Concil. Carth. III. c. XXXVIII. (ibid. p. 1172.) *Non liceat fieri* rebaptizationes & reordinationes vel *translationes epiſcoporum.*

(*l*) Can. apoſt. c. XIV. (XIII.) Ἐπίσκοπον μὴ ἐξεῖναι καταλείψαντα τὴν ἑαυτοῦ παροικίαν ἑτέρᾳ ἐπιπηδᾷν, κἂν ὑπὸ πλειόνων ἀναγκάζηται· εἰ μή τις εὔλογος αἰτία ᾖ ἡ τοῦτο βιαζομένη αὐτὸν ποιεῖν, ὡς πλεῖόν τι κέρδος δυναμένου αὐτοῦ τοῖς ἐκεῖσε λόγῳ εὐσεβείας συμβάλλεσθαι· καὶ τοῦτο δὲ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλὰ κρίσει πολλῶν ἐπισκόπων καὶ παρακλήσει μεγίστῃ.

(*m*) Conc. Carth. IV. c. XXVII. (tom. II. p. 1202.)

odi transferatur. SCHELSTRATVS [*n*] & alii quidam viri docti hos canones priorum esse emendationes existimant, quum alii fieri permittant, quod alii expressis verbis prohibuerint. Sed hoc non omnino probabile est; Rationi autem magis est consentaneum cogitare, quod licet in canonibus *Nicæno* & *Sardicensi* hæ exceptiones verbis expressæ non sint, tamen intelligi debeant: quia ipsum concilium *Nicænum Eustathium* episcopum *Berœæ* ad sedem *Antiochenam* transtulit, vti PAGIVS [*o*] e SOZOMENO [*p*] aliisque historiæ ecclesiasticæ scriptoribus recte obseruat. Quo ipso patres isti suam ipsorum regulam primi violassent eique intulissent iniuriam, si in nullo vmquam casu episcopum de sede alia ad aliam transferri debere, statuissent. Concludere igitur nos oportet, eumdem hunc omnium canonum scopum fuisse, vt auaritiæ, ambitioni & eminendi studio in hominibus, ad magna quæuis contendentibus, occurrerent, qui illicitis viis, factionibus, vel meris populi studiis, non exspectantes synodi cuiusdam electionem ac consensum, ipsimet in alias sedes sese ingererent. Quæ *Arianæ* parti vsitata agendi ratio tempore *Constantini* ac *Constantii* erat, contra quam tot leges ferri oportebat. Si qua vero episcoporum synodus pro sua prudentia necessarium esse iudicaret, vt in rem ac emolumentum ecclesiæ episcopum quempiam de minore ad maiorem sedem transferret, nulla lex erat, quæ id fieri vetaret, sed sexcenta istiusmodi translationum exempla in anti-

(*n*) Schelstr. de concil. Antioch. c. XXI. p. 614.

(*o*) Pagi critic. in Baron. an. CCCXXIV. n. XXII. Paris. MDCLXXXIX. (n. XXVI. p. 403. edit. Antuerp. MDCCV.) Eustathius anno sequenti episcopus Antiochenus dictus, cum Theophanes de synodo Nicæna loquens dicat: *Vidua pontifice Antiochensium ecclesia synodus Eustathium confirmauit Berœæ in Syria episcopum*, quod ante Theophanem Sozomenus lib. I. c. II. in litteras miserat.

(*p*) Sozom. lib. I. c. II. τῆς δὲ (ἐκκλησίας) Ἀντιοχέων τῶν πρὸς τῷ Ὀρόντῃ, μετὰ Ῥωμανὸν ὔπω τις ἐπελέτρεπτο τῶν διωγμῶν, ὡς εἰκὸς, μὴ συγχωρησάντων γενέσθαι τὴν χειροτονίαν· ὐκ εἰς μακρὰν δὲ οἱ εἰς Νίκαιαν συνεληλυθότες, θαυμάσαντες τοῦ βίου καὶ τῶν λόγων Εὐστάθιον, ἄξιον ἐδοκίμασαν τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἡγεῖσθαι· καὶ ἐπίσκοπον ὄντα τῆς γείτονος Βερροίας, εἰς Ἀντιόχειαν μετέστησαν. Antiochiæ ad Orontem fluuium siquidem nemo adhuc post Romanum constitutus fuerat episcopus, persecutionibus, vt verisimile est, ordinationem fieri prohibentibus. Sed non multo post *episcopi apud Nicæam congregati*, cum *Eustathium* ob vitæ simul ac doctrinæ meritum admiratione prosequerentur, dignum eum iudicarunt, qui apostolicæ cathedræ præsideret: ac proinde *quum episcopus esset vicinæ vrbis Berœæ, illum inde Antiochiam transtulerunt.*

quorum

quorum historicorum monumentis obuia sunt, quemadmodum SOCRATES [q] multo post obseruauit, qui ingentem exemplorum copiam in hanc rem congessit. Plura in COTELERIO [r] & BEVEREGIO [s], quisquis volet, videre potest. In re enim tam plana & manifesta non necesse esse, arbitror, vt illis sigillatim enarrandis immorer, sed ad aliarum legum, quæ ad clerum attinent, considerationem progredior.

§. VII.

Leges adsiduam clericorum in loco domicilii sui præsentiam requirentes.

Proxime huc spectantes leges sunt, quæ ad constantem clericorum in parochiis suis commorationem attinent; quarum scopus idem erat, qui reliquarum omnium, nempe ipsos ad adsiduam officii sui procurationem obligare. Et istæ leges tam ad episcopos quam ad omnem inferiorem clerum spectabant. Concilium *Sardicense* [t] diuersos canones ad hanc materiam pertinentes habet. Septimus decernit, nullum episcoporum oportere εἰς στρατόπεδον, ad castra imperatoris accedere, præter eos, quos imperator suis litteris arcessat. Proxime sequens [tt] octauus

(q) Socrat. lib VII. c. XXXVI. tot.

(r) Coteler. not. in can. apost. c. XIV. p. 438. n. 6. tot.

(s) Beuereg. not. in eumd. canon. p. 22 23

(t) Conc. Sardic VII. (tom. II. conc. p. 633.) Μηδένα ἐπίσκοπον χρῆναι εἰς τὸ στρατόπεδον παραγίνεσθαι, παρεκτὸς τούτων, οὓς ἂν ὁ εὐλαβέστατος βασιλεὺς τοῖς ἑαυτοῦ γράμμασι μετακαλοῖτο.

(tt) Can. VIII in edit. Labbei ex parte adhuc can. VII.) Ἐπειδὰν πολλάκις συμβαίνει τινὰς οἴκτου δεομένους καταφυγεῖν ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, διὰ τὰ ἑαυτῶν ἁμαρτήματα εἰς περιορισμὸν ἢ νῆσον καταδικασθέντας, ἢ αὖ πάλιν οἱᾳδηποτοῦν ἀποφάσει ἐκδεδομένους· τοῖς τοιούτοις μὴ ἀρνεῖσθαι εἶναι τὴν βοήθειαν, ἀλλὰ χωρὶς μελλησμοῦ καὶ ἄνευ τοῦ διστάσαι τοῖς τοιούτοις αἰτεῖσθαι συγχώρησιν· - - καὶ τοῦτο ἡ ἀγχίνοια ὑμῶν κρινάτω, εἰ ἐπειδὰν ἔδοξε, διὰ τὸ μὴ πίπτειν ὑπὸ κατάγνωσίν τινα τῶν ἐπισκόπων ἀφικνουμένων εἰς τὸ στρατόπεδον, εἴ τινες αὐτῶν τοιαύτας ἔχοιεν δεήσεις, οἵων ἐπάνω ἐπεμνήσθημεν, διὰ ἰδίου διακόνου ἀποστέλλοιεν· τοῦ τε γὰρ ὑπηρέτου τὸ πρόσωπον οὐκ ἐπίφθονον τυγχάνει, καὶ τὰ παραχωρηθησόμενα θᾶττον διακομισθῆναι δυνήσεται. Quia sæpe contingit, aliquos qui egent misericordia, ad ecclesiam confugere, qui propter sua peccata vel relegatione, vel in insulam deportatione damnati, vel quauis alia sententia addicti sunt; iis non esse negandum auxilium, sed sine cunctatione & dubitatione iis veniam esse petendam. - - Hoc quoque vestra solertia iudicet, vt quia visum est, ne aliquis episcopus in condemnationem incidat ad castra veniens, si qui eorum eiusmodi, quorum superius meminimus, habeant preces, per proprium diaconum mittant, ministri enim persona non est inuidiosa, & quæ concessa fuerint, citius perferri poterunt.

ſtatuit, quod quum ſæpe ſoleat contingere, vt epiſcopus pauperibus, vel viduis, vel aliis quibusdam ad eccleſiam confugientibus, qui propter ſua peccata ad pœnam aliquam damnati ſint, & ſimilibus miſericordia egentibus, imperatoris gratiam implorare neceſſe habeat, diaconi vel hypodiaconi ipſius nomine ad caſtra ire debeant, ne epiſcopus neglecti muneris ſui eccleſiaſtici reus in aula habeatur. IVSTINIANVS [u] legem eiusdem cum his canonibus argumenti habet, vt nemo epiſcoporum vllius negotii cauſſa ſine mandato imperatoris in aula compareat: ſi vero quædam ſint lites forte eccleſiis, hoc per eos, qui ſub ipſo ſunt, clericos, aut apocriſarios, aut œconomos moueat & petitiones ad imperium dirigat, ne eccleſiæ per ipſius abſentiam detrimentum accipiant, nec expenſas minus neceſſarias facere cogantur. Alius concilii *Sardicenſis* canon [w] epiſcopo diutius, quam per tres hebdomades ab eccleſia ſua abeſſe, non permittit, niſi grauiorem aliquam neceſſitatem habeat. Et alius canon [x] epiſcopo, qui in alia diœceſi poſſeſſiones habens

(*u*) Iuſtin. nouell. VI. c. II. tot.

(*w*) Conc. Sardic. c. XI. Μέμνησθε καὶ ἐν τῷ προάγοντι χρόνῳ τοὺς πατέρας ἡμῶν κεκρικέναι, ἵνα εἴ τις λαϊκὸς ἐν πόλει διάγων, τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας ἐν τρισὶν ἑβδόμασι μὴ συνέρχοιτο, ἀποκινοῖτο τῆς κοινωνίας· εἰ τοίνυν περὶ τῶν λαϊκῶν τοῦτο τεθέσπισται, οὐ χρὴ, οὐδὲ πρέπει, ἀλλ᾽ οὐδὲ συμφέρει, ἐπίσκοπον, εἰ μηδεμίαν βαρυτέραν ἀνάγκην ἔχοι, ἢ πρᾶγμα δυσχερὲς, ἐπὶ πλεῖστον ἀπολείπεσθαι τῆς ἑαυτοῦ ἐκκλησίας, καὶ λυπεῖν τὸν ἐμπεπιστευμένον αὐτῷ λαόν. Recordemini, patres noſtros in tempore præterito iudicauiſſe, vt ſi quis laicus in aliqua vrbe degens, *tribus diebus dominicis in tribus hebdomadibus* non conueniat, is communione moueatur. Si hoc ergo de laicis ſtatutum eſt, *non oportet*, nec conuenit, ſed neque vtile eſt, *epiſcopum*, ſi nullam habet grauiorem neceſſitatem vel negotium difficilius, *a ſua eccleſia diutius abeſſe*, & ſibi commiſſum populum contriſtare.

(*x*) Conc. Sardic. c. XII. Τινὲς τῶν ἀδελφῶν καὶ συνεπισκόπων ἐν ταῖς πόλεσι, ἐν αἷς ἐπίσκοποι καθίστανται, δοκοῦσι κεκτῆσθαι σφόδρα ὀλίγα ὑπάρχοντα ἴδια ἐν ἑτέροις δὲ τόποις κτήσεις μεγάλας, ἐξ ὧν καὶ ἐπικουρεῖν δυνατοί εἰσι τοῖς πένησιν· οὕτως οὖν αὐτοῖς συγχωρητέον εἶναι κρίνω, ἵνα εἰ μέλλοιεν εἰς τὰς ἑαυτῶν παραγίνεσθαι κτήσεις, καὶ τὴν συγκομιδὴν τῶν καρπῶν ποιεῖσθαι, τρεῖς κυριακὰς ἡμέρας, τοῦτ᾽ ἔστι τρεῖς ἑβδομάδας ἐν τοῖς ἑαυτῶν κτήμασιν αὐτοὺς διάγειν, καὶ ἐν τῇ ἀγχιστευούσῃ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ πρεσβύτερος συνάγοι, ὑπὲρ τοῦ μὴ χωρὶς συνελεύσεως αὐτὸν δοκεῖν εἶναι, συνέρχεσθαι καὶ λειτουργεῖν, καὶ μὴ συνεχέστερον εἰς τὴν πόλιν, ἐν ᾗ ἐστιν ἐπίσκοπος, παραγίνοιτο. Τοῦτον γὰρ τὸν τρόπον καὶ τὰ οἰκεῖα αὐτοῦ πράγματα παρὰ τὴν αὐτοῦ ἀπουσίαν οὐδεμίαν ὑπομένει ζημίαν, καὶ τὸ τῆς ἀλαζονείας καὶ τοῦ τύφου ἐκκλίνειν δόξει

fructus

fructus suos colligendi caussa eo proficiscitur, idem tempus indulget, ita tamen, vt in ecclesia ruris, vbi possessiones suas habeat, singulis diebus dominicis officia diuina obeat. Et per duos canones alios [y] eiusdem concilii idem absentiæ tempus presbyteris ac diaconis circumscribitur, & vtrique ante memoratis regulis pariter ac episcopi adstringuntur. Concilium *Agathense* [z] pro ecclesiis *Galliarum* idem decretum habet, *Diaconus vel presbyter*, inquiens, *si per tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit, triennio a communione suspendatur.* In ecclesiis *Africanis* intuitu huius adsiduæ clericorum apud ecclesias suas commorationis episcopus secundum canonem quemdam concilii *Carthaginensis* quarti proxime ab ecclesia [a] habitare debebat. Et in concilio quinto [b] alia regula datur, oportere quemlibet episcopum apud cathedralem suam ecclesiam domum habere, nec ea *relicta principali cathedra*

ἔγκλημα. Quidam fratres & coëpiscopi in ciuitatibus, in quibus episcopi constituuntur, videntur valde pauca, quæ sibi sint propria, possidere; in aliis autem locis magnas possessiones, ex quibus etiam possint opem ferre pauperibus: iis igitur ita esse concedendum iudico, vt si in suas possessiones venturi sunt, & fructus suos collecturi, tribus diebus dominicis, id est, tribus septimanis in suis possessionibus degant; & in ecclesia, quæ prope est, in qua presbyter populum congregat, ne congregationis expers esse videatur, conueniat & officia diuina obeat; & ne frequentius in ciuitate, in qua est episcopus, adsit. Eo enim modo & res eius propter ipsius absentiam nihil detrimenti patientur, & arrogantiæ ac superbiæ crimen effugere videbitur.

(y) Conc. Sard. c. XVI. Αἔτιος ἐπίσκοπος εἶπεν· Οὐκ ἀγνοεῖτε ὁποία καὶ πηλίκη τυγχάνει ἡ τῶν Θεσσαλονικίων μητρόπολις· πολλάκις τοιγαροῦν εἰς αὐτὴν ἀπ' ἑτέρων ἐπαρχιῶν πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι παραγίνονται, καὶ οὐκ ἀρκούμενοι βραχεῖ διαγωγῇ χρόνου, ἐναπομένουσι, καὶ ἅπαντα τὸν χρόνον αὐτόθι ποιοῦντες διατελοῦσιν· ἢ μόλις μετὰ πλεῖστον χρόνον εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐπανιέναι ἐκκλησίας ἀναγκάζονται· περὶ τούτων οὖν ὁριστέον. Ὅσιος ἐπίσκοπος εἶπεν· οὗτοι οἱ ὅροι, οἱ καὶ ἐπὶ τῶν ἐπισκόπων ὡρισμένοι, φυλαττέσθωσαν καὶ ἐπὶ τούτων τῶν προσώπων. Aëtius episcopus dixit: Non ignoratis, qualis quantaque sit Thessalonicensium metropolis. Sæpe itaque ad eam ex prouinciis presbyteri & diaconi accedunt, & breuis temporis mora non contenti permanent & omne tempus illic agentes transigunt; vel vix tandem post plurimum tempus in suas ecclesias reuerti coguntur. De iis igitur definiendum est. Osius episcopus dixit: ea decreta, quæ de episcopis constituta sunt, seruentur etiam in eiusmodi personis.

Can. XVII. Quem auctor simul adlegat, nihil in rem præsentem habet.

(z) Conc. Agath. c. LXIV. (tom. IV. p. 1393.)

(a) Conc. Carth. IV. c. XIV. (tom. II. p. 1201.) Vt episcopus non longe ab ecclesia hospitiolum habeat.

(b) Conc. Carth. V. c. V. (ibid p. 1216.)

ad aliquam ecclesiam in diœcesi constitutam se conferre; vel in re propria diutius, quam oporteat, constitutum, curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere. Ex his igitur elucet, quod ecclesia ciuitatis præcipuus domicilii episcopi locus esse debuerit. Et CASSASSVTIVS [c] in suis ad hunc canonem adnotationibus episcopos *Galliæ* pungit, *Huic canoni,* inquiens, *contraueniunt episcopi, qui magna parte anni rure versantur & deliciantur.* Sed vnum est, quod hac in re difficultatem quamdam parit, quando *Iustinianus* [d] definit, *vt nemo episcoporum foris a sua ecclesia PLVSQVAM PER ANNVM TOTVM abesse audeat, nisi hoc per imperialem fiat iussionem.* Ex quo consequitur, episcopum ab ecclesia sua per annum ordinarie & extraordinarie diutius abesse posse, sed ego mentem eius esse puto, quod abesse possit annum, quoad vixerit, non annum post annum; sic enim perpetua absentia euasura esset, quod concedere velle, legis intentio non est, quæ ipsos potius ad id, quod e diametro contrarium est, obligat, nisi imperator vrgente re quadam extraordinaria specialiorem illis libertatem indulgere consultum duceret.

§. VIII.

De plurium ecclesiarum vsurpatione & de legibus contra eam factis.

Alia regula iisdem quibus priores, rationibus fundata, erat, quæ plures simul ecclesias habere prohibebat, eaque episcopiæque ac inferiores clerici adstringebantur. De episcopis res manifesta est ex AMBROSIO, quod non fuerit licitum episcopo duas habere ecclesias. Loquens enim de his verbis apostoli: *Episcopum oportet esse vnius vxoris virum* dicit: *Si ad superficiem* [e] *tantum litteræ respiciamus, prohibet bigamum episcopum ordinari: Si vero ad altiorem sensum conscendimus, inhibet episcopum duas vsurpare ecclesias.* Hoc est, vbicunque duæ antea diœceses fuerunt, non iustum erat, vnum episcopum ambas vsurpare, nisi ecclesia pro sua sapientia ac rerum suarum statu eas coniungere satius iudicaret. Et certe notatu dignum est, quod licet multa exempla

(c) Cabassut. notit. conc. c. XLIV. (p. 194. edit. Venet. MDCCIII.)

(d) Iustin. nouell. VI. c. II. Κακεῖνο γε μὴν προσδιορίζομεν, ὥστε μηδένα τῶν θεοφιλεστάτων ἐπισκόπων ἔξω τῆς καθ' ἑαυτὸν ἐκκλησίας, πλεῖον ἢ κατ' ἐνιαυτὸν ὅλον ἀπολιμπάνεσθαι, πλὴν εἰ μὴ τοῦτο κατὰ βασιλικὴν γένοιτο κέλευσιν.

(e) Ambros. de dignit. sacerd. c. IV.

trans-

translationum episcoporum de minoribus ad maiores sedes obvia sint; ne vnum tamen exemplum in antiqua historia, quantum ego quidem memini, occurrat, quod quispiam ex istis episcopis vtramque sedem iunctim retinuerit, immo quod ne inter ipsos quidem *Arianos*, quibus alioquin regularum obseruatio minime omnium curæ cordique erat, hoc factum sit. Quod ad inferiores attinet clericos, distinguendum nobis est inter ecclesias diœcesanas & parochiales, & inter officium & beneficium in ecclesiis parochialibus. Ecclesiæ necessitates a presbytero vel diacono requirere interdum poterant, vt in pluribus vna ecclesiis parochialibus officia diuina obiret, si qua esset ministrorum penuria, sed reditus istarum ecclesiarum ideo ad ipsum non spectabant, quia in commune ecclesiæ vrbanæ seu cathedralis ærarium pensitabantur, ex quo ipse menstruam vel annuam partem suam, quum totum diuideretur, habebat, quemadmodum antea obseruatum nobis est. Et hoc porro demonstrat, quod in primis istis sæculis non eiusmodi plurium beneficiorum vsurpatio, sed tantum plurium officiorum procuratio locum habere potuerit in eadem diœcesi, intra eiusmodi tractum ac regionem, vt quis in duabus parochialibus ecclesiis per se ipse ministrare & sacris operari posset. Quod autem ad diuersas diœceses attinet, quum ordinarie fieri non possit, vt quis munus parochi in duabus diœcesibus obeat, canones seuere prohibent, ne quis nomen suum in duarum ecclesiarum catalogo habeat, vel vtriusqe reditus participet. Concilium *Chalcedonense* [*f*] hac in re præcise decernit in hanc sententiam: *Non liceat clerico in duarum ciuitatum ecclesiis eodem tempore in catalogum referri, & in ea, in qua a principio ordinatus est, & in ea, in quam, tamquam maiorem, confugit, propter inanis gloriæ cupiditatem: eos autem qui hoc faciunt, propriæ ecclesiæ restitui, in qua ab initio ordinati sunt, vt illic solum ministrent: sed si iam quispiam ex alia in aliam ecclesiam translatus est, nihil prioris ecclesiæ vel eorum, quæ sub ea sunt, martyriorum, vel ptochotrophiorum, vel xenodochiorum rebus*

(*f*) Conc. Chalced. c. X (tom IV. p 759.) Μὴ ἐξεῖναι κληρικῷ ἐν δύο πόλεων καταλέγεσθαι ἐκκλησίαις κατὰ τὸ αὐτὸ, ἐν ᾗ τε τὴν ἀρχὴν ἐχειροτονήθη καὶ ἐν προσέφυγεν, ὡς μείζονι δῆθεν, διὰ δόξης κενῆς ἐπιθυμίαν· τοὺς δέ γε τοῦτο ποιοῦντας ἀποκαθίστασθαι τῇ ἰδίᾳ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ ἐξ ἀρχῆς ἐχειροτονήθησαν, καὶ ἐκεῖ μόνον λειτουργεῖν· εἰ μέντοι ἤδη τις μετετέθη ἐξ ἄλλης εἰς ἄλλην ἐκκλησίαν, μηδὲν τοῖς τῆς προτέρας ἐκκλησίας ἤτοι τῶν ὑπ' αὐτὴν μαρτυρίων, ἢ πτωχείων, ἢ ξενοδοχείων, ἐπικοινωνεῖν πράγμασι·

com-

communicare. Eos autem qui ausi fuerint post magnæ huius & vniuersalis synodi definitionem, aliquod eorum, quæ sunt prohibita, facere, statuit sancta synodus proprio gradu excidere. Et ne quis sub vllo alio nomine hanc legem migrare auderet, eadem regula pro monasteriis etiam statuebatur, nullum abbatem duobus monasteriis eodem tempore præesse oportere. Quod cautum fuit a concilio *Agathensi* [g] & *Epaonensi*, & confirmatum legibus imperialibus *Iustiniani* [h], qui eas codici suo inseruit. Iam istarum legum omnium scopus erat, vt clericos ad iuge officii sui exercitium obligarent in ista ecclesia, in qua ordinati primum erant: de qua si quando abirent, siue hoc cum siue sine venia fieret, non amplius in ea ecclesia, ad quam primo spectauerant, partem habere permittebantur. Et hæc regula per aliquot sæcula post concilium *Chalcedonense* viguit, in concilio *Nicæno* secundo [i] aliisque recentioribus conciliis renouata.

τοὺς δέ γε τολμῶντας μετὰ τὸν ὅρον τῆς μεγάλης καὶ οἰκουμενικῆς ταύτης συνόδου πράττειν τι τῶν νῦν ἀπηγορευομένων, ὥρισεν ἡ ἁγία σύνοδος, ἐκπίπτειν τοῦ οἰκείου βαθμοῦ.

(g) Conc. Agath c. LVII (ibid. p. 1392.) Vnum abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere. vid. eamdem legem in conc. Epaonensi c. IX. (ibid. p. 1577.)

(h) Cod. Iustin. lib. I. tit. III. de episc. leg. XL. Non sit vero abbas duorum monasteriorum.

(i) Conc. Nicæn. II. c. XV. (tom. VII. p. 609) Κληρικὸς ἀπὸ τοῦ παρόντος μὴ καταταττέσθω ἐν δυσὶν ἐκκλησίαις· ἐμπορίας γὰρ καὶ αἰσχροκερδείας ἴδιον τοῦτο, καὶ ἀλλότριον ἐκκλησιαστικῆς συνηθείας· ἠκούσαμεν γὰρ ἐκ αὐτῆς τῆς κυριακῆς φωνῆς· ὅτι οὐ δύναταί τις δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει· ἢ τοῦ ἑνὸς ἀνθέξεται καὶ τοῦ ἑτέρου καταφρονήσει, ἕκαστος οὖν κατὰ τὴν ἀποστολικὴν φωνὴν, ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἐν τούτῳ ὀφείλει μένειν, καὶ προσεδρεύειν ἐν μιᾷ ἐκκλησίᾳ· τὰ γὰρ δι' αἰσχροκέρδειαν γινόμενα ἐπὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν πραγμάτων, ἀλλότρια τοῦ Θεοῦ καθεστήκασι· πρὸς δὲ τὴν τοῦ βίου τούτου χρείαν ἐπιτηδεύματά εἰσι διάφορα· ἐξ αὐτῶν εἴ τις βούλοιτο, τὰ χρειώδη τοῦ σώματος ποριζέσθω· ἔφη γὰρ ὁ ἀπόστολος· ταῖς χρείαις μου καὶ τοῖς οὖσι μετ' ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται· καὶ ταῦτα μὲν ἐν ταύτῃ τῇ θεοφυλάκτῳ πόλει· ἐν δὲ τοῖς ἔξω χωρίοις, διὰ τὴν ἔλλειψιν τῶν ἀνθρώπων, παραχωρείσθω. *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus ecclesiis.* Negotiationis enim est hoc & turpis commodi proprium, & ab ecclesiastica consuetudine penitus alienum. Audiuimus enim ex ipsa dominica voce: *Quia nemo potest duobus dominis seruire. aut enim vnum odio habebit & alterum diliget; aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Vnusquisque ergo secundum apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & *in vna locari ecclesia.* Quæ enim per turpe lucrum in ecclesiasticis rebus efficiuntur, aliena consistunt a Deo. Ad vitæ vero

§. IX.

§. IX.

Leges, quæ clericos sæcularia negotia ac officia in se recipere, prohibent.

Eodem consilio, vt clerici ad suum quisque officium constanter adligarentur, leges ferebantur, quibus a sæcularibus negotiis, quæ ipsos a proprio negotio ac officio nimium abstrahere poterant, prohiberentur. Inter sic dictos *canones apostolicos* tres in hanc rem reperiuntur. Quorum vnus [k] *Episcopus*, inquit, *vel presbyter, vel diaconus sæculares curas non suscipiat: alioquin deponatur.* Alius [l] ait: *Diximus, non oportere episcopum vel presbyterum se ipsum ad publicas administrationes demittere, sed in ecclesiasticis negotiis versari. Vel ergo ita non facere persuadeatur, vel deponatur.* Vltimus [m] dicit: *Episcopus vel presbyter, vel diaconus exercitui vacans & vtraque obtinere volens, Romanum scilicet magistratum & sacerdotalem administrationem, deponatur. Quæ sunt enim Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* BALSAMON & ZONARAS hoc canone militaria tantum officia prohiberi existimant, quia vocabulum στρατεία adhibetur: sed ex GOTHOFREDO aliisque supra ostendimus, vocabulum στρατείας & *militiæ* apud *Romanos* latiori significatu accipi, vt omnis generis sæcularia officia, tam ciuilia quam militaria denotet: adeoque melius hunc canonem interpretantur [n], qui cle-

huius necessitatem studia sunt diuersa: ex his vero qui voluerit, acquirat corpori opportuna. Ait enim apostolus: *Ad ea, quæ mihi opus erat & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et hæc quidem in hac a Deo conseruanda vrbe. Cæterum in villis quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur.

(*k*) Can. apost c. VII. (can. VI. edit. Labb.) Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος κοσμικὰς φροντίδας μὴ ἀναλαμβανέτω· εἰ δὲ μὴ, καθαιρείσθω.

(*l*) Ibid. c. LXXXI. (LXXX.) Εἴπομεν, ὅτι οὐ χρὴ ἐπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον καθιέναι ἑαυτὸν εἰς δημοσίας διοικήσεις, ἀλλὰ προσευκαιρεῖν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς χρείαις· ἢ πειθέσθω οὖν τοῦτο μὴ ποιεῖν, ἢ καθαιρείσθω· οὐδεὶς γὰρ δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, κατὰ τὴν κυριακὴν παρακέλευσιν.

(*m*) Ibid. c. LXXXIII. (LXXXII) Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος στρατείᾳ σχολάζων. καὶ βουλόμενος ἀμφότερα κατέχειν, Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν, καὶ ἱερατικὴν διοίκησιν, καθαιρείσθω· τὰ γὰρ τοῦ Καίσαρος Καίσαρι· καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, Θεῷ.

(*n*) Beuereg. not. in can. apost. c. LXXXIII. p. 39. Nobis ciuilem quamlibet administrationem, magistratum, aut dignitatem heic indigitare videtur, propterea quod per Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν proximis verbis explicatur, & τῇ ἱερατικῇ διοικήσει opponitur: vnde & in epitome tam Logothetæ quam Aristeni, pro στρατείᾳ σχολάζων, nihil substituitur præter ἄρχων, vis enim canonis in ea his solis verbis exhibetur, ἱερεὺς ἄρχων ἀνίερος.

ricos sæculari administrationi tam ciuili quam militari vna cum ecclesiastica quadam functione tamquam rebus, quæ simul consistere nequeant, vacare prohiberi statuunt. EVSEBIVS [o] ex epistola concilii *Antiocheni*, quod *Paulo Samosatensi* episcopatum abrogauit, docet, inter alia ei obiecta crimina hoc etiam fuisse, quod *sæculares gesserit dignitates*, & *ducenarius vocari quam episcopus maluerit*. *Ducenarii* inter *Romanos* erant ciuiles quidam ministri, ita dicti, quod ducenta sestertia annui salarii nomine accipiebant a principe, vt e DIONE obseruat [p] VALESIVS. Et hoc aperte indicat, istorum canonum intentionem fuisse, vt clericos non minus a ciuilibus quam militaribus officiis prohiberent. Tantum in extraordinariis quibusdam casibus, vbi ad summæ necessitatis vel caritatis attinebat negotium, vnum vel duo exempla inuenimus, quod episcopus aliquis ecclesiasticum & ciuile officium sine vlla censura iunctim administrauerit. Quemadmodum de celebri *Iacobo Nisibensi* obseruat THEODORETVS [q], quod fuerit episcopus & rector ac dux *Nisibis*, seu *Antiochiæ Mygdoniæ*, vrbis in confinio imperii *Persarum* ac *Romanorum* sitæ. THEODORETVS eum repræsentat tamquam virum, possidentem magnam in patria sua famam ac existimationem ob patrata ab se miracula, quibus vrbem a *Persis* obsessam aliquoties subleuauerit. Et credibile est, imperatores *Constantinum* ac *Constantium* huius rei intuitu ipsum, tamquam hominem ad tractanda ciuitatis gubernacula apprime idoneum, elegisse, quod locus esset magno periculo obnoxius, & *Persarum* incursionibus nimium quantum expositus. Istiusmodi autem exempla in antiqua historia rarissime inueniuntur.

§. X.

Leges, quæ clericos tutores vel curatores fieri vetant.

Nonnullis temporibus ac locis leges ecclesiæ hac in re tam

(o) Euseb. lib. VII. c. XXX. p. 229 B. *κοσμικὰ ἀξιώματα ὑποδυόμενος, καὶ δουκενάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι.*

(p) Vales. in loc. De procuratoribus *ducenariis* vide, quæ scripsit Salmasius in notis ad historiam Augustam. Sic dicebantur procuratores, qui ducenta sestertia annui salarii nomine accipiebant a principe, vt clare docet Dio in lib. LIII. p. 506.

(q) Theodor. lib. II. c. XXX. *Νίσιβις, ἣν Ἀντιόχειαν Μυγδονίας τινὲς ὀνομάζουσιν, ἐν μεθορίῳ κεῖται τῆς Περσῶν καὶ Ῥωμαίων ἡγεμονίας· ταύτης ἐπίσκοπος ἦν καὶ πολιοῦχος καὶ στρατηγὸς Ἰάκωβος.*

rigidæ

rigidæ erant, vt epiſcopum vel presbyterum cuiusdam teſtamenti executionem ſuſcipere vel tutorem conſtitui, haud ſinerent, quod hoc ipſo ab aliis negotiis nimium eos auocatum iri, credebatur. Notabilis quidam caſus, qui huc referri poteſt, in CYPRIANO occurrit. In concilio quodam *Africano* ſtatutum eſſe dicit [r], *ne quis de clericis & Dei miniſtris tutorem vel curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli diuino ſacerdotio honorati & in clerico miniſterio conſtituti, nonniſi altari & ſacrificiis deſeruire & precibus atque orationibus vacare debeant.* Hinc quum quidam *Geminius Victor* de ſæculo excedens *Geminium Fauſtinum*, presbyterum eccleſiæ *Furnitanorum*, tutorem teſtamento ſuo, contra illius concilii decretum, nominaſſet, CYPRIANVS clero & plebi *Furnitanorum* ſcribens mandabat, vt ſententiam concilii contra *Victorem* exſequerentur, quæ erat, *ne pro dormitione eius fieret oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in eccleſia* (pro more in eccleſia his temporibus vſitato) *frequentaretur.* Hæc quædam erat excommunicatio poſt mortem, quum iſtiusmodi hominum oblationes repudiarentur, nec ipſi apud altare Dei inter alios offerentes nominarentur, nec communibus precibus ac laudibus, quæ Deo tum pro omnibus fidelibus in domino defunctis fieri ſolebant, honorarentur. Hæc pœna erat eorum, qui hanc regulam ætate *Cypriani* violarant. Sequentibus temporibus canon iſte renouatus fuit, cum aliquo tamen diſcrimine. Etſi enim epiſcopis per leges eccleſiaſticas & ciuiles abſolute & vniuerſaliter hoc officium ſuſcipere [s] interdictum erat; presbyteris tamen, diaconis & omnibus inferioribus clericis tutores ac curatores eorum eſſe licebat, qui iure ac lege cognationis [t] hoc caritatis officium ab eis depoſcere poterant. Sed prohibitio adhuc aduerſus ipſos firma ſtabat, ſi hoc officium pro

(r) Cyprian. ep. LXVI. al. I. ad cler. Furnitan. p. 3. (p. 109. edit. Par. MDCLXVI.)

(s) Conc. Carth. IV. c. XVIII. (tom. II. p. 1201.) Vt epiſcopus tuitionem teſtamentorum non ſuſcipiat.

(t) Iuſtin. nouell. CXXIII. c. V. *Τοὺς θεοφιλεστάτους ἐπισκόπους καὶ μοναχοὺς ἐκ μηδενὸς νόμου ἐπιτρόπους ἢ κουράτωρας οἱουδήποτε προσώπου γίνεσθαι συγχωροῦμεν· τοὺς δὲ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ ὑποδιακόνους τῷ δικαίῳ νόμῳ τῆς συγγενείας εἰς ἐπιτροπὴν ἢ κουρατωρείαν καλουμένους, τὴν τοιαύτην λειτουργίαν ὑποδέχεσθαι συγχωροῦμεν.* Deo amabiles epiſcopos & monachos, ex nulla lege tutores, aut curatores cuiuscumque perſonæ fieri permittimus; presbyteros autem, & diaconos & ſubdiaconos iure & lege cognationis tutelam aut curam ſuſcipere hereditatis permittimus. Conferſis conc. Chalced. c. III. (tom. IV. conc. p. 755.) vid. ſub not. ſeq. (a) p. 405

vllo alio, qui non de ipsorum esset propinquis, suscipere vellent, vti e quadam IVSTINIANI *nouella*, ad hanc rem in ecclesia constituendam facta, apparet.

§. XI.

Leges, quæ ipsos a fideiussione pro aliis & defensione caussarum coram tribunali, suo ipsorum vel ecclesiarum suarum nomine suscipienda, desistere iubent.

Aliis legibus prohibebantur, ne procuratores coram tribunali in vlla ciuili lite vel suo ipsorum vel ecclesiæ nomine agerent. Neque sponsores in istiusmodi caussis pro alio quopiam esse, vel vadimonium promittere poterant, quod eiusmodi occupationes detrimentum ecclesiæ adferre credebantur, dum ministros a constanti diuini officii procuratione auocarent, quemadmodum ex modo memorata IVSTINIANI *nouella* [u] & quibusdam antiquis canonibus [w] apparet, qui clericum in vlla eiusmodi caussa sponsorem fieri, sub pœna abrogandi officii vetant.

§. XII.

Leges, quibus seculares negotiationes exercere & mercaturam facere prohibentur.

Quemadmodum igitur omnibus istis officiis & negotiationibus interdictum clericis erat, eo quod tempus consumerent & diuinis ministeriis essent impedimento : ita aliæ quædam occupationes vetitæ erant non ob hanc solum rationem, sed etiam quod generatim auaritiæ & sordidi lucri maculis

(u) Iustin. nouell. CXXIII. c. VI. Ἀλλ' οὐδὲ -- ἢ ἐντολέα δίκης, ἢ ἐγγυητὴν ὑπὲρ τούτων τῶν αἰτιῶν ἐπίσκοπον, ἢ οἰκονόμον, ἢ ἄλλον κληρικὸν οἱουδήποτε βαθμοῦ, ἢ μοναχὸν ἰδίῳ ὀνόματι ἢ τῆς ἐκκλησίας ἢ τοῦ μοναστηρίου ὑπεισιέναι συγχωροῦμεν· ἵνα μὴ διὰ ταύτης τῆς προφάσεως καὶ τοῖς ἁγίοις οἴκοις ζημία γίνηται, καὶ αἱ θεῖαι ὑπηρεσίαι ἐμποδίζωνται. Sed neque procuratorem litis, aut fideiussorem pro talibus caussis episcopum, aut oeconomum, aut alium clericum cuiuslibet gradus, aut monachum proprio nomine, aut ecclesiæ aut monasterii sinimus, vt ne per hanc occasionem & sanctis domibus damnum fiat, & sacra ministeria impediantur.

(w) Can. apost. c. XX. (XIX.) Κληρικὸς ἐγγύας διδοὺς, καθαιρείσθω, Clericus fide iubens deponatur.

Constit. apost. lib. II. c. VI. Ἔστω δὲ ὁ ἐπίσκοπος -- μὴ ἐγγυώμενός τινα, ἢ συνήγορων δίκαις χρηματικαῖς, Episcopus -- ne pro aliis spondeat, nec caussas nummarias defendat.

nota-

notatæ eſſe crederentur. Ita in concilio *Carthaginenſi* primo [*x*] clerici procuratores vel ratiocinatores laicorum fieri prohibentur. Concilium tertium [*y*] tum illud facere, tum etiam domos vel prædia conducere & generatim quoduis negotium turpe & inhoneſtum exercere, eos vetat. Concilium ſecundum *Arelatenſe* [*z*] ſimiliter alienæ rei conductione & turpis lucri cauſſa negotiatione ipſis interdicit, deiectionem de gradu & ſegregationem ab eccleſia reſpuentibus hoc interdictum minitans. Concilium generale *Chalcedonenſe* [*a*] canonem habet in eamdem ſententiam, *Definit ſancta ſynodus*, inquit, *neminem deinceps, nec epiſcopum, nec clericum, nec monachum, vel poſſesſiones conducere, vel ſæcularibus poſſesſionum adminiſtrationibus ſe ipſum ingerere: niſi vtique ex lege ad inexcuſabilem impuberum* (ſi videlicet, vt dictum eſt ante, eorum eſſet cognatus) *tutelam vocetur, vel ciuitatis epiſcopus eum rerum eccleſiaſticarum curam gerere permittat, vel orphanorum, vel viduarum, quibus prouideri non poteſt & perſonarum, quæ eccleſiaſtico auxilio maxime indigent.* Et heic quidem rationem, ob quam hunc canonem fecerint iſtius concilii patres, ita reddunt, vt perueniſſe ad ſynodum dicant, *quod eorum, qui in clerum cooptati ſint, quidam propter turpe lucrum alienas poſſesſiones conducant, & ſæcularia neg-*

(*x*) Conc. Carth. I. c. VI. (tom. II. conc. in append. p. 1824.) Qui ſeruiunt Deo & adnexi ſunt clero, non accedant ad actus & adminiſtrationem vel procurationem domorum. Ibid. can. XI. Ipſis (laicis) non liceat clericos noſtros eligere apothecarios, vel ratiocinatores.

(*y*) Conc. Carth. III. c. XV. (ibid. p. 1169.) Placuit, vt epiſcopi & presbyteri & diaconi non ſint conductores, neque procuratores, neque vllo turpi vel inhoneſto negotio victum quærant.

(*z*) Conc. Arelat. I. al. II. c. XIV. (tom. IV. p. 1013.) Si quis clericus pecuniam dederit ad vſuram, aut conductor alienæ rei voluerit eſſe, aut turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exercuerit, depoſitus a communione alienus fiat.

(*a*) Conc. Chalced. c. III. (tom. IV. p. 755.) Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν σύνοδον, ὅτι τῶν ἐν τῷ κλήρῳ κατειλεγμένων τινὲς δι' οἰκείαν αἰσχροκέρδειαν ἀλλοτρίων κτημάτων γίνονται μισθωταὶ καὶ πράγματα κοσμικὰ ἐργολαβοῦσι, τῆς μὲν τοῦ Θεοῦ λειτουργίας καταρρᾳθυμοῦντες, τοὺς δὲ τῶν κοσμικῶν ὑποτρέχοντες οἴκους, καὶ οὐσιῶν χειρισμοὺς ἀναδεχόμενοι διὰ φιλαργυρίαν, ὥρισε τοίνυν ἡ ἁγία σύνοδος, μηδένα τοῦ λοιποῦ, μὴ ἐπίσκοπον, μὴ κληρικὸν, μὴ μονάζοντα, ἢ μισθοῦσθαι κτήματα, ἢ πράγματα, ἢ ἐπεισάγειν ἑαυτὸν κοσμικαῖς διοικήσεσι· πλὴν εἰ μή που ἐκ νόμων καλοῖτο εἰς ἀφηλίκων ἀπαραίτητον ἐπιτροπὴν, ἢ ὁ τῆς πόλεως ἐπίσκοπος ἐκκλησιαστικῶν ἐπιτρέψοι φροντίζειν πραγμάτων, ἢ ὀρφανῶν καὶ χηρῶν ἀπρονοήτων, καὶ τῶν προσώπων τῶν μάλιστα τῆς ἐκκλησιαστικῆς δεομένων βοηθείας.

otia exerceant, diuinum ministerium negligentes, saecularium vero domos subeuntes & eorum facultatum tractationem accuratiorem propter auaritiam suscipientes; quæ vetus querimonia erat, iam a CYPRIANO [b] facta, quando quosdam æui sui antistites vehementius insectatus dixerat, episcopos plurimos, quos & hortamento esse oporteat cæteris & exemplo, diuina procuratione contemta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari; eoque ipso diuinam vindictam prouocare & in maximam ecclesiæ offensionem incurrere. Vt adeo, quum hæ fuerint rationes, ob quas istas leges fieri oportuit, nos ipsarum legum naturam ex earum intentione & scopo metiri debeamus; qui fuit, tam manifestos abusus ac auaritiam, nec non diuinorum ministeriorum neglectum emendare, id quod vel tamquam caussa vel tamquam effectus, clericos sæpius induxit, vt sæcularibus negotiis ipsi sese implicarent.

§. XIII.

Quasnam limitationes & exceptiones istæ leges admiserint.

In quibusdam vero casibus istiusmodi eorum occupationes vitio caruisse, æquum est, credamus. Certis enim temporibus & locis, vbi prouentus ecclesiæ admodum exigui erant, nec ad præbendum omnibus clericis honestum alimentum sufficiebant, nonnulli ex illis, speciatim ex inferioribus ordinibus, præter ministerium ecclesiæ sæculari cuidam negotio vacare necessum habebant. Alii, qui sibi satis temporis superesse videbant, christiana ducti caritate negotiabantur, vt quidquid lucrarentur, in pauperum adleuationem aliosque pios vsus conferrent; & alii, qui ante auspicatos ordines ecclesiasticos vitæ asceticæ & philosophicæ adsueti erant, vbi honestum aliquod opificium suis ipsorum exercuerant manibus, eadem ratione, etsi non eadem adsiduitate & diligentia, iam presbyteri ac episcopi ecclesiæ creati operam manuariam in humilitatis suæ exercitium, vel ad aliud quoddam vitæ christianæ officium explendum, continuabant. In hisce igitur casibus omnibus vitia, de quibus, tamquam rationibus interdicti, in ante memoratis legibus querela facta est, locum nullum habebant. Neque enim

(b) Cypr. de lapsis p. 123. (p. 170. edit. Par. MDCLXVI.)

iſtorum hominum negotiationes auaritiæ effectus erant, nec cum diuini miniſterii neglectione fiebant, adeoque prohibitio & legum cenſura ad illas haud attinebat. Nam *primo* leges eccleſiaſticæ & ciuiles clericis inferioribus honeſtam aliquam artem, neceſſitate ita vrgente, tractare permittebant, vt ſibi ipſi liberale alimentum procurarent, quum reditus eccleſiæ ſuppeditare eis illud non poſſent.

In concilio *Carthaginenſi* quarto [c] tres canones continuata ſerie, ſeſe excipientes, occurrunt, quibus clerici victum & veſtitum honeſto quodam artificio vel agricultura, ſine officii ſui in eccleſia detrimento, ſibi parare, & ii qui ad operandum validi ſint, artem quamdam & litteras ſimul diſcere iubentur. Et ſane tantum abeſt, vt leges imperii id impedierint, vt potius tales clericos ad exercendam honeſtam aliquam artem excitarint, a chryſargyro, ſiue tributo luſtrali, ab omnibus negotiatoribus exigi ſolito, vt alibi [cc] fuſius demonſtrauimus, ſpecialem eis indulgendo immunitatem. *Secundo* licitum ipſis quoque erat, horas ſubſeciuas cuidam opificio vel arti impendere, ſi ad bonum quemdam caritatis finem id ſpectaret. Exempli cauſſa, vt ne eccleſiæ oneri exſiſterent, vel vt quid ſuperflui haberent, quo aliorum indigentiam ſubleuare poſſent: vel etiam vt eis exemplum præberent, quo ad adſiduitatem & diligentiam in ſuo quisque vitæ genere excitarentur; quem digniſſimum ſcopum *Paulus* apoſtolus ſibi præfixerat, quum propriis manibus operans tabernacula conficeret; cuius ad exemplum multos præclaros veteris eccleſiæ epiſcopos haud puduit vacuum tempus ſuum honeſto cuidam labori impendere, vt eumdem caritatis finem, quem apoſtolus adeo frequenter inculcat, obtinerent. Ita SOZOMENVS [d] de *Zenone* epiſcopo *Maiumæ* in *Palæſtina* memoriæ prodidit,

(*c*) Conc. Carth. IV. c. LI. (tom. II. conc. p. 1204.) Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, *artificio victum quærat.* Can. LII. Clericus victum & veſtimentum ſibi *artificiolo* vel agricultura, abſque officii ſui detrimento, paret. C. LIII. Omnes clerici, qui ad operandum validiores ſunt, & *artificiolum* & litteras diſcant.

(*cc*) Lib. V. c. III. § VI. pag. 240-244.

(*d*) Sozom lib. VII. c. XXVIII. *φασὶν αὐτὸν, μᾶλλον δὲ καὶ ἡμεῖς τεθεάμεθα, ἐπισκοποῦντα τὴν ἐν τῷ Μαϊουμᾷ ἐκκλησίαν, ἤδη γηραλέον καὶ ἀμφὶ τὰ ἑκατὸν ἔτη ὄντα, μηδεπώποτε ἑωθινῶν ἢ ἑσπερινῶν ὕμνων ἢ ἄλλης λειτουργίας τοῦ Θεοῦ κατόπιν γενόμενον, εἰ μή γε νόσος αὐτὸν ἐπέσχεν· ἐν φιλοσοφίᾳ δὲ μοναχικῇ τὸν βίον ἄγων,* λινῆν ἐθῆ-

dit, ipſum iam ſenem ac centum circiter annos natum, numquam a matutinis aut veſpertinis hymnis aut a reliquo officio diuino abfuiſſe, & nihilo ſecius certum tempus lineas veſtes texendi artificio dediſſe, eoque & ſibi ipſi neceſſaria comparaſſe & aliis ſubminiſtraſſe, tametſi eccleſiam diuitem & opulentam habuiſſet. EPIPHANIVS contra *Meſſalianos* hæreticos (qui magni deſidiæ patroni erant) generalius obſeruat, non tantum omnes vitam monaſticam ſequentes, ſed pleroſque etiam e ſacerdotum Dei numero [e] ad ſanctiſſimi ſui ſecundum Deum in Chriſto pa-

τα ὕφαινεν ἐπὶ μονήρους ἱστοῦ, ἐντεῦθεν σὲ τὰ ἐπιτήδεια ἔχει, καὶ ἄλλοις ἐχορήγει· καὶ οὐ διέλιπεν ἄχρι τελευτῆς τὸ αὐτὸ δίκτων ἔργον, καίπερ ἀρχαιότητι τῶν ἀνὰ τὸ ἔθνος ἱερέων πρωτεύων, καὶ λαῷ καὶ χρήμασι μεγίστης ἐκκλησίας προεστώς. Aiunt certe, immo nos quoque ipſi vidimus, eum (Zenonem) cum Maiumæ eccleſiam gubernaret, iam ſenem & centum circiter annos natum, numquam a matutinis aut veſpertinis hymnis aut a reliquo officio diuino abfuiſſe, niſi morbus ipſum detineret. Porro quum in monaſtica philoſophia vitam traduceret, *lineam veſtem texebat* ſuper vnica tela. Hoc artificio & ſibi ipſi neceſſaria comparabat & aliis ſubminiſtrabat. Nec ceſſauit vſque ad exitum vitæ id opus exercere, tametſi reliquos omnes prouinciæ illius epiſcopos antiquitate ſuperaret, & eccleſiam tum populi multitudine tum diuitiis præcellentem regeret.

(e) Epiph. hæreſ. LXXX. Maſſal. n. VI. Καὶ γὰρ ἐξ αὐτῶν τοῦ Θεοῦ ἱερέων, καὶ αὐτοὶ μετὰ τοῦ κηρύγματος τοῦ λόγου μιμούμενοι τὸν ἅγιον μετὰ τὸν Θεὸν ἐν χριστῷ πατέρα, φημὶ δὲ Παῦλον τὸν ἅγιον ἀπόστολον, καὶ αὐτοὶ, κατὰ τὸ δυνατὸν, εἰ καὶ μὴ πάντες, ἀλλ' οἱ πλείους ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἐργαζόμενοι, οἵαν δ' ἀναλόγως συμπρέπουσαν τῷ ἀξιώματι, καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς φροντίδος ἐνδελεχείᾳ εὕροιεν τέχνην, ὅπως μετὰ τοῦ λόγου καὶ τοῦ κηρύγματος ἡ συνείδησις χαίρῃ, καὶ διὰ χειρῶν ἰδίων καρποφοροῦσα, καὶ ἑαυτῇ ἐπαρκουμένη, τοῖς τε ἀδελφοῖς, καὶ ἐνδεομένοις τὴν μετὰ χεῖρας οἰκονομίαν· ἀπαρχῶν δὲ φημὶ, καὶ προσφορῶν, καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν διὰ χειρῶν εἰργασμένων δι' ὑπερβολὴν διαθέσεως πρὸς Θεὸν, καὶ τοῖς πέλας ἑκουσίως μεταδιδοῦσα καὶ τοί γε μὴ ἀναγκαζομένων αὐτῶν, μήτε κατακρινομένων, ἀλλὰ δικαιοσύνης πόνους, καὶ ἐργασίαν ἐκκλησιαστικὴν ἐχόντων, καὶ κατὰ δικαιοσύνην σιτουμένων, δι' ὑπερβολὴν δὲ προαιρέσεως τοῦτο αὐτῶν ποιούντων. Illi tametſi e ſacerdotum numero ſint, ad ſanctiſſimi ſui ſecundum Deum in Chriſto patris imitationem (Paulum apoſtolum intelligo) non omnes quidem ſed plerique tamen ad ſuſceptam diuini verbi prædicationem externam manuum operam adiungunt; quamcumque demum artem adepti ſint, quæ nec a dignitate ſua nec ab eccleſiæ cura, quam perpetuam gerunt, abhorreat: vt ipſorum conſcientia, præter illum diuini verbi laborem, propriarum manuum fructum ferens, ac cum ſibi ipſi, tum fratribus & egentibus operis ſui quæſtum impertiens, voluptate perfundatur: hoc eſt tam primitias & oblationes, quam quod manuum ſuarum opera lucelli quæſierit, cum proximis ſuis vltro pro ardenti in Deum amore, communicet. Atqui nulla ad id agendum neceſſitate coacti damnatique ſunt. Sed quum iuſtiſſimos alios la-

tris,

tris, *Pauli* apostoli, imitationem ad susceptam diuini verbi prædicationem externam manuum operam adiungere, quæ nec a dignitate ipsorum, nec ab ecclesiæ cura, quam perpetuam gerant, abhorreat: eaque ratione cum sibimetipsis vitæ subsidia parare, tum aliis egentibus operis sui quæstum impertire. *Constitutionum apostolicarum* [f] auctor apostolos introducit adolescentiores in ecclesia cohortantes, vt ad ipsorum exemplum in omnibus vsibus ac necessitatibus nauiter ministrent, & operibus suis cum omni honestate vacent, atque ita tum sibi ipsis tum egentibus necessaria prouideant. Quo ipso licet apostolorum praxis non exacte repræsentetur, (non enim vllum alium apostolum manibus suis operatum esse legimus, præter *Paulum*, dum prædicaret euangelium;) condocemur tamen, quid auctor hac de re senserit; quod non simpliciter illicitum clerico iudicarit, sæculari cuidam negotio vacare, si liberalitatis exercendæ, non turpis lucri acquirendi caussa, id fieret. Et obseruari meretur, quod leges imperii clericis, qui aliorum inopiam subleuandi ergo negotiabantur, eamdem immunitatem a tributo lustrali indulserint, quam istis, qui necessitate adacti ad se ipsos alendos mercaturam faciebant; quod vtrumque alio loco demonstrauimus. *Tertio*, quædam celebratissimorum episcoporum exempla suppetunt, qui ex animi submissione & philosophicæ ac laboriosæ vitæ amore horas ab ecclesiasticis officiis vacuas honesto quodam negotio, cui priscis temporibus adsueti fuerant,

---

bores & ecclesiasticas occupationes habeant, & pro eo atque æquum est, ali indidem debeant, abundantia quadam virtutis & prolixæ voluntatis id sibi oneris imponunt.

(f) Constit. apost. lib II. c. LXIII. Οἱ δὲ νεώτεροι τῆς ἐκκλησίας, ἐν πάσαις ταῖς χρείαις ἀόκνως λειτουργεῖν σπουδάζετε· μετὰ πάσης σεμνότητος τοῖς ἔργοις ὑμῶν σχολάζετε, ὅπως ἐν παντὶ τῷ χρόνῳ ὑμῶν ἦτε ἐπαρκοῦντες καὶ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς πενομένοις, πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρεῖν τὴν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν· καὶ γὰρ ἡμεῖς σχολάζοντες τῷ λόγῳ τοῦ εὐαγγελίου, ὅμως καὶ τῶν ἐπεργιῶν οὐκ ἀμελοῦμεν· οἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐξ ἡμῶν ἁλιεῖς· οἱ δὲ σκηνοποιοί· οἱ δὲ γῆς ἐργάται, πρὸς τὸ μηδέποτε ἡμᾶς ἀργοὺς εἶναι. Vos vero in ecclesia adolescentiores studete, vt in omnibus, quæ opus erunt, nauiter ministretis, & opera vestra cum omni honestate exercete, vt per vniuersum vitæ tempus tum vobis tum egentibus necessaria suppetant, ne necesse sit vobis graues esse ecclesiæ: Etenim & nos verbo euangelii incumbimus, tamen exercere illa quasi adminicula operis huius non negligimus: alii enim ex nobis sunt piscatores, alii tabernaculorum opifices, alii agricolæ, ne vmquam otiosi simus.

transmiſerunt. Ita RVFFINVS [g], SOCRATES [h] & SOZOMENVS [i] de *Spyridone*, epiſcopo *Trymithuntis* in *Cypro*, qui e præcipuis epiſcopis in concilio *Nicaeno* congregatis & dono prophetiæ ac miraculorum illuſtris fuit, narrant, quod quum antea paſtor ouium fuiſſet, in iſthoc vitæ genere ex ſingulari animi modeſtia omnem ætatem ſuam transegerit. Verum ipſius actiones & totius vitæ tenor, ipſum hoc non ex auaritiæ inſtinctu feciſſe, demonſtrarunt. Nam SOZOMENVS ſpeciatim obſeruat, hunc ei morem fuiſſe, vt ex fructibus, qui ipſi prouenirent, alios pauperibus diſtribuerit, alios poſcentibus mutuo dederit ſine vſuris. In dando autem vel recipiendo numquam ipſum per ſe dediſſe aut recepiſſe, ſed cella tantum accedentibus demonſtrata iuſſiſſe, vt quantum opus haberent, ſumerent, ac rurſus vt reponerent, quantum ſe ſumſiſſe, noſſent. *Quarto* obſeruamus, quod leges iſtæ, quæ ſuperiorum ordinum clericis, ſæculari quodam negotio occupatis, maxime omnium contrariæ fuerunt, in caſibus neceſſitatis eis priuilegium indulſerint, quod tantumdem fuit; hoc eſt, quod alios pro ſe negotiantes adhibere potuerint, quoad ipſi per ſe negotiationibus operam non darent. Ita enim concilium *Illiberritanum* [k] reddit: *Epiſcopi, presbyteri & diaconi, de locis ſuis negotiandi cauſſa non diſcedant, nec circumeuntes prouincias quæſtuoſas nundinas ſectentur. Sane ad victum ſibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant: & ſi voluerint negotiari, intra prouinciam negotientur.* Vt adeo omnes iſtæ leges magna ſapientia ac prudentia rectiſſime temperatæ fuerint; vt, quemadmodum ab vna parte cultus Dei & neceſſitates miniſtrorum ac ſeruorum eius ſimul ſupplerentur: ita ab altera parte nullum auaritiæ in clericis pabulum ſubminiſtraretur, nec eorum quiſpiam in pro-

(g) Ruffin. lib. I. c. V. Hic paſtor ouium etiam in epiſcopatu poſitus permanſit.

(h) Socrat. lib. I. c. XII. *διὰ δὲ ἀτυφίαν πολλὴν, ἐχόμενος τῆς ἐπισκοπῆς ἐποίμαινε καὶ τὰ πρόβατα.* Ob ſingularem animi modeſtiam etiam in epiſcopatu oues paſcere non deſtitit.

(i) Sozom. lib. I. c. XI. *Ἔθος ἦν τούτῳ τῷ Σπυρίδωνι τῶν γινομένων αὐτῷ καρπῶν τοὺς μὲν πτωχοῖς διανέμειν, τοὺς δὲ προῖκα δανείζειν τοῖς ἐθέλουσιν· οὔτε δὲ διδοὺς, οὔτε ἀπολαμβάνων, δι' ἑαυτοῦ παρεῖχεν ἢ ὑπεδέχετο· μόνον δὲ τὸ ταμεῖον ἐπιδεικνὺς, ἐπέτρεπε τοῖς προσιοῦσιν, ὅσον δέονται κομίζεσθαι, καὶ πάλιν ἀποδιδόναι ὅσον ᾔδεσαν κομισάμενοι.*

(k) Concil. Eliber. c. XIX. al. XIIX. (tom. I. conc. p. 972.)

prii

prii officii neglectu confirmaretur, si eis passim in orbe vagari, occupationibus se impedire & animum in alia omnia abducere permitteretur, id quod ab illis, qui sacræ functioni consecrati erant, alienum esse oportebat. In hos solos vniuersæ istæ HIERONYMI [l] aliorumque veterum [ll] acres inuectiuæ directæ sunt, quas lector iisdem limitationibus eademque casuum distinctione interpretari debet, quemadmodum leges publicas interpretati sumus : quum vtrarumque scopus fuerit, solum reprehendere vitia diuitum, qui sine vlla idonea caussa vel necessitate vrgente curis vitæ sæcularis contra regulas ac officii sui indolem sese implicabant.

§. XIV.

Leges ad externam eorum conuersationem respicientes.

Aliæ quædam leges latæ erant, ad externam eorum respicientes conuersationem, vt ipsos tum ab offendiculo in ipsorum dignitate tum a periculo in conuersatione tutos præstarent. Istiusmodi leges erant, contra commercium ac conuersationem cum *iudæis* & philosophis gentilibus factæ. Concilium *Illiberritanum* [m] eos, qui cum *iudæis* cibum sumserint, a communione abstineri iubet. Concilium *Agathense* [n] canonem habet eiusdem argumenti, quo *iudæorum* conuiuiis interesse eosue ad conuiuia inuitare prohibentur. Et *canones* sic dicti *apostolici* [o] non

(l) Hieron. epist. II. ad Nepot. (p. 9. D. edit. Francof.) *Negotiatorem clericum*, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem *fuge.*

(ll) Sulpic. Seuer. hist. lib. I. p. 30. edit. Amstel. MDCLVI. 8. (lib. I. c XXIII. p. 81. edit. Lipf. MDCCIII.) Tanta hoc tempore animas eorum habendi cupido veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. At si qui melioris propositi videntur, neque possidentes neque negotiantes, quod est multo turpius, sedentes munera exspectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi vendendam præferunt sanctitatem.

(m) Conc Illib. c L (tom. I. p. 976.) Si quis clericus vel fidelis cum iudæis cibum sumserit, placuit eum a communione abstinere, vt debeat emendari.

(n) Conc. Agath. c. XL. (tom. IV. conc. p. 1390.) Omnes clerici, siue laici, iudæorum conuiuia euitent; nec eos ad conuiuium quisquam excipiat.

(o) Can. apost c. LXX. Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τῶν κληρικῶν νηστεύοι μετὰ τῶν ἰουδαίων, ἢ συνεορτάζοι μετ' αὐτῶν, ἢ δέχοιτο παρ' αὐτῶν τὰ τῆς ἑορτῆς ξένια, οἷον ἄζυμα, ἤ τι τοιοῦτον, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκός, ἀφοριζέσθω. Si quis episcopus, vel presbyter vel diaconus, vel omnino ex clericorum catalogo, ieiunat cum iudæis, vel cum ipsis festos dies agit, vel ab ipsis xenia accipit; vt, verbi gratia, azyma, vel quid tale, deponatur. Si vero sit laicus, segregetur.

tantum cum *iudaeis* ieiunare vel cum ipsis festos dies agere, sed etiam τῆς ἑορτῆς ξένια, munera seu dona, quae diebus festis alii aliis mittere solebant, ab eis accipere interdicunt. Et leges contra consuetudinem cum philosophis ethnicis eiusdem prorsus generis erant. Nam SOZOMENVS [p] *Theodotum* episcopum *Laodiceae* in *Syria* duos *Apollinares*, patrem & filium, ecclesia eiecisse dicit, ideo, quod, quum *Epiphanius* sophista nobilis hymnum in laudem *Bacchi* recitaret, ei recitationi interfuissent; id quod eorum dignitati non conueniebat, quando alter presbyter, diaconus alter ecclesiae christianae erat. Similiter dignitatis eorum intuitu factum est, vt alii canones in caupona comedere vel bibere eis interdixerint, nisi in itinere constituti vel alia quadam vrgente necessitate id facere necessum haberent. Nam inter sic dictos *canones apostolicos* [q] & statuta conciliorum *Laodiceni* [r] & *Carthaginensis* [s] diuersae regulae in hanc sententiam reperiuntur; quarum seueritatem non est quod magnopere mireris,

(p) Sozom. lib. VI. c. XXV. Ἔτι Θεοδότου τὴν Λαοδικέων ἐκκλησίαν ἰθύναντος, κατ' ἐκεῖνο καιροῦ διαπρέπων Ἐπιφάνιος, ὁ σοφιστὴς, ὕμνον εἰς τὸν Διόνυσον παρῄει· διδασκάλῳ δὲ αὐτῷ χρώμενος Ἀπολλινάριος, ἔτι γὰρ νέος ἦν, παρεγένετο τῇ ἀκροάσει σὺν τῷ πατρί· ὁμώνυμος δὲ ἦν αὐτῷ, γραμματικὸς οὐκ ἄσημος· -- μαθὼν ταῦτα Θεόδοτος ὁ ἐπίσκοπος, χαλεπῶς ἤνεγκε· --- Ἀπολλιναρίω ἄμφω τὴν ἁμαρτίαν δημοσίᾳ ἐλέγξας, τῆς ἐκκλησίας ἀφώρισεν· ἤστην γὰρ κληρικὼ, ὁ μὴν πατὴρ, πρεσβύτερος· ὁ δὲ παῖς, ἀναγνώστης ἔτι τῶν ἱερῶν γραφῶν. Quo tempore Theodotus Laodicenam regebat ecclesiam, quum Epiphanius sophista hymnum in laudem Bacchi recitaret, Apollinaris, qui eo praeceptore vtebatur, erat enim adhuc adolescens, ei recitationi interfuit vna cum patre, eiusdem cum ipso nominis, qui grammaticus erat non obscurus. -- Id quum resciuisset Theodotus episcopus, grauiter commotus est -- vtrumque autem Apollinarem publice conuictum ecclesia eiecit. Erant enim clerici: pater quidem presbyter, filius vero lector sacrarum scripturarum.

(q) Can. apost. c. LIII. Εἴ τις κληρικὸς ἐν καπηλείῳ φωραθείη ἐσθίων, ἀφοριζέσθω, παρὲξ τοῦ ἐν πανδοχείῳ ἐν ὁδῷ δι' ἀνάγκην καταλύοντος. Si quis clericus in caupona comedens deprehensus fuerit, segregetur, praeterquam si in publico diuersorio in via propter necessitatem diuerterit.

(r) Conc. Laodic. c. XXIV (tom. I. conc p. 1501.) Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρων ἕως διακόνων, καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐπορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν, εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι. Quod non oportet sacratos, a presbyteris vsque ad diaconos, & deinceps quemlibet ecclesiastici ordinis vsque ad ministros, vel lectores, vel cantores, vel exorcistas, vel ostiarios, vel exercitatorum ordinis, in cauponam ingredi.

(s) Conc. Carth. III. c. XXVII. (tom. II. conc. p. 1171.) Vt clerici, edendi vel bibendi caussa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

quia

quia *Iulianus* eamdem circumſpectionem ab ethnicis ſuis flaminibus requiſiuit, vt ne vmquam publicis ſpectaculis intereſſent, vel tabernas ingrederentur, contumacibus atque immorigeris ſacerdotii abdicationem minitatus, quemadmodum ex ipſius epiſtola ad *Arſacium* pontificem *Galatiæ*, SOZOMENO [t] memorata, aliisque fragmentis ſcriptorum eius videre eſt.

§. XV.

Leges de eorum habitu præcipientes.

Ad huiusmodi leges referre illas antiquas regulas poſſumus, quæ de veterum clericorum veſtitu ac habitu agunt, qua in re ab ipſis obſeruanda erat mediocritas, vt ne in obtrectationem ac reprehenſionem aliorum ab alterutra parte incurrerent, quod vel nimis eleganti ac inuidioſo, vel neglecto nimis ac ſordido, veſtitu vterentur: quandoquidem eorum cultus generatim is eſſe debebat, qui ipſorum grauitatem animi ſine vlla ſuperſtitioſa moroſitate, & modeſtiam ac humilitatem ſine adfectatione, poſſet exprimere. Itaque hac in re ipſorum regulæ conſuetudinibus ac opinionibus eo tempore receptis accommodabantur, quæ communiter rationem ac modum decoro ac indecoro in iſtiusmodi rebus conſtituere ſolebant. Ita, exempli cauſſa, quum coma longa & caluitium, raſura capitis vel barbæ arceſſitum, tum generatim pro vitio indecentiæ in contrariis extremitatibus haberetur, clerici ad decentem mediocritatem inter has extremitates obſeruandam obligati erant. Hic ſenſus eſt dubii ac controuerſi illius canonis in concilio *Carthaginenſi*, ſecundum veram eius lectionem: *Clericus nec comam nutriat* [u], *nec barbam radat.* Contraria conſuetudo quum in ho-

(t) Sozom. lib. V. c XVI. ἔπειτα παραίνεσον ἱερέα, μήτε θεάτρῳ παραβάλλειν, μήτε ἐν καπηλείῳ πίνειν, ἢ τέχνης τινὸς καὶ ἐργασίας αἰσχρᾶς καὶ ἐπονειδίστε προΐστασθαι καὶ τοὺς μὲν πειθομένους τίμα· τοὺς δὲ ἀπειθοῦντας ἐξώθει. Deinde ſingulos flamines hortare, *vt nec ad theatrum accedant, nec in tabernis bibant,* nec artem vllam aut opificium turpe ac probroſum exerceant. Et eos quidem, qui obtemperauerint, honore adfice: contumaces vero atque immorigeros expelle Vid. Iulian. fragment. epiſt. p. 547. edit. Pariſ. MDCXXXI. 4to.

(u) Conc. Carth. IV. c XLIV. In editione Labbei deeſt τὸ *radat*, & ad calcem hæc notata leguntur: *Alias barbam tondeat: ita in lib. Gemblacenſi. Alias barbam radat, additur in libro Gandenſi S. Bauonis, titulo: Statuta eccleſiæ antiqua. Pleraque autem exemplaria non habent, radat, vel tondeat, ſi vt ſit ſenſus, clerico nec comam nec barbam nutriendam.* Crabbus.

dierna ecclesia *Romana* vigeat, BELLARMINVS [w] & alii istius partis scriptores, qui omnes cærimonias suas apostolicas esse in illisque magnum aliquod mysterium contineri, dictitant, vocabulum *radat* in isto vetusto canone omitti volunt, vt eum hodiernæ consuetudini consentaneum reddant. Sed eruditus SAVARO [x] alteram lectionem genuinam esse, tum e *Vaticano* tum aliis exemplaribus manuscriptis demonstrat. Quid, quod ipse SPONDANVS [y] hoc fatetur, & inde occasionem corrigendi BARONIVM arripit, quod statuerit, tempore SIDONII APOLLINARIS morem fuisse episcopis *Galliæ* tondere barbam: quum tamen ex quadam SIDONII epistola [z] de contrario liquidissime constet, quod tunc coma breui & barba prolixa vti consueuerint, quemadmodum *Maximum Palatinum*, amicum suum, qui e laico clericus factus erat, depingit. *Habitus*, inquit, *viro, gradus, pudor, color, sermo religiosus,*

(w) Bellarm. de monach. lib. II. c. XL. Concilium Carthaginense IV. can. XLIIII. prohibet clericos alere comam aut barbam.

(x) Sauaro not. in Sidonium lib. IV. epist. XXIV. pag. 306. Sicut clerici comam tondebant, ita barbam promittebant. Concil. Carthag. IV. c. XLIV. *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.* Sic MSCtum Vaticanæ bibliothecæ, S. Pictoris, Gandensis, meus, & Isidori liber Parisiis impressus recte, quod *radat* erasum est ex decreto Burcardi lib. II. c. CLXXIV. Iuonis parte VI. c. CCLXV. & ex c. V. Extra, de vita & honest. clericorum a quodam malegeniato & feriato homine, qui vna litura maximas altercationes excitauit, barbamque sacerdotibus erasit malo exemplo. Nam siue illud ex concilio Carthaginensi sumtum sit, in illo legitur: *neque barbam radat:* si ex decretis Aniceti papæ, in illis nulla barbæ mentio est XXIII. distinct. can. clericis. Vsuard. XV. Kal Maii pontific. c. XII. Innocent. III. ep. II. ad Tardisinum, & Marianus Scotus in chronico, qui omnes auctores inter sanctiones Aniceti barbæ rasionem non numerant. Martinus quidem Polonus in chronico & Petrus de Natalibus lib. IV. c. LVII. constitutionem, qua coma & barba simul clericis prohibetur, Aniceto tribuunt, sed quo auctore nescio, scio quidem & liquido scio, ex traditione apostolorum esse barbam alere. S. Clemens constitut. apostolic. lib. I. c. III. Clemens Alex. Pædag. lib. III. c. III. D. Cyprianus l. III. ad Quirinum LXXXV. & Epiphanius l. III. tom. II. hæres. LXXX. præterquam quod apostolorum icones omnem dubitationem abstergant. vid. Leuit. XIX.

(y) Spond. epit. Baron. an. LVIII. n. LVIII. Sacerdotes Galliarum Sidonius (ep XIII. lib. IV.) docet corona decoros & barba rasos fuisse: Seruare autem in his locorum consuetudinem, vt secundum cuiusque prouinciæ mores vel barbati vel attonsi incederent, velut lege quadam fuisse præscriptum, ex eo saltem facile potest perspici, quod quum sæpissime occidentales cum orientalibus ad concilia conuenissent, nulla vmquam exorta huius rei gratia controuersia reperitur, cætera.

(z) Sidon. lib. IV. ep. XXIV.

giosus,

giosus, tum coma breuis, barba prolixa. Consuetudo eo tempore hoc decens ac congruum videtur reddidisse; & ex hac ratione veteres non numquam admodum seueri erant in istos clericos, qui hac in re peccauissent, tamquam vitio indecentiæ obnoxios, dum regulas & consuetudines ecclesiæ migrassent, quæ obseruari debebant, etiamsi res alioquin sua natura nec boni nec mali rationem proprie haberet.

§. XVI.

Tonsura veterum ab ea, quæ in Romanensi *ecclesia nunc est, omnino diuersa fuit.*

Romanenses generatim maxime reprehendendi sunt in narrationibus suis de antiqua clericorum *tonsura*, quam eo modo describunt, vt hodiernæ consuetudini, qua capitis verticem ex ritu quodam mystico radunt, conueniat. Quum tamen tantum absit, vt veteres hoc tamquam decorum requisierint, vt potius damnarint atque fieri prohibuerint. Id quod ex proposita *Donatistis* quæstione *Optati* liquet, quando eos interrogat, vbi ipsis mandatum sit [a] radere capita sacerdotum? quemadmodum illi clericis catholicis fecerant, vt ad agendam publicam in ecclesia pœnitentiam eos adducerent. Quo in casu, vt recte obseruat ALBASPINAEVS [b], capita in signum mœroris & pœnitentiæ radi & cinere adspergi solebant. At sacerdotes Dei hunc in modum tractandi non erant. Quod indicat, veteribus nihil horum, tamquam cærimoniam, ad ordinationem vel vitam clericorum spectantem, notum fuisse; quod adhuc multo euidentius patet ex iis, quæ HIERONYMVS in ista verba *Ezechielis* XLIV, 20 *caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua*, commentatur. *Perspicue*, [c] inquit, *demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapis, nos esse debere, nec rursum comam demittere, quod proprie luxuriosum est barbarorum-*

(a) Optat: contr. Parmen. lib. II. p 58. edit. Paris. M DC XXXI. (p. 54. edit. Paris. MDCLXXIX.) Docete, vbi vobis mandatum est radere capita sacerdotum, cum e contrario sint tot exempla proposita, fieri non debere, — qui parare debebas aures ad audiendum, parasti nouaculam ad delinquendum.

(b) Albaspin. in loc. p. 141. (ad calcem) Pœnitentium capita radebantur, & cinere adspergebantur, itaque quum sacerdotibus pœnitentiam imponerent Donatistæ, eis capita radebant.

(c) Hieron. lib. XIII. in Ezech. c. XLIV. p. 665. edit. Basil. MDLXV. (tom. V. p. 464. edit. Francof.)

que

que & militantium, sed vt honestus habitus sacerdotum facie demonstretur; nec caluitium nouacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, vt rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos, vt operta sit cutis. Fieri non potest, vt vllus sanæ mentis homo sibi persuadeat, christianos sacerdotes tempore HIERONYMI rasum habuisse capitis verticem, quum tam expressis verbis eos non habuisse, & non nisi sacerdotes *Isidis* & *Serapis* ita incessisse, dicat. Moris autem eis erat capita sua tondere, & capillos mediocriter resecare; non propter aliquod huius rei mysterium, sed decentiæ ac grauitatis caussa; vt nec luxuriosorum hominum mores adfectarent, qui longis capillis superbiebant; nec contemtui ac criminationi propter caluitii indecentiam ipsi se obnoxios redderent; sed venerabilem quamdam modestiam vultu habituque suo exprimerent, quæ ratio est, quam antiquæ tonsuræ HIERONYMVS adsignat.

§. XVII.

De corona clericali, & cur clerici vocati fuerint coronati.

Hinc porro concludere possumus, veteres clericos non appellatos fuisse *coronatos* a vertice capitis in coronæ formam raso, vt quidam volunt, siquidem nihil huiusmodi inter eos fuisse, manifestum est: sed potius nomen ipsis datum videtur, vti quidem GOTHOFREDVM [d] & SAVARONEM [e] coniectura ducit, a veteris

(d) Gothofr. com. in cod. Theod. lib. XVI. tit. II. de episc. leg. X & VIII. Cur *coronatorum* appellatione clerici designentur, procliue dictu. Nempe ob ξύρισμα γυροειδές; *corona* scilicet iam hoc tempore insigne clericorum, & exinde clericalis reuerentiæ per *Africam* saltem, mox alibi nomen fuit, sic quidem vt quemadmodum purpuram, quæ principis παράσημον insigne erat, interdum pro principe & principali reuerentia sumebant, ita & *coronam* pro clero & reuerentia clericali acciperent.

(e) Sauaro not. in Sidon. lib. VI. ep. III. ad verba: *Auctoritas coronæ tuæ.* Id est dignitas episcopatus tui. D. Hieronymus Augustino ep. LXXXI. tot. *Precor coronam tuam.* Ennodius Marcellino episcopo: *Quia fiduciæ meæ coronam vestram non ambigo responsuram.* Idem Aureliano: *Sed dormiunt apud coronam tuam propinquitatis priuilegia, priusquam pater esse meruisti.* Idem Symmacho papæ: *Dum sedem apostolicam coronæ vestræ cura moderetur.* Corona episcopalis Valentiniano Aug. nouella de episcopali ordinatione l. VII *de minimis videlicet rebus coronam tuam maximisque considerem*, vbi plura: Interim obseruabis, papas exinde dictos, id est, *coronatos*, si quibusdam fides habeatur, Remigius Antisiodorensis de celebratione missæ, *Papa autem secundum quosdam dicitur admirabilis vel coronatus* cæt. & tonsura clerica & episcopalis corona, Balsamoni synodi VI in Trullo c. XXI. παπαλήθρα dicitur; corona clericalis in pragmatico Constantini ad Syluest. papam. ton-

tonſuræ forma; quæ in figuram circularem facta erat, crinibus paullum de vertice capitis reſectis, & in orbem ſeu circulum inferius cincinatis. Hoc in quibusdam conciliis [f] *circuli corona* dicitur, & catholici eam adhibere iubentur, vt ab hæreticis ſeſe diſtinguant, qui longam comam aluiſſe, atque adeo contraria conſuetudine delectati eſſe videntur. Sed vero non prorſus perſuaſus ſum, hanc nominis *coronatorum* eſſe rationem. Datum eſſe poteſt clericis generatim ex reuerentia quadam in ipſorum officium ac dignitatem, quæ magni ſemper honoris fuit atque exiſtimationis. Nam *corona* ſenſu quodam figurato honorem ac dignitatem ſignificat, nec minus probabile eſt, hoc vocabulum in hoc caſu ita non numquam fuiſſe adhibitum, quemadmodum obſeruatum nobis eſt ſupra [ff], vbi de formula ſalutandi epiſcopos *per coronam* verba fecimus.

§. XVIII.

An clerici veſtitu ſuo ab laicis diſtincti fuerint.

Quod ad genus & rationem veſtimentorum attinet, de aliquot ſæculis minus certum & exploratum habetur, heic vllam aliam diſtinctionem inter ipſos & laicos interceſſiſſe, niſi quod illis magis vti debuerint, quæ modeſta eſſent & animi grauitati ac officio ipſorum accommodata, ad nullum certum cultum vel veſtium formam adſtricti. Nonnulla concilia clericos veſtitum adhibere iubent, ſuo vitæ generi conuenientem; ſed nullam formam exprimunt, nec aliter eum deſcribunt, quam quod ad luxuriam vel adfectatam elegantiam non accedere, ſed potius inter ornatum & ſordes medium tenere debeat. Hoc HIERONYMVS *Nepotianum* [g] monebat, *Veſtes pullas*, inquiens, *æque deuita vt candidas. Ornatus & ſordes pari modo fugiendæ ſunt; quia alterum delicias alterum gloriam redolet.* Sed tamen in diuerſis locis diuerſæ conſuetudines, quantum ad colorem veſtimentorum ipſorum attinet, videntur obtinuiſſe. Nam *Conſtantinopoli* tem-

(*f*) Conc. Tolet. IV. c. XLI. (tom. V. conc. p. 1716.) Omnes clerici, vel lectores, ſicut Leuitæ & ſacerdotes detonſo ſuperius toto capite inferius ſolam *circuli coronam* relinquant: non ſicut huc vſque in Galliæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis vt laici, comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpania huc vſque hæreticorum fuit, cætera.

(*ff*) Lib. II. c. IX. §. V. vol. I. p. 139.

(*g*) Hieron. ep. II. ad Nepotian. (pag. 10. edit. Francof. MDCLXXXIV.)

pore *Chrysostomi* & *Arsacii* clerici catholici plerumque pullis & *Nouatiani* albis vestibus induti incedebant. Quod liquet ex disputatione inter *Sisinnium* episcopum *Nouatianorum* & quemdam de clericis *Arsacii*, de qua loquitur SOCRATES [*h*]. Narrat enim, *Sisinnium*, quum quodam die *Arsacium* honoris caussa inuisisset, a quodam *Arsacii* familiari interrogatum, cur vestem episcopo minime conuenientem gestaret, & vbinam scriptum esset, sacerdotem alba veste indui debere, respondisse: *Tu prior mihi dicas velim, quo in loco scriptum sit, episcopum atra veste vti debere.* Ex quibus facile ad colligendum est, quod eo tempore clericis *Constantinopoli* visitatum fuerit atras gestare vestes, & hoc forte ideo, vt a *Nouatianis* sese distinguerent, qui candidarum vestium vsum adfectasse videntur. Sed nondum hanc materiam in vllo concilio ita speciatim definitam ac præscriptam deprehendimus. Nam concilium *Carthaginense* quartum [*i*] præcipit quidem, vt clerici habitu vtantur, qui vitæ suæ rationi respondeat, sed nihil porro specialius ea de re monet, quam quod nec vestibus nec calceamentis decorem quærere debeant. Et concilium *Agathense* [*k*] prorsus eadem inculcat. BARONIVS [*l*] quidem lectori suo persuadere satagit, episcopos ætate *Cypriani* eodem vestimenti genere vsos, quo nunc vtantur ecclesiæ *Romanæ* cardina-

(*h*) Socrat. lib. VI. c. XXII. Ἄλλοτε δὲ Ἀρσάκιον τὸν ἐπίσκοπον κατὰ τιμὴν ὁρῶν (Σισίννιος) ἠρωτήθη ὑπό τινος τῶν περὶ Ἀρσάκιον, διὰ τί ἀνοίκειον ἐπισκόπῳ ἐσθῆτα φοροίη καὶ ποῦ γέγραπται λευκὰ τὸν ἱερωμένον ἀμφιέννυσθαι· ὁ δὲ, σὺ πρότερον, ἔφη, εἰπὲ, ποῦ γέγραπται μέλαιναν ἐσθῆτα φορεῖν τὸν ἐπίσκοπον.

(*i*) Conc. Carth. IV. c. XLV. (tom. II. conc. p. 1204.) Clericus professionem suam & in habitu Dei & in incessu probet: & nec vestibus nec calceamentis decorem quærat.

(*k*) Conc. Agath. c. XX. (tom. IV. conc. p. 1386.) Vestimenta vel calceamenta etiam eis, nisi quæ religionem deceant, vti vel habere non liceat.

(*l*) Baron. ann. CCLXI. n. XLIV. Cum acta Cypriani passionis habeant, ipsum lacernum birrum complicuisse, & ad genua posuisse, illud fuisse perbreue, ac parui negotii operam egisse demonstrant: nam non sic de tunica eum fecisse, sed diaconis dedisse tradunt. Ex his itaque iam exploratum haberi videtur, episcoporum fuisse antiquum habitum, vt post vestem superinduerent lineam & desuper eam solutam tunicam, ac denique humeros tantum tegens & brachia lacernum birrum: quo genere indumenti hodie videmus vti sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales atque episcopos illos, qui ex regularibus ad eam dignitatem prouecti sunt: Romanum vero pontificem birro absque tunica super lineam, sed serico atque rufo, interdum vero albo pro temporis ratione.

les,

les, atque epiſcopi illi, qui ex monaſterio ad thronum epiſcopalem eue᷑ti ſint; quaſi *Cyprianus* monachus fuiſſet vel eccleſiæ *Romanæ* cardinalis. Sed, docto operum CYPRIANI editore [*m*] obſeruante, *nihil eſt, de quo partium ſtudio addicti ſibi non poſſint perſuadere & etiam ſperare, vt aliis perſuadeant.* An enim credibile eſt, epiſcopos ac presbyteros veſte ſua ſpectabiles in publicum prodiiſſe, eo tempore, quo crudeles chriſtiani nominis perſecutores de perquirendis ac inueſtigandis ipſis atque ad mortem rapiendis maxime fuerunt ſolliciti? Num hoc clerici *Romanæ* eccleſiæ faciunt, quando in regionibus agunt, vbi ſibi metuunt, ne detegantur & capiantur? Sed quid de ſcriptore paſſionis *Cypriani* dicemus, qui *Cypriani* [*n*] *lacernæ* ſiue *birri*, & deinde ipſius *tunicæ*, ſiue *dalmaticæ*, & tandem *lineæ*, in qua paſſus ſit, mentionem facit? De quibus BARONIVS *lineam* epiſcopi indumentum, *italice Rochetto* dictum, & *dalmaticam* ſiue *tunicam* eam veſtem, quam nunc *ſolutam tunicam* vocant, & *lacernam* ſiue *birrum* rufam ac ſericam veſtem, humeros tantum tegentem & brachia, interpretatur. Ad quæ omnia dici certe poteſt, eſſe hæc omnia antiqua nomina rebus nouis indita. Nam præterquam quod abſurdum eſt cogitare, *Cyprianum* ſacra ſeu pontificali ſua tunica, (quam extra eccleſiam geſtari non licebat) indutum ad martyrium iuiſſe, evidenter conſtat, fuiſſe hæc tantum nomina communium veſtium, quibus tum multi chriſtiani ſine diſcrimine vſi ſunt.

§. XIX.

Specialior de birro *&* pallio *narratio.*

De *birro* exploratum eſt, non fuiſſe peculiarem epiſcoporum nec dum clericorum habitum. Epiſcopis peculiarem haud fuiſſe, ex iis apparet, quæ de eo dicit AVGVSTINVS, quod videlicet communis veſtis fuerit, quam vniuerſi eius clerici æque ac ipſe geſtarint; *Offeratur* [*o*] *mihi*, inquit, *birrum pretioſum: forte*

(*m*) Fell. not. in vit. Cyprian. p. 13. edit. Oxon. MDCLXXXII. (p. 15. edit. Amſteldam. MDCC.)

(*n*) Paſſio Cyprian. p. 13. (p. 14. 15.) Cyprianus in agrum Sexti productus eſt, & ipſe ſe *lacerna birri* exſpoliauit, & genu in terra flexit, & in orationem ſe domino proſtrauit. Et cum ſe *dalmatica* (al. tunica) exſpoliaſſet, & diaconibus tradidiſſet, in *linea* ſtetit & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere.

(*o*) Auguſtin. ſerm. L. de diuerſis tom. X. p. 523. edit. Pariſ. MDCXXXVII. (tom. X, ſerm. LIII. ad fratres in eremo p. 1405. edit. Baſil. MDLXIX.)

decet episcopum, quamuis non deceat Augustinum, id est hominem pauperem & de pauperibus natum: Modo dicturi sunt homines, quia inueni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei, vel in illa sæculari professione mea. Non decet. Talem debeo habere, qualem possim, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus & subdiaconus, talem volo accipere. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere soleo: vt quando non potest vestis esse communis, pretium vestis sit commune. Hæc evidentissime docent, *birrum* non fuisse peculiarem & proprium episcoporum habitum sed communem omnium *Augustini* clericorum vestem. Quod autem non nisi communis tunica fuerit, generatim a christianis in *Africa* aliisque locis gestata, ex quodam canone concilii *Gangrensis*, contra *Eustathium* hæreticum eiusque adseclas, qui communi habitu repudiato [p] nouas & insolitas vestes adsumserant, facto apparet. Hic communis habitus erat *birrus* siue βῆρος, quemadmodum dicitur in canone aduersus ipsos statuto & his verbis expresso: *Si quis vir [q] propter eam, quæ existimatur, exercitationem amiculo vtitur, & tamquam habens ex eo iustitiam, eos condemnet, qui cum pietate birros ferunt, & aliis communibus & solitis vestibus vtuntur, sit anathema.* Itaque *birrus* tum communis & ordinaria vestis erat, quam christiani in *Paphlagonia* & istis regionibus promiscue gestabant; & quamuis ascetæ περιβολαίῳ, hoc est, *pallio philosophico* vterentur, clerici tamen istius regionis communi *birro* seu tunica vtebantur. SOZOMENVS [r] enim eamdem historiam commemorans loco

(p) Conc. Gangr. in præfat (tom. II. conc. p. 413. D.) ξένα ἀμφιάσματα ἐπὶ καταπτώσει τῆς κοινότητος τῶν ἀμφιασμάτων συνάγοντες.

(q) Conc Gangr. c. XII. (ibid p. 419.) Εἴ τις ἀνδρῶν διὰ νομιζομένην ἄσκησιν περιβολαίῳ χρῆται, καὶ ὡς ἂν ἐκ τούτου τὴν δικαιοσύνην ἔχων, καταψηφίσοιτο τῶν μετ' εὐλαβείας τοὺς βήρους φερόντων, καὶ τῇ ἄλλῃ κοινῇ καὶ ἐν συνηθείᾳ οὔσῃ ἐσθῆτι κεχρημένων, ἀνάθεμα ἔστω.

(r) Sozom. lib III c. XIV. p. 521. χιτῶνας μὲν συνήθεις καὶ στολὰς μὴ ἀνεχομένους ἀμφιέννυσθαι *tunicas* quidem ac vestitum vulgo ab omnibus vsurpatum indui detrectabant.
Ibid. Ἐντεῦθεν δὲ λόγος, Εὐστάθιον ἐπιδεικνύμενον ὡς οὐκ αὐθαδείας ἕνεκα, ἀλλὰ τῆς κατὰ Θεὸν ἀσκήσεως εἰσηγεῖτο ταῦτα καὶ ἐπιτηδεύοι, ἀμεῖψαι τὴν στολὴν, καὶ παραπλησίως τοῖς ἄλλοις ἱερεῦσι τὰς προόδους ποιήσασθαι. Ex eo tempore aiunt Eustathium, vt ostenderet, se non arrogantiæ caussa sed diuinæ disciplinæ studio ista

βῆρος

βῆρ𝈹 adhibet χιτὼν, quod vocabulum pro *latinorum* tunica notius eſt; Et addit quoque, *Euſtathium* ex eo tempore, quo in ſynodo condemnatus fuiſſet, mutata veſte, eodem, quo cæteros ſacerdotes ſæculares, cultu deinceps in publicum proceſſiſſe. Vnde liquidiſſime euincitur, clericos in iſtis regionibus habitu ſuo a cæteris chriſtianis ſe non diſtinxiſſe, quamuis aſcetæ generatim id fecerint. In eccleſiis *gallicanis* aliquot annis poſt clericos eodem ſæculari habitu cum chriſtianis reliquis vtentes deprehendimus; & quum nonnulli eum mutare & aſceticum ac philoſophicum introducere auderent, CAELESTINVS, epiſcopus *Romanus*, datis ad illos litteris obiurgatoriis, ex ipſis quærebat: [s] *Vnde hic habitus in eccleſiis gallicanis, vt tot annorum, tantorumque pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? diſcernendi a plebe vel cæteris ſumus doctrina, non veſte; conuerſatione non habitu; mentis puritate non cultu.* Obſeruandum tamen eſt, in quibusdam locis aſcetis, ſi eccleſiæ miniſterio eſſent cooptati, veterem ſuum habitum philoſophicum ſine vlla cenſura retinere permiſſum fuiſſe. Ita de *Nepotiano* amico ſuo obſeruat HIERONYMVS [t], quod philoſophicum habitum ſuum, pallium, retinuerit iam conſecratus presbyter, eoque ad diem vſque obitus ſui vſus fuerit. Idem de *Heracla* [u] presbytero *Alexandriæ* adfirmat, ipſum iam presbyterum ſub habitu philoſophi perſeueraſſe; quod etiam ab *Euſebio* ex *Origene* notatum legitur, qui *Heraclam* philoſophiæ ſub *Ammonio* operam nauantem, vulgari veſte depoſita, philoſophicum adſumſiſſe habitum [w], eoque poſtea etiam indutum inter presbyteros *Alexandrinæ* eccleſiæ ſediſſe, dicit. Ad quem locum recte obſeruat VALESIVS [x], nullum etiam tum peculiarem fuiſſe veſtitum clericorum, quandoquidem *Heraclas* philo-

introduxiſſe & exercuiſſe: mutata veſte, eodem quo cæteros ſacerdotes cultu deinceps in publicum proceſſiſſe.

(s) Cæleſtin. ep. II, ad epiſc. Gall. c. I. (tom. II. concil. p. 1619.)

(t) Hieron. epitaph. Nepotian. (p. 6. H. edit. Francof. MDCLXXXIV.) Proiicere *pallium*, manus extendere, vid re quod alii non videbant. -- Intelligere illum non emori, ſed emigrare, & mutare amicos, non relinquere.

(u) Hieron. de ſcriptor. c. LIV. Heraclam presbyterum, *qui ſub habitu philoſophi perſeuerabat*, cætera.

(w) Orig. ap. Euſeb. lib. VI, c. XIX. Πρότερον κοινῇ ἐσθῆτι χρώμενος ἀποδυσάμενος καὶ φιλόσοφον ἀναλαβὼν σχῆμα μέχρι τοῦ δεῦρο τηρεῖ

(x) Valeſ. not. in loc.

losophicum pallium ſemper retinuerit, quod aſcetarum notus erat veſtitus, ſed adhuc raro inter clericos adhibitus, qui generatim communi veſte vtebantur, ſi ab illis, qui ex iſtiusmodi philoſophis & aſcetis inter eos recepti fuerunt, diſceſſeris. Heic enim illud tamquam rarum & ſingulare quid in *Heracla* adnotatum videmus. Sed in poſterioribus ſæculis, vbi clerici præcipue ex monachis & aſcetis electi, habitus philoſophicus gradatim vna cum ipſis introductus fuit atque inualuit, donec tandem in vſitatiſſimum clericorum quorumcumque veſtitum abiit. Hoc autem non niſi ſæculo quinto vel ſexto factum eſt, quemadmodum ex iis, quæ de hoc argumento antea diximus, colligi poteſt.

§. XX.

De colobio, dalmatica, caracalla, hemiphorio *&* linea.

Sed forte quispiam ſibi perſuaſerit, clericos diſtincto ſemper veſtitu vſos fuiſſe, quod nonnulli vetuſti auctores *colobii*, tamquam veſtis ab epiſcopis & presbyteris primis temporibus geſtatæ, mentionem iniiciant. Nam EPIPHANIVS [y] de *Ario*, dum presbyter *Alexandrinæ* eſſet eccleſiæ, loquens *hemiphorium* & *colobium* ſemper ipſum geſtaſſe dicit. Et PIVS epiſcopus *Romanus*, in epiſtola ſua ad *Iuſtum* epiſcopum *Viennenſem*, (quæ a multis pro genuina habetur,) de *Iuſto* [z], tamquam qui *colobio* veſtitus fuerit, loquitur. Sed hoc nihil niſi tunica erat, cuius duo erant genera, *dalmatica* & *colobium*, quæ hac tantum ratione differebant, vt *colobium* eſſet tunica curta, ſine longioribus manicis, ita vocatum a κολοβὸς *curtus*; *dalmatica* autem eſſet *tunica manicata & talaris*: vtraque apud *Romanos* in vſu erat, quamquam *colobium* communior, antiquior & honoratior veſtis erat, vti ex TVLLIO conſtat, qui milites *Catalinæ* [a] deridebat, quod *manicatis & ta-*

(y) Epiphan. hæreſ. LXIX. n. 3. *ἡμιφόριον γὰρ ὁ τοιοῦτος ἀεὶ καὶ κολοβίωνα ἐνδιδυσκόμενος, γλυκὺς ἦν τῇ προσηγορίᾳ, πείθων ἀεὶ ψυχὰς καὶ θωπεύων. Hemiphorium & colobium indutus* in colloquiis ac ſalutationibus blandus erat in primis, atque omnium animos adulationum illecebris deuinctos tenebat.

(z) Pius ep. IV. ad Iuſt. Vienn. (tom. I. conc. p. 577.) Tu vero apud ſenatoriam vrbem Viennenſem eius loco a fratribus conſtitutus & *colobio* epiſcoporum *veſtitus*, vide, vt miniſterium quod accepiſti, in domino impleas.

(a) Cic. orat. II. in Catilin. n. XXII. Poſtremum genus eſt, non ſolum numero, ve-

laribus

laribus tunicis amicti essent: quum tamen veteres *Romani colobia*, siue vestes breues sine longis manicis, gestare solerent; vti SERVIVS [b] & post eum HIERONYMVS [c] ex hoc TVLLII loco obseruant. Vt adeo quum episcopus vel presbyter aliquis *colobium* gestasse dicitur (vbi nomen difficile explanatur,) non nisi vsitatam *Romanam* vestem gestasse intelligendus sit. Id quod e lege quadam *Theodosii magni* manifestum est, quæ de habitu, senatoribus intra vrbem *Constantinopolin* permisso, agit, ipsisque chlamydis siue militaris vestis vsu interdicit, *colobiorum* autem & [d] *penularum* vsum, quod essent ciuilis habitus & vestimenta pacis, indulget. *Dalmatica*, siue vt alias vocatur, χειρόδοτος, seu *tunica manicata*, rarius a *Romanis* adhibebatur. LAMPRIDIVS [e] enim tamquam rem singularem in vita *Commodi* imperatoris notat, quod *dalmaticus* in publicum processerit, quod in *Heliogabalo* [f] pariter reprehendit, vti *Tullius* ante in *Catalina* fecerat. Atque hoc idoneum argumentum est ad probandum, quod huius æui clerici *dalmatica* publice haud vsi fuerint, quandoquidem haud communis *Romanorum* vestis fuit. Et certe viri cuiusdam docti [g] coniectura bo-

rum etiam genere ipso atque vita, quod proprium est Catalinæ, de eius delectu, immo vero de complexu eius ac sinu: quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videris, *manicatis & talaribus tunicis*, velis amictos non togis.

(b) Seruius in Virgil. lib. IX. Aeneid. v. 616. Et *tunicæ manicas*, & habent redimicula mitræ: vbi sic commentatur: Tunicæ vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat, dicens, *manicatis & talaribus tunicis*. Nam colobiis vtebantur antiqui.

(c) Hieron. quæst. hebr. in Genes. XXXVII, 32. tom. III. p. 222. edit. Basil. MDCLXV. (p. 145. F. edit. Francof. MDCLXXXIV.) Pro varia tunica, Aquila interpretatus est tunicam ἀστραγάλειον: id est tunicam talarem. Symmachus, *tunicam manicatam*: siue quod ad talos vsque descenderet & manibus artificis mira esset varietate distincta: siue quod haberet manicas, *antiqui* enim magis *colobiis* vtebantur.

(d) Cod. Theod. lib. XIV. tit. X. de habitu, quo vti oportet intra vrbem leg. I. Nullus senatorum habitum sibi vindicet militarem, sed chlamydis terrore deposito, quieta *colobiorum* ac *penularum* induat vestimenta.

(e) Lamprid. vit. Commod. p. 139. *Dalmaticus* in publico processit.

(f) Id. vit. Heliogab. p. 317. *Dalmaticus* in publico post cœnam sæpe visus est.

(g) Fell. not. in vit. Cypr. p. 13. (p. 15. edit. Amstelod.) Obesæ prorsus est naris, qui in his, quæ sequuntur, librariorum interpolationes, sæculis & ingeniis suis dignas, non deprehenderit. Illi quidem cum tunicam dignitati episcopali non satis respondere crediderant, officiosissimi homines, *dalmaticam subministrabant*.

no

no fundamento nititur, exiſtimantis, in vita *Cypriani*, vbi vetuſta exempla habent *tunicam tulit*, recentiores quosdam librarios vocabulum *tunicam* in *dalmaticam* mutaſſe, vtpote linguæ ac conſuetudini ſui temporis, vbi dalmatica ſacris eccleſiæ veſtimentis adnumerata fuit, magis conſentaneum, licet illud in nullo antiquo auctore hoc ſenſu adhibitum deprehendamus. *Caracalla*, quam nunc non nulli tunicam ſacerdotalem vocant, origine veſtis erat *gallicana*, quam *Antonius Baſſianus*, *Lugduni Galliæ* natus, primus inter populum *Romanum* introduxit, inde *Caracallæ* nomen adeptus, quemadmodum AVRELIVS VICTOR [*h*] tradit. Veſtis prolixa erat ad talos vſque demiſſa, qua populus *Romanus*, teſte VICTORE, indutus eſſe debebat, quum ad ſalutandum imperatorem introiret. An vero iſthoc tempore etiam clericalis veſtitus fuerit, de eo quidem dubitari poteſt, quandoquidem nullus antiquus ſcriptor de eo vt tali loquitur. Quod ſi autem fuit, non peculiaris tamen clericorum habitus fuit, quia SPARTIANVS [*i*], qui *Conſtantini* ætate vixit, *caracallas* a communi plebe *Romana* tum geſtatas, & ab earum auctore *caracallas Antoninianas* dictas fuiſſe, perhibet. Ἡμιφόριον, *hemiphorium*, quod cum *colobio* coniungit EPIPHANIVS, vel aliud eiusdem veſtimenti nomen, vel ei ſimile fuit: ſignificat enim *curtam tunicam*, vt PETAVIVS [*k*]

(*h*) Vict. epit. vit. Caracallæ. Cum e Gallia veſtem plurimam deuexiſſet, *talaresque caracallas* feciſſet, coegiſſetque plebem ad ſe ſalutandum indutam talibus introire, de nomine huius veſtis, *Caracalla* cognominatus eſt.

(*i*) Spartian. vit. Caracall. p. 251. Ipſe *Caracallæ* nomen accepit a veſtimento, quod populo dederat, demiſſo vſque ad talos, quod ante non fuerat; vnde hodieque *Antonianæ dicuntur caracallæ* huiusmodi in vſu maxime Romanæ plebis frequentatæ.

(*k*) Petau. not. in Epiphan. hær. LXIX n. III. Ἡμιφόριον idem eſt quod Heſychio ac Suidæ ἡμιφάριον, hoc eſt ἥμισυ ἱματίυ. Palladius in hiſtoria Lauſiaca, quem citat Meurſius: πάντα αὐτῆς (de Melania iuniore) τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο. Vtraque voce dimidiata veſtis exprimitur. Colobium *curtam tunicam* interpretari poſſis. Proprie quidem quæ manicis careat, ac decurtata ſit. De qua non nihil ad Themiſtium diximus. Sed non minus apte ſic appellari videtur, quod non vltra pectus atque humeros pateret, quaſi dimidiatum eſſet pallinm. Siquidem κολοβιῶνα latum clauum nominari cenſet Acro; cui reſpondere dicit indumentum illud ex purpura, quod a ceruice ad pectus extentum geſtabant principes. Ergo propterea κολόβιον & ἡμιφόριον vocatum eſt, quia iuſtæ veſtis more nequaquam extendebatur. Aliud eſt ὠμοφόριον epiſcoporum, de quo Germanus Conſtantinopolitanus.

Suicer. theſ. eccleſ. tom. I. p. 1334. Ἡμιφόριον ſignificat *dimidiatam veſtem*: nam

& alii

& alii critici id interpretantur; ἥμισυ ἱματίας, siue *dimidium pallium*, quod ante datæ *colobii* descriptioni respondet. Quod ad *lineam* attinet, cuius in vita *Cypriani* fit mentio, & quam BARONIVS antiquum episcoporum habitum fuisse dicit, nihil nisi vulgaris vestis e linis confecta videtur fuisse, licet ignoremus, quo alio nomine nuncupari debeat. BARONIVS [*l*] de linea interula, siue indusio non intelligi debere lepide statuit, adeoque lineum indumentum, *italice* dictum *rochetto*, fuisse concludit; quod eiusmodi argumentum est, quod lectori risum excitat, sed animum eius ad adsensum præbendum non magnopere vrget; attamen tam bonum est quam vllum aliud, quod adfert, episcopos ætate *Cypriani* vestitu ab aliis distincto in publicum processisse, probaturus. Clericos peculiaribus vestibus, quum sacris operarentur, vsos fuisse, saltem sæculo quarto ineunte, non negamus, sed suo loco probabimus & demonstrabimus: sed vllam eiusmodi distinctionem extra sacra in reliquis ipsorum vestimentis eo tempore obseruatam fuisse, id quidem ex hactenus dictis non liquet, sed contrarium

---

φόρεμα græcis recentioribus, vt ex Vlachi thesauro constat, *vestem* notat: Epiphanius contra Ariomanitas seu hæresi LXIX. Ἡμιφόριον γὰρ ὁ τοιοῦτος ἀεὶ καὶ κολόβιον ἐνδιδυσκόμενος γλυκὺς ἦν τῇ προσηγορίᾳ, *Hic enim semper erat indutus hemiphorio & colobio & affabilis erat.* Palladius hist. Laus. in Melania iuniore p. 148 Πάντα αὐτῆς τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο. *Omnia sua serica hemiphoria, amicula altaribus dedit.* Hesychius & Suidas scribunt ἡμιφάριον, & interpretantur, ἥμισυ ἱματίου, *dimidium vestis, dimidiata vestis.* Cl. Meursius hanc quoque lectionem probat, quia φάρος vestem significet Hesychius φάρη, ἱμάτια. *Vestimenta.* Item, φάρος, ἱμάτιον, περιβόλαιον *Vestis, amiculum.* ita etiam Suidas, & Etymolog. M.

(*l*) Baron ann. CCLXI. n. XL. Ex iis adeo certis antiquitatis ecclesiasticæ monumentis, qualis esse soleret episcoporum habitus, probe possumus intelligere. Sed illud primum de *tunica linea*, qua, cæteris vestibus exspoliatus, ictum gladii excepturus remansit indutus, exacte considerandum. Ex iis enim, quæ ex dictis actis sunt superius notata, *neminem* certe *puto adeo obtusum ingenio, vt* cum ipsa dicant, Cyprianum exutum birro atque tunica remansisse in linea, *existimet de linea interula intelligendum*, quæ super nudum indui consueuit: non enim decebat sacerdotalem decorem, Cyprianum ad interulam vsque denudari, cum præsertim ad hoc non cogeret magistratus, nec carnificina functio postularet, quid enim opus erat ad capitis obtruncationem, ad subuculam vsque exui, quum præsertim nullum ea de re exstet exemplum? Sic igitur *nihil aliud est, quod dici possit, nisi lineam illam Cypriani commune illud omnibus episcopis lineum indumentum fuisse, quod ephod alii dicunt, italice vero* rochetto.

potius euincitur. Lectorem hæc moneri necesse fuit, quod nonnulli ea imprudenter confundunt, & argumenta pro vel contra hoc vel illud adlegant, quæ tamen diuersam admodum admittunt considerationem.

LIBRI SEXTI
CAPVT QVINTVM
OBSERVATIONES QVAEDAM AD HACTENVS DICTA. CONCLVSIO CVM ADLOCVTIONE AD CLERVM PRAESENTIS ECCLESIAE.

§. I.

Obseruatio prima: *Non omnes leges & regulas veteris ecclesiæ a præsenti ecclesia eiusque clericis obseruari, necesse est.*

QVando hactenus præcipuas veterum leges & regulas, quæ ad electionem, qualitates, officia & generaliora munia primitiuorum clericorum spectant, considerauimus, eaque omnia vno quasi obtutu conspicienda exhibuimus, specialiorum officiorum consideratione ad locum cuiusque proprium reseruata: hanc huius nostræ dissertationis partem, subiunctis paucis quibusdam, iisque necessariis & ad praxin cleri præsentis ecclesiæ spectantibus, monitis finiemus. Atque heic *primum* ante omnia obseruandum fuerit, non omnes veteris ecclesiæ leges ac regulas hodiernos clericos obligare, nisi quatenus res in se necessarias complectantur, vel inter regulas ac canones, a præsenti ecclesia receptos ac auctoritate munitos, adoptatæ sint. Non nullæ enim leges ex specialioribus rationibus, statui ac conditioni ecclesiæ istorum temporum peculiaribus ac propriis, latæ fuerunt. Et sane non absurdum tantum sed etiam impossibile foret, homines ad istarum omnium legum obsequium ac obseruantiam redigere, rationibus earum cessantibus ecclesiæque circumstantiis tantopere mutatis. Aliæ leges ab ecclesiis particularibus pro se ipsis solis factæ fuerunt, quæ alias ecclesias numquam obligare potuerunt, nisi ab ipsis libere receptæ, vel eis auctoritate generalis cuiusdam concilii, in quo ipsæmet repræsentatæ & consensum suum tacite testatæ fuerant, impositæ. Multo minus nunc absolute & simpliciter ecclesias tanto seculorum

lorum interuallo disiunctas, obligare possunt; quandoquidem vnaquæque ecclesia leges de rebus mutabilis naturæ sibi ipsi ferendi potestatem habet, nullis alius cuiusdam ecclesiæ legibus adstricta. Neque consequenter vlla istiusmodi ecclesiæ membra istarum regularum obseruatione tenentur, nisi renouatæ & valore instructæ fuerint ab ea ecclesia, cuius membra sunt. Et hoc ecclesiæ catholicæ sensui ac praxi conuenit; quod heic obseruari necesse est, ne quis de huius nostræ dissertationis scopo perperam iudicet, ac si eo spectet, vt, quamcumque regulam heic memorauimus, ea necessaria fiat & vim obligandi accipiat; vel vt præsentem ecclesiam reprehendat, quod non in omnibus rebus modo vetustæ praxi conueniente agat: Id quod fieri nequit, nisi omnes casus & circumstantias in omnibus sæculis easdem efficiamus.

§. II.

Obseruatio secunda: *Quædam veteris ecclesiæ regulæ præstantissimum vsum habituræ essent, si iusta & legitima auctoritate reuiuiscerent.*

Deinde autem, hoc non obstante, sine cuiuspiam offensione libertatem obseruandi mihi me posse sumere, existimo, quod nonnullæ veteris ecclesiæ regulæ præstantissimum vsum habituræ essent, si iusta ac legitima auctoritate in præsenti ecclesia reuiuiscerent. Quid, quæso, si legem haberemus, *Iustinianeæ* isti in lege ciuili consentaneam, qua quilibet patronus, vel quicumque clericum aliquem eligerent & præsentarent, iureiurando adseuerare tenerentur, quod neque propter aliquam donationem, nec promissionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet caussam, sed scientes eum rectæ & catholicæ fidei & honestæ esse vitæ & litteras nosse, eum elegissent? Nonne foret hoc egregium aliquod præsentium legum contra pactiones *simoniacas* additamentum? Quid, si antiquorum chorepiscoporum ordo in amplioribus diœcesibus restitueretur? Si coadiutores episcopis infirmitate laborantibus vel senectute confectis darentur? Nonne hi magni vsus forent, vti ad multas res alias ita præcipue ad exercendam disciplinam, & ad facilius ac constantius peragendum excellentissimum confirmationis officium? Prudens lector hanc obseruationem de multis aliis exemplis facere ipse poterit, quæ heic a me suppeditari necesse non est, sed poti-

us prætermittuntur, quod tantum historici antiquæ ecclesiæ partes ago; aliis, quorum id est officii, relinquens, vt pro hodierna ecclesia leges sanciant, si quid heic suggestum fuerit, quod pro sua sapientia ac prudentia materiam legum, in maius beneficium & incrementum ipsius, facere se posse, existiment.

§. III.

Obseruatio tertia: *Ad quasdam antiquæ ecclesiæ leges sese conformare possent clerici, licet non sint præsentis ecclesiæ leges.*

Porro obseruari potest, obtinuisse quasdam leges in antiqua ecclesia, ad quas, licet non sint statutæ leges præsentis ecclesiæ, clerici tamen innocentissime se conformare possent; & forsan honori & incremento ipsorum foret, si sponte sua ad eas se conformarent, quandoquidem nulla lex habetur, quæ illud vetet. Exemplum in vno istiusmodi casu dabimus. Erat lex quædam veteris ecclesiæ, vti supra ostendimus [a], qua clerici omnes controuersias ciuiles, quas alii cum aliis habebant, inter se mutuo dirimere, nec ad sæcularem aliquem iudicem adire, iubebantur, nisi ipsis lis esset cum homine quopiam laico. Iam vero licet nulla talis lex in hodierna ecclesia reperiatur, neque tamen vlla est, quæ impediat, quo minus clerici episcopos suos arbitros eligant, & sponte sua omnes caussas suas ad ipsos, vel alios quosdam iudices referant, de quibus inter ipsos conuenisset; quam finiendi controuersias rationem christianos homines decentissimam esse, fatendum est. Vnde etiam, vt ostendimus, in ecclesia primitiua ab laicis frequentissime adhibita fuit, quippe qui episcopos suos, sponte facto compromisso, arbitros eligebant, ad inhærendum eorum sententiæ semetipsos obligantes. Quod igitur in laicis adeo commendabile fuit, in clericis multo honestius eorumque grauitati ac dignitati conuenientius sit, necesse est; vt ne alia emolumenta memorem, quæ ex hac controuersias dirimendi via potius, quam ex vlla alia, possent exsistere. Ex hoc vnico exemplo facile erit ad iudicandum, quatenus iustum honestumque fuerit clericis, veterum clericorum praxin in aliis similibus casibus imitari.

(a) Lib. V, c. I. §. IV, pag. 207.

§. IV.

§. IV.

Obſeruatio quarta: *De magnorum exemplorum vi ac efficacitate, & de legibus perpetuæ obligationis.*

Vltima obſeruatio, quam in præſentem diſſertationem noſtram faciendam duximus, ad iſtas eccleſiæ veteris leges attinet, quas neceſſarias eſſe & perpetuo obligare, fatendum eſt. Cuiusmodi ſunt pleræque, quas ſecundo ac tertio huius libri capite recenſuimus, de vita & officiis clericorum præcipientes. Quibus omnium eccleſiarum clerici perpetuo tenentur, quum iſtarum legum materia abſolutæ & ſempiternæ ſit obligationis, nec vllum vmquam ab earum obſequio immunem eſſe ſinat. Veterum igitur praxis in conformando ſeſe ad iſtiusmodi leges continua admonitio, ipſorumque exemplum acris clericorum omnium ætatum imitatio futura eſt. Nihil eſt, quod animos noſtros plerumque magis moueat atque adficiat, quam magna & nobilia aliorum exempla. Hæc ſimul iucunde inſtituunt & ad explendas officii noſtri partes potenter nos excitant. Hæc fieri poſſe oſtendunt, vt iſtæ regulæ obſeruentur, quippe quas a mortalibus, iisdem quibus nos adfectionibus obnoxiis, iam obſeruatas exhibent. Hæc animi noſtri magnitudinem ſancta quadam contagione inflammare & nos ad nobiles actiones, æmulationem noſtram prouocando, ſuſcitare poſſunt. Hæc inopinantes nos in laudabilium operum exercitium, noſtras a propoſitis nobis exemplis aberrationes exprobrando atque reprehendendo, deducunt. Hæc modeſtiam noſtram adficiunt & in zelum conuertunt. Hæc diuerſas noſtras neceſſariasque adfectiones commouent, nosque ad agendum opus noſtrum, has innatas nobis æmulationis ſcintillas & inſita ſollertiæ incitamenta excitando, inſtigant. Quare, quum alii editis in lucem publicam de officio & cura paſtorali perſpicuis regulis & inſtitutionibus eccleſiæ non inutilem operam præſtiterunt, ego veterum exempla ipſorum regulis addidi, quo eo melius nos excitarem, vt ipſorum veſtigiis inſiſtamus, quæ aptiſſimorum ad inſtituendum commouendumque exemplorum beneficio ſignata nobis ſunt atque expreſſa. Quis, quæſo, eximiam illam defenſionem ac reſponſionem, qua aduerſus præfectum *Arianum* vſus eſt BASILIVS [b], legere poteſt, quin veritatis ſimili occaſione defendendæ ſtu-

(b) Vid. lib. VI. c. III. §. X. pag. 371.

dio quodammodo incendatur? Quam audens & magnanimus, non obstantibus ipsis maleuolorum & improborum calumniis, ad decertandum pro fide reddetur is, qui legerit [c], quam absurdis contumeliis conuiciisque onerati fuerint ATHANASIVS & BASILIVS, maxima illa ecclesiæ lumina & mortalium optimi, ideo quod in caussa religionis contra hæresin *Arianam* dimicarint. Contra ea quam pacificus, quam candidus, quam ingenuus & prudens efficietur in componendis minus necessariis controuersiis, quæ inter catholicos in ecclesia ortæ fuerint, qui magnum illud candoris & studii pacis exemplum semper ob oculos sibi propositum habuerit, quod NAZIANZENVS [d] in persona describit ATHANASII, qui pro sua prudentia duas partes e catholicis inter se contendentes conciliauit, qui propter paucas syllabas & altercationem de meris verbis ecclesiam propemodum discidissent? Vt vnum tantummodo adhuc addam: Quis est, qui quum magnum illud caritatis ac abnegationis sui exemplum in patribus *Africanis* tempore collationis *Carthaginensis* [e] legerit, & considerauerit, quam forti & promto animo priuatam vtilitatem suam propter bonum, pacem & vnitatem ecclesiæ neglexerint, non eodem nobilissimo spiritu & flagranti amore Christi aliquantum adficetur? quod ipsum ei animum addet ad quiduis ecclesiæ bono libentissime vel faciendum vel sufferendum, priuatumque suum commodum publicæ vtilitati deuouendum; quandoquidem cum sanctis istis patribus, se propter ecclesiam, non ecclesiam propter se, factum esse, persuasissimum habet? Quemadmodum hoc maximam salutis consecutionem ecclesiæ adfert, si has similesque virtutes ac dona gratiæ clericorum suorum mentibus impressit: ita inter alia adminicula, quæ ad finem istum obtinendum adhiberi possunt, nullum forsan huic effectui accommodatius est, quam si istæ virtutes per validam quamdam eiusmodi illustrium exemplorum incitationem commendentur. Et qui tales virtutis imagines publico conspectui exhibet, ei ad minimum ista defensione vtendi venia indulgeri poterit, qua visus est olim SVLPICIVS SEVERVS [f];

(c) Lib. VI. c. III. §. X. p 373.

(d) Vid. c. III. §. IX. pag. 368.

(e) Vid. cap. IV. §. II. pag. 386.

(f) Seuer. vit. S. Martin. in prologo.

quod

quod vitam *Martini* scripsisset: *Etsi ipsi non viximus, vt aliis exemplo esse possimus: dedimus tamen operam, ne illi laterent, qui essent imitandi.*

§. V.

Specialiores quædam regulæ obseruandæ commendantur. **Primum** *quidem ex, quæ ad antiquam homines in ministerium ecclesiæ educandi methodum spectant.*

Verum enim vero dum in commendandis veterum exemplis ita sedulus sum, committendum mihi non est, vt quasdam ex præstantissimis ipsorum regulis inculcare negligam. Cuiusmodi sunt ipsorum leges de educandis adolescentibus in vsum ministerii ecclesiastici sub magistro disciplinæ, cuius negotium erat, mores & vitam eorum formare, & ipsos eiusmodi studiis & exercitationibus adsuefacere, quibus ad superiora officia ac ministeria in ecclesia præparari & apprime idonei reddi possent. Quæ iuuentutem educandi methodus quum iam, erectis academiis ac ludis litterariis, mutata sit, ad quos hæc cura deuoluta est, illi in eam cogitationem omnino debent incumbere, vt idem finis nihilo secius obtineatur, hoc est, vt omnes iuuenes, ad sacrum quoddam munus adspirantes, tam in studiis suis quam moribus recte erudiantur, vt ad arduum opus suum & varias futuri muneris partes idonei fiant. Et tanto maiorem hac in re curam ab illis adhiberi necesse est, quia episcopi hoc æuo specialem istam morum ac vitæ istiusmodi hominum notitiam habere non possunt, quam olim habuerunt, quum in ipsorum oculis educarentur, eorumque inspectioni subessent. Iam vero, quod ad hanc studiorum ac vitæ ipsorum partem attinet, primum a cura & deinde a testimonio eorum dependere debent, quibus educatio ipsorum commissa est. At enim vero recentior quidam præstantissimus auctor [g], qui in fontes corrupti hodiernorum christianorum status inquirit, vbi de officio pastorali deque ordinariis homines ad illud educandi viis loquitur, duplicem de modo educationis in multis *Europæ* academiis

(g) Osterwald's *causes of the corruption of christians*, part. 2. chap. 3. p. 333. edit. Anglic. p. 127. Edit. gallic. a la Haye MDCCXXI. vbi verba ita habent: A l'egard des moeurs la jeunesse y vit dans le déréglement: elle y est abandonnée à sa propre conduite. les soins des Maitres & des Professeurs ne s'entendent pas jusqu' à regler les moeurs de leurs disciples. Ce desordre va si loin, que dans

demiis vſitato, habet querimoniam. Primum quidem ad mores quod attinet, queritur, quod iuuenes illic viuant iuſto liberius & ſuis ipſorum conſiliis & arbitrio relicti effrænatos & diſſolutos ſe profiteantur atque oſtentent. Quid, quod non tantum ibi licenter viuant, ſed priuilegia etiam habeant, quæ ipſis ius indulgeant omnis generis petulantiam & belluina facinora cum publica hominum offenſione impune perpetrandi, ipſosque magiſtratus iurisdictioni eximant. Iam vero iſtæ vniuerſitates, ad quas hæc ſpectat accuſatio (cuiusmodi Dei beneficio noſtræ *Anglicanæ* non ſunt) maximam cauſſam habent conſiderandi, quovsque a priſco illo exemplari aberrauerint, & quantum inter antiquam illam educandi rationem ſub inſpectione epiſcopi & gubernatione magiſtri diſciplinæ in vnaquaque eccleſia & inter iſtarum academiarum methodum interſit,ᵉ in quibus, ſi vir ille doctus vera narrat, „cura magiſtrorum ac profeſſorum ad for„mandos diſcipulorum ſuorum mores non extenditur.„ Altera ipſius querimonia ad ſtudia, quæ in academiis continuantur, attinet, in quibus duo deſiderat. „Theologia, inquit, heic tra„ctatur & ſacra ſcriptura explanatur methodo quadam ſchola„ſtica & mere ſpeculatiua. Loci communes leguntur repleti „terminis ſcholaſticis & quæſtionibus minus neceſſariis. Doce„tur iuuentus præcipue de quauis materia diſputare & vniuer„ſam religionem reuocare in controuerſias. Hæc methodus iu„venes corrumpit, illisque intricatas falſasque dat de theologia „ideas.„ Alterum, quod deſiderat, magis eſſentiale eſſe exiſtimat: f „Non datur opera in academiis, vt iuuenes, qui eccleſiæ

plusieurs Universités de l'Europe, les Ecoliers & les Etudians font une ouverte profession de libertinage. Non seulement ils y vivent dans la licence, mais ils ont des priviléges, qui leur donne le droit de commettre impunement toutes sortes d'insolences, de brutalitez & de scandales & qui les exemptent de la jurisdiction de Magistrat. Pag. 128 La theologie y est traitee, & l'Ecriture sainte y est expliquée d'une maniere scholastique, & toute speculative. On y lit des lieux communs, remplis des termes d'Ecòle, & de questions peu nécessaires. On y apprend proprement à disputer sur tout, & à reduire toute la Religion en controverses. Cette methode perd les jeunes gens; elle leur donne des idées embarassées & même fausses, de la theologie. P. 120. L'autre defaut est plus essentiel. On n'a pas soin dans les Académies, d'apprendre aux jeunes gens, qui se consacrent au service de l'Eglise, diverses choses dont la counoissance leur seroit tout-à-fait nécessaire. L'Etude de l'Histoire & de l'Antiquité Ecclesiastique y est negligee. - - On n'enseigne pas morale dans les Ecòles de Theologie, si

mini-

„miniſterio ſe conſecrant, diuerſas res doceantur, quarum co-„gnitio maxime neceſſaria eis eſſet. Hiſtoriæ & antiquitatis ec-„cleſiaſticæ ſtudium ibi negligitur. Theologia moralis in ſcho-„lis theologorum non niſi ieiuna & ſcholaſtica ratione doce-„tur ; & in multis academiis omnino nihil de ea traditur. Ra-„ro de diſciplina ibi quidquam dici, audias. Pauca vel nulla „monita de ratione gerendi curam paſtoralem & gubernandi „eccleſiam ſuggeruntur. Ita vt plurimi eorum, quibus hoc of-„ficium demandatur, illud auſpicentur, neſcientes, in quo illud „conſiſtat: neque vllam aliam huius rei ideam habeant, quam „quod ſit eiusmodi prouincia, quæ ipſos ad habendas conciones „& textus ſacros explanandos obliget.„ Perſuadere mihi non poſſum, ad omnes vniuerſitates hanc accuſationem æqualiter pertinere, neque inquiram, quatenus ea ad earum vllam ſpectet, ſed ſolum dicam, quod vitia, de quibus heic ſit querimonia, in methodis educandi iuuentutem, in eccleſia primitiua adhibitis, rarius deprehenſa fuerint; vbi, ſicut oſtendimus, præcipua hominum miniſterio eccleſiæ deſtinatorum ſtudia, & ante & poſt eorum ordinationem, eiusmodi erant, quæ ad eos in neceſſariis functionis ſuæ officiis ac partibus erudiendos directe ſpectabant. Magna diligentia id agebatur, vt homines ad ſollicitum & practicum ſcripturarum ſtudium obligarentur, & vt ſibi ipſis hiſtoriam, leges ac diſciplinam eccleſiæ notas redderent, quarum cognitione atque exercitatione periti fierent omnium artium curandi animas hominesque pios ac ſanctos efficiendi, id quod ſpiritualium medicorum negotium eſt, & tota muneris paſtoralis ratio. Qua igitur in re eorum regulæ atque exempla omnibus eccleſiis imitanda aptiſſime proponi poſſunt.

---

ce n'eſt d'une maniere ſupeficielle & ſcholaſtique; & en pluſieurs Academies, on ne l'enſeigne point du tout. On y parle rarement de la diſcipline. On n'y donne que peu ou point d'inſtructions ſur la maniere d'exercer la charge de paſteur & de gouverner l'Egliſe. Tellement que le plus grand nombre de ceux qui ſont admis à cette charge, y entrent ſans ſavoir en quoi elle conſiſte, & n'en ont point d'autre idee, que comme d'une profeſſion, qui oblige à précher & à expliquer des textes.

§. VI.

Secundo: *Ipsorum regulæ de examinandis candidatorum ministerii qualitatibus.*

Aliæ quædam regulæ, diligenti meditatione ac consideratione dignæ, istæ sunt, quæ de examine candidatorum ministerii instituendo præcipiunt. In hisce enim eiusmodi methodus præscripta & talis cautio adhibita erat, vt fieri vix posset, vt quis a necessariis dotibus bonisque moribus haud instructus ad functionem aliquam ecclesiasticam admitteretur, nisi episcopus aliquis & vniuersa ecclesia concordem quasi operam ad hominem indignum eligendum conferrent, qui casus rarissime exsistebat. Singularis vtilitatis res erat in ecclesia primitiua, quod per leges ipsius ordinarie nullos ministerio initiari liceret, nisi in ea ecclesia, in qua noti erant; ita vt in eorum mores & viuendi rationem accuratissime inquiri, nec vllus flagitiosus ordinari posset, si vel episcopo vel ecclesiæ eum reiicere esset animus. Iam vero licet hæc regula in præsenti ecclesiæ statu obseruari haud possit, præcipuæ tamen eius intentioni alia quadam ratione fieri satis absolute oportet, alioquin ecclesia detrimentum accipiat, & ab ecclesiæ antiquæ puritate, omnium sacratissimas dignitates hominibus male moratis ac indignis conferendo, immensum aberret, necesse est. Vnica ratio, qua per præsentes ecclesiæ circumstantias cautioni, primis temporibus adhibitæ, responderi licet, ea est, vt episcopus de cognita candidatorum probitate ac integritate vitæ istiusmodi testimoniis, quibus tuto fidere possit, certior reddatur. Heic igitur vnusquisque, me nullo monente, facile videt, quod ad præsentem ecclesiam puritati & excellentiæ veteris ecclesiæ restituendam summa cautione hac in re opus sit, vt ne testimonia in tam arduo negotio promiscue omnibus, nec vlli, nisi de rebus, de quibus ea fiunt, perspectum & exploratum habeatur, dentur. Alias aliorum hominum peccata participamus & a Dei gloria ipsiusque ecclesiæ bono promouendo longe absumus, quum a studio & cura, in priscis exemplis nobis commonstrata, tantum deflectamus.

Altera examinis candidatorum pars, quæ ad ipsorum eruditionem ac naturæ dotes spectabat, non minori studio ac diligentia instituebatur. Præcipua inquisitio erat, num in sensu ac

cogni-

cognitione ſacrarum ſcripturarum bene eſſent verſati; Num religionis fundamenta, neceſſarias euangelii doctrinas, & regulas morum in lege Dei nobis traditas, probe & recte intelligerent; Num hiſtoriam, leges ac diſciplinam eccleſiæ cognitam haberent & perſpectam; Et num non minus ad gubernandum apti quam ad populum ſibi commiſſum docendum idonei eſſent. Hæ maximi momenti res erant, quia earum pleræque cotidiani vſus erant in miniſterio ac curæ paſtoralis exercitio, adeoque in iſtiusmodi examinibus maximopere vrgeri debebant. Hæ erant iſtæ dotes, quæ cum ardenti lucentique piæ vitæ lucerna ſociatæ, eccleſiam primitiuam eiusque clericos ad ſummam iſtam amplitudinem ac gloriam euexerunt, quam in ipſis nos omnes admirari, profitemur; cuius ipſa mentio ſufficiens ac idonea eorum, ad quos hæc materia ſpectat, prouocatio eſſe poteſt ad ſtudium ſuum pro ſalute ac gloria præſentis eccleſiæ declarandum, ita quidem, vt iſtas vias inſiſtant, quas antiqua eccleſia tanto cum ſucceſſu iniit, & ſine quibus finis miniſterii in nulla eccleſia plene obtineri poteſt, quoad homines neceſſariis qualitatibus deſtituti ordinantur.

§. VII.

Tertio: *Ipſorum regulæ de priuatis clericorum congreſſibus ac colloquiis cum aliis, deque priuatæ diſciplinæ exercitio.*

Non immorabor iam inculcandis aliis quibusdam regulis, de ſpecialioribus ſtudendi, concionandi aliisque ſimilibus officiis, ſed veniam tantum petam priſca exempla in duobus adhuc momentis commendandi. Alterum ad paſtores priuatos attinet, alterum eccleſiæ gubernatoribus ſubmiſſe offertur. Quod ad priuatos paſtores attinet, officium eſt priuati congreſſus ac colloquii cum aliis ſuæ fidei commiſſis, iuxta ac diſciplinæ priuatæ in eosdem exercitium. Viri quidam celeberrimi, qui de officiis muneris paſtoralis nouiſſime ſcripſerunt, hanc in præcipuis & maxime neceſſariis eius functionibus ponunt, quæ in priuatorum hominum inſpectione, familiarum viſitatione, exhortationibus, admonitionibus, reprehenſionibus, inſtitutionibus, reconciliationibus & in omnibus aliis hiſce curis conſi-

 ſtit,

ſtit, quas paſtor eorum cauſſa, ſuper quos conſtitutus eſt, ſuſcipere debet. Nam, vt apprime recte obſeruant [*h*], *neque exhortationes generales, nec publica diſciplina omnibus eccleſiæ neceſſitatibus reſpondent. Dantur certa flagitia, quæ nec poſſunt nec debent publice reprehendi & quibus tamen mederi debent. In tali caſu priuatæ admonitiones adhibendæ ſunt. Salus animarum hoc poſcit & curæ paſtoralis eſt, omnem errantem quærere, nec committere, vt malus pereat non admonitus.* Iam vero quum hoc ſit opus arduum & difficile, & non tantum multam diligentiam ac animi applicationem, ſed magnam etiam artem ac prudentiam cum æquali cura, manſuetudine, modeſtia ac ingenii dexteritate, ad illud recte perſiciendum requirat: ſæpe vel prorſus negligitur vel male admodum peragitur; quandoquidem nonnulli ſibi perſuadent, ſatis eſſe, ſi peccatores de ſuggeſtu admoneantur; & alii promiſcue eos admonent, quod autem magis ad irritandum quam reuocandum eos ſpectat. Quibus duobus malis vt remedia adhibeantur, vtile erit, ad excellentem illum GREGORII NAZIANZENI ſermonem animum intendere, quem huius libri capite tertio adduximus [*i*], in quo magnam illam animarum ac ingeniorum, quæ mortalibus ineſt, varietatem, omniumque rerum ac occaſionum, quas idoneus animarum paſtor, apta cuiuis morbo remedia applicaturus, ponderare debet, difficultatem conſiderauit. Atque heic non nulla etiam præclariſſima monita ac præcepta, ab CHRYSOSTOMO aliisque hanc in rem data lector inueniet, vna cum exemplis, quæ ad neceſſarium hoc officium peragendum excitare ipſum poſſunt.

(*h*) Oſterwalds *cauſes of the corruption of chriſtians* p. 318. Edit. gallic. cit. p. 109. 110. Ni les exhortations generales, ni diſcipline publique ne peuvent pourvoir à tous le beſoins de l' Egliſe. Il y à de certains deſordres, que les paſteurs ne peuvent ni ne doivent reprimer ouvertement, & aux quels ils doivent pourtant apporter du remede. Dans ces cas là, il en faut venir à des avertiſſements particuliers. L' interêt du ſalut des ames le demande, & il eſt de la ſollicitude paſtorale d' aller chercher la brebis qui s' égare & de ne laiſſer pas perir le mechant, faute d' avertiſſement.
Vide ſis etiam *Biſchop* Burner's *Paſtoral Care*, c. 8. p. 96.

(*i*) Vid. lib. VI. c. III. §. VIII. pag. 362.

§. VIII.

§. VIII.

Quarto: *Ipsorum regulæ de publicæ disciplinæ exercitio in delinquentes clericos, qui de facinore quodam indignitatis ac offensionis pleno essent conuicti.*

Alterum, quod superioribus nostris antistitibus, hoc est, publicæ disciplinæ custodibus & priuatorum pastorum inspectoribus, considerandum submisse offerre volo, est disciplinæ exercitium in primitiua ecclesia. Per quam rem non intelligo generalem illam disciplinam, in omnes nocentes in ecclesia exerceri solitam; sed specialem illam disciplinam inter clericos vsitatam, vi cuius quilibet clericus de morum turpitudine, vel aliquo crimine publicam offensionem habente conuictus, munere exuendus aliisque pœnis ecclesiasticis adficiendus erat; de quibus tam criminibus quam pœnis in tribus antecedentibus huius libri capitibus sigillatim exposuimus. Hoc generalis omnium confessio est, veteris ecclesiæ gloriam fuisse ipsius disciplinam; & generalis omnium de præsentis ecclesiæ calamitate querimonia est, ex non renouata nec restituta vetere disciplina corruptos ac deprauatos mores redundare. Si quid igitur veri in omnibus hisce obseruationibus reperitur, id omnibus illis, qui ad gubernacula sedent ecclesiæ, validissimo argumento esse oportet, vt summo studio eo contendant, vt disciplina, vbi vacillat, ad minimum inter clericos restituta constabiliatur; vt ne publica delicta in iis tolerentur, quorum vita ac morum ratio aliis lux & dux esse debebat. Sicut nihil est, quod liberum huius disciplinæ exercitium heic impediat, ita non nisi æquum & iustum est, vt eius exemplum in ipsis statuatur; tum ob multas alias caussas, tum maxime ob hanc, vt laici ne existiment, se vlli disciplinæ subesse, quam ipsi clerici non prius cum maiori censuræ ecclesiasticæ seueritate inter se exercuissent. Et si vllæ vel regulæ vel exempla ad hoc excitare possunt, certe primitiuæ ecclesiæ regulæ ac exempla maxime omnium prouocant. Regulæ ac disciplina eius in se excellentissimæ erant & exactissimæ, & maximam partem exacte ab iis obseruabantur, quibus earum executio demandata erat.

§. IX.

Iuliani *consilium de reformandis sacerdotibus gentilibus ad primitiuorum clericorum regulas argumentum est, ad studium nostrum hoc tempore excitandum aptissimum.*

Factis hisce in *primitiui cleri* leges & consuetudines obseruationibus, *præsentis æui clerum* longiore oratione compellare minus necesse fuerit. Vnum igitur adhuc obseruabo, quod *Iuliani* imperatoris consilium priscorum clericorum leges inter sacerdotes gentiles ad eos reformandos introducendi, vti tum planum excellentiæ ipsarum testimonium fuit, ita idoneum argumentum sit, ad præsentis cleri zelum prouocandum, vt eo promtius ac gloriosius ipsos imitentur. Iam ex parte testimonium ac consilium IVLIANI ex eius epistola ad *Arsacium* sacerdotem *Galatiæ* recitauimus: heic autem amplius quoddam testimonium ex aliquo epistolæ ipsius fragmento subiungemus, quæ inter opera eius typis expressa reperitur, vbi de gentilibus loquens sacerdotibus dicit, „[*k*] Rationi valde consentaneum esse, vt „sacerdotes honorentur tamquam deorum ministri & famuli, „qui quæ ad deos pertineant, mortalibus ministrent, & ad il„lorum in eos deriuanda beneficia momenti plurimum adfe„rant. Quamdiu [*l*] igitur sacerdotes nominentur aliqui, cul„tu & honore adficiendos esse; sin autem sint nequam, sacer„dotio multandos, & vbi indigni habiti fuerint, abiiciendos. Vi„tam [*m*] suam tamquam eorum, quæ in vulgus eloqui oporteat, „exemplar ostentare debere. Huius initium a pietate erga de„os capiendum esse. Sic enim eos diis ipsis ministrare conue„nire, quasi præsentibus eosque contuentibus, quum ab eis mi-

(*k*) Iul. fragment. epist. p. 542. edit. Paris. MDCXXXI. 4to. (pag. 296. B. edit. Lipf. MDCXCVI fol.) Εὔλογον καὶ τοὺς ἱερέας τιμᾶν ὡς λειτουργοὺς θεῶν καὶ ὑπηρέτας. καὶ διακονοῦντας ἡμῖν τὰ πρὸς τοὺς θεούς· συνεπισχύοντας τῇ ἐκ θεῶν εἰς ἡμᾶς τῶν ἀγαθῶν δόσει.

(*l*) Ibid. p 543. (pag. 297. A. edit. cit.) Ἕως ἂν ἱερεύς τις ὀνομάζηται, τιμᾶν αὐτὸν χρὴ καὶ θεραπεύειν· εἰ δὲ εἴη πονηρὸς, ἀφαιρεθέντα τὴν ἱερωσύνην, ὡς ἀνάξιον ἀποφανέντα, περιορᾶν.

(*m*) Ibid. p. 547 (p. 299. B) Ὧν πρὸς τὰ πλήθη χρὴ λέγειν, δεῖγμα τῶν ἑαυτῶν ἐκφέροντας βίον· ἀρκτέον δὲ ἡμῖν τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβείας· οὕτω γὰρ ἡμᾶς πρέπει τοῖς θεοῖς λειτουργεῖν, ὡς παρεστηκόσιν αὐτοῖς, καὶ ὁρῶσιν μὲν ἡμᾶς οὐχ ὁρωμένοις ἐφ᾽ ἡμῶν.

nime

„nime ipſi videantur. Nihil [n] turpe vel dicere ipſos vel au-
„dire, ac præterea non ab impuris tantum factis ac flagitiis, ſed
„ab omni etiam iſtiusmodi verborum & acroamatum genere
„ſibi temperare debere. Procul ab ipſis oportere faceſſere
„illiberales iocos & petulans omne colloquium. Non legen-
„dos ab iis libros eo tendentes, vt ARCHILOCHVM vel HIPPO-
„NACTEM, vel alium quemlibet eius generis ſcriptorem; deuitan-
„dum ipſis ex antiquiore comœdia, quidquid eo ſtilo conſcri-
„ptum ſit. Satius eſſe, & dignitati ſacerdotum conſentaneum,
„ei ſtudere philoſophiæ, quæ diſciplinæ ſuæ deos præ ſe ferat
„auctores ac duces: qualis ſit PYTHAGORAE, PLATONIS & ARISTOTE-
„LIS ſecta; tum eorum, quæ CHRYSIPPVM AC ZENONEM magiſtros
„ſequantur. Non aut omnibus, aut omnium dogmatibus au-
„ſcultandum eſſe, ſed illis & illorum decretis duntaxat, quæ
„pietatem animis ingenerare poſſint. Non [o] omnem lectio-
„nem ſacerdotes decere, nec ex ipſis philoſophis EPICVRVM AC
„PYRRHONEM legendos, ſed prorſus ab eis reiiciendos; & pro
„hiſce deorum [p] ediſcendos hymnos & ex iis potiſſimum eos,
„qui in ſacris canantur: horum enim pleroſque ipſoſmet deos
„multis precibus exoratos tradidiſſe: paucos ab hominibus pro-
„fectos eſſe, quos illi diuini ſpiritus adflatu, ad honorem deo-
„rum ex integro ac inacceſſo malis animo profuderint. In
„his occupanda eſſe ſtudia, & cum priuatim tum publice diis

(n) Ibid. (pag. 300. C.) Αἰσχρὸν μήτε λέγοντας, μήτε ἀκούοντας· ἁγνεύειν δὲ χρὴ τοὺς ἱερέας οὐκ ἔργων μόνον ἀκαθάρτων οὐδὲ ἀσελγῶν πράξεων, ἀλλὰ καὶ ῥημάτων καὶ ἀκροαμάτων τοιούτων· ἐξελατέα τοίνυν ἐστὶ ἡμῖν πάντα τὰ ἐπαχθῆ σκώμματα· πᾶσα δὲ ἀλγὴς ὁμιλία· καὶ ὅπως ἐνδάνῃ ἔχῃς ὃ βούλομαι φράζειν· ἱερωμένος τις μήτε Ἀρχίλογον ἀναγινωσκέτω· μήτε Ἱππώνακτα· μήτε ἄλλον τινὰ τῶν τοιαῦτα γραφόντων· ἀποκλινέτω καὶ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας, ὅσα τῆς τοιαύτης ἰδέας· ἄμεινον μὲν γὰρ, καὶ πάντως πρέποι δ᾽ ἂν ἡμῖν, ἡ φιλοσοφία μόνη· καὶ τούτων, οἳ θεοὺς ἡγεμόνας προστησάμενοι τῆς ἑαυτῶν παιδείας· ὅπερ Πυθαγόρας, καὶ Πλάτων, καὶ Ἀριστοτέλης, οἵτε ἀμφὶ Χρύσιππον καὶ Ζήνωνα. Προσεκτέον μὲν γὰρ οὔτε πᾶσιν, οὔτε τοῖς πάντων δόγμασι, ἀλλὰ ἐκείνοις μόνοις καὶ ἐκείνων, ὅσα εὐσεβείας ἐστὶ ποιητικά.

(o) Ibid. (pag. 301 C.) Οὐδὲ ἀνάγνωσμα πᾶν ἱερωμένῳ πρέπει -- Μήτε Ἐπικούρειος εἰσιέτω λόγος, μήτε Πυῤῥώνειος.

(p) Ibid. p. 551. (p. 301. D 302. A.) Ἐκμανθάνειν χρὴ τοὺς ὕμνους θεῶν· εἰσὶ δὲ οὗτοι πολλοὶ μὲν καὶ καλοὶ πεποιημένοι παλαιοῖς καὶ νέοις· οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἐκείνους πειρατέον ἐπίστασθαι, τοὺς ἐν τοῖς ἱεροῖς ᾀδομένους· οἱ πλεῖστοι γὰρ ὑφ᾽ αὐτῶν τῶν θεῶν ἱκετευθέντων ἐδόθησαν καὶ παρὰ ἀνθρώπων ὑπὸ πνεύματος ἐνθέου, καὶ ψυχῆς ἀβάτου τοῖς κα-

ſape

„ſæpe ſupplicandum, maxime quidem ter de die; ſin minus„ ſaltem diluculo, ac ſub veſperam. Quamdiu publicæ ſa„crorum adminiſtrationi [q] in templis vacent, cui rei *Ro„mæ* triginta dies præſtituti ſint, per omnes illos dies in „templis eos oportere reſidere ac philoſophari: neque „interim domum petere, vel forum: ac ne magiſtratum qui„dem, niſi in templis, videre: tum vero cultus diuini ſedulo „curam capeſſere & inſpiciendis atque ordinandis omnibus in„tendere. Expletis porro legitimis diebus, vbi ad humanæ vi„tæ negotia ſe transdiderint, non licere ipſis promiſcue omni„um, ſed amicorum tantum & optimorum, domos frequenta„re; Non in forum prodire, niſi raro, nec magiſtratus conue„nire niſi indigentibus pro virili parte præſidium adferendi „cauſſa. Decere ſacerdotes, vt, quamdiu intra templi ſepta „operentur, ornatiſſimam veſtem habeant; extra templum „communi neque ſumtuoſa nimis vtantur. Saltem ab exquiſi„tiore in foro veſte, tum faſtu arrogantiaque prorſus abſtinen„dum. Ad obſcœna [r] theatrorum ſpectacula nullum omni„no ſacerdotem accedere oportere, neque in ædes ſuas intro-

κοῖς ἐπὶ τῇ τῶν θεῶν τιμῇ συγκείμενοι. Ταῦτά γε ἄξιον ἐπιτηδεύειν καὶ εὔχεσθαι πολλάκις τοῖς θεοῖς ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ, μάλιστα μὲν τρὶς τῆς ἡμέρας· εἰ δὲ μὴ, πάντως ὄρθρου τε καὶ δείλης.

(q) Ibid 553. (p. 302 D. 303. A. B. C.) Οἶμαι δὲ χρῆναι τὸν ἱερέα πάντων ἁγνεύσαντα νύκτωρ καὶ ἡμέραν· εἶτα ἄλλην ἐπ' αὐτῇ νύκτα καθηράμενον, οἷς διαγορεύουσιν οἱ θεσμοὶ καθαρμοῖς, οὕτως εἴσω φοιτῶντα τοῦ ἱεροῦ μένειν, ὅσας ἂν ἡμέρας ὁ νόμος κελεύῃ· τριάκοντα μὲν γὰρ παρ' ἡμῖν εἰσιν ἐν Ῥώμῃ· παρ' ἄλλοις δὲ ἄλλως. Εὔλογον οὖν οἶμαι, μένειν ἁπάσας ταύτας τὰς ἡμέρας ἐν τοῖς ἱεροῖς φιλοσοφοῦντα· καὶ μήτε εἰς οἰκίαν βαδίζειν, μήτε εἰς ἀγορὰν μηδὲ ἄρχοντα πλὴν ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐφορᾷν· ἐπιμελεῖσθαι δὲ τῆς περὶ τὸ θεῖον θεραπείας αὐτὸν, ἐφορῶντα πάντα καὶ διατάττοντα· πληρώσαντα δὲ τὰς ἡμέρας, εἶτα ἑτέρῳ παραχωροῦντα τῆς λειτουργίας. Ἐπὶ δὲ τὸν ἀνθρώπινον τρεπομένῳ βίον ἐξέστω καὶ βαδίζειν εἰς οἰκίαν φίλων, καὶ εἰς ἑστίασιν ἀπαντᾷν παρακληθέντα, μὴ πάντων ἀλλὰ τῶν βελτίστων· ἐν τούτῳ δὲ καὶ εἰς ἀγορὰν παρελθεῖν οὐκ ἄτοπον ὀλιγάκις· ἡγεμόνα τε προσειπεῖν, καὶ ἔθνους ἄρχοντα· καὶ τοῖς εὐλόγως δεομένοις ὅσα ἐνδέχεται βοηθῆναι. Πρέποι δὲ οἶμαι τοῖς ἱερεῦσιν ἔνδον μὲν, ὅτε λειτουργοῦσιν, ἐσθῆτι χρῆσθαι μεγαλοπρεπεστάτῃ· τῶν ἱερῶν δὲ ἔξω, τῇ συνήθει, δίχα πολυτελείας· - - ἀφεκτέον ἡμῖν ἐσθῆτος πολυτελεστέρας ἐν ἀγορᾷ, καὶ κόμπου· ἢ καὶ πάσης ἁπλῶς ἀλαζονείας.

(r) Ibid. p 555. (p. 304 B C.) Τοῖς ἀσελγέσι τούτοις θεάτροις τῶν ἱερέων μηδεὶς μηδαμοῦ παραβαλλέτω· μήτε εἰς τὴν οἰκίαν εἰσαγέτω τὴν ἑαυτοῦ - - Μηδεὶς ποιείτω φίλον θυμελικόν· μηδὲ ἁρματηλάτην· μηδὲ ὀρχηστὴς, μηδὲ μῖμος, αὐτῶν τῇ θύρᾳ προσίτω.

ducere,

„ducere, neque cum histrione vllo vel auriga amicitia coniun„ctum esse; neque saltatori vel mimo ad fores suos accessum „præbere.„ Posthæc significat, ex quibus hominibus sacerdotes eligi velit. Dicit„ placere [*s*], eos ex omnibus constitui, „qui in ciuitatibus optimi sint, & in primis quidem Dei, dein„de vero hominum amantissimos quosque, siue pauperes sint, „siue diuites. Nec enim vllum, quod ad eam rem attineat, „inter obscuros & illustres debere esse discrimen. Nam qui „propter animi mansuetudinem lateat, nequaquam propter ob„scuritatem & ignobilitatem arcendum esse. Igitur etsi pauper „sit aliquis, aut plebeius, si duobus his præditus sit ornamen„tis, religione erga deum & in homines benignitate, sacerdo„tem nihilominus eligendum. Religionis autem in deum ar„gumentum esse, si propinquos omnes ad pietatem erga deos „capessendam alliciat; humanitatis vero, si vel ex modico li„benter pauperibus impertiat prolixeque communicet, ac „quamplurimos sua complecti liberalitate studeat. Et ad hanc „partem maiore quadam attentione opus esse, vnde remedii „aliquid adferatur, quia nefandi *Galilæi*„ (per hos christianos intelligit) „animaduerso, pauperes sacerdotibus neglectui esse, „in id humanitatis genus incubuerint & factionem suam hac of„ficii specie corroborarint. Nam velut qui pueros placenta „aliqua decipiant, quam cum bis terue illis dederint, & ad se „sequendos hac arte pellexerint, demum ab ædibus procul abs„tractos & in nauem impositos distrahant, vt quod breuem

(*s*) Ibid. (p. 304. lin. vlt. p. 305. tot.) Ἐγώ φημι τοὺς ἐν ταῖς πόλεσι βελτίους καὶ μάλιστα μὲν φιλοθεωτάτους, ἔπειτα φιλανθρωποτάτους· ἐάν τε πένητες ὦσιν, ἐάν τε πλούσιοι· διάκρισις ἔστω πρὸς τοῦτο μηδὲ τις οὖν ἀφανοῦς καὶ ἐπιφανοῦς. Ὁ γὰρ διὰ πρᾳότητα λεληθὼς, οὐ διὰ τὴν τοῦ ἀξιώματος ἀφάνειαν, δίκαιός ἐστι κωλύεσθαι· κἂν πένης οὖν ᾖ τις, κἂν δημότης, ἔχων ἐν ἑαυτῷ δύο ταῦτα, τό τε φιλόθεον, καὶ τὸ φιλάνθρωπον, ἱερεὺς ἀποδεικνύσθω. Δεῖγμα δὲ τοῦ φιλοθέου μὲν, εἰ τοὺς οἰκείους ἅπαντας εἰς τὴν περὶ τοὺς θεοὺς εὐσέβειαν εἰσαγάγοι· τοῦ φιλανθρώπου δὲ, εἰ καὶ ἐξ ὀλίγων εὐκόλως κοινωνεῖ τοῖς δεομένοις, καὶ μεταδίδωσι προθύμως, εὖ ποιεῖν ἐπιχειρῶν ὅσους ἂν οἷόν τε ᾖ· προσεκτέον γὰρ μάλιστα τῷ μέρει τούτῳ καὶ τὴν ἰατρείαν ὅθεν ποιητέο. Ἐπειδὴ γὰρ οἶμαι συνέβη, τοὺς πένητας ἀμελεῖσθαι παρορωμένους ὑπὸ τῶν ἱερέων, νοοῖ δυσσεβεῖς Γαλιλαῖοι κατανοήσαντες, ἐπέθεντο ταύτῃ τῇ φιλανθρωπίᾳ· καὶ τὸ χείριστον τῶν ἔργων, διὰ τοῦ δοκοῦντος τῶν ἐπιτηδευμάτων, ἐκράτυναν· ὥσπερ οἱ τὰ παιδία διὰ τοῦ πλακοῦντος ἐξαπατῶντες τῷ καὶ δὶς καὶ τρὶς προέσθαι, πείθουσιν ἀκολουθεῖν ἑαυτοῖς· εἶθ' ὅταν ἀποστήσωσι πόῤῥω τῶν οἰκιῶν, ἐμβάλλοντες εἰς ναῦν ἀπέδοντο καὶ

„illis iucunditatem attulisset, id acerbum in omni vita sentiatur: „sic istos ab ea, quam vocent, agape & conuiuio, mensarum- „que ministerio incipientes, fideles gentiles ad deorum contem- „tum impietatemque perducere.„

Ex hac IVLIANI oratione euidenter constare puto, quod ipse obseruauerit, quantum leges & mores ad incrementum existimationis atque auctoritatis christianorum clericorum & christianæ religionis per hosce contulerint: & quod idcirco similes regulas ac disciplinam inter idolorum flamines introducere, multasque alias gentilium consuetudinum mutationes facere instituerit: inuisis christianæ religionis ritibus ac consuetudinibus æmulatus, quemadmodum GREGORIO NAZIANZENO [t] & SOZOMENO [u] hoc obseruatur, qui emendationes, quas intende-

γέγονεν εἰς ἅπαντα τὸν ἑξῆς βίον πικρὸν τὸ δόξαν πρὸς ὀλίγον γλυκύ· τὸν αὐτὸν καὶ αὐτοὶ τρόπον ἀρξάμενοι διὰ τῆς λεγομένης παρ' αὐτοῖς ἀγάπης καὶ ὑποδοχῆς καὶ διακονίας τραπεζῶν· ἔστι γὰρ ὥσπερ τὸ ἔργον, οὕτω δὲ καὶ ὄνομα παρ' αὐτοῖς πολύ· πιστοὺς ἐνήγαγον εἰς τὴν ἀθεότητα.

(t) Nazian. inuect. I. in Iulian. (p. 101 D edit. Paris. MDCXXX.) Διδασκαλεῖα μὲν ἱδρύσασθαι κατὰ πᾶσαν πόλιν ἕτοιμος ἦν, βήματά τε καὶ προεδρίας καὶ ὑφεδρίας, ἑλληνικῶν τε δογμάτων ἀναγνώσεις καὶ ἀναπτύξεις, ὅσαι τε ἤθος ῥυθμίζουσι, καὶ ὅσαι τῆς ἐπικρύψεως· εὐχῶν τε τύπον ἐν μέρει, καὶ τῆς τῶν ἁμαρτανόντων κατὰ μέτρον ἐπιτιμήσεως· προτελείων δὲ καὶ τελειώσεως, καὶ ὅσα τῆς ἡμετέρας σαφῶς ἐστιν εὐταξίας· ἔτι δὲ καταγώγια πήξασθαι καὶ ξενῶνας· ἁγνευτήριά τε καὶ παρθενῶνας, καὶ φροντιστήρια, καὶ τὴν εἰς τοὺς δεομένους φιλανθρωπίαν, τήν τε ἄλλην ὁπόση, καὶ τὴν ἐν τοῖς ἐπιστολιμαίοις συνθήμασιν, οἷς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρήζοντας παραπέμπομεν· ἃ δὴ καὶ μάλιστα τῶν ἡμετέρων εἶχε θαυμάσας· Scholas quidem in omnibus ciuitatibus, & sacraria, subselliaque, partim altiora, partim humiliora extruere parabat, profanorum etiam dogmatum lectiones & explicationes instituere, tam quæ mores componerent, quam quæ in abstrusiorum rerum tractatione versarentur: tum precationum alternatim canendarum formam, ac supplicii in eos qui peccarent, pro delicti modo constituendi: initiationum item & perfectionis, atque omnia, quæ nostræ haud dubie disciplinæ sunt: diversoria etiam & hospitales domos ædificare, monasteria item & virginum cœnobia instituebat, simulque humanitatem & benignitatem erga pauperes adiungere, cum in aliis rebus tum in commendatitiis epistolis sitam, quibus eos, qui inopia premuntur, ex gente ad gentem transmittimus: quæ videlicet ille in nostris rebus præsertim admiratus fuerat.

(u) Sozom. lib V. c. XVI ὑπολαβὼν δὲ τὸν χριστιανισμὸν τὴν σύστασιν ἔχειν ἐκ τοῦ βίου καὶ τῆς πολιτείας τῶν αὐτὸν μετιόντων, διενοεῖτο πανταχῆ τοὺς ἑλληνικοὺς ναοὺς, τῇ παρασκευῇ καὶ τῇ τάξει τῆς χριστιανῶν θρησκείας διακοσμεῖν· βήμασί τε, καὶ προεδρίαις, καὶ ἑλληνικῶν δογμάτων καὶ παραινέσεων διδασκάλοις τε καὶ ἀναγνώσταις ὁμῶν τε ῥητῶν καὶ ἡμερῶν τεταγμέναις εὐχαῖς, φροντιστηρίοις τε ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν φιλο-

rit,

rit, per ſingulas partes commemorant. Cuius rei nuda narratio, ni fallor, concitata noſtri prouocatio eſt, vt ſaltem tantum ſtudii adhibeamus, quantum adhibuit *Iulianus*, ad proponendum nobis tales primitiuorum clericorum excellentias, quas imitatione noſtra exprimere valeamus. Hoc argumentum eſt, quo in re ſimili vſus eſt apoſtolus: *Ego ad æmulationem prouocabo vos per gentem, quæ non eſt gens: per gentem intelligentiæ expertem ad iram vos prouocabo*, Rom. X, 19. Non poſſum, quin dicam, triſtiſſimam conſiderationis materiam homini futuram, ſi olim gentilis cuiusdam apoſtatæ zelum in iudicio contra ſe conſurgere ſeque condemnare, deprehenderit.

§. X.

Concluſio cum adlocutione ad clerum præſentis eccleſiæ.

Nos omnes incenſum gloriæ ac ſalutis præſentis eccleſiæ ſtudium (vt quidem ipſa officii noſtri ratio id poſtulat) profitemur. Iam vero ſi vere tali ſtudio ardemus, quod præ nobis ferimus, certe in omnibus actionibus noſtris iſtud demonſtrare nos oportet; obſeruando has neceſſarias regulas & agendi mo-

σοφεῖν εγνωκότων, καὶ καταγωγίοις ξενῶν καὶ πτωχῶν, καὶ τῇ ἄλλῃ τῇ περὶ τὺς δεομένυς φιλανθρωπίᾳ, τὸ ἑλληνικὸν δόγμα σεμνῦναι ἑκυσίων τε καὶ ἀκυσίων ἁμαρτημάτων κατὰ τὴν τῶν χριστιανῶν παράδοσιν ἐκ μεταμελείας σύμμετρον τάξαι σωφρονισμόν· ὐχ ἥκιστα δὲ ζηλῶσαι λέγεται τὰ συνθήματα τῶν ἐπισκοπικῶν γραμμάτων, οἷς ἔθος ἀμοιβαδὸν τὺς ξένυς ὅποι δήποτε διιόντας, καὶ παρ' οἷς ἀφίκωνται, πάντως κάταγεσθαι καὶ θεραπείας ἀξιῦσθαι, οἷάγε γνωρίμυς καὶ φιλτάτυς, διὰ τὴν τῦ συμβόλυ μαρτυρίαν· ταῦτα διανοόμενος ἐσπύδαζε ἑλληνιστὰς προσεθίζειν τοῖς τῶν χριστιανῶν ἐπιτηδεύμασιν. Cum exiſtimaret (Iulianus), chriſtianorum religionem ex vita & moribus eorum, qui illum ſectantur, maxime commendari, gentilium templa apparatu atque ordine chriſtianis vſitato ornare conſtituit: gradibus præterea ac primi conſeſſus prærogatiua, gentilium item dogmatum & exhortationum doctoribus atque lectoribus; certorum quoque dierum atque horarum ſtatutis precationibus; Monaſteriis præterea virorum ac mulierum philoſophari cupientium; Xenochiis denique & Ptochotrophiis, & omni reliqua erga egenos humanitate religionem gentilium illuſtrare. Ad hæc peccatis quæ vel ſponte, vel ab inuitis committuntur, iuxta morem chriſtianorum congruum pœnitentiæ emendationem adhibere decreuerat. Sed præcipue notas ac teſſeras epiſcopalium litterarum admiratus eſſe dicitur, quibus ſolent peregrinos ſibi inuicem commendare; vt vndelibet venientes, ad quoſcumque acceſſerint, tamquam noti & amici excipiantur hoſpitio, & benigne curentur ob teſtimonium eiusmodi notæ. Hæc quum animo cogitaret, operam dabat, vt gentiles chriſtianorum inſtitutis adſuefaceret.

dos, qui ecclesiam primitiuam ad tantam gloriam euexerunt. Hoc intuitu vitam caute accurateque agere, aliisque sobrietatis, humilitatis, mansuetudinis, caritatis, abnegationis sui & contemtus mundi, omniumque istarum communium virtutum, quæ ab omnibus christianis ad ornandam vitæ suæ conditionem requiruntur, exemplum præire, tum vero etiam hisce peculiares virtutes ac ornamenta functionis nostræ, industriam, prudentiam, fidelitatem & pietatem in toto ministerii nostri curriculo subiungere debemus; imitantes has veterum excellentias, quas supra delineauimus; adstringentes nosmet ipsos propriis officii nostri negotiis, nec intermiscentes nos vel distinentes aliis curis; applicantes animum & tempus nostrum vtilibus studiis, eaque ad genuinum finem, ecclesiæ videlicet ædificationem, dirigentes; peragentes omnia diuina officia adsidue & constanter modoque rationali ac decenti, vti rei natura postulat; facientes ad Deum preces nostras animo venerabundo, ardenti ac deuoto; & in sermonibus nostris ad populum semper loquentes vt oracula Dei, cum eloquentia scripturarum sacrarum, tamquam omnium maxime persuasoria; in doctrina nostra ostendentes puritatem, grauitatem, sinceritatem, sanum sermonem, qui damnari nequeat; in reprehensionibus & publicæ ac priuatæ disciplinæ exercitio magna vtentes sapientia ac prudentia ad discernendum diuersam hominum indolem & tempus, & vt singula opportune applicentur, caritatem ac miserationem iusta seueritate miscentes; & lapsos fratres spiritu mansuetudinis erigere adlaborantes; declarantes lenitatem ac patientiam illis, qui in errore versantur, & idonea iis argumenta apte proponentes, vt ipsos ex errore reducamus; deuitantes omnia amara & contumeliosa verba, nec in vllum vmquam hominem ignominiosam accusationem suscipientes; tractantes eos, qui nostri sunt ordinis, siue superiores, siue inferiores nobis fuerint, vel æquales, cum omni reuerentia atque honore eis debito: siquidem nihil maiorem offensionem inter clericos præbet, quam si alius alium indigne tractet atque contemnat; studentes heic æque ac in casibus cæteris omnibus seruare vnitatem spiritus & vinculum pacis; præbentes nosmet ipsos candidos & ingenuos in moderandis controuersiis inter bonos catholicos,

& ma-

& magnanimos ac prudentes in oppugnandis manifeſtorum veritatis hoſtium conſiliis; vt ſummatim dicam, in has res omni cogitatione dies noctesque incumbentes, conſilia noſtra eo conferentes, & ſincera animi intentione de eccleſiæ ſalute ac ædificatione laborantes; negligentes etiam proprium noſtrum honorem, & vtilitatem propriam contemnentes, ſi id ob bonum publicum fieri neceſſe ſit. Iſtiusmodi actiones zelum noſtrum proclamabunt in eumque omnium conuertent oculos. Iſtiusmodi ornamenta cum probitate & vitæ integritate coniuncta exiſtimationem noſtram priſcorum iſtorum ſanctorum exiſtimationi æqualem reddent: & aut felicem laboribus noſtris ſucceſſum dabunt, aut certe conatus noſtros conſolatione coronabunt nosque tranquillabunt, quod in conſpectu Dei bonam ſeruauimus conſcientiam. Optima conſilia omnino fallere & ſanctiſſimi ac ſtudioſiſſimi conatus exſpectationem fruſtrari poſſunt. Ita ipſi domino ac magiſtro noſtro vſu venit, adeoque nullus ex ipſius familia miretur, oportet, ſi & hoc ipſi in rebus ſuis accidat. Licet enim ipſe loqueretur, vt nullus vmquam homo loquutus erat, licet tot ac tanta inter *Iudæos* factitaret miracula, nihilo ſecius tamen in ipſum haud credebant. Hæc in noſtram conſolationem videntur ſcripta, vt ne animum penitus deſpondeamus, etiamſi labores noſtri ſucceſſu deſtituantur, quandoquidem ipſe dominus noſter primus hanc fruſtrationem participare voluit. Erit id nobis ſolatio, vt cum propheta [w] hac in re vere dicere poſſimus: *Etſi fruſtra laborauimus, & in vanum vires noſtras conſumſimus: iudicium tamen noſtrum apud Iehouam eſt, & opus noſtrum penes Deum noſtrum: Et licet Iſrael non congregetur, glorioſi tamen ſumus in oculis Iehouæ, & Deus noſter eſt robur noſtrum.*

(w) Ieſa. XLIX, 4. 5.

MONENDA.

Ad lib.III.c.III.§.I.not.(a) pag.16. Inueni tandem in editione Veneta MDCCIII. 8uo p. 176. quæ huc pertinent: Apud veteres græcos, inquit CABASSVTIVS, non inuenio acolythorum distinctam mentionem, tametsi vox illa sit plane græca, non apud Dionysium in *hierarch. eccles.* non apud Ignatium *epist. ad Antiochenos*, qui recenset ordines presbyterorum, diaconorum, hypodiaconorum, lectorum, cantorum, ianitorum, laborantium, & exorcistarum, *nihil commemorans de acolythis*, vt neque concilium Antiochenum, quod quidem can. X. a chorepiscopis ordinari posse monet, lectores, exorcistas, & hypodiaconos, a solis vero episcopis, diaconos & presbyteros. *Nihil* vero *de acolythis loquitur.*

Ad lib. III. c. VII. §. II. not. (l) p. 39. In modo citata Cabassutii editione p. 139. 140. hæc leguntur: Canon Laodic. XV. declarat, non aliis licere intra ecclesiam canere, quam canonicis cantoribus, qui ambonem conscendunt & de membranis legunt - - Quam sunt ergo veteris ecclesiæ disciplinæ dissentanei Caluinistarum profani conuentus, in quibus laici omnes viri & feminæ promiscue cantant.

Ad lib. II. c. XIV. §. III. not. (i) vol. I. p. 192. confer Cabassut. notit. conc. p. 22. cit. edit. vbi ita habet: Hic Antiochenus canon (X.) duo circa chorepiscopos edocet. Primo, illos non in ciuitatibus, sed in vicis & minoribus oppidis constitui. Secundo posse contingere, vt *episcopali quoque ordinatione præfulgeant chorepiscopi.* cætera.

Ad lib. II. c. XIX. §. XVII. not. (u) vol. I. p. 291. ex Cabassut. p. 187. edit. cit. hæc referenda: Quinimo neque pluribus sæculis apud latinos ipsos sub illis felicissimis sanctorum veterum

patrum

patrum ſæculis, vt patet vel ex can. V. Carthaginenſis IV. vniuerſalis concilii, in quo cum ducentis & vltra epiſcopis conſedit Auguſtinus, adſerente pro certiſſima eccleſiæ norma & indubitata praxi, vbi traduntur ordinis inſtrumenta, ibi nullam eſſe manus impoſitionem, & ita ſacerdotibus & diaconis, dum ordinantur, imponi quidem manus, ſed nihil eis tradi aut porrigi : at ſubdiaconis calicem cum patena tradi ſed nullatenus imponi manus. Noſter quidem Morinus contendit in ſuis ad ſacras ordinationes exercitationibus, nullam fuiſſe in ſacerdotum & diaconorum ordinationibus traditionem inſtrumentorum annis pluſquam octingentis apud latinos. Cæterum vir eruditionis conſummatæ non advertit, ordinem Romanum libellum ab Alcuino Caroli magni præceptore alicubi adlegatum, ac per conſequens altioris antiquitatis, referre in ſecunda parte, non ſolum manus ab epiſcopis illis imponi, qui ſacerdotio initiantur, & manus iniungi; ſed etiam calicem cum vino aqua permixto & patenam cum pane tradi: ſimulque iſtis ea enuntiari: Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, miſſamque celebrare, tam pro viuis, quam pro defunctis.



5 vol. D. 10

